UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

urn:nbn:de:hbz:466:1-83665

Visual Library

Th. 889a.

C. IX. 9.

R.P. JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM
SANE PRÆSTANTISSIMUM,

IN OCTO TOMOS DIVISUM.

JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM
NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS, AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

THOMUS IV.

IN
QUO TRADUNTUR

Collegii Sortis Jesu
Paderborn 1758.

LEGUM PRÆSCRIPTIONES,
HUMANORUMQUE
OFFICIORUM
PRÆCEPTA.

Editio prima in Germania multum auctior atque correctior.
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Pedeponti, Vulgò Stadt am Hoff,
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis, Maximiliani Simonis Pingizer, Typogr. Aug. An. 1749.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA
HISTORICO-
DOGMATICO SCHOLASTICA,
SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

OPUS
CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM
SANE PRÆSTANTISSIMUM,

IN OCTO TOMOS DIVISUM.

JUNCTO ALTQUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM
NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS, AC IN FINE, CU-
JUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

THOMUS IV.
IN
QUO TRADUNTUR
LEGUM PRÆSCRIPTIONES,
HUMANORUMQUE
OFFICIORUM
PRÆCEPTA.

Pars prima in Gratiam [illegible]
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

[illegible]

Pedeponti, Volgo Gratis am Rhein.
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis, Maximiliani Simonis Pinzger, Typogr. Aug. An. 1749.

Collegii Sctæ Jesu
Paderborn. 1758.

CENSURA.

Præclarissimus Auctor Operis inscripti De Theologicis Disciplinis *in Tomis quarto & quinto, quos ex commissione Reverendissimi Patris Generalis perlegi, nedum totus Catholicus, & orthodoxus est, verum etiam eamdem exhibet, ac in prioribus libris novè, & gratissimâ methodo concinnatis, exquisitam eruditionem, judicium acutissimum, & moderationem animi singularem. Quamobrem præfatas Ipsius lucubrationes, & nostratibus Theologiæ Canditatis, in quorum gratiam nunc primum prodeunt, & omnibus reconditioris doctrinæ cupidis, & sanioris Theologiæ studiosis utilissimas censeo, & Prelo dignissimas.*

Dabam Romæ die 15. *Februarii*, 1740.

Fr. Joannes Andreas Onofri Genuensis Sacræ Theologiæ Magister Procurator Generalis Ordinis Eremitarum S. P. Augustini.

CENSURA.

Quoniam A.R.P. Magister Fr. Joannes Laurentius Berti hujusce Romani Collegii Gymnasiarchus optime de saniori Theologia mereri pergit in quarto, & quinto De Theologicis Disciplinis *Voluminibus, quæ jussu Sapientissimi totius nostri Ordinis Præsulis expendenda suscepi, quos tribus prioribus magno plausu ubique exceptis calcios adjeci, eosdem duobus hisce lubens adjicio. Par siquidem in omnibus est rerm delectus, judicii præstantia, selectæ eruditionis copia, ac religionis integritas, quorum proinde intuitu è re publica erit, ut Typis mandentur. Ita sentiebam ex DP. Augustini de Urbe hac die* 29. *Februarii* 1740.

Ego F. Hieronymus Augustinus Zazzeri publicus in Romana Sapientia Sacræ Scripturæ Interpres, Academiæ Theologiæ in Archigymnasio Urbis Censor, ac S. Rituum Congregat. Consultor.

F FELIX LEONI A JUVENATIO,

Sacræ Theologiæ Magister totius Ordinis FF. Eremitarum S. P. Augustini Prior Generalis.

HAum serie literarum, & nostri Muneris auctoritate tibi Rev. l. Magistro Joanni-Laurentio Berti facultatem concedimus, ut tpis mandare possis quartum, & quintum Tomum à te latine ompositos, quorum titulus est, *De Theologicis Disciplinis*, jam à duobus Patribus Magistris nostri Ordinis per Nos deputatis revisos & approbatos; servatis tamen servandis, juxta Decretum sacrosancti Concilii Tridentini, & nostri Ordinis sanctiones, obtentaque ab eis, ad quos spectat, ficultate.

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 28. Martii 1740.

F. Felix Leoni Generalis.

Nostri mun. aff. Sig.

Magister Fr. Angelus-Maria de Orgio Ordinis Secretarius.

Reg. lib. 1.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Philippus Archiepisc. Theodosiæ Vicesg.

CENSURA.

REverendissimi Patris Aloysii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistri jussa impleturus *Theologicarum Disciplinarum* IV., & V. Volumen ab admodum Rev. Patre Magistro Jo: Laurentio Berti elucubrata diligentissime perlegi. In quibus, haud desciscente à superioribus, & à se ipso auctore, adeo nihil dissonum à recta norma vel fidei, vel morum offendi, ut immo eruditionem, claritatem, comptamque, ac fluidam orationem plane miratus sim. Quare publicâ luce dignissima reor.

Datum in Conventu S. Mariæ Transpontinæ pridie Idus Januarii, anni 1740.

Fr. Petrus Thomas Cacciari Romani Cleri Examinator, & in Collegio de Propaganda Fide Theologiæ Lector.

CEN-

CENSURA.

QUartum, & quintum Volumen *De Theologicis Disciplinis*, in quibus de Juris, & æqui Regulis, de Humanis Officiis, atque de Divinæ Incarnationis Mysterio disserit Adm Rev P. Mag., & Stud. Regens Jo: Laurentius Berti Eremita Augustinianus, Reverendissimi P. Aloysii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistri mandatis obsequens attente legi, idemque de illis judicium tuli, quod de prioribus libris ab eodem doctissimo Auctore feliciter in luem editis. Omnia videlicet in eo sunt Catholicæ Fidei & bonis moribus consona, sollerter, & ingeniose, perspicue, & eleganter, docte, atque erudite pertractata. Itaque dignissima censeo, quæ in publicam lucem edantur.

D. Antonius Andreas Galli Ab. Can Regul Sanctissimi Salvatotis Sac. Congr. Indicis Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. S.P.A. Magister.

AUGUSTINI

Servandæ Legis, & Vitæ instituendæ præceptio.

HÆc disciplina ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa, & inconcussa semper manens, in sapientes animas quasi transcribitur, ut tanto se sciant vivere melius, tantoque sublimius, quanto & perfectius eam contemplantur, & vivendo custodiunt diligentius. Adolescentibus ergo studiosis ejus ita vivendum est, ut à veneris rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodesto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negociis ludorum, à torpore somni atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidentia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodica cupiditate se abstineant. Amorem autem pecuniæ totius suæ spei certissimum venenum esse credant: nihil enerviter faciant, nihil audacter. In peccatis autem suorum vel pellant omnino iram, vel ita frenent, ut sit pulsæ similis: neminem oderint, nulla vitia non curare velint. Magnopere observent cum vindicant, ne nimium sit: cum ignoscunt, ne parum. Nihil puniant quod non valeat ad melius: nihil indulgeant quod vertat in pejus. Suos putent omnes, in quos sibi potestas data fuerit. Ita serviant, ut eis domnari pudeat: ita dominentur, ut eis servire delectet. In alienis autem peccatis molesti non sint invito. Inimicitias vitent cautissime, ferant æquissime, finant citissime. In omni verò contractu atque conversatione cum hominibus, satis est servare unum hoc vulgare proverbium: Nemini faciant quod pati nolunt. Rempublicam nolint administrare nisi perfecti. In omni vita, loco, tempore, amicos aut habeant, aut habere instent. Obsequantur dignis etiam non hoc expectantibus. Superbos minus curent, minime sint. Apte congruenterque vivant. Deum colant, cogitent, quærant, fide, spe, caritate subnixi. Optent tranquillitatem, atque certum cursum studiis suis, omniumque sociorum, & sibi quibusque possunt mentem bonam, pacatamque vitam. Lib. II. de Ordine cap. VIII.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER VICESIMUS,

De Juris, & æqui Regulis, id est de Legibus, quæ humanos mores dirigunt, & coercent.

SUMMARIUM.

Num. 1. Ratio Ordinis.

1. Ratio Ordinis.

QUONIAM præcedentibus libris de Divina Gratia plura conscripsi, & quibus in rebus Augustiniana doctrina ab erroribus Jansenii, & Catholicum dogma discrepet à placitis Novatorum conatus sum demonstrare, atque id feci præter consuetudinem quorundam Scriptorum, qui aut dissertationes alias præmittunt, aut illas, in quibus sum versatus, diversa methodo, diversisque principiis exornant; necessario faciendum est, ut paucis aperiam hujus consilii rationem. Cum Jansenianos naviter strenueque debellaverint tam illi, qui Molinæ vel Suaresii partibus addicti sunt, quàm alii, qui Dei gratiam in actuosa qualitate constituunt, sed callidi dogmatistæ confugiant ad sententiam eorum, qui juxta Augustinum in sanctæ dilectionis inspiratione putant constituendam, & efficax auxilium contendunt nihil aliud esse quàm delectationem victricem, atque hinc illegitime inferant, neque gratiam ullam suo unquam carere effectu, neque vigere in hoc infirmitatis statu libertatis in partem utramlibet potestatem; pretium operæ me facturum existimavi, si ostenderem Augustinensium neminem denegare sub robusta ac valida delectatione veram reluctandi potentiam, sicuti nec sub minima ac parva facultatem obtemperandi. Postquam verò id pro mea virili explicavi, nullum ex iis, qui gratiam ab intrinseco efficacem repellunt, norunt tamen illam à probatissimis Theologis propugnari, fore arbitror adeo iniquum & malevolum, ut me Jansenianis annumeret, & non potius fateatur, quod pro sua erga me humanitate testantur ingenui viri, hac differendi ratione à recessu perfugioque, quò in tanta vexatione se recipiunt, Jansenianos ipsos facilius ejici, & exturbari. Ac de natura gratiæ, si Nostratium sententiam exposui, omnes alias à Catholicis colustratas honeste excipiens, moderate oppugnans, nullam suggillans, nec afficiens auctorem aliquem injuriâ; mihi persuadeo eam rem, nisi sit laudi, vituperationi bonorum nequaquam fore. Disputationes denique jam absolutas iis, quas nunc subjiciam, præmisi, quod origo actionum humanarum, quarum præceptiones ac normam hoc volumine tradam, si fiant ut oportet, & ad finem ulti-

ultimum referantur, Divino ex munere sit repetenda; &, si gratia desit, regnet peccatum per mortem, & per legem arguatur tantùm prævaricatio. In superioribus itaque libris nihil fortè vel ante rem, vel præter rem disputavi: & cum dederim nunc rationem consilii mei, quod reliquum est operis, ita, ut institui, persolvam.

CAPUT I.

Vocabulum Legis exponitur, ac definitur: traditur partitio legum; & statuitur ad actum voluntatis legem potissimum pertinere.

SUMMARIUM.

1. Unde legis nomen derivatum.
2. Definitio Legis.
3. Divisio Legis.
4. Divisio Juris.
5. Lex propriè refertur ad actum voluntatis.
6. Objectiones solvuntur.

1. Unde legis nomen derivatum.

ERGO præter Gratiam, quæ humanam adjuvat infirmitatem, necessaria fuerunt rationalibus præcepta quædam & instituta, quæ imperarent quæ facienda sunt, & prohiberent contraria: atque hæc instituta LEGES dicimus. Unde Legis nomen sit derivatum, non consentiunt Scriptores: opinantibus quibusdam dici legem *à ligando*, quoniam subditos ad observantiam præceptorum obstringit. Arbitror derivasse potius à *legendo*, ut animadvertit in sua Etymologia Gerardus Vossius, & Prolegom. 25. Alphonsus Salmeron. Nam sicut à ducendo Dux, à regendo Rex, ita à legendo lex dicitur, ut demonstrat Latini sermonis consuetudo. Græci appellant νόμον à νέμω, *tribuere*, quòd suum distribuat unicuique Hebræi autem תּוֹרָה, *Torà*, quasi *verborum*, ut interpretatur Marinus, *jactationem*. *Legere* autem, unde derivamus latinum vocabulum, aliquando idem est ac eligere, unde est in Eclogis Virgilianis, *Qui legitis flores, & humi nascentia fraga:* aliquando est idem, ac pervolutare & cognoscere & lectionem ad librum aliquem adhibere. Juxta priorem legendi significationem ait Augustinus q. 20. in Leviticum: *Legem ab eligendo Latini Auctores appellatam esse dixerunt;* & juxta postremam Isidorus lib. XI. cap. 10. *Dicitur lex, quoniam scribitur, & legenda proponitur.* Igitur qui à ligando derivarunt, non etymologiæ rationem habuerunt, sed potius muneris ac potestatis. Hinc & varia nomina lex adscivit, cujusmodi sunt, Pactum, Testamentum, Mandatum, Voluntas Domini.

2. Definitio legis.

Definitur autem Lex à Cicerone lib. 1. de Legibus, *Recta ratio imperandi, & prohibendi:* à Theologis autem Scholasticis his, aut consimilibus verbis: *Lex est præscriptum aliquod ab eo, qui communitatis curam habet, ad commune bonum directum, & subditis intimatum.* Quæ definitio legem describit comparate ad legislatorem; nam respectu subditorum traditur hæc alia vulgaris: *Lex est mensura actuum humanorum, per quam ad id quod rectum est agendum, & ad id quod pravum est omittendum diriguntur.* In quibus definitionibus explicandis non est, ut immoremur, necesse admodum. Atque tradita Legis definitio cuique legi communis est.

3. Divisio legis.

Lex vero alia est naturalis, alia autem positiva. Naturalis dividitur in *æternam*, quæ est rectus universorum ordo à sapientia & providentia Dei prorsus indistinctus, sive, ut ajebat Tullius, *Æternum quiddam, quod universum mundum regit imperandi, prohibendique sapientia:* & in *participatam*, quæ est ipsa naturæ vis, & ratio prudentis, sive Auctore ipso Tullio, *non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex naturâ ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Legem *Positivam*, eam videlicet, quæ à libera Legislatoris institutione dependet, ejusque arbitratu ponitur, & constituitur, in Divinam, humanamque dispescunt. Et *Divina* quidem alia est *antiqua*, quam libri Moysis comprehendunt, alia *Nova* tradita in libris novi Testamenti, maxime Evangeliorum. Lex *humana* ea est, quam homines ferunt: & alia est Ecclesiastica, Civilis altera. *Ecclesiastica* Pontificum decretis, definitionibus Conciliorum, communibus Patrum sententiis, & perantiquâ Ecclesiæ disciplinâ constituta est: *Civilis* sita est in statutis Imperatorum, Reipublicæ constitutionibus, atque populorum consuetudine. Itaque hæc est generalis Legum partitio.

Id

4. Divisio Juris.

Id vero circa quod versantur leges, Jus appellitant. Et istud pariter dividitur in *naturale*, *positivum*, *Divinum*, *humanum*, *Ecclesiasticum*, *Canonicum*, *& Civile*, juxta traditas legum divisiones. Ulpianus lib. 1. ff. de Just. & Jure partitur omne Jus in *publicum*, & *privatum:* & illud arbitratur esse quod ad statum pertinet rerum Romanarum: hoc autem, id est, jus privatum, aliud esse *naturale*, aliud *jus gentium*, aliud *jus civile*. Et is quidem *Jus naturale* facit etiam brutis commune: quod etsi potest sensu aliquo probari, cum & inter bruta & res omnes creatas sit forma quædam regiminis, rerumque agendarum mensura; est nihilominus dictum improprie: est enim anima legis ipsa ratio, quâ bruta carent. Nec placet Jurisperitis *jus naturale* in ordine quodam infimo locari, *Romanum* autem in supremo; cum per se constet, jus naturale ampliori latitudine se extendere, Romanum speciem aliquam constituere. Magis ergo placet Jus naturale dividere in *primævum*, *secundarium*, & *personale* aut *locale*. Primævum illud est, quod pertinet ad ipsum rationalis naturæ constitutionem; illud scilicet, quo præcipiuntur mutua hominum dilectio, connubia, filiorum educatio, cultus parentum, aliaque humanæ societatis officia, quæ forent in usu etiamsi Adam non peccasset, neque suborta esset familiarum divisio. Secundarium est illud, quod exigente usu, & humanis necessitatibus constitutum est: irruente præsertim familiarum divisione, & incommodis erumpentibus ex propagatione humani generis ab Adamo prævaricatore. Atque hoc Jure divisiones Regnorum, Constitutiones Rerumpublicarum, Legationes, Jura belli & pacis, emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, mutuum, aliique contractus fuerunt inducti. Quæ cum omnibus Gentibus promiscue communia sint, hoc jus naturæ *secundarium* dicitur à Justiniano lib. 2. Instit. tit. 1. *Jus Gentium*. Personale enim, aut Locale respicit peculiarem locorum, aut personarum conditionem. Sunt vero loca aut Regna, aut Provinciæ, aut Civitates, aut oppida: & omnia statutis quibusdam propriis reguntur. Homines autem sunt aut liberi, aut servi. Et liberi quidem jus habent sic facere, ut volunt, prout lib. 1. de Officiis, & in Paradoxo v. loquitur Cicero. At servi dominio aliorum subjiciuntur, unde & *mancipia* dicuntur, quasi manu ab hostibus capiantur. Nec tamen homines liberi possunt semper pro arbitrio agere: omnes quippe, etsi liberi, superioribus legibus obstringuntur; & *parvulus hæres*, auctore Apostolo ad Galat. IV. *nihil differt à servo:* & *Pater assiduat illi flagella*, more servorum, ut in Eccles. xxx. Emanaverunt enim Jura omnia Gentium, & Personarum à lege suprema, æterna scilicet & naturali, cujus præceptis tenentur omnes. At de divisione Legis & Juris dictum modo.

5. Lex propriè refertur ad actum voluntaris.

Reliquum est, ut videamus an ad actum intellectus, aut voluntatis sit lex referenda: qua in re dissentiunt Scholastici. Sed parvi momenti quæstio est; atque utrumlibet affirmes, nostra parum interest. Opinor distinguendam esse legem, ut in Legislatore, in Tabulis, & in subdito subjicitur. In Tabulis mortua est, literis conscripta, aut sculpta. In subdito pariter non semper cum voluntate conjuncta est; sæpe enim plurimi, qui legibus tenentur, eas nolunt implere. Igitur de lege quatenus pertinet ad legislatorem instituitur quæstio: eamque paucis resolvens affirmo legem, etsi intellectionem supponat, ad actum voluntatis proprie referri. Legitur enim Psal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.* Ps. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Macch. 1. *Det vobis cor, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem.* S. P. Augustinus lib. IV. de Civ. Dei cap. 6. scribit principio rerum gentium, nationumque fuisse pro legibus *Arbitria principum.* Ipse denique Justinianus lib. 1. Inst. tit. 2. §. 2. *Quod principi placuit*, inquit, *legis habet vigorem.* Ad voluntatem ergo, arbitriumque Legislatoris lex pertinet. Recte Cicero de legibus: *Cum legem dico, nihil aliud intelligi volo, quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Atque hæc rationi consentanea sunt; nisi enim ad rationem mentis accedat judicium imperans honesta, & prohibens contraria, non habetur lex, sed suspensa quædam apprehensio. Imperare autem & prohibere actus est voluntatis; quoniam nihil aliud est *Imperare*, quàm intimare, decernere, denuntiare, velle ut Majorum præcepta innotescant, & compleantur. Deinde Lex inferiores dirigit: & directio, etsi pertinet ad intellectum, quatenus est perceptio, & propositio, rerum meliorum; si tamen accipiatur pro vi illa movendi, & intimatione, quæ

in Lege præcipua sunt, spectat ad voluntatem.

6. Objectiones. Objiciunt: Lex illuminat, dicente Davide, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* II. Lex imperat: at imperare per D. Thomam actus rationis est. III. Lex est quædam regula & mensura pravi & recti, ad quam humanæ actiones exigi debent. Quæ regula mentis & intellectionis est opus. IV. Saltem Lex naturæ actus voluntatis non est, cum nihil sit aliud, quam lumen rationis cuique rationali creaturæ manu Formatoris impressum.

Solutiones. Resp. ad 1. Eatenus legem illuminare, quatenus nobis Divinam proponit voluntatem, cui obtemperantes, & societatem habentes ad invicem ambulamus in luce. Ad 2. nego quod imperare sit actus rationis. Ait enim Augustinus lib. VIII. Confess. cap. 9. *Voluntas imperat*: & D. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. ad 2. voluntas *imperat omnes actus voluntatis*, atque q. 9. art. 1. in Corp. *voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus.* Quapropter ubi S. Thomas imperium tribuit intellectioni, illud accipit pro sola directione mentis, non pro illa intimatione, & vi movendi, in qua potissimum lex sita est. Ad tertium dico, utique legem comparate ad subditum esse mensuram pravi & recti, sed relate ad Legislatorem esse hujus mensuræ intimationem, & præscriptionem. Præterquamquod ait Angelicus 2. 2. q. 104. art. 5. primam regulam, cui actiones humanæ conformari debent, esse Dei voluntatem, secundam aliorum Superiorum imperium. Eadem responsio adhibetur ad 4. siquidem lex naturæ in homine est vis, & acumen ipsum rationis; sed quatenus à Deo est, dicit intimationem Divinæ voluntatis, & æqui rectique præscriptionem, quam rationalis animus intima conscientia intuetur in semetipso manu Conditoris inscriptam.

CAPUT II.

Legum conditiones exponit, & pertractat de illarum Auctore, & iis, qui legibus subjiciuntur.

SUMMARIUM.

1. Conditiones Legum conditio 1.
2. Objectio solvitur.
3. Conditio 2.
4. Objectio cum solutione.
5. Conditio 3.
6. Objectio cum solutione.
7. 8. Conditio 4. & 5.
9. Leges ferre spectat ad communitates, & earum Rectores.
10. Novatores cœtum Justorum ab observatione legum excipiunt.
11. Refellitur error Novatorum.
12. Objectionibus satisfit.

1. Conditiones legum. QUINQUE autem traduntur conditiones legum universarum: ac prima est, *ut lata sit quælibet lex pro*

Conditio 1. *aliqua communitate.* Primo quia in eo differt lex à præcepto, quod illa communis est, & istud peculiare. Et lex quidem appellatur præceptum, sed accepto præcepti vocabulo in significatione ampliori & generica, ut habetur lib. 1. ff. de legibus. Habetur præterea lib. 1. Inst. tit. Jura: *Leges non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Deinde legem æternam ac naturalem esse communem satis compertum est: de legibus autem civilibus & Canonicis idem affirmat in Procemio Decretalium Gregorius Nonus. Prima itaque legum conditio recte constituta est.

2. Objectio. Solet opponi primo definitio legis superius tradita, quod sit mensura humanarum operationum. Videtur ergo, ut quemadmodum operari est individuorum, ita ad hæc tantummodo leges pertineant. Datur quoque, ut dictum est supra, & habetur lib. I. de Const. Princ. *Jus Personale.* Insuper *Commune, Respublica,* aliaque istiusmodi nomina sunt intentione hominum instituta, ideoque non sunt subjectum legis idoneum. Denique imponitur lex interdum uni tantum, uti sacrificium Abrahami. Allata ergo legum proprietas haud scite præscribitur.

Solutio. Respondemus, Legem ferri pro aliqua Communitate *distributive*, id est generaliter proponi ita, ut ad omnes singulosque perveniat: ideoque universalis est, & unicuique in particulari normam exhibet æquitatis. Ita ratio, prudentia, ars, facultas referuntur ad plures, etiamsi qui his utuntur sint individui. Jura Personalia & ipsa ad publicum commodum ordinantur; confert enim ad bonum Corporis singulorum membrorum harmonia, atque ad utilitatem Reipublicæ & communis rei politiam recta munerum, magistratuum, negotiorum, hominumque partitio. Præceptum autem uni impositum à lege secernitur: quamquam potest privatis personis imponi à Superiore mandatum pro bono, & commodo Reipublicæ.

Alte-

3. Conditio 2. Altera conditio eſt, quod *leges ad commune bonum ſunt referendæ.* Hanc legum conditionem etiam Ethnici probavere. Ariſtoteles enim 8. Eth. cap. 10. *Lex* (inquit) *ſubditorum ſpectat utilitatem;* & Cicero in 1. de legibus, conſtituendas leges ſcribit *publicæ ſalutis causâ.* Hinc ait in V Etymolog. Iſidorus, *Lex eſt nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate Civium conſcripta.* Accedit ratio; nam Deus pro bono univerſitatis leges ferre per Eſaiam teſtatur hiſce verbis: *Lex à me exit in lucem populorum.* Omnem verò poteſtatem ac principatum à Deo eſſe, teſtantur ſacra eloquia, & natura ipſa proclamat. Quisquis ergo accepta à ſupremo Numine poteſtate in ferendis legibus utitur, tenetur illius ad exemplum aptare decreta ſua, eaque ſtatuere in commodum populorum.

4. Objectio cum ſolutione. Dices. fortaſſe nonnullas leges pertinere ad Principes, ut de perſolvendis vectigalibus; nonnullas ad milites, ut de manubiis, & auro coronario; complures ad pupillos, ad libertos, & manumiſſos: dari etiam Privilegia, quæ cedunt privatorum utilitati. Reſpondeo leges, quæ lib. I. Inſtit. ff. *de Conſtit. Princ.* dicuntur particulares, ad privatum bonum tanquam ad finem proximum referri, ad commune vero tanquam ad finem ultimum. Et quidem felicitati Reipublicæ plurimum confert, ſi Principi vectigalia & portoria ſolvantur: conſulitur enim hoc pacto illius majeſtati & honori, quippe hac ratione facilius ſubditis inſerit obſervantiam, hoſtibusque incutit terrorem, atque formidinem. Quod de cæteris dicendum eſt: nam ſi rectus in perſonis prætermittitur ordo, & pupillis patrias fortunas adimere, milites fraudare, ingenuos cum meritoriis verſari fas ſit, nihil erit in civitate non inhoneſtum ac turpe. Eo etiam tendunt privilegia, quæ conferuntur, ut ipſorum ſpe allecti cives egregiis operibus incumbant, nec ſtudia ſine remuneratione torpeſcant. Aut reſpondemus privilegia privatis hominibus irrogata melius dici *Exemptiones à Lege,* ut ait Gloſſa in Cap. *Erit autem lex:* & Cicero in tertio de Legibus: *Majores noſtri in privatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim privilegium.*

5. Conditio 3. Conditio tertia erit, *ut Lex ſit juſta, neque inhoneſta præcipiat.* S. P. Auguſtinus hanc legis proprietatem tradit in primo de lib. Arb. cap. 5. dicens: *Lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* Conſentit Iſidorus, qui lib. 5. Etymolog. cap. 2. hæc habet: *Lex erit omne quod ratione conſtituerit, quod religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat.* Ratio autem ſatis eſt manifeſta: injuſtitiæ enim & ſcelera commune bonum non provehunt, ſed evertunt.

6. Objectio cum ſolutione. At dices: Nonne leges fornicationes aliquando permittunt? Imo ipſe fomes concupiſcentiæ nonne ab Apoſtolo ad Rom. VII. v. 23. *lex* appellatur? Præterea quanta arbitrio Regum præcipiuntur injuſta? Ne alia proferamus exempla, Ægyptiorum Rex Pharao juſſit ut aquis mergerentur Hebræorum infantuli: præcepit Saul ut interficerentur Sacerdotes Domini: aliique innumeri indixerunt decretis ſuis immania, turpia, horrendiſſimaque flagitia. Reſpondeo fornicationem à legibus non præcipi, ſed permitti. Permiſſio autem peccati, ut vitentur majora crimina, non eſt indecora, ſed ipſo Numine digna. *Legem quidem ſatis video* (ait Auguſtinus loc. cit.) *munitam contra hujusmodi accuſationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam.* Fomes peccati lex dicitur ab Apoſtolo ob pœnam culpæ originalis; ut enim miles deſtitutus ſtipendio tranſit ad legem agricolarum, & qui capitur jure belli, ſervus fit capientis, ita homo per peccatum à lege liberi tranſiit ad captivitatem, quæ eſt lex pœnalis. Injuſta vero decreta virorum principum non leges dicenda ſunt, ſed Tyrannorum præſcriptiones; quippe ut ajebat Cicero lib. 1. de Oratore, *Docemur auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere.*

7. Conditio 4. Quarta legum conditio eſt, *ut ſint perutiles:* quæ ex præcedentibus conſequitur, & vix à ſecunda diſtinguitur. Si enim conſtitutæ ſunt leges publicæ ſalutis causâ, ſi præmia conferri jubent, & vitia inſectantur, ſi diſtinguuntur à tyrannide, quod hæc eſt dominatus ad ſubverſionem pauperum, lex vero ad regimen æquitatis; conſequens eſt, ut hæc ſit utilitatum, opportunitatumque conſultrix.

8. Conditio 5. Poſtrema conditio eſt, *ut leges ſint diuturnæ.* Lex enim æterna cum ſit rectus ordo Divinæ immutabilis providentiæ, eſt prorſus invariabilis. Naturalis etiam creata, & hominibus indita nequit à mente rationabilium deleri. Divina lex per Moyſen lata, cum eſſet promiſſio & figura novi fœderis; perduravit usque ad Joañem & Chriſti baptiſma, atque hujus morte ſciſſo velo templi, & conſummatis figuris tranſiit in Evangelicam.

Vigebit hæc usque ad consummationem sæculi. Humanæ leges perseverant post obitum legislatoris, ab eoque successores adipiscuntur auctoritatem statutæ legis, sive hæreditate, sive electione. Oportet ergo, ut leges sint diutinæ, salutares, rectæ, universales, & institutæ ad commodum populorum.

9. Leges ferre ad Communitates spectat, & earum rectores.

Ferre servatis his conditionibus leges ad Communitates duntaxat spectat, earumque Rectores. Quod probatur cum auctoritate, tum ratione. Isidorus namque lib. 1. ita legem describit: *Lex est Constitutio Populi; secundum quam Majores natu aliquid sanxerunt:* quam descriptionem probat distinctio Decretalium 2. Ratio autem hæc est. Habet lex vim imperandi & coercendi, ut Aristoteles ait x. Ethic. Conditor ergo legis nullus est, nisi qui imperare & coercere potest, id est, Rector communitatis. Ex quibus liquet, quæ domi suæ imperant Patresfamilias, esse quædam particularia statuta, non leges, nisi in quantum illa domus pars est Civitatis, ejusque regimen refertur ad patriam commoditatem. Leges autem à quibusdam privatis præscriptæ tunc auctoritatem obtinuerunt, cum illis accessit publici Magistratus, aut Principis comprobatio.

10. Novatores cœtum justorum ab observantia legum excipiunt.

Jam de iis dicendum est, quos legum observantia tenet obstrictos, à quorum numero excipiunt Novatores cœtum Justorum. Tutantur errorem suum prava quorundam locorum Scripturæ intelligentia. Ea sunt, ad Rom. VI. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Item ad Galat. II. 4. *subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent:* & cap. III. 19. *Propter transgressiones* (lex) *posita est:* necnon cap. 5. v. 18. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Possent & opponere quod habetur in Decret. d. 19. q. 2. *Qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut publica constringatur.*

11. Refellitur error Novatorum.

Refellitur autem Novatorum spissus ac turbulentus error locupletioribus ejusdem Apostoli testimoniis. Qui in Epist. ad Rom. cap. 3. v. ultimo scribit: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Id est, *Legem sistimus in his, quæ & nunc novo testamento introducta etiam cumulatiore præcepto prohibentur,* inquit hunc locum citans Tertullianus de Pudicitia. Et capite ejusdem Epistolæ XIII. ait Apostolus, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* quem locum quidam hæreticorum avide arripiunt, ut evincant etiam summos Sacerdotes & Episcopos teneri legibus temporalium dominorum; tametsi nequeunt isti facta Sacerdotii comparatione dici ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, *præcellentes potestates,* quoniam ut corpora spiritibus, ita temporalis politia est subjicienda Ecclesiasticæ. Interim eorum confessione constat *omnem animam,* ideoque & justam subjici Legislatoribus. In postremo etiam ad Hebræos v. 17. scribit Paulus: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Sed quid plura? nonne de Justis dictum est à Domino Jo. XV. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione?* Indubitatum est ergo, quod *nemo quantumvis justificatus liberum se ab observantia mandatorum putare debet;* ut definit sess. 6. cap. 11. sacrosancta Synodus Tridentina. Atque his suffragatur ratio. Lex enim ratione sua duo importat; unum, ut sit regula rerum agendarum: alterum ut reluctantes bene agere vi, & auctoritate coerceat. At justi, quamquam sponte obtemperant legi, atque secundum rationem istam ei minime subjiciuntur; reguntur tamen superiorum suorum institutis atque mandatis. Legibus ergo inspecto munere ipsarum præcipuo, quod est intimare & dirigere, etiam justificati subjiciuntur. Quinimo subduntur legibus etiam quoad vim coactivam, in quantum possunt ab illarum observatione desciscere, & quandoque à malefactis retrahuntur timore supplicii.

12. Objectionibus satisfit.

Inania autem sunt, quæ objiciunt Heterodoxi. Nam Apostolus ad Romanos loquitur de lege mosaica, & de lege premente & minitante, ut opponitur gratiæ adjuvanti, & Evangelio, quod appellatur Act. 14. 3. λόγος χάριτος, *verbum gratiæ.* Quare Augustinus de Grat. & lib. arbitrio cap. 12. ait: *Non enim estis sub lege, sed sub gratia: non quia lex mala sit; sed quia sub illa sunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quippe adjuvat, ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantum erat legis auditor.* In Epistola ad Galatas perspicuum est, sermonem cap. 2. fieri adversus παρεισάκτους ψευδαδέλφους, *superinductos falsos fratres,* Judæos scilicet simulantes se esse Christianos, & compellentes circumcidi, & jugum veterum legalium iterum imponentes. Nostram ergo libertatem tutatur Paulus à ceremoniis Judaicis, non ab observatione præceptorum. Proximo cap. 3. ait legem positam propter transgressiones declarandas, puniendas, &

& coercendas, ut Lyranus, Menochius, Estius, aliique docti Interpretes observarunt. Eadem est responsio S. P. Augustini de Grat. Ch. cap. 8. Nonnulli particulam *propter* accipiunt, quasi hoc loco significet non finalem causam, sed eventum, acsi diceretur, posita lege secutæ sunt transgressiones: proferuntque hujus significationis exempla ex Adelphis & Eunucho Terentii, ex Ciceróne in Catilinam, & aliis Latinis Scriptoribus probatissimis. Sed non opus est, ut ad Grammaticos Rhetoresque confugias, dicente eodem Apostolo in seq. cap. v. 23. de probis ac temperatis, *Adversus hujusmodi non est lex;* nimirum sunt justi immunes à pœna & coercitionibus, quibus ex adverso obnoxii sunt legum confractores. Ex quibus facile exponitur similis locus ad Timoth. 1. cap. 1. v. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis:* quoniam justus sponte se legi conformat, & lubens justitiam apprehendit, *non tanquam per pædagogum terrentem & suadentem,* inquit S. P. Aug. de Spiritu & lit. cap. x. Idem sensus est alterius testimonii. Quos enim Spiritus ducit, & charitas trahit, non sunt sub lege premente, & vindicante, sed præcepta legis faciunt animo alacri & libentissimo. *Sub lege est enim* (inquit Aug. de Nat. & Grat. cap. 57.) *qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati;* & infra: *Ergo si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege: utique lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem.* Eadem responsione eliditur quod depromptum est ex Decretis.

His communia singulis legibus complexi sumus. Quod ad legum attinet promulgationem loco opportuniori discutiendum est: nam lex naturalis inscripta omnium cordi nulla promulgatione indiget. Ad singulas ergo leges in particulari examinandas stylum, animumque convertimus.

CAPUT III.

Pertractatur de Lege æterna, à qua omnes aliæ derivantur.

SUMMARIUM.

1. Definitio legis æternæ.
2. Legis æternæ binæ analogiæ.
3. Lex æterna non est idea existens in mente Dei.
4. Lex æterna omnium aliarum causa.
5. Oppositio cum solutione.
6. Legi æternæ omnia creata subjecta sunt.
7. Objectiones cum solutione.

1. Definitio legis æternæ.

PRÆCELLIT itaque leges omnes Æterna. Hanc definit S. P. Augustinus libro adversus Faustum XXII. cap. 27. *Lex æterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Et in primo de lib. arb. cap. 6. *Ut breviter* (inquit) *æternæ legis notionem quantum valeo verbis explicem, ea est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima.* Æternam hanc legem absque ullo fidei lumine etiam Ethnici Scriptores assecuti fuerunt. Crysippus lib. 1. de Finibus, Hecato lib 6. Manlius, cujus extant in priori de Astronomia libro hi versus.

Hoc opus immensi constructum Corpore mundi
Membraque naturæ diversæ condita formæ
Aeris, atque Ignis, Terræ, Pelagique jacentis
Vis animæ Divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Occurrunt similia in IV. Georgicon, & in 6. Æneidon Virgilii, collecta in Apparatu Jur. Canon. ab Emanuele Gonzalez. Videntur autem hi poetæ operam dedisse Platonicæ philosophiæ, juxta quam, ut refert Plutarchus lib. 1. de Placitis Philosoph. Θεὸς ἐστὶ νοῦς τοῦ κοσμοῦ, *Deus est intelligentia & anima mundi.* Præclare Tullius in secundo de Legibus. *Hanc video sapientissimorum hominum esse sententiam, Legem nec hominum ingeniis excogitatam, nec scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regit imperandi, prohibendique sapientiâ.*

2. Legis æternæ binæ analogiæ.

Æterna Lex ita exposita duas habet quasi ἀναλογίας, sive similares rationes, unam respectu irrationalium creaturarum, & alteram respectu hominum & angelorum. Et comparate quidem ad res creatas sensu & ratione carentes, quemadmodum in his est quædam obedientia improprie dicta, rei scilicet arbitrio carentis suo; ita lex latè & metaphorice appellatur ipse ordo perpetuæ gubernationis. Quod vero ad rationales

les pertinet,, propriam habet rationem legis, eique vera obedientia respondet, videlicet obtemperatio animi libertatem suam retinentis. Satis præterea constat hanc legem dici æternam, non ex parte rerum agendarum, sed ipsius Dei cuncta ab æterno disponentis & ordinantis, eo ferme pacto, quo sempiternam dicimus prædestinationem, providentiam, voluntatemque Divinam. Quamobrem necesse non fuit, ut lex ista promulgaretur ab æterno, sed hoc tantum, ut institueretur vim habitura in rerum creatarum conditione. Ex parte tamen Dei promulgatam ab æterno in Scriptura libri vitæ, & in Verbo Divino, docet 1. 2. q. 91. art. 1. ad 2. Doctor Angelicus: quod alii rejiciunt, propterea quod generatio æterni Verbi per se ad constituendam legem non requiratur, alioquî (ait Vasquesius) *solus Pater promulgasset hanc legem.* Sed puto hanc esse inutilem logomachiam. Enimvero si cum D. Thoma distinquamus in promulgatione intimationem ipsam factam verbo, vel scripto, à notitia & audientia subditorum, non video cur Eximii Doctoris responsio sophistice impugnetur. Nos autem qui promulgationem nihil aliud intelligimus, nisi paratæ jam legis propositionem & publicationem, æternam legem institutam dicimus ante tempora sæcularia, promulgatam vero in temporum conditione.

3. Lex æterna non est idea existens in mente Dei.

His constitutis locum non habent plura, quæ ab antiquioribus Scholasticis disputantur, veluti num lex æterna sit idea rerum existens in mente Dei: quod contra communiorem sententiam tutatur idem Vasquez. Nos quippe ideam ad perceptionem mentis, legem ad voluntatis decreta referimus, neque aliam inter hæc ponimus distinctionem, nisi connotatorum. Ipsa ergo natura Dei, quatenus omnium rerum rationes exhibet, est idea: quatenus præscribit rerum universarum ordinem & mensuram, est lex æterna. Ex quibus apparet opinionem Vasquesii etiam falsam esse in sententia Thomistarum: qui referunt quidem Legem ad opus intellectionis, sed cum Doct. Angelico q. 93. art. 1. tenent ideas respicere proprias naturas singularum rerum, leges vero singulas ad commune bonum Dei sapientia dirigi. Atque hinc est, quod ideas ratione objectorum multiplicant, & legem æternam unam duntaxat constituunt. Similiter docent providentiam in hoc differre à lege, quod illa singulas res in partes distribuit, & nihil jubet, aut vetat; & lex refertur ad unum rectissimumque ordinem universorum, quem perturbari non sinit. Verum si dixeris Deum optimum maximum *inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis legibus admirandæ dispensationis ornare,* & si providentiam dixeris *legem in distributione temporum datam,* id nullatenus improbabo, sed excipiam Augustiniana verba ex lib. de Cathechiz. rudib. & X. de Civit. Dei cap. 15. absque ulla contradictione. Quippe & legem, & providentiam & ideam, & si quid aliud Divinum dicimus, aut cogitamus unam summam rem esse sine ulla hæsitatione profiteor.

4. Lex æterna omnium aliarum causa.

Remanet inquirendum an lex æterna omnium aliarum sit causa, illique Creaturæ omnes subjiciantur. Quantum ad priorem quæstionis partem respondemus affirmative, ducti auctoritate Sanctorum, Philosophorum consensu, & lumine ipso rationis. Accipe dicta Patrum. Augustinus Tract. 6. in Joan. inquit: *Ipsa jura humana per Imperatores & reges Deus distribuit generi humano:* & in 1. de lib. arbitrio cap. 6. *nihil est in temporali lege justum, quod ab æterna non derivetur.* Idem docet de vera Religione cap. 32. lib. 14. de Trinitate cap. 15. & quæstione super Exodum septima ac sexagesima. Tertullianus in suo Apologetico his verbis Gentiles compellat: *Sciatis ipsas quoque leges vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de Divina lege, ut antiquioris formæ mutuatas.* Teneas modo testimonium Tullii scribentis in 2. Philipp. *Lex nihil aliud est, nisi recta, & à numine Deorum tracta ratio.* S. Clemens Alexandrinus probat id fuisse omnibus exploratum lib. 1. Strom. ex Ethnicorum fabulis: quæ narrant Minoem ad Jovis antrum venientem per novem annorum circulum, leges ab ipso Jove accepisse, Lycurgum pariter ab Apolline, quem frequenter adibat apud Delphos; Zeleucum Locrorum leges accepisse à Minerva Plato & Aristoteles literarum monumentis mandarunt. Scriptum est autem alibi, Gentilium numina à Cacodæmone fuisse conficta ad æmulationem veræ divinitatis. Ratio autem hoc idem suadet. Primum quia à prima Causa omnia moventur, & ab una arte procedunt omnes aliæ, auctore ipso Aristotele 1. Eth. Igitur etiam suprema æternaque Lex est cæterarum omnium fons & origo. Deinde omnia quæ sunt per participationem proficiscuntur ab eo quod est per essentiam, quemadmodum humana ratio quæ est participatio Divini luminis, & humana potestas quæ est participatio Divinæ auctoritatis, sunt à lumine & potestate supremi Numinis.

Cum

Cum ergo lex æterna sit talis sese atque naturâ suâ, oportet, ut sit causa & fons cæterarum. Præterea necessum est, ut diximus, quamlibet legem esse justam. Justitia autem, in qua virtutis splendor est maximus, mala prohibet, & recta imperat. At omne malum æterna lege prohibitum est, omne bonum ipsa æterna lege intentum est. Quælibet ergo lex aliquid aut prohibens, aut imperans ab Æterna dimanat.

5. Oppositio cum solutione.

Nec urget quod solet opponi legem æternam esse immutabilem, & obstringere subditos jure Divino, quæ duo non conveniunt humanæ legi. Ut enim prima Causa est independens, & habet modum operandi longe diversum à causis secundis, & tamen istæ ab illa prima Causa vim suam effectricem naturamque participant: ita lex æterna est summe invariabilis neque potestate aliqua dissolvi potest, & nihilominus ab ea trahuntur leges singulæ, quas sæpenumero contingit mutari. Cujus rei hæc idonea ratio profertur: quod prima Causa efficit in aliis vim agendi, actionem ipsam, & modum actionis, ut hæc necessario operetur, hæc contingenter, pro uniuscujusque causæ natura. Ita lex æterna cæteras enititur, ut quælibet obliget juxta dignitatem ac naturam suam, videlicet lex naturalis jure naturali, & lex humana jure humano. Exemplum aliud affert Augustinus de Vera Religione cap 17. loquens de lege veteri & nova, quæ cum sint ab uno Deo, non iisdem tamen præceptis, neque eodem tempore viguerunt. *Potest* (inquit) *qui hoc putat perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecilioribus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat ad reparandam vel obtinendam salutem. Ut enim ars medicinæ cum eadem manet, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita Divina providentia cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, & pro diversitate morborum alii alia jubet aut vetat, ut à vitio unde mors incipit, & ab ipsa morte naturam suam ad essentiam, ex qua deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet. Sed dicis mihi, Quare deficiunt? Quia mutabilia sunt. Quare mutabilia sunt? Quia non summe sunt. Quare non summe sunt? Quia inferiora sunt eo, à quo facta sunt.* Hæc igitur vicissitudo & infirmitas creaturarum postulat diversa præcepta modo leviora, modo rigidiora, omniumque ab una lege incommutabili præscribuntur.

Huic æternæ legi subjecta esse omnia creata, tam necessaria, quam contingentia, res est omnibus manifestissima. Audiatur Augustinus hæc de summo Numine scribens in magno Opere de Civ. Dei cap. XI. libri quinti: *Qui dedit carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam; qui & animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum, rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non solum cœlum & terram, nec solum angelum & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia, & quadam veluti pace derelinquit, nullo modo credendus regna hominum, eorumque dominationes & servitutes à suæ providentiæ legibus alienas voluisse.* Legatur & caput VIII. Proverb. à versu 27. ad 32. & Matthæi VI. iisdem numeris. Revera creaturæ aut naturali quadam necessitate operantur, aut contingenter. Si necessitate, connectuntur cum effectis stata firmissimaque Divina dispositione: atque ut Augustinus ajebat lib. XIX. ejusdem Operis cap. 12. *Nihil à legibus summi creatoris ordinatorisque subtrahitur, à quo pax universitatis administratur.* Contingentia rursus aut naturalia sunt, aut libera. Si naturalia, nutu divinaque ordinatione reguntur: nam, ut inquit Ps. 148. 8. Regius vates: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, & Evangelista cap. VIII. 27. *venti, & mare obediunt ei.* Si autem agentia libera sunt, ista quidem aut bene agunt aut male. Bona sunt à Deo dirigente ac movente: mala sunt à Deo permittente. *Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.* Ita Augustinus in sententiis collectis à Prospero num. 58.

6. Legi æternæ omnia creata subjecta sunt.

Objecta quædam à ratione petita, quod contingentibus lex intimari non possit, quod careant libertate ac ratione, arbitror esse prætermittenda. Dixi enim supra æternam legem diversam habere erga res productas *analogiam*, & respectu irrationalium requirendam non esse intimationem, aut obedientiam proprie dictam. Sunt tamen

7. Objectiones cum solutione.

è Scholasticis, qui reponunt his quoque creaturis intimari legem per formam eis inditam, per quam Creatorem suum quodammodo sentiunt, & illi obtemperant. Cætera deprompta ex rebus adversis, quibus probi viri plerumque jactantur, ex infortuniis, ostentis, eventibusque fortuitis, quæ non videntur à Divina lege ordinati, quoniam opponi solent ab incredulis adversus Divini Numinis existentiam, atque providentissimam universitatis administrationem, in prima horum librorum Parte fuerunt discussa.

CAPUT IV.

Disputatur de Jure naturæ primario, & primo quæritur quid sit, an sit, & quibus præceptis constet lex naturalis?

SUMMARIUM.

1. De lege naturali Propositio 1.
2. Explanatio Definitionis.
3. & 4. Explanatio ulterior.
5. Propositio 2. Probatur existere legem naturalem.
6. Argumentum singulare legis naturalis, est conscientia.
7. & 8. Propositio 3. Probatur.
9. Dilectio Dei & proximi nituntur prænotionibus lumine naturæ notis.
10. Plures virtutes sunt lege naturali non præscriptæ.

De lege naturali. PROXIME sequitur, ut pertractet dissertatio nostra de naturali lege spectante ad constitutionem rationabilium; cujus naturam valde affinem esse legi æternæ, & unam nihil aliud esse, quam alterius transcriptionem, ex priori capite, atque ex subjectis thesibus comprobatur.

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. Lex naturalis est ipsius æternæ legis in mente hominum per participationem incommutabilis rationis Divinæ facta transcriptio.

2. Explanatio definitionis. Hæc definitio traditur ab Augustino lib. 83. QQ. q. 53. eamque brevi explanabo. Dicitur *transcriptio æternæ legis;* quoniam nullam vim habere potest creata natura, quæ ipsi ab auctore sempiternæ legis non imprimatur. Atque secundum hæc priora verba legem naturalem etiam bruta animalia & creaturæ omnes sibi habent insertam. Hinc Plutarchus in Camillo: *Lex* (inquit) *est natura, cujus & bestiæ sunt participes.* Libanius Declam. 44. *Reverentur & feræ naturam.* Et quidem bruta amoris alicujus, & æquitatis legem tenere commonstrat Demosthenes in Olynthiacis ex cultu parentum etiam bestiis naturaliter indito: & Cicero in Tusculanis ex cura, quæ feræ pro suis partubus ita rostro, & ungue pugnant, ut vulnera excipiant, nullosque impetus reformident. Animadvertit in his Cassiodorus etiam ingeneratum desiderium adulteria vindicandi. De hac lege cecinit Maro in Georgicis:

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque
Et genus equorum, pecudes, pictæque volucres
In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Quæ tamen cum analogia dicta esse, supra præmonui.

3. Explanatio ulterior. In consequentibus verbis exponitur lex naturæ, ut obstringit homines ratione præditos: quos à Deo lumen rationis, & recte operandi regulam participare, nemo, nisi ratione destitutus sit, in dubium vertit. Nam, ut Augustinus scribit serm. 2. de Verbis Domini: *Quis legem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Sitam vero naturalem legem in participatione rationis, & interiori quadam intimatione, quæ ut verbis utar Damasceni lib. 4. de Fide cap. 23. conscientiam nostram pertrahit & vellicat, scribit eleganter Marcus Tullius in 1. de Legibus his verbis: *Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata & confecta, lex est.* Ita Maximus Martyr Tom. 5. Bibl. PP. ait: *Lex naturæ est ratio naturalis, quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem.* Similia docent Ambrosius Epistola 70. & D. Thomas 1. 2. q. 94. art. 1. & seqq.

4. Explanatio. Apposite autem additum est hanc rationem Divinam à creatura participatam esse *incommutabilem*, cum eadem sit in omnibus, exhibeatque unam summam, & intimam regulam honestatis in singulis hominibus, quantumvis aut educatione, aut locorum, temporum, & morum distantia discrepent ab invicem.

De

De qua re satis disserui præcedenti libro XVIII. cap. 3. Quod si quis petat, quomodo fieri potest, ut eadem ratio Divina una, summa & incommutabilis sit participata ab omnibus rationalibus creaturis, & tamen singularum mens creata sit, finita, & mutabilis; respondemus cum Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 15. rationem illam Divinam, & legem incommutabilem transferri *in cor hominis non migrando, sed tanquam imprimendo: sicut imago ex annulo & in ceram transiit, & annulum non relinquit.* Mutabilis est ergo omnis homo substantiâ suâ, sed habet spiritum immortalem, cui tanta indita est vis, ut possit se convertere ad lumen indefectibile veritatis, & ad regulam æquitatis summam & immutabilem: quorum primum est lux intima veritatis, quam ex Augustino non uno in loco explicavimus, alterum lex æterna; utrumque autem ipse Deus.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Existit lex naturalis nuper delineata.

Probatur existere legem naturalem. Demonstratur thesis apertissimis verbis Apostoli scribentis ad Romanos cap. II. v. 14. & 15. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Plura huc spectantia collegit Cassianus Collat. 8. cap. 23. & Alardus Gazæus in Commentariis. Hujusmodi sunt, Abelem naturali instinctu nondum lege scripta mandante didicisse Deo sacrificium de primitivis ovium esse offerendum: Noemum munda animantia discreviisse ab immundis nondum hæc legali distinguente mandato: Henochum ambulasse coram Domino nullam legis præscriptionem ab aliquo consecutum: ex lege naturæ didicisse Sem & Japhet non revelandam turpitudinem patris sui: Abrahamum ea lege ductum Sacerdoti decimas obtulisse, Loth excepisse humaniter hospites ac peregrinos, Jobum pertulisse hujus vitæ incommoda mirabili mansuetudine. Hæc tamen, & similia memineris accipienda esse per exclusionem legis scriptæ, non autem Divinæ gratiæ: de qua Cassianus non recte omnino. Huc etiam spectant quæ præcedenti propositione dicta sunt. Neque enim arbitror plura esse dicenda de veritate, quam ratio ipsa suadet. Legis quippe naturalis existentiam demonstrat ingenitus appetitus virtutis, quæ cum debitum in finem tendat, æternæ legis participatione dirigitur: demonstrat fuga, & ingenerata abominatio vitiorum: demonstrat denique perpetuus conscientiæ stimulus, quem naturalem legem appellat Hieronymus in Epist. ad Algasiam: quamquam conscientia & synderesis versentur circa ea quæ hîc & nunc facta aut facienda sunt singulatim, & lex circa commune bonum universaliter. Sed quia ab hac lege iniquus deflectit; ideo male sibi conscium depascit synderesis, latens in pectore fractæ legis testimonium: atque ut Juvenalis egregie loquitur,

> . . . . *Quos diri conscia facti*
> *Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

6. Argumentum singulare legis naturalis est conscientia. Est igitur naturalis, & uniuscujusque cordi inscriptæ legis argumentum singulare ipsa conscientia hominum universorum. Atque ex his constat legem naturalem in omnibus esse unam, singulisque præscribere amorem virtutis & vitiorum abominationem: etsi fuerunt, ac sunt plerique, qui à recta ratione animum avertentes, inhonesta præferunt honestis; quoniam fere belluinis moribus obbrutuerunt, aut vitiatis fermento cupiditatum, si quid propinas dulciculæ potionis, protinus amarescit. Hinc etiam colligere possumus, cur præcepta legis naturæ fuerint literis innovata: quod sane factum est, propterea quod ob vetustam vitiorum consuetudinem, idololatriam, noxiasque cupiditates cœperat eadem lex desuescere. *Quare etiam scripto tradita est, ut prævaricatores cernerent in Tabulis quod in cordibus non legebant;* ait in Psalmum 57. Doctorum Aquila.

7. Propositio 3. PROPOSITIO III. Præcepta legis naturæ omnia reducuntur ad duo, ad dilectionem Dei, & proximi.

8. Probatur. Arbitror thesim hanc nulla indigere probatione ob apertissimam Christi sententiam Matth. XXII. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Sane cum lex naturalis sit participatio legis æternæ, hæc vero omnia in finem suum dirigat; necesse est, ut in creatura rationali, quæ diligendo in proprium finem tendit, lex naturæ amandi præceptis coalescat. Cum ergo, ut Augustinus scribit in primo de Doctrina Christiana cap. 23. quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est, &

de secundo & quarto nulla præcepta danda fuerint; sequitur in duobus spectantibus ad Deum qui est supra nos, & proximum qui juxta nos est, universam naturæ legem pendere. Diligendi quippe semetipsum supervacaneum est homini intimare mandatum: primo quia, Auctore Apostolo ad Eph. 5. 29. *nemo unquam carnem suam odio habuit*, ita ut ii quoque, qui dicunt malle se omnino esse sine corpore, non corpus suum, sed corruptionem ejus & gravamen odio habeant: & qui illud continentia, & laborioso opere exercent, non id agant, ne corpore careant omnino, sed ne carnali concupiscentiâ superbiens animum deprimat, & inolitâ lege peccati captivet. Deinde quantumlibet homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui: in qua modum tenere debet, ne placeat sibi tumore superbiæ; nec opus est ut ad hoc addantur præcepto amoris incitamenta. Quod pariter de rebus infra nos positis, cum insit animo pœnalis cupiditas, & inclinatio ad fruendum inferioribus, æquum est cogitare. In his ergo, quæ ad dilectionem sui, bonorumque temporalium pertinere videntur, non est opportunum statuere amandi præceptum, sed amorem se à bono incommutabili avertentem cohibendi potius & refrœnandi. Atque id præstant præcepta, quæ dicimus *negativa*, numerum duobus recensitis minime superaddentia, quoniam prohibent duntaxat amoris vitia, depravatam inclinationem, & consequentia opera peccatorum. Postremo dilectio sui, rerumque omnium, quatenus licita est, præscribitur his duobus præceptis. Cum enim jubemur amare Deum super omnia, monemur etiam amare propter Deum, quidquid amamus; quod in Augustiniana Theologia est inhærere tantum bono incommutabili utendo commutabilibus. Quare bona quæque creata ita in usum sunt assumenda, ut quidquid diligendum cadat in animum, non constringat impetum dilectionis, sed hæc in summum bonum, ut rivulus ad fontem pleniſſimum, magis tendat. Ac similiter cum dictum est, *Diliges proximum, sicut te ipsum*, tui abs te dilectio prætermissa non est. Dilectio autem proximi erat speciali mandato præcipienda, ne homo sibi placens aliis appeteret dominari, & tanquam sibi debitum vindicaret honorem exhibendum Auctori suo. Atque proximum diligendum ab homine tanquam se ipsum satis apparet, quod & ipse in eundem finem tendat, eandemque præferat imaginem Creatoris. Quamobrem si recte proximum diligimus, hoc cum illo agendum est, ut etiam ipse diligat Deum super omnia. Hanc tibi ex Augustino naturalem legem figuro: atque ex hac forma perspicis optime, illam præcepto duplicis dilectionis comprehendi.

9. Dilectio Dei & proximi nituntur prænotionibus lumine naturæ notis.

Nituntur hæc duo præcepta prænotionibus naturæ lumine notis. Quarum prima est, *Diligendum esse bonum, malum autem fugiendum*; altera, quæ ex ista consequitur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Prima omnem Dei dilectionem dirigit, facta inter bonum & bonum comparatione. Facile est enim percipere summum bonum esse solum Deum qui summe est; cætera ab hoc uno bonitatem & essentiam habere; & quod bonitate careant, hoc malum esse. Igitur summum bonum causâ sui ipsius, reliqua summi boni causâ erunt diligenda. Quoniam vero summum bonum est summum esse, id est, summa veritas, summa æquitas, summa honestas: cum malum sit privatio boni; fugiendum erit mendacium, iniquitas, & turpitudo, & quidquid habet veritatis, æquitatis, & honestatis defectum. Atque ex his arbitror te satis intelligere, quomodo omnis virtus in genere accepta à lege naturali proficiscatur, & omne vitium ipsi legi naturali adversetur. Virtus enim in electione boni, vitium in boni deficientia dignoscitur. Et quoniam facta bonorum omnium distinctione deprehendis proximum habere tecum eandem cum summo bono connexionem; consurgit præscriptio alia rationis, ne quod tibi non vis, facias alteri: atque inde promanant præscripta reliqua ad servandam concordiam & publicam tranquillitatem summopere necessaria. Hæc vero demonstrant, quænam sit suprema naturalis legis descriptio, & norma rationis: quam Scholastici principium, & *dictamen* appellavere.

10. Plures virtutes sunt lege naturali non præscriptæ.

Dictum est autem spectare ad legem naturalem omnes virtutes in genere: sunt enim plures, quæ speciatim consideratæ lege naturali non sunt præscriptæ; ut vota à religiosis emissa, & virtutes Theologicæ fidei, spei, & charitatis. Alioquî dicendum foret omnes qui Evangelii consilia non servant esse legis naturæ fractores, & naturalem esse Fidem & justificationis exordium. Itaque hæ quoque virtutes generatim consideratæ ad legem naturalem pertinent, quatenus conforme est naturali rationi, ut si prima veritas aliquod manifestet, cum mentiri non possit, fidem certissimam illi præstes:

si

si promissum facit, confidas: si spiritum dilectionis subministrat, caste diligas; & si dederit eligendi optionem, id quod lubet haud immemor acceptæ libertatis perficias: quod denique sponte juraveris, studeas reddere. Atque hæc ad legem naturalem spectare tam certum est, quam summum illud bonum diligendum esse super omnia: nam nisi credideris, errorem tuum præfers veritati, & nisi impleveris juramenta, summam majestatem gravissima afficis injuria. Quatenus autem eligis vivere juxta consilia Evangelica; duceris non communi universorum hominum sensu, sed proprio & singulari: quippe animadvertens tui, rerumque tuarum circumstantias, arbitraris melius tibi fore, ut summum illud bonum assequaris, negotiis secularibus nuncium mittere: cum aliis videatur utilius uxorem ducere, familiam alere, & nubere potius, quam uri. Ergo consilia Evangelica sunt hoc pacto optionis tuæ ac potestatis, non præscriptionis rationisque communis. Atque ideo consilia dicta sunt, quod non singulos adstringant, sed proposita sint quid magis expediat consultantibus. Fides denique, Spes, & Charitas supernaturales dicuntur, in quantum postulant Divinæ gratiæ adjutorium, ordinemque naturæ supergrediuntur, sive considerata naturali arbitrii potestate, sive substantia & magnitudine rerum non apparentium.

CAPUT V.

Quæritur an lex naturalis possit immutari, habeatque in ipsa locum Επιείκεια.

SUMMARIUM.

1. Immutatio legis fit abrogatione, subtractione, & dispensatione.
2. Notandum circa dispensationem.
3. Propositio 1. probatur.
4. Propositio 2. probatur.
5. & 6. Oppositiones solvuntur.
7. Propositio 3tia probatur.
8. Usque 16. Solvuntur objectiones.
16. Explanatio præcepti de Sacrificando Sabbatho.
17. 18. 19. & 20. Solvuntur objectiones.
21. Quid Epicheja.

1. Immutatio legis fit abrogatione, subtractione, & dispensatione.

TRIBUS modis contingit legem aliquam immutari, abrogatione, subtractione, atque dispensatione. Abrogatio est legis, quoad præcepta & vim obligandi dissolutio: subtractio est præceptorum legis immutatio quædam, & coarctatio: dispensatio denique est à lege, quæ integra permanet, aliquorum exemptio. His accedit Epiicheja, quæ juxta significationem Græci vocabuli significat *æquitatem*: sed recepta sermonis consuetudine, nihil est aliud, quam legis interpretatio, aut declaratio. Presse etiam ac stricte accipitur Epiicheja pro tali declaratione, qua judicium fertur, legem pro omnibus latam, aut quæ posset pro legislatoris lubitu omnes obstringere, in peculiari aliquo casu deficere, ut quando interpretamur ad quosdam ægrotos præceptum non pertinere jejunii.

2. Notandum circa dispensationem

Circa autem dispensationem observandum est, propriam tunc esse, cum materia legis, sive id, circa quod lex versatur, idem perseverat; ita ut lex desinet obligare eô duntaxat, quod sit in potestate legislatoris auferre vim obligandi. Atque hoc pacto dispensari dicitur Religiosus à Choro, civis à solvendis vectigalibus, gregarius miles ab agendis excubiis, cum peculiari Superioris, Principis, & Imperatoris beneficio à communi, qua tenerentur, lege servanda excipiuntur. Interdum tamen contingit, ut in his actibus, qui jure naturæ constituuntur, quædam dispensationis ac mutationis imago fallat incautos, quando scilicet, non ipsius legis præscripta immutantur, sed ipsa res, circa quam jus naturæ versatur, recipit mutationem. Sit in exemplo: si Deus quemdam occidi præcipiat, aut rem alienam auferri, non ideo licitum fit homicidium & furtum, nec dispensatur in lege, *Non occides, non furaberis*; sed auferetur horum præceptorum materies, sive actus prohibitus his præceptis, non enim homicidii aut furti scelus est, quod perficitur auctoritate ac præscripto Domini vitæ, & rerum omnium supremi. Similiter dum creditor in acceptum refert, non tenetur debitor solvere, non quod jus solvendi debitum dispensetur, sed quoniam desiit pecunia, quæ debebatur, deberi. Atque hæc dispensatio orta ex circumstantiis & mutatione rerum, improprie, & sermonis analogiâ, ut liquet, dicitur dispensatio. De hac vero dispensationis imagine, arbitror

loqui nonnullos Jurisperitos, qui docent non tantum Deum, verum etiam Papam dispensare contra Jus naturale, ut habet Glossa 2. p. Decreti cap. x. q. 7. cap. *Auctoritatem.* Quare horum placita minime præsidio sunt opinioni Scotistarum affirmantium dispensari à Deo in præceptis secundæ Tabulæ. Ut enim scribit, consentientibus cæteris, Barbosa lib. 1. Juris Eccl. Univ. cap. 2. num. 122. *Jus quidem naturale immutabile est, ut habetur* §. Sed naturalia, *& prima hujus juris præcepta firmissima semper manent, sed in particulari recipiunt mutationem ob rerum circumstantias, quo in casu potest Pontifex dispensare.* Jurisperiti ergo loquuntur de dispensatione improprie dicta, quam supra delineavi: & frustra illorum nonnulli Scholasticorum scita verborum abusione confodiunt.

3. Propositio 1. PROPOSITIO I. Lex naturæ per abrogationem, aut subtractionem mutari non potest.

Probatur. Demonstratur prior pars. Lex enim æterna, Auctore Augustino lib. 1. de lib. Arb. cap. 6. variari omnino non potest; lex autem naturalis nihil est aliud, quam legis æternæ in humana mente transcriptio. Est ergo per legem naturalem nobis inscripta actuum humanorum ratio & regula invariabilis. Deinde nequit lex naturæ à rationalium creaturarum mente deleri. Sunt namque rationales creaturæ mente, & diligendi facultate essentialiter præditæ. At lex naturæ ab ipsa ratione indistincta est: unde Augustinus Conc. 25. in Ps. 115. ait: *Sine lege naturali essent, si præter naturam generis humani esse potuissent.* Igitur ut ratio, ita lex naturæ nequit abrogari. Præterea naturalis appellatur lex ista, quod ab ipsa natura, rerumque substantia non discrepet. Rursus, nefas est rectæ rationi in moribus repugnare. Si autem abrogaretur lex naturalis, fas esset agere adversus rectam rationem, quoniam recta ratio, & lex naturalis eadem res est. Igitur lex naturalis scindi, atque dissolvi non potest. Atque ex his etiam probatur propositionis pars altera. Enimvero si præcepta naturalis legis varientur ac minuantur, necesse est ordinem naturalem rerum, quæ his præceptis diriguntur, pariter immutari. Quod pugnat apertissime cum lege æterna, ut liquet ex præclara sententia Augustini scribentis adversus Faustum, *Lex æterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Nequit ergo legi naturali subtrahi præceptum aliquod.

4. Propositio 2. PROPOSITIO II. Neque Romanus Pontifex potest dispensare, ne observetur lex naturalis.

Probatur. Privatum hominem non posse à naturali lege quemquam dispensare, aperta ratio commonstrat. Quisquis enim legi subjicitur, potestatem in ea dispensandi non habet, cum dispensatio ad Legislatorem spectet, non ad subditum. Sed quilibet privatus homo naturali legi subjicitur, propterea quod quicunque sine lege scripta peccant, sine hac pereunt, ob transgressionem legis quam habent scriptam in corde, ut scribit Apostolus ad Rom. cap. 11. versu 12. Igitur nemo privatus aut se, aut alium ab observantia legis naturalis potest excipere. Probatur ergo de Romano Pontifice. Ac primo is quoque naturali legi subjicitur. Deinde cum hujus auctor sit supremus naturæ Conditor, gerit adhuc Ecclesiæ Rector in his, quæ spectant ad legem naturæ, personam inferioris. At inferiorem non posse à lege quemquam eximere, indubitatum est, & habetur in Clementina cap. *Romani,* de Elect. Ulterius ubinam legimus collatam à Deo fuisse Romano Pontifici potestatem supra invariabilem naturæ legem? Insuper Pontifex dispensare non potest à lege Divina: nam, ut habetur in cap. *Sunt quidam,* si quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Similia habentur in cap. *Statuta.* Atqui lex naturæ non minus indissolubilis est, ac sit ea, quam Prophetarum, & Apostolorum scripta comprehendunt. Igitur ad dispensandum à lege naturæ non se extendit suprema Romanorum Pontificum auctoritas. Tandem, ut mox dicturus sum, nec Deus potest dispensare supra legem naturæ: multo minus Pontifex.

5. Oppositiones. Opponeres primo maximam Pontificis auctoritatem, ad quam spectat procul dubio potestas collata Petro, amplissima Domini largitione, *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Adde commune apud Jurisprudentes pronunciatum: *Papa habet jura omnia in scrinio pectoris sui.* Ad hæc: ad jus naturæ pertinet, ut Episcopi & Pastores proprio gregi incumbant; & nihilominus dispensat Papa super Episcoporum residentiam. Idem de votis ac juramentis dicendum est, quæ Papa dissolvit, etiamsi postulet lex naturæ, ut reddantur promissa, maxime firmata jurejurando. Accedit dispensare aliquando Papam, ne teneat vinculum matrimonii, quod

quod eſt naturali lege indiſſolubile. Demum neque verum eſt jus naturale eſſe immutabile: nam de jure naturæ ſunt communio bonorum, libertas, & mandatum de re aliena non auferenda; in quibus diſpenſatum eſt, ut liquet ex cap. *Quo jure.* L. Manumiſſiones. ff. de Juſt. & Jure. L. Libertas. ff. de Statu liberi, &c.

6. Solutiones

Reſp. ad 1. Papam poſſe omnia ſolvere, dummodo rectiſſimo univerſorum ordini non adverſentur, ideoque ſervata, non immutata lege naturæ. Alioquin poſſent Romani Pontifices, ſi verbum illud *Quodcunque* pugnantia complecteretur, eximere etiam à diligendo Deo, ac proximo, & facultatem facere perpetrandi omne ſcelus. Habet autem in ſcrinio pectoris ſui jura omnia primo quoad interpretationem, deinde quoad amplitudinem poteſtatis, per quam & cæteros homines antecellit, & diſpenſare poteſt ubicunque habeat locum diſpenſatio. Addunt Juriſconſulti cauſam alteram, quia poteſt æquitatem juris rigori præferre. Ad exempla in contrarium allata, reſponſio ſit, reſidentiam Epiſcoporum eſſe de jure naturæ, quando illorum præſentia & vigilantia ovibus neceſſaria eſt, quando nequit per adminiſtros ſuppleri, & quando ad propriam diœceſim accedendi datur illis poteſtas. Atque his poſitis nego poſſe Papam largiri facultatem Epiſcopo derelinquendi gregem ſibi commiſſum. Quod attinet ad vota, & juramenta, Papa in his non diſpenſat, ita ut ſtante voto & juramento eximat à reddendis promiſſis; quæ eſt, ut diximus, vera diſpenſatio: ſed diſpenſat *improprie,* vel declarando in quibusdam circumſtantiis vota & juramenta nequaquam tenere, nec promiſſionem ab iis qui voverunt, & jurarunt eſſe exigendam: vel ob ponderoſam, graviſſimamque cauſam ſupremâ, qua pollet auctoritate, condonando debitum ortum ex voto & juramento, tanquam miniſter & vicarius Dei creditoris: qua condonatione facta immutatur voti & juramenti materia, & locum habet ea diſpenſationis imago, quam ſupra explicavi comparatione mutui, quod debitor reddere non tenetur, quando à creditore in acceptum refertur, nec tamen diſpenſatio ulla eſt; quoniam ut ſcribit Arrianus in Epicteto, *non ſufficit, ut debeatur pecunia datam eſſe mutuam, ſed oportet ut & maneat adhuc indiſſoluta mutui obligatio.* Matrimonium vero, ſi ratum ſit, conſummatum, & ſtata præſcriptione contractum, non ſolvit Pontifex quoad vinculum, ſed tantum quoad thorum & cohabitationem. Eſt autem hoc pacto diſſolubile cum ob adulterium, tum ob lapſum alterius conjugis in hæreſim, necnon ſi ad turpia maritus provocare non deſiſtat uxorem. Si autem ſit ratum duntaxat, dantur caſus, in quibus matrimonium etiam quoad vinculum poſſit diſcindi, nec indiſſolubile eſt lege naturæ, ſi ob commune aliquod bonum Divina, & Eccleſiaſtica auctoritas duxerit eſſe ſolvendum. Verum de his alibi. Ad exempla poſtremo loco producta ad probandum legem naturæ eſſe mutabilem, communis eſt Theologorum reſponſio, diviſionem bonorum, ſervitutem, aliaque hujusmodi non eſſe contra jus naturale poſitivum, ſed negativum, id eſt, nullum eſſe præceptum iſta prohibens, etſi nec aliquod eſt, quod præcipiat. De qua reſponſione plura Franciſcus Suarez lib. 2. de legibus cap. 14. At ego reſpondeo, bonorum communionem, libertatem, manumiſſionem, & id genus reliqua, non eſſe juris naturalis *ſimpliciter,* quatenus idem jus reſpicit inſtitutionem & rectum naturæ ordinem, ſed eſſe juris naturalis pro certo rerum ſtatu; quo immutato ipſa lex naturalis præſcribens ut omnia ſint ordinatiſſima, poſtulat ut dividantur bona, quæ priusquam introducta eſſent dominia, debebant eſſe communia. Atque ita de cæteris ad certam rerum conditionem pertinentibus.

PROPOSITIO III. Ipſemet Deus in nullo præcepto naturalis legis proprie diſpenſare poteſt. 7. Propoſitio.

Sequitur ex præcedentibus: ſi enim lex naturalis per omnia legi æternæ conſentanea eſt; qui poteſt unam immutare, poteſt & alteram. At Deus nequit æternam legem, ſuam ſcilicet rationem ac providentiam pervertere. Ergo nec mutare per diſpenſationem legem naturæ. Deinde probatur communi hac argumentatione. Differunt præcepta legis naturalis à præceptis legis poſitivæ, quod illa ipsâ naturâ rerum conſtituuntur, hæc vero liberâ legislatoris voluntate poſita ſunt. At quæ ex ipſa rerum natura prodeunt, neceſſaria ſunt, atque ex ſuppoſitione naturæ conditæ prorſus immutabilia, quemadmodum ea quæ pendent ex aliorum arbitrio, ſunt contingentia, & obnoxia mutationi. Sunt ergo præcepta legis naturæ perenni immutabilitate fixa atque perpetua. Quæ argumentatio confirmatur primo, quoniam quidquid prohibet lex naturæ, eſt natura ſua & intrinſece malum, & quidquid præcipit, eſt natura ſua & intrinſece Probatur.

fece bonum: quod sane ipsa naturalis legis notio manifesta declarat. At Deus non potest imperare quod suapte natura malum est, ut odium, mendacium, blasphemiam: neque potest prohibere quod intrinsece suaque natura bonum est, ut justitiam, pietatem, religionem. Si enim illa præcipere, hæc prohibere posset, posset etiam agere quæ cum summa æquitate ac sapientia, atque cum essentia creaturæ rationalis depugnant; atque ita poterit mentiri, poterit ad peccatum impellere, poterit in naturam ferarum vertere naturam humanam. Simile est quod sequitur. Præcepta legis naturalis alia sunt affirmativa quæ justa opera imponunt, alia negativa quæ prohibent perversa & iniqua. Atqui Deus non potest dispensare in iis quæ recta sunt, alias discinderet legem æternam, quæ vult ut omnia sint ordinatissima, neque in iis, quæ sunt inhonesta & iniqua, alias permitteret ut peccaremus impune, & probaret quod turpe & vitiosum est. In nullo ergo naturæ præcepto potest Deus dispensare. Eo etiam pertinet insequens. Adversariorum complures fatentur Deum non posse dispensare circa mendacium, eoquod sit intrinsece malum. Cur autem mendacium intrinsece malum est, nisi quia æternæ legi adversatur? Quod enim incommutabili legi non repugnat, malum esse non potest; cum malum sit, quod ab ea lege deflectit. Eapropter mendacium hac etiam ratione est intrinsece malum, quoniam contrarium est legi naturali, & sempiternæ legis in mente hominum transcriptioni. Quam naturalem legem & participationem æternæ si tollas, nihil adinvenies quod intrinsece malum sit, quia nihil rationi & æquitati adversabitur. Cur enim bruta rapiendo & dilaniando non peccant, nisi quia sunt destituta ratione? Ut ergo ablata lege naturali non foret aliqua in mentiendo malitia; ita posita lege naturali prohibente homicidium, adulterium, & furtum, necessum est ut hæc sint intrinsece mala, quoniam rectæ rationi opponuntur. Quamobrem sicut in mendacio, ita in homicidio, in adulterio, in furto, & in quolibet actu à naturali lege prohibito Deus dispensare lege perseverante ac materia immutata non potest.

Ad ea, quæ opponuntur responsio.

8. Objicitur ex ss. Scriptura.

Reducuntur ad tria genera contrariæ argumentationes, quarum aliæ ex sacris literis depromuntur, aliæ ex D. Bernardi libro De præcepto & dispensatione, reliqua sunt Scoti, Durandi, & Ochami Epicheremata. Ex Scripturis petuntur ista. Cum Deus tradatur unum masculum & unam duntaxat fœminam condidisse, prima connubia inter fratres sororesque necessum est interfuisse. Matrimonium autem inter fratrem ac sororem naturali lege inhibetur. Filii ergo filiabus Adæ germanis sororibus Divina dispensatione sunt conjuncti. Deinde Polygamia, sive uxorum pluralitas legi naturæ contraria est: & in hoc tamen fuit cum Patriarchis Abrahamo, Jacobo, & aliis Divina auctoritate dispensatum. Insuper, cum nunc Abrahami meminerimus, nonne huic præcepit Dominus, ut filium unigenitum immolaret? quod naturali legi non tantum repugnat ob mortem innocentis omni jure prohibitam, verum etiam ob naturalem amoris paterni inclinationem, cui contraire perinde est ac legem naturæ disrumpere. Nec desunt exempla id genus plurima. Dispensavit enim Deus cum Israelitis, ut per dolum commodato peterent ab Ægyptiis vasa auri, & argenti, animo eadem subripiendi. Dispensavit cum iisdem filiis Israel, ut cum alienigenis fœnerarentur, id est, exercerent usuram. Dispensavit pariter, ut matrimonium, cujus vinculum lege naturali indissolubile est, dato uxoribus libello repudii dissolverent. Ad hæc permisit obstetricibus Ægyptiis, ut in gratiam Hebræorum callide mentirentur, ipsarumque mendacium ædificatione domorum splendide decoravit. Oseæ etiam mandavit, ut sumeret sibi uxorem fornicationum, & ex ea filios fornicationum progeneraret. Demum etiam super observantiam Sabbati lege ipsa naturali præscriptam dispensatum est cum omnibus Christifidelibus. Atque hæc sunt rerum eventu, & sacrarum historiarum narrationibus comprobata.

9. Solutio.

Resp. nullam in allatis exemplis propriam deprehendi dispensationem, sed vel nullam prorsus, vel eam, quæ est cum immutatione materiæ. Et revera quod attinet ad matrimonium inter fratres sororesque germanas, Cajetanus existimat posse Papam in urgentissimo casu dispensare, nec lege naturali, sed Ecclesiastica cautum esse, ne sorores nubant fratribus. Verum quidquid sit de hac opinione Cajetani; dicimus istiusmodi matrimonium repugnare legi naturæ, non simpliciter & absolute, sed pro certo rerum statu, & multiplicato genere humano: nam supposita unius viri

viri cum sua conjuge conditione, ut crescerent, & posterorum propagatione multiplicarentur, necessaria fuerunt aliquorum hominum sponsalia cum fœminis uno utero progenitis, sibique arctissimo consanguinitatis vinculo conjunctis. Idem dicendum de Polygamia; constituto enim certo rerum statu, id est, statuto fœdere, & facta promissione multiplicandi populum fidelem, non solum promulgatione legis, verum etiam propagatione seminis, quomodo multiplicari debebat populus Judæorum, jam erant exiguo Patriarcharum numero plures uxores jungendæ. Sunt tamen qui respondent polygamiam solo jure Ecclesiastico vetitam esse: nec desunt, qui reponant non esse dispensationem propriam, sed mutationem rerum, quando vir uni mulieri copulatus à supremo Domino accipit potestatem disponendi de suo corpore per novum contractum, non dissoluto priori. Cum Abrahamo dispensatum non est, ut impune occideret, sed præclarum sumptum est de ipsius obedientia experimentum. Enimvero, cum Deus sit vitæ hominum supremus Dominus, eo jubente, qui occidit non legem frangit, sed Domino obtemperat. Nam prohibemur tantummodo occidere privata auctoritate. Quare Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 73. inquit, *Quædam facta lex æterna, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia jure laudetur. Tantum interest in ordine naturali, quid à quo agatur, & sub quo quisquam agat. Abraham si filium sponte immolaret, quid nisi horribilis & insanus? Deo autem jubente, quid nisi fidelis, & devotus apparuit?* At fecit, inquis Abraham contra inclinationem naturalem. Ita est. Sed naturalis inclinatio conjuncta est cum ratione demonstrante, quod magis Deo obtemperandum sit, quam humanis affectibus. Alioquî martyres dum pro Religione occubuerunt, quoniam non sine naturæ ingenito horrore cum tetra morte luctati sunt, naturalem legem fregissent. Addunt aliqui temperatam paterni animi amaritudinem firmissima fide, qua crederet post immolationem filium divinitus surrecturum. Cujus fidei argumentum antiqua & repetita promissio, *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli*, & quæ ipse Abraham dixerat pedisequis, *Expectate hîc: Ego & puer, posteaquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

Franciscus Hennus insignis Scotista nequit veritati acquiescere. Potuit Abraham (inquit) filium immolare, quia id fecit auctoritate Divina. Sed hæc est vera & propria dispensatio. Ergo &c. Probat minorem. Si quis ex superioris licentia non jejunet, vel in die festo operetur, dicitur dispensari, quoniam facit auctoritate publica quod non poterat privatâ. Ergo pariter Abraham, qui filium immolavit auctoritate publica, non privata, à lege naturali dicitur dispensatus. Resp. falli celebrem Scriptorem imagine dispensationis. Nam in allatis exemplis non variatur materia præcepti, quæ immutatur præsenti in casu, cum occidere jubente Domino & judice nullatenus prohibeatur præcepto non occidendi. Unde Magister Guerrerus Tom. 1. p. 228. recte animadvertit Scotistas nobiscum pugnare logomachiâ, ut vidit etiam Mastrius illorum antesignanus. 10. Objicitur 2. & Solvitur.

Sed revertendo ad sacrarum historiarum exempla; furtum est rei alienæ fraudulenta compilatio, quæ fit Domino invito. Non ergo Hebræi vasa aurea & argentea Ægyptiis subripuerunt, si factâ à supremo Domino potestate ea expilarunt. Hac in re debemus fraudulentiam ac circumventionem à non restitutione distinguere. Nam Deus filiis Israel non præcepit ut deciperent Ægyptios, sed tantum, *ut postularet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea*, Exodi xi. 2. quod inter familias in conviviorum apparatu, solemniisque nuptiarum probat commendatque consuetudo. Qua in re, si fallacia interfuit Ægyptii deceptione digni erant, & populus Israel pro illa ætate generis humani erat adhuc in tali morum gradu constitutus, ut non indigne hostem deciperet, Deo pro illorum cupiditate permittente, ut Augustinus scribit Quæstionum 83. tertia & quinquagesima. Atque hæc ita accipienda sunt, ut Deus neque per se, neque per alium mentiatur, quomodo diximus in 2. libro primæ partis, sed permittat tantum capi pernicioſa fraude scelestos; nam cum mentiri, & circumvenire aliquem sit natura sua indecorum ac turpe, nequit, ut Adversarii fatentur, Divina dispensatione committi. Cur autem noluerit Deus, ut petita vasa redderentur, causam reddit eo loco Augustinus, quoniam *mercedem diuturni laboris atque operis non injustam Deus esse voluit.* Addit lib. 22. contra Faustum cap. 71. Ægyptios fuisse sacrilegos & iniquos, nam & auro illo, hoc est Dei creaturâ 11. Solvitur 2.

male utentes ad Creatoris injuriam suis idolis serviebant: atque concludit, sive ista fuerit causa, sive quælibet alia, *nec frustra, nec inique dictum esse, nec licuisse Moysen aliter, quam Deus dixerat facere, ut penes Dominum esset consilium jubendi, penes famulum autem obsequium peragendi.*

12. Solvitur 3. Quod proximo loco sequitur, nullius est momenti, sive dixeris Deum permisisse quidem Israelitis temporalium bonorum cupidissimis, ut alienigenis daret fœnori, ne contribules suos usurarum exactionibus exhaurirent; nullatenus iniquos *anatocismos* probasse: sive dixeris usuram illam fuisse ob damna Israelitis illata prorsus licitam, docente Ambrosio in lib. de Tobia, *Sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici, ubi enim jus est belli, jus est usuræ:* sive denique dixeris auctionem fœnoris ad filios Israel spectasse titulo donationis sibi factæ à Domino justissimo bonorum omnium distributore.

13. Solvitur 4. Dare autem uxoribus libellum repudii, non est matrimonium solvere quoad vinculum, sed quoad thorum, cum possint repudiatæ uxores absque novo contractu ad maritales amplexus redire, & si aliis nubant se mœchiæ crimine polluant. Moyses vero permisit libellum repudii etiam ob alia præter fornicationem crimina, ob duritiam Israelitarum, ut fœminæ se facilius continerent, & viri quas odio haberent, non interficerent. Quæ fuit permissio, providusque concessus, non alicujus mandati præscriptio. Vide Matth. XIX. v. 8.

13. Solvitur 5. In obstetricibus Ægyptiis debemus distinguere à mendacio pietatem. Nam ut S. Pater docet quæst. 1. super Exodum, *Aliud faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo. In illis vivificandis opus misericordiæ fuit: mendacio vero illo pro se utebantur ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere.* Itaque illarum pietati Deus rependit mercedem, non autem mendacio. In quo cum Deus, consentientibus adversariis, dispensare non valeat, nullum hinc possunt depromere pro sua assertioe argumentum.

14. Solvitur 6. Ad Oseam quod attinet, respondet S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. *non fuisse mœchatum, quia accessit ad eam quæ sua non erat, secundum mandatum Divinum.* Sed arbitramur, idem esse, *vade, sume tibi uxorem fornicationum*, ac, *deduc in domum tuam mulierem meretricem;* atque idem esse, *fac tibi filios fornicationum*, atque, *fac per adoptionem filios tuos, spurios illos & nothos, quos mulier illa per illicitos concubitus genuit.* Ita Augustinus lib. 22. adv. Faustum cap. 80. scribens: *Quid enim adversum clementiæ veritatis, quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Leonardus Vanroy de lege nat. cap. 3. ad 6. & Aurelius Piette de legib. q. 1. inquiunt, filios ab Osea procreandos appellari filios fornicationum quia erant ex matre, quæ antea fuerat fornicata. Horum responsioni illustrandæ addo exemplum mulieris, quæ appellatur *Os* in Genesi ubi legitur, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, & colubri, qui dicitur virga in Exodo, ubi habetur, *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, quia scilicet & mulier fuerat os viri, & coluber fuerat virga. Sed revera de filiis spuriis & adoptandis sermo est, ut liquet ex versione Græca, Syriaca & Arabica, & maxime ex Hebræo codice, qui habet, *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum*: atque ita legit Hieronymus, & alii divinarum Scripturarum peritissimi. Accedit figuræ sacramentum expressum: significabat enim conjugium Prophetæ cum muliere fornicaria, & deductio filiorum procreatorum ex concubitu meretricis, conversionem ad Christum Ecclesiæ Gentilium, & idololatrarum in incredulitate natorum. Ineptè autem cum cæteris Novatoribus Salomon Glassius in Tract. de styli sancti verecundia sect. VIII. *Relinquat Bellarminus* (inquit) *hic versionem suam vulgatam, eamque ad purum, & castum fontem exigat.* Ipse enim Glassius lib. v. de Metonymia pag. 1443. demonstrat verbum *facere* idem esse frequentissime ac *lucrari & acquirere*, ut Genes. XII. 5. XXX. 3. & Matth. XXV. 16. juxta hebræam, græcamque literam. Imo latinissime *facere filium* potius est adoptare, quam gignere, ut in Thesauro Ciceroniano Nizolius verbo *adopto*. Prætermitto responsionem illorum, qui post Maimonidem contendunt hæc Oseæ contigisse in visione, & esse tropice accipienda, eoquod turpe sit uxorem ducere meretricem. Augustinus enim figmentum istud explodit, atque ut figuris aliis quamplurimis, potuit etiam hoc matrimonio exprimi Judæorum reprobatio. Priorem ergo responsionem, quam tradidimus, adhibeto: nam filii per Oseam generati excidium Synagogæ, ac pœnas Tribuum Israel repræsentabant, ado-

adoptati autem ex alienis Ecclesiam ex peccatoribus congregandam.

15. Instantia cum solutione.

At, inquis, D. Thomas, & S. Bernardus mox laudandus non alia ratione Oseam à peccato excusant, nisi quia accessit ad mulierem impudicam, vulgatumque scortum, Deo mandante. Ad hæc respondent Theologi, Oseam Dei jussu matrimonium iniisse absque præmisso contractu, Domino transferente dominium corporum; qua in re peccasset, nisi præcessisset Divinum præceptum; quoniam accedere ad mulierem, absque præcedente vinculo contractus, fuisset aliàs turpissimum. Addunt alii vetitum fuisse lege positiva ne Sacerdotes aut Prophetæ uxorem ducerent scortum, vel mulierem repudiatam à marito: atque in hoc fuisse cum Osea dispensatum. Verum utraque responsio valde est ambigua. Prima quidem, quia gratis asseritur Oseam prætermissis matrimonii conditionibus necessariis duxisse mulierem: cui etiam vel Divinum præceptum vir patefecit, aut ignaram, nec opinantem sibi despondit: hoc verum non arbitror; nam incestuosum concubitum patrasset mulier fraudulentiâ mariti: quod si ille fornicariæ Dei jussa manifestavit, profecto etiam scorti consensum extorsit, nec defuit conventio. Ac responsio altera valet utique de Levitis & filiis Aaron, ut habetur Levitici cap. XXI. v. 7. sed non constat Oseam fuisse ex genere Sacerdotum. Itaque respondemus probabilem esse allatam ex D. Thoma & Bernardo doctrinam, sed præferendam superius traditam ex Augustino, *quam Theologi* (inquit Habert Tom. 3. pag. 364.) *communiter amplectuntur.*

16. Explanatio præcepti de sanctificando sabbatho.

Præceptum denique de sanctificando sabbato partim naturale est, partim vero ceremoniale. Est naturale quatenus præscribit cultum Deo exhibendum, & aliquod tempus, in quo rebus Divinis vacandum est, & æternæ saluti prospiciendum. Est autem ceremoniale in quantum præcipit, ut hæc fiant certo hebdomadæ die, atque statutis religionis pietatisque exercitiis. Etenim Deum colendum esse, & elaborandum ut memoria non excidant ipsius benefacta, ipsa natura proclamat: quod istud fiat aut uno genere sacrificiorum, aut una integra stataque die, postulant temporum rerumque adjuncta. Igitur quemadmodum dispensatum non est in sacrificiis ad primum Decalogi præceptum pertinentibus, ex quo multiplicibus cruentisque successerit unicum & incruentum: ita nec dispensatum est circa sanctificationem festorum, ex quo pro die Sabbati Dominica fuerit substituta. Et olim quidem Sabbatum colebatur ob singulare beneficium creationis, & requiem Domini ab omni opere, quod patravit. Postea illustrata Dominica die resurrectione Salvatoris, adventu Spiritus Sancti, aliisque beneficiis à sexta Synodo connumeratis, placuit Sabbato præferre Dominicam, in qua etiam universarum rerum conditio habuit exordium. Atque ita inviolata permanet lex naturæ, etiam ceremoniis & ritibus abrogatis.

17. Objicitur 3. ex D. Bernardo.

Ex divo Bernardo potest consequens promi argumentum. Mellifluus doctor in libro de Dispensatione cap. 2. *necessarium* dispescit in *stabile*, *inviolabile*, & *incommutabile*. *Stabile* appellat quod ita est necessarium, ut non cuilibet hominum illud immutare fas sit, sed solis dispensatoribus mysteriorum Dei, id est, præpositis: atque hoc tribuit Regulis Monachorum, & Ecclesiasticis institutis. Necessarium autem *incommutabile* appellat 3. capite, quod Divina æternaque ratione ita firmatum est, ut nulla ex causa possit vel ab ipso Deo aliquatenus commutari: sub quo genere statuit spiritualem traditionem sermonis Dominici in monte, & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus in novo ac veteri Testamento traditur observandum. Itaque *inviolabile*, quod inter *stabile*, & *immutabile* mediat, est illud, quod nisi à Deo mutari omnino non potest. In hoc autem secundo genere comprehendit legis scita, ut, non occides, non mœchaberis, non furtum facies: *quæ* (inquit) *etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit: Dominus autem horum quod voluit, & quando voluit solvit, sive cum ab Hebræis Ægyptios spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri præcepit:* Quibus manifestum est D. Bernardum admittere in præceptis secundæ tabulæ dispensationem.

18. Solutio.

Resp. hunc nodum solvi, injiciendo (ut phrasi utamur Bernardi) teneros ungues; nam dispensationem circa furtum, homicidium, fornicationem, & reliqua legis scita appellitat eam, quâ auctoritate imperantis materia naturalis legis subvertitur. Quod primo demonstrat exemplum à Bernardo productum de Aegyptiis & fornicaria muliere; quod factum excusari docet auctoritate Domini. At quod subripitur supremi Domini

mini auctoritate, furtum non est: sicut nec fornicatio accedere ad quamcunque mulierem ex Divino mandato, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 94. art. 5. ad 2. Nam furtum alienæ rei contrectatio est, & mœchia mulieris, cujus non dominaris, compressio. Ergo transferente dominium Legislatore supremo, jam contrectas quod tuum est: & propterea excusaris à peccato, ut Bernardus loquitur, *auctoritate imperantis*. Atque hoc Doctor ipse probe declarat. Nam quidquid *de dilectione, humilitate mansuetudine, cæterisque virtutibus tam in novo, quam in veteri testamento observandum traditur*, spectat ad necessarium *incommutabile*, quod nulla ex causa potest vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. At si occidas hominem, cujus vitæ potestatem non habeas, si rem subripias alienam, si ad scortum accedas; dilectionis, mansuetudinis, justitiæ, honestatisque virtutem prosternis. Ut ergo hæc facias, necessarium *immutabile*, auctore Bernardo, omnino non patitur. Quamobrem inviolabilia, non immutabilia dicuntur, in quantum Divina auctoritate fieri potest, ut nulli virtuti repugnent; quod fieri non potest, nisi simul fiat juris tui, quod erat alieni. Si autem hoc fieri contingat, immutata res est, circa quam versatur jus naturale.

19. Objicitur 4. à Scholasticis.

Ratiocinationes Scholasticorum nobis adversantium sunt istiusmodi. Primo: si præcepta secundæ tabulæ forent indispensabilia, intellectus Divinus, ut prævenit voluntatem, judicaret necessario hos actus esse amandos, illos odio habendos, & sic necessitatem imponeret Divinæ voluntati. Atqui circa mores & actus humanos Divina voluntas nunquam necessitatur. Ergo præcepta secundæ tabulæ sunt dispensabilia. Deinde: Beatitudo hominis non pendet ab iis, quæ homines agunt erga creaturas. Ergo nullus actus humanus erga creaturas necessarius est ad consequendam beatitudinem, ideoque potest Deus in omni actu, qui ad creaturam refertur, dispensare. Atque hæc duo sunt argumenta Scoti apud Hennum. Tertio Major opinatur posse Deum dispensare in omni præcepto affirmativo: primo quia potest Deus non concurrere cum homine ad actum præceptum; 2. quia potest hominem infirmitate, aut causa aliqua detinere, ne valeat præceptis obtemperare. Quarto Ochamus contendit posse Deum præcipere odium sui, cum hoc nullam implicet contradictionem. Postremo: potest (inquit Durandus) ab omni actu, qui præcipitur in mandatis secundæ tabulæ, auferri à Deo ratio debiti; quoniam hoc debitum fundatur in dependentia unius creaturæ ab altera. At hanc dependentiam Deus auferre potest, cum potuerit E. G. hominem absque parentibus procreare. Igitur potest etiam dispensare filium à debito honorandi parentes.

20. Et Solutiones.

A primo autem Scoti argumento facilis est atque expedita defensio. Et principio quidem retorquetur; nam etiam ea, quæ præceptis primæ tabulæ præscribuntur, sunt actus humani, erga quos Divina voluntas libertate fertur; nec tamen per Scotum admittunt dispensationem. Deinde dicimus intellectum Divinum necessarium firmissimumque habere de qualibet veritate judicium, nec tamen sequitur semper voluntatem Divinam esse necessariam, sed tantum necessario approbare quæ bona sunt, & odio habere quæ mala, atque in eo Divinam stare libertatem, quod ex bonis eligere potest quod lubet, ex malis aliquod justa de causa permittere. Atque hanc necessitatem approbandi quod bonum est, & repudiandi quod est malum, habet Divina voluntas etiam circa præcepta secundæ tabulæ: nequit enim justus, incontaminatus, atque beneficentissimus non odisse iniqua, inhonesta, & malefacta. Præterea, ut ex scopulosis cotibus subtiliter differentium enavigemus, nego minorem; quippe promulgata & instituta lege naturæ, necessario vult Deus illam servari, necessitate, quam *ex suppositione* appellitant dialectici. Secundo argumento sic respondetur. Beatitudo sita est in actu, quo fruimur inamissibiliter summo bono: sed hoc frui non possumus, nisi bonis mutabilibus recte utamur. At Deus nequit velle, ut lex naturæ immutetur, & bonis creatis fruamur, cum non sint animo nostro perfectiora, & finis ultimus rationabilium. Ad illud, quod objectum est tertio loco, dicimus, si Deus non concurrat, aut hominem operaturum præpediat, nullam legem ad opus obstringere, & sufficere in subdito animi præparationem: nam *bona voluntas*, ut est in proloquio, *reputatur pro facto*. Quod objicitur ex Ochamo, eadem, qua profertur, facilitate repellitur; siquidem non possumus odio habere nisi malum, nec nisi malus potest velle, ut in molestiam & offensionem veniat summum bonum. Argumentum Durandi positum postremo loco facilius refellitur; absolute enim potest Deus homines sine generantibus concedere,

&

& auferre ordinem dependentiæ: sed posita generatione parentum, nequit efficere, ut filii non sint, nec debeant genitoribus honorem in iis, quæ cum religione, & Dei cultu non pugnant.

21. Quid Epiicheja. Ex dictis constat quid dicendum sit de Epiicheja. Si enim hæc accipiatur pro sola interpretatione, & declaratione, haud dubium quod locum habet in lege naturæ. Si autem accipiatur pro legis abrogatione, & aliquorum exceptione à communi legis præscripto; certissimum est non dari in lege naturæ, absque mutatione rerum, τὴν ἐπιείκειαν.

CAPUT VI.

Habeatne lex vetus auctorem Deum?

SUMMARIUM.

1. De Auctore legis veteris Propositio 1.
2. Probatur 1. & 2. Pars propositionis.
3. 4. & 5. Objectionibus respondetur.
6. Propositio 2. Probatur.
7. 8. Usque ad 28. Objectiones diversimodæ.

1. De auctore legis veteris. PROXIME sequitur, ut pertractemus de lege veteri, ac primum de illius Auctore. Quidam enim partim à Deo, partim à Moyse, partim à Seniorибus institutam autumarunt: atque huic quodammodo tolerabili nefaria accessit opinio Manichæorum & Marcionitarum, latam fuisse à diabolo, vel malorum omnium principio. Controvertitur etiam, an à Deo, vel ab Angelis lata fuerit, quam postremam dubitationem expedivimus differentes de Verbo æterno, ejusque facta antiquis Patriarchis apparitione cap. 8. lib. VII. Itaque in præsentia priores duas suscipimus ventilandas.

Propositio 1. PROPOSITIO I. Vetus testamentum est à Deo, neque illi Moyses, aut Seniores aliquid pro libitu addiderunt: Moyses vero fuit legis à Deo institutæ promulgator.

2. Probatur 1. pars. Demonstratur prima pars auctoritate Scripturarum, Traditione, atque argumentatione Theologica. Exodi XX. legimus: *Locutus est Dominus cunctos sermones hos.* Malach. IV. 4. *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & judicia.* Deum præterea in Moyse, & Prophetis fuisse locutum Apostolus Paulus affirmat initio Epistolæ ad Hebræos: necnon Petrus in Act. Apost. cap. III. v. 18. Zacharias cap. I. Lucæ v. 70. Idem sacri libri ubique testantur, ita, ut merito Christus Dominus Pharisæos increpans Matt. XV. 6. dixerit: *Vos irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Quod vero attinet ad Patres, plura de hoc argumento scripsit S. Pater Augustinus in libris contra Faustum, Tertullianus adversus Marcionem, Hieronymus in Epistolam ad Titum: nec de communi aliorum sensu aliqua occurrit in hac re dubitatio. Quare Toletanum Concilium in Fidei Confessione, *Si quis dixerit* (inquit) *aut crediderit alterum esse Deum priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit*: ac similia sess. IV. Tridentini fuere decreta. Atque rationem optimam profert Doctor Angelicus I. 2. q. 98. art. 2. quoniam lex vetus homines ordinabat ad Christum cum perhibendo de ipso testimonium, tum removendo à cultu idolorum. Quod sequenti capite IX. nonnullis animadversionibus illustrabo. At diabolus nunquam legem instituisset, *ut homines adducerentur ad Christum, per quem erat eiiciendus*, inquit ibidem S. Thomas. Non fuit ergo Diabolus legis veteris institutor, sed, ut Scriptura, Traditio, & vis ratiocinandi demonstrat, habet illa verum Deum auctorem.

Probatur 2. pars. Altera pars, videlicet quod Moyses fuerit duntaxat legis promulgator, ostenditur primo ex verbis ipsius Moysis Deut. VI. *Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos.* Accedit testimonium Apostoli ad Galat. III. 19. scribentis legem *ordinatam per Angelos in manu mediatoris.* Quo in loco nonnulli Mediatorem intelligunt Christum Dominum: sed cum ibidem opponatur lex vetus Evangelio, puto Mediatorem appellari Moysen, maxime quod Paulus iis verbis *in manu mediatoris*, ἐν χειρὶ μεσίτου aperte loquitur cohærenter ad verba ipsius Moysis Deut. V. 5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos*, Κἀγὼ ἂν εἰστήκειν ἀνὰ μέσον κυρίου, καὶ ὑμῶν. Et quidem si aliquid pro libitu Moyses præcepisset, foret præsertim mandatum repudii, de quo Matth. XIX. v. 8. At lex de matrimonio dissolvendo nulla est, ut superiori capite explicavi: neque hanc legem potestatem

rat ferre Moyses suamet auctoritate, quoniam legitimum matrimonium ratum & consummatum nequit humana potestate dissolvi. Tandem si Moyses legis institutor esset habendus, maxime quod lex illi attribuitur Luc. II. v. 22. *secundum legem Moysi*, & Matth. VIII. 4. *Ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses.* At frivola hæc ratio est. Primum, quia pricri loco agitur de purgatione mulieris post partum, de qua ipse Dominus legem tulit, ut constat ex cap. XII. Levitici, imo & ipse Lucas illico subjungit: *Sicut scriptum est in lege Domini.* Et legem pariter de leproso mundato commemoratam in cap. VIII. Matth. Deum habere auctorem liquet ex cap. XIV. Levitici. Deinde Legem de honorandis parentibus à Deo latam constat ex cap. XX. Exodi, & nihilominus legitur apud Marcum cap. VII. v. 10. *Moyses enim dixit; Honora patrem, & matrem.* Postremo lex vetus, ut à nova distinguatur, debet à Mediatore & promulgatore nomen accipere: quippe Dominus utriusque est auctor atque institutor.

3. Objectio contra 1. partem.

Oppones adversus priorem partem. Eccli. cap. 3. v. 14. legimus: *Didici, quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in æternum*, Deut. autem XXXII. 4. *Dei perfecta sunt opera.* Atqui lex Mosaica neque perpetua fuit, neque perfecta. Igitur non erat opus Dei. Et revera quomodo opus Dei dici debet, quod ad bona temporalia hominem convertit, nec nisi terrena pollicetur? Resp. quod opera Dei ad extra perseverant pro eo tempore, pro quo à Domino fuerunt constituta, & perfectionem habent sui generis juxta temporum conditionem; neque defuit hæc perpetuitas & perfectio legi Moysis. Sane res omnes corporeæ imperfectionem aliquam & finem habent, & tamen opera Dei sunt. Verba Ecclesiastes videntur explicanda de rerum creatarum complexu, quod perseverat facta etiam partium successione, ut perennem dicimus fontem, fluvium, sæculum. Perpetuæ sunt etiam res creatæ respectu nostri, cum non possimus illarum seriem, ordinemque mutare. Aeternitas insuper ac perpetuitas interdum accipitur in sacris literis pro certo tempore conditionibus rerum congruenti, ut Gen. XVII. 8. Exodi XXI. 6. Levit. XXV. 46. Hinc legit vulgata nostra *in perpetuum*: quod vocabulum etsi habet aliquando eandem cum *æternum* significationem, proprie tamen demonstrat qualemcunque continuationem, ut dicimus perpetuam voluntatem, perpetuos sumptus, perpetuam orationem, perpetuum Consulem, & alia quæ apud latinos passim occurrunt, cujusmodi est illud Nasonis,

Responsio.

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Temporalia autem bona promittebat lex vetus, ut ex his consurgerent Judæi ad colendum Deum beneficentissimum largitorem.

4. Objectio contra 2. partem.

Adversus secundam partem objicies. Clemens Romanus lib. 6. Const. sive quisquis illius Operis sit Auctor, aliique Patres complures Moysen appellant Judæorum Legislatorem. Sed quid commemorantur Patres? Joannes cap. I. v. 17. *Lex*, inquit, *per Moysen data est.* Saltem præcepta ceremonialia habere Moysen immediatum institutorem, assentiendum est doctissimo Alphonso Salmeroni, qui id suis in Act. Apost. disputationibus plurium Patrum testimonio nititur demonstrare. Seniorum traditiones commemorantur Matth. XV. v. 6. videntur autem hæ ad legem pertinere. Resp. Moysen dici Legislatorem Hebræorum, quoniam eorum legis fuit promulgator, nec alterius hominis manu vel ore ipsa lex conscripta fuit, aut prolata. Quamobrem juremerito dictus est Legislator non solum à PP. sed etiam à Joanne Evangelista; quamquam libro I. Pædagogi animadvertit Clemens Alexandrinus Joannem scite dixisse legem per Moysen *datam*, non à Moyse *latam* & institutam, quoniam is ab alio legem accepit hominibus à se proponendam. Addo quod in Epist. ad Galatas cap. 3. v. 17. dicitur ratione solemnis promulgationis *Lex facta*, γεγονὼς νόμος, nam ante Moysen erant sabbatum, circumcisio, sacrificia, & multa alia ceremonialia. Pervulgata sunt etiam verba Gratiani Dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur.* Atque his eliduntur quæ affert Salmeron. Dicitur enim Moyses rituum & ceremoniarum institutor improprie, & quatenus eadem vulgavit: nam ex libro Exodi, & Levitici manifesta res est, à Domino fuisse tradita.

Responsio 1.

5. Responsio 2.

Quantum pertinet ad Traditiones commemoratas cap. 15. Matth. eædem nullatenus spectabant ad legem, sed erant instituta quædam Pharisæorum. Hi appellati sunt *Pharisæi*, vel à verbo פרס, *Pharas*, discernere ac dividere, quod ab aliis discernerentur, vel à פרש, *Pharasc*, unde Buxtorfius in Lexico Thalmudico deducit à participio

pio פרוש nomen פרושים Phariſæorum, ſignificans *eximiè ſanctos*, aut *Scripturarum enarratores*. Nec eſt prior interpretatio omnino falſa, ut contendit Clericus in Prolog. Hiſt. Sect. 1. cap. 2. Sed præter Suidam, & Epiphanium, eidem adſtipulatur etiam Grotius ad cap. 6. Matth. v. 16. Eſt autem פרש idem, ac *exponere*: ideoque poſtrema interpretatio, quam Clericus non animadvertit, cenſetur à pluribus probabilior. Sed miſſo Phariſæorum nomine, hi Auctore Joſepho lib. XIII. Antiq. cap. 18. multa quaſi legitima populo tradiderunt ex Patrum traditione, ἐκ πατέρων διαδοχῆς. At legitimis Patrum proprio marte horrenda, & frivola ſcita addiderunt. Inter quæ cum Levitici XI. jubeatur ut ſi quis mortuum cadaver, aves rapaces, aliaque immunda contingeret, immunditiam corporali lotione expiaret, quî viderentur religioſiores, crebro ante menſam lavabant manus: eamque ſuperſtitioſam lotionem parvi facientes diſcipuli, interdum absque hac menſas ſternere conſueverunt, ubi præſertim ab immundis à lege vetitis abſtinuiſſent. De qua Phariſæorum conſuetudine loquitur Matth. cap. XV. 3. Arbitrabantur inſuper derelictis parentibus extrema neceſſitate laborantibus, bona ſua quæque utilius in Dei cultum ſacrari violata naturali lege, & filiorum ſpreto neceſſitudinis autoramento. Inde erat illorum decretum eodem cap. Matt. v. 5. *Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit.* Eſt autem hoc loco *munus* idem, ac קרבן *Corban*, ut liquet ex Marci cap. VII. v. 11. id eſt, donum Sanctuario oblatum, unde Gazophylacium, & ſacrum ærarium dictum fuiſſe τον κορβονᾶν, *Corbonam*, novimus ex cap. XXVII. Matth. v. 6. Cenſebant ſitam eſſe pietatem in externo veſtium ornatu, ideoque coccinea fila palliorum præſcripta Deut XXII. 12. ut Iſraelitæ exteriori habitu ſecernerentur à Gentibus ita alligabant, ut explicatione veſtis apparerent φυλακτήρια, *phylacteria*, id eſt, memorialia cuſtodiendæ legis, conſcripta, ut in Dialogo cum Tryphone inquit Juſtinus, *in membranis tenuiſſimis*. Arbitrabantur tenere juramentum in auro templi, id eſt per Corban, & munus oblatum ſanctuario paulo ſupra explicatum; nullum autem eſſe jusjurandum per templum, & per altare quod ipſa dona ſanctificat. Solvebant, exigebantque decimas etiam cujusque oleris, ut menthæ, rutæ, anethi, & cymini, è quibus decimæ nec dandæ erant, nec exigendæ. Videatur Mat. cap. XXIII. verſ. 5. 16. & 23. Ex quibus duo inferuntur: primum traditiones Phariſæorum eſſe aut ritus ſuperſtitioſos, aut transgreſſiones legis; alterum vero extremam eſſe hæreticorum temeritatem, qui ex damnatis traditionibus Phariſaicis conantur elevare Apoſtolicas, quibus lex Chriſtiana ornatur, fulcitur, ſuamque tutatur auctoritatem.

PROPOSITIO II. Lex vetus bona fuit, non vero, ut quidam hæretici commenti ſunt, parvis conſtituta præceptis. 6. Propoſitio 2.

Probatur primo auctoritate librorum novi Teſtamenti, quod non abjiciunt Manichæi. Siquidem Apoſtolus ad Rom. VII. 12. ait: *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*, & v. 14. *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt*: quibus verbis os obſtruit calumniæ objicientium ſupra v. 7. legem eſſe malam, quoniam eſt cauſa peccati. Deinde probatur, quia lex vetus Deum habet auctorem, ut præcedenti propoſitione demonſtratum eſt. Omnia autem opera Domini bona ſunt valde. Præterea, ut adverſus Marcionem ratiocinatur Tertullianus, quatuor lex vetus maxima bona præſtitit. Primum eſt, quod ex illa occultos theſauros protulit Chriſtus, non ſemel ex veteri teſtamento propriam comprobans Divinitatem, & dogmata ad mores pertinentia confirmans. Alterum, quod erat Prophetica & figurata Chriſtum prædicens tot, tantisque myſteriis, ut facile poſſet à populo Judæorum dignoſci. Tertium, quia immolando ſupremo Nmini animalia, quibus idololatræ religioſum cultum exhibebant, arcebat ſuperſtitionem, & ab idololatria revocabat. Poſtremo rationi erat maxime conſentanea, quemadmodum conſtabit ex argumentorum ſolutione, in qua aliquantiſper eſt immorandum. Sunt autem argumenta iſtiusmodi partim à Marcione, partim vero à Fauſto Manichæo Catholicis objecta, atque ex libris Tertulliani & Auguſtini ita à me in compendium redacta. Probatur.

AD OBJECTA MARCIONIS.

Marcion ergo Ponticus genere circa medium ſecundi Chriſtiani ſæculi ex Gnoſticorum de duobus principiis errore aſſeruit Deum à lege & prophetis denunciatum eſſe malorum auctorem, bellorum concupiſcentem, & inconſtantem ſententiâ, ut lib. 1. de H. cap. XVII. loquitur Irenæus. Sic autem ratiocinabatur. 7. Objectio Marcionis.

batur. Principio Deus est universorum Conditor: si ergo ipse legis Mosaicæ fuisset Auctor, pro omnibus eam dedisset, non autem pro solo populo Judæorum. Deinde: Estne bona lex carnalis. Insuper: Quid fingi potest stultum magis, & absurdum, quam delectari Deum cruentis immolationibus, & holocaustomatum fumo & nidore? Lex ergo hæc præscribens habenda est tanquam in sacrificiis stulta & infirma. Præterea cum animalia quæque fuerint in creatione benedicta, si verum est quod narratur in Genesi, quare jubentur hebræi cap. XI. Levitici à pluribus abstinere?

8. Solutio. Resp. ad primum, legem veterem, licet ob promissa facta Abrahamo, populo Judæorum speciali titulo datam, etiam pro cæteris constitutam, cum accessum ad illam haberent complures Proselyti & alienigenæ; spectare etiam ad populum Christianorum, qui ob fidem reputantur in semine, & participes sunt promissionum: Deum præterea beneficiorum suorum dominum esse, illaque pro suo arbitratu impertiri. Revincitur quod sequitur verbis Apostoli ad Rom. 7. 14. *Lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato:* est enim spiritualis & quia Deus spiritus est, qui legem dedit, ut Augustinus ait serm. 12. de verbis Apostoli, & quoniam figurate prædicebat mundi Reparatorem, ut inquit Tertullianus lib. v. contra Marc. cap. 13. Proximum eadem facilitate diluitur: quippe sacrificia Deo offerebantur, non quod delectetur cruore victimarum, & nidore holocaustomatum, sed quia iis populus revocabatur à cultu idolorum, & præfigurabatur Christus pro nobis in ara Crucis immolandus. Ad ultimum sit interim expedita responsio, exceptione ciborum, immundorumque animalium & significari quod nobis à noxiis voluptatibus abstinendum sit, & cohiberi Judæorum edacitatem, qua cum panem ederent angelorum, esurire cæperunt, & appetere mensas Ægyptiorum inexhausta cupiditate. Vide Tertull. lib. 2. cap. 18. & Augustinum lib. 1. de morib. Manich. cap. 14.

Ad Objectiones Fausti Manichæi.

9. Objectio Fausti Manichæi. At Manichæi hæc objectabant. Repromisit vetus testamentum terram Chananæorum observantibus sabbatum, solemnitatem azymorum, circumcisis & abstinentibus à porcina. Dignum est ergo, ut nos refusa hæreditate reddamus & tabulas. Ita argutabatur Faustus apud Augustinum lib. IV. cap. 1. Præterea opponebat lib. VI. Catholici æque ac Manichæi Azymophagiæ contemnunt hebdomadas, inutilem putant Scœnopegiam, & calvum ac reburrum non constitui sacerdotem utrique contemnunt. Abjiciunt ergo unanimiter Moysis legitima. Addit lib. VIII. Christianam novitatem hebraicæ addere vetustati nihil est aliud, quam majorem scissuram facere. Ait enim Evangelista cap. IX. 16. *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit.* Objectabat lib. IX. Apostoli sub veteri testamento nati abjecerunt illud. Quid tum inde, si illi, qui nati non sunt, nolint usurpare?

10. Solutio. Resp. ad 1. recipi à nobis vetus testamentum non ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis novi testamenti prænunciationes, quas in veteri contineri non suspicio nostra est, sed Apostolicus intellectus, dicente Paulo 1. ad Corinth. x. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Ad alterum hoc habeto responsum: Distinguenda sunt in veteri testamento præcepta vitæ agendæ à præceptis vitæ significandæ. Nos itaque observamus præcepta prioris generis, cujusmodi est illud, *Non concupisces;* non altera, quale est, *Circumcides omnem masculum.* Cur autem? Quoniam, ut paulo ante dictum est, præsignabant futura: unde Apostolus ad Coloss. cap. II. v. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt umbra futurorum.* Ad proximum, primum dicimus & veterem vestem fuisse aliquando bonam: fuit ergo aliquando bonum vetus testamentum, nec diabolum habuit auctorem. Deinde asserimus, quod nos non addimus novæ legi veterem in servitute facientes, quæ jussa sunt ad nos prænunciandos: sed in libertate legentes quæ scripta sunt ad nos confirmandos. Addimus non assuere novum pannum veteri, qui continentiam servans spiritualem, spiritualia expectat, sed eum, qui non deponit spem carnalem. Ad quartum respondetur ut supra, Apostolos veterem abjecisse legem quantum ad præcepta ceremonialia, quæ figuræ erant futurorum, non autem ad ea, quæ pertinebant ad vitæ institutionem; unde recte Augustinus ajebat, Faustum *eadem sæpe vana repetere.*

Per-

11. Faustus urget.

Pergit objectare Faustus: Præcepta vitæ instituendæ, quorum causa lex vetus videtur commendanda, ut, *Non occides, non mœchaberis, non pejerabis, non concupisces*, antiquitus in nationibus erant. Lex Mosaica quid addidit? Eadem eradicavit. Nam 1. quod attinet ad odium & occisionem, jubet Lex Mosaica Levit. 19. 18. ut diligatur tantummodo proximus & amicus, sed adversus alios omnes Judæis erat hostile odium. Idcirco hanc legem immutavit Christus Matth. v. v. 44. eo pertinet ulciscendi cupido, quam fovet lex Moysis pronunciato illo, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente* cap. 21. Exodi 24. quod à Christo proscriptum est eodem cap. Mat. v. 39. Quod vero ad mœchiam pertinet, Lex illa duntaxat externam fornicationem vetabat, & cuique volenti uxorem dimittere præscripsit dandum esse repudium. Idque damnavit Christus eodem loco v. 27. & 32. De juramento, quod universim damnant jura naturæ, in Exodo xx. 7. sancitur, ne fiat invocatione Divini nominis, juramentorum generibus aliis probatis: quod pariter Dominus Jesus rejicit ibidem v. 34. 35. 36. Postremo didicimus ex novo testamento aliena non concupiscere. Vetus autem quid habet non alienum? Divitias promittit, ventris saturitatem, filios & nepotes, & Chananitidis regnum. Ergo lex Moysis antiqua præcepta violavit, eradicavit, eliminavit. Ita Faustus lib. x. & xix.

12. Solutio.

Resp. ad 1. Augustinus cap. 24. ejusdem lib. 19. quemlibet iniquum hominem, in quantum iniquus est, esse odio habendum, in quantum homo est, diligendum. Quia ergo audito, & non intellecto, quod antiquitus dictum erat, ferebantur in hominis odium, cum non deberent odisse nisi vitium, hoc Dominus corrigit dicendo, *Diligite inimicos vestros*. Addo distinguenda esse tria alienigenarum genera: Proselytorum, qui ex circumcisione Judæis se jungebant: Noachidarum, qui Noe servabant præcepta: & Idololatrarum, qui se cultu superstitioso inquinabant. Porro iis tantum se adjungere prohibiti sunt Judæi; cumque illorum sacrilegia, & incesta libido ad summum perveniissent, voluit Deus, ne populus suus cum eis fœdus iniret, ne contaminaretur inolita superstitione, ut liquet ex cap. xviii. Leviticí v. 24. Quod sequitur de inimicorum ultione: cum unusquisque etiam leviter læsus nolit reponere vindictæ quantum accepit injuriæ, & nonnulli moliantur cædes, & sanguinem sitiant; Deus exodi xxi. statuit pœnam talionis infligendam sententia judicis; ut immoderatæ ultioni lex modum poneret, & quantam quisque intulit injuriam, tantum penderet supplicium. *Proinde*, (inquit S. Pater proximo cap. 26.) *Oculum pro oculo, & dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est.* Hinc est quod pœnam talionis omnes fere Gentes probarunt. Appellarunt Græci τὸ ἀντιπεπονθὸς: dixerunt quidam Jus Rhadamanthi: & extabat apud Romanos in xii. Tabulis, *Si membrum rupit, talio esto.* Concupiscentiam à veteri lege damnatam constat ex cap. xx. 17. & ex Apostolo ad Romanos vii. 7. De repudio dictum supra, permissum ob duritiam Judæorum. Animadvertit præterea S. Doctor cap. 26. ejusdem libri, non haberi in lege Moysis, *Qui voluerit dimittere uxorem, dimittat:* sed volentibus dimittere indixit Moyses dari libellum repudii, *ut animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret*, id est mora interposita cogitare posset quam grave esset dimittere nuptam; nec scriberetur libellus, nisi tale intercessisset odium, quod non posset extingui. Juramentum quidem factum Divini nominis obtestatione servandum esse, jure præscribit lex Moysis. At inde non tenere juramenta reliqua, Pharisæorum erat traditio utique repudianda. Mitto quæ Augustinus observat cap. xxii. de Juramentis ipsorum Manichæorum longe Pharisæis iniquiorum: dum sæpissime jurabant per Paraclitum, non illum quem Christus Apostolis misit, sed per illum ipsum Insanitusorem, scilicet Manichæum, quem ab insania dictum observatum est alibi. Quod ultimo loco positum est, habet supra commodam solutionem: quippe promissiones Judæorum erant ipsis argumentum serviendi Domino bonorum omnium largitori; nobis verò documentum meliorem substantiam expectandi.

13. Faustus instat.

Arguit præterea Faustus: Nihil in vetere lege de Christo prænunciatum est. Non ergo est bona lex illa, propterea quod ad Christum perduceret. Ant. probatur 1. quoniam opponentibus Judæis Christo Joannes viii. 13. *Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum*; respondit, *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni, & quo vado*: & alibi opera sua in testimonia vocat. Eccur non ait, Credite Prophetis, Testificantur de me veteris legis figuræ? Ergo nos de Salvatore nostro nullis egemus Mosaicarum Tabularum testimoniis. II. Moyses Christo maledixit, dicens Deut. xxi.

23. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Hunc ergo accipiamus, huic credamus, qui Redemptorem noſtrum talibus inſectatur conviciis? III. Nullibi Chriſtus legem Moyſis commendat. Nam ſi alicubi id præſtaret, præſertim apud Matth. cap. v. v. 17. ubi ait, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Atquî vel Matthæus hæc non ſcripſit, vel falſum ſcripſit. Quod Evangelium non ſcripſerit, colligitur ex cap. IX. 9. ubi de ſe ipſo ait: *Cum tranſiret Jeſus, vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine.* Quis autem de ſe ipſo ſcribat, Vidit hominem, & non, Vidit me, vocavit me? Deinde cap. v. Evangelii Matthæi legitur Chriſtum protuliſſe ea verba, *Non veni ſolvere legem,* in monte. Quibus præſentibus? Petro, Andrea, Jacobo, & Joanne: cæteros enim Apoſtolos necdum elegerat, nec ipſum Matthæum. Ex illis quatuor Joannes Evangelium ſcripſit, nec tamen hoc alicubi ipſe commemorat. Quod ergo non teſtatur Joannes qui fuit in monte, quomodo ſcripſit Matthæus nondum Chriſtum ſecutus? Cæterum Chriſtum ea verba minime protuliſſe ex eo evincitur, quod cum Deuteronomii v. 32. præceptum ſit, *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram,* Chriſtus minuit præcepta ſacrificiorum, circumciſionis, & ſabbati, ideoque ſolvit declinando ad dexteram mandata Moyſi.

14. Solutiones. Quod primo loco ponitur, ab Auguſtino libro XII. cap. 2. & 3. retorquetur adverſus Fauſtum. Enimvero Apoſtolus ad Rom. 1. de Evangelio ait, *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis*: & ipſe Dominus Luc. XXIV. 44. *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me;* atque Joannis v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Igitur etſi Chriſtus recte ait de ſe ipſo propria opera teſtimonium perhibere, veteris tamen legis teſtimonium non excludit. In cap. autem Joannis VIII. proprium teſtimonium Chriſtus recte commendat; primo quia dixerat v. 12. ſe eſſe lucem mundi: eſt autem verum teſtimonium luminis ſive ſe oſtendat, ſive alia, *quia ſine lumine non potes videre lumen, & ſine lumine non potes videre quodlibet aliud quod non eſt lumen.* Deinde, quia dicens, *ſcio unde veni, & quo vado,* Patrem volebat intelligi, qui aperuit ora Prophetarum. Sed de his legendus idem Auguſtinus Tract. XXXV. in Joannem. Ad alterum tria, omniaque validiſſima S. P. reponit lib. XIV. Primò cap. 2. revincit Fauſtum, quoniam, ſi vera eſt Manichæorum ſententia, Chriſtum non habuiſſe corpus mortale, nec vulnera, ac cicatrices, nec ad illum ſpectat maledictio, & execratio cadaveris in ligno ſuſpenſi. Ait deinceps cap. 4. Adamo in Paradiſo exiſtenti dictum eſſe, *Qua die tetigeritis, morte moriemini;* & hoc eſſe maledictum, id eſt, *mortuum.* Mors quippe hominis ex pœna peccati eſt, unde & ipſa peccatum dicitur. Cum itaque Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, dicitur etiam ab Apoſtolo ad Galatas III. 13. *factus pro nobis maledictum,* id eſt, *mortuus, Quoniam mors ipſa ex maledicto eſt, & maledictum eſt omne peccatum, ſive ipſum quod fit ut ſequatur ſupplicium, ſive ipſum ſupplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato.* Ait 3. non minus repugnare Chriſtum dici maledictum, ac dici peccatum. At iſtud affirmat Apoſtolus 2. ad Corinth. c. v. 21. tropice quidem, & accepto peccato pro morte & execratione peccato debita. *Cur ergo* (inquit S. Doctor ibid. cap. 5.) *timeret Moyſes dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum?* Vide lib. 2. de Actis cum Fel. Manich. cap. 11. & contra Adimantum cap. 21. Poſtremo loco poſitum ſic rejicitur. Solent Scriptores quæ ad ſe ipſos attinent tali ſermone contexere, tanquam ea narrent de aliis. Ita Joan. de ſe tanquam de alio ſcripſit cap. XXI. 20. *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus.* Et ipſe Dominus de ſe ipſo Lucæ 18. v. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Hæc Auguſtinus libro XVII. cap. 4. Ad Scriptorum Hiſtoriarum conſuetudinem accedit Evangeliſtæ humilitas in ſuimet converſione narranda. Joannem laudata Chriſti verba prætermiſiſſe, parum refert; cum citato cap. XXI. v. ultimo ſcribat: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus.* Cæterum ſi Manichæi credunt Joanni, quemadmodum cap. 3. citati libri Fauſtum Auguſtinus redarguit, in ejus habent Evangelio cap. v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Adimpletur denique lex, vel cum fiunt quæ præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ ſunt prænunciata: utrumque autem Chriſtus præſtitit, primum charitate, alterum morte: in qua omnibus figuris expletis, abrogandæ erant cæremoniæ, & umbræ futurorum. Has tamen Chriſtus usque ad minimum apicem voluit impleri, ut teſtatur eodem cap. v. Matth. v. 18. *Jota unum, aut unus apex*

apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Itaque non declinavit ad dexteram, neque ad siniſtram.

15. Argumentum Fauſti in veteres Patriarchas.

Sequitur argumentum Fauſti in veteres Patriarchas conviciis, maledictisque pleniſſimum. Lex vetus, inquit lib. 22. approbat innumera; & horrenda facinora. Commendat Abraham, qui inſana fragrans cupidine cum pellice ſub conſcientia uxoris eſt volutatus. Is etiam Abimelecho Sarai conjugem ſororem ſuam mentitus in concubitum venditavit. Accedit flagitioſus inceſtus Lot, qui cum duabus filiabus ebrius concubuit. Jacob inter germanas ſorores Rachelem & Liam intemperanter erravit: uxoresque famulas nuptarum ſororum agnovit, quatuor mulierum maritus. Judas vero cum Thamar nuru ſua habitu proſtitutionis deceptus dormivit: quod indicium eſt ſemper cum tali fœminarum genere illum habuiſſe commercium. Et tamen is inter Patriarchas connumeratur, & à patre ampliorem benedictionem conſequitur. David poſt tot numero uxores mulierculam Uriæ mœchatus, eundem in bello perdidit. Oſea Prophetarum unus ad mulierem fornicariam acceſſit. Quid plura? Ipſe Legislator Moyſes homicida fuit, expoliavit Aegyptios, intulit bella, nec ipſe fuit uno matrimonio contentus. Hæc, aliaque plurima aut ſunt Scriptorum commenta, aut res, quomodo narrantur, geſtæ. Si primum dicatur, ſcatet mendaciis vetus teſtamentum univerſum: ſi vera ſunt enarrata, turpiſſima flagitia commendat.

16. Reſponſiones.

Reſp. 1. legem veterem referre quidem multorum crimina, non ea laudare; atque à nobis Scripturas ſanctas defendi, non hominum ſcelera. Deinde reſpondetur plura ex his, quæ objectat Fauſtus, immerito reprehendi, nec æſtimanda legis ſcabiem & verrucas, ſed eſſe promiſſiones figurasque ſacramentorum. Revera Abraham ſibi ex Agar filios procreari curavit, quoniam ipſa Sarai naturali ordine filios volens, & ſe ſterilem ſciens, ancillæ uteri fœditatem in uſum juris ſui vindicavit, non ſerviens viro concupiſcenti, ſed jubens obedienti: & Abraham viciſſim credens hoc Sara ex Dei nutu voluiſſe, quia jam ex ſe ipſo illi hæredem promiſerat, ſed ex qua fœmina non prædixerat, non ſuæ carnali cupiditati ceſſit, ſed conjugali poteſtati obtemperavit. In filio autem ancillæ vetus figurabatur teſtamentum, & in filio liberæ novum: ideoque per allegoriam hæc narrantur, auctore Apoſtolo ad Gal. cap. IV. 24. Neque Abraham mentitus eſt, dum Saram appellavit ſororem. Etenim in Scripturis ſanctis propinqui non ſemel dicuntur fratres. Commemorantur quippe in Eva gelio etiam fratres Domini, tametſi Deipara neminem genuerit præter Chriſtum. Lot etiam frater Abrahami dictus eſt capite Geneſis 13. & Job. cap. 8. uxorem ſuam nomine ſororis appellat. Quod prudentiſſime factum ab Abraham, ne Deo committeret propriam vitam, & pudicitiam mulieris, nec tentaret Dominum Deum ſuum. Sed lege Auguſtinum lib. XXII. à cap. 31. ad 42. Ad Lot quod ſpectat reſpondetur neque ipſum; neque filias à nobis penitus abſolvi. Veruntamen quod in illorum vita fuit flagitium, dum in ſcriptura narratur, eſt prophetia. Lot autem redarguendus eſt maxime ob ebrietatem, qua male utentes lege præfigurabat. Quamquam vero excuſari aliqua ratione poteſt, cum ejus ebrietas, tum puellarum licentia; nam hæ conſervationem generis humani quærebant & neſcientes quousque ignis ſævierit non credebant ſuperſtites eſſe alios viros; & pater morem gerens filiabus crebra vina miſcentibus, ut illarum triſtitiam levaret, ignarus temulentus evaſit: tamen dicimus, quod *narrata iſta ſunt, non laudata.* Hæc proſequitur S. Pater à cap. 42. ad 46. Jacobi pariter duæ uxores liberæ duo genera laborantium, & contemplantium demonſtrant: neque in ſororum connubio Patriarcha peccavit; quoniam non laſciviendi, ſed gignendi causâ illas, aliasque habuit uxores, ideoque jura naturæ ſervavit. Nec deliquit adverſus conſuetudinem, quæ, ut diximus præcedenti capite, eo tempore polygamiam non damnabat. Atque de his plura S. Doctor à cap. 47. usque ad 60. De Juda, qui concubuit cum nuru, dicimus ipſius fornicationem, & illicitum concubitum in lege Moyſis prohiberi: illum connumerari inter Patriarchas eo pacto, quo inter Apoſtolos Judas Iſcariotes: benedictionem patris ampliſſimam non ad illum pertinere, ſed ad Chriſtum ex Tribu Juda naſciturum. Explicat hæc S. Pater proximis capitibus 61. 62. 63. Davidis peccata quidem legimus, ſed ea Scriptura reprehendit; & increpatus à Nathan ipſe David ingemuit, & ſingulari pœnitentia quæ inique geſſerat expiavit. De Oſea dictum ſupra. Ad ea tandem quæ objiciuntur de Moyſe, tametſi peccaſſet percutiendo Aegyptium, quod interim prætermitto, dico vocatum fuiſſe per Angelum in monte Sina à Domino, qui & Saulum

lum Ecclesiam persequentem de cælo vocavit, prostravit, erexit. De expoliatis Aegyptiis superius. Bellum denique, quod gerendum Deo auctore suscipitur, justum supponimus.

17. Objectiones aliorum.

His Manichæorum argutationibus accedunt nonnullæ aliæ. Prima est Felicis lib. 2. cap. 11. Apostolus ad Rom. v. 20. ait: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum:* & cap. VII. v. 9. *Cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Quis autem dixerit bonam legem, unde prodierunt peccata? Altera est consimilis, & depromitur ex cap. 8. Epistolæ ad Hebræos v. 7. ubi vetus testamentum expresse dicitur *culpâ non vacasse.* Denique ejusdem generis est, quod legitur Ezech. cap. xx. 25. *Dedi eis præcepta non bona.*

18. Solutiones.

Resp. ad primum cum Augustino eodem cap. 11. *Proinde paulò post dicit eadem Apostolus: Itaque lex quidem sancta, & mandatum justum, & sanctum, & bonum. Sed ne dicas, quia de alio mandato dicat, ut ostendat quia de illo dicit, de quo paulo ante dixerat, Lex subintravit, ut abundaret delictum, statim sibi opposuit quæstionem, Quodergo bonum, mihi factum est mors? Absit, sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Erat enim peccatum, sed non apparebat peccatum: data est lex superbo, fecit contra legem, & apparuit peccatum, quod erat, sed non apparebat.* Idem est ergo per Apostolum delictum subintrare & abundare per legem, ac cognosci, redargui, puniri. Conferas verba Apostoli cum aliis ad Rom. III. v. 20. Eandem requirit interpretationem versus 9. cap. VII. unde S. Pater de verbis Apost. serm. 4. cap. 7. inquit: *Quid est revixit? Apparere cœpit, sentiri cœpit rebellare adversum me cœpit.* Hujus interpretationis verissima ratio est, quoniam in sacris literis verba quæ significant esse aut facere sæpissime hebraica phrasi pronuntur pro rei cognitione. Hujusmodi sunt Ps. 50. *Ut justificeris in sermonibus tuis:* 2. ad Corinthios VII. 14. *Gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est;* & juxta Theophilactum etiam quod legitur de Melchisedech ad Hebræos cap. VII. 3. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* At in cap. VIII. Epistolæ nuper laudatæ Apostolus ait *prius testamentum culpa non vacasse,* quod Israelitæ non permanserunt in illo, & Dominus neglexit eos, ut legitur proximo versu 9. & quoniam in tabulis scriptum erat, non in corde, ut additur versu 10. scilicet non poterat absque Christi gratia justificare. Qua responsione utitur Augustinus etiam ad refellendam objectionem ultimam ex cap. xx. Ezechielis, scribens Epistola 19. nunc 82. n. 14. *Fortè propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant.* Hoc tamen postremum potest duplici via retorqueri. Primo quia eodem cap. versu 11. Ezechielis inquit Dominus: *Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.* Deinde quia vel Ezechieli credit Manichæus, vel mendacem existimat. Si credit, non scripsit Propheta afflatu dæmonis: si mendax est, non erit verum quod ait, *Dedi præcepta non bona.* Potest etiam responderi esse hoc loco ἀντανακλάσιν, id est figuram reciprocationis in sacris libris frequentissimam, de qua vide Vossium lib. 5. Inst. Orat. cap. 2. Ea fit, dum vox eadem in vicinia diversam habet significationem, ut si dicas, *Multi crediderunt in nomine ejus: ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis:* priori in loco *credere* significat professionem fidei, in altero idem est ac se fidei amicorum committere. Itaque *præcepta* apud Ezech. v. VII. significant legem Moysis, & versu 25. leges duras, pœnasque legis violatæ, maxime, ut colligitur ex Chaldæo, mentis cæcitatem. Sed vindicavi Mosaicam legem satis, superque.

Excursio in Phereponum.

19. Objectiones Phereponi contra Augustinum.

Plura ex Augustini adversus Faustum libris in his veteris Testamenti vindicationibus relata sunt. Horum autem librorum celebratio ad memoriam revocat Animadversiones Joannis Clerici, quas, ubicunque disputationes nostræ exhibent occasionem, excutere aliqua notatione instituimus. Larvatus ergo Phereponus primo conqueritur non satisfeciisse Augustinum argumento Fausti petito à Moysi maledictione. *Tam facilem objectionem,* inquit, *diluere non potuisse Augustinum, mirum est: mortem enim & maledictionem unum, idemque esse vult, neque ullo modo se expedit.* Deinde affirmat in libro Deuteronomii nullam peccati fieri mentionem, sed tantum cadaveris è ligno pendentis; quod esse rem summopere pollutam docet Moyses. Hortatur posthac lectorem, ut sui ipsius adeat Commentaria, dicens: *Vide ad eum locum Joannem Clericum.*

20. Responsiones.

In hac priori Animadversione statim apparet fusa Censoris in Augustinum male-

malevolentia. Nam quamvis foret hæc responsio argumentationibus Fausti debilior, non utitur ea sola Manichæorum debellator Augustinus. Ex hæreticorum enim illorum commentis evincit ad Christum non referendam suspensorum maledictionem: atque ex Epistolis Pauli apertissime demonstrat in novo quoque testamento Christum dici maledictum, & peccatum: ideoque absurdum non esse, si in eum quadret etiam execratio pendentium in ligno, non quidem ob propria peccata, sed ob susceptam peccatorum nostrorum causam. Quæ cum adeo plana sint, & luculenter ab Augustino tradita lib. XIV. cap. 2. & 5. cur audet Clericus scriptitare, *tam facilem objectionem diluere non potuisse Augustinum*? Verum & responsio, quam temere vellicat, firma est, verissima ac validissima; & quam profert Ariminianus iste, inepta ac putida commentatio. Enimvero Deuteronomii XXI. 23. suspensum cadaver non ideo maledictum dicitur, quod sit in lege Moysi pollutum; sed quoniam cadaveris suspensio indicium est mortis inflictæ peccato, atque execrationis Divinæ. Id vero cum apertissime demonstravero, constabit sapientissime Augustinum interpretatum fuisse illam maledictionem pro morte peccato inductâ, & maledictum pro mortuo Cruci suffixo propter humani generis redemptionem.

21. Confirmatio responsionum.

Sunt autem innumera, quæ possum in hujus veritatis confirmationem producere. Principio ea verba Deuteronomii, *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*, demonstrant mortuum ligno pendentem habere gravissimi flagitii reatum; & proculdubio commonstrant peccatum aut proprium, aut alienum. Habet enim hebræa lectio, אֱלֹהִים תַּלּוּי׃ כִּי קִלְלַת *Quoniam maledictio Dei est suspensus* Atque verbum קלל significare execrationem, atque maledictionem constat ex Levit. XX. 9. Job. 24. 18. Isa. 65. 20. Nahum 1. 14. &c. Apostolus etiam ad Galatas 3. 13. ait: Ἐπιπατάρατος πᾶς, ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Quis autem ignorat τὸν κατάρατον esse *maledictum*? Addo Interpretes, non Rupertum modo, Cornelium à Lapide, Lorinum, sed & vetustiores Procopium, Aquilam, Theodotionem, Auctorem altercationis Jasonis, & Pacisci, Hieronymum, aliosque etiam ex magno numero Novatorum, qui omnes in hac voce *maledictum* vim contumeliæ, & execrationis agnoscunt; Paraphrasim ipsam Chaldaicam, quæ habet: אִצְטְלֵב אֲלִי עַל דְּחַב יהוה *Qui pro eo quod peccavit coram Domino suspensus est.* Accedit ratio, quæ nec latuit Grotium in hunc locum, & Glassium de Typis Canone VIII. suspendium cadaveris habere significationem pœnæ: quapropter non suspendebantur, nisi qui morte plectebantur ob grave aliquod crimen, ut legitur præcedenti versu Deuteronomii. Illud etiam in causa est, quod ex hoc loco Deuteronomii objectant nobis Judæi fidem nostram esse in hominem execrandum, & à Deo maledictum, idque ab Apostolicis temporibus: nec tamen aliquis Patrum invenitur responsum dedisse maledictum nihil esse aliud, quam emortui cadaver. Ergone facile potuisset Augustinus objecta Fausti retundere nova ista Commentatione Phereponi autumantis à Moyse nullam fieri peccati mentionem? Facile imo fuisset Fausto demonstrare pendentem à ligno dici à Moyse maledictum atque execrandum; nec Cadaver maledictum esse, nisi ratione peccati. Quare hæc magnus Augustinus expendens optime omnia conciliat demonstrans Christum factum esse pro nobis *maledictum*, id est subiisse mortem inductam peccato Adæ, & conviciis ac blasphemiis fuisse lacessitum propter crimina nostra. Quid ergo nos hortatur Clericus ut adeamus Commentaria à se edita, ab homine scilicet imbuto erroribus Arminii ac Pelagii, & ignorantis unde mors pervasit in homines, & cur Christus patibulum Crucis ascendit? *Quid miratur* (inquit Augustinus lib. laudato cap. 4.) *maledictum esse peccatum, maledictam esse mortem, maledictam esse mortalitatem carnis sine peccato Christi, ex peccato tamen hominis etiam in Christo factam*?

22. Argumenta alia Phereponi.

Displicet præterea Pherepono, Augustinum libro XVI. cap. 22. interpretari de Christo verba Deut. 28. 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te, & non credes vitæ tuæ.* Eccur, quæso? Quia, inquit Clericus, *nemonon videt agi hic de vita dubia & incerta, quæ notâ etiam Latinis metaphorâ dicitur pendere.* Literalem interpretationem de mortali vita, Augustinus non improbat; nam scribit: *Quæ verba & aliter posse intelligi, potest aliquis dicere.* At non esse accipienda de Christo, perperam contendit Clericus. Primo enim liquet eundem Scripturæ locum sensus plures ad-

Solutio 1.

admittere. Deinde magis Christo, quam mortali vitæ convenire laudata verba, demonstrat pervetusta versio apud Tertullianum cap. XI. & XIII. contra Judæos, *Et erit Vita tua pendens in ligno ante oculos tuos.* Stant præterea pro Augustino innumeri Patres cum Græci, tum Latini, nec non lucubrationes Apologeticæ Cantacuzeni, & etiam Grammaticales observationes Galatini. Quæ omnia plenissima eruditione complectitur Tom. 2. in Deuteronomium Joannes Lorinus.

23. Solutio 2. In libro XVII. cap. 1. putat argumentationem Fausti conantis demonstrare ea verba *Non veni solvere legem*, &c. non esse scripta à Matthæo, facilius solvi, si dicatur, Evangelistam ordinem temporum in sua narratione nequaquam servasse; ideoque non Matthæum tantum, sed reliquos omnes Apostolos eo tempore fuisse electos, & sermonem in monte audivisse. Quasi id animadverterit singularis Phereponi perspicacitas, *Quod ab eo non factum*, inquit, *ostendit in sua Evangelica Harmonia Joañes Clericus.* Postmodum stomachans addit: *Miror Augustinum hoc non reposuisse*; & paucis interjectis, *Multos fugit hæc observatio.*

24. Solutio 3. At hæc ipsa observatio nec Augustinum fugit, nec erat argumento Fausti reponenda. Porrò si Phereponus antequam in Augustinum stylum acueret, æquo animo ac libramento ipsius opera perlegisset, scriptum inveniset cap. 17. 11. libri de Consensu Evangelist. num. 39. de vocatione discipulorum, & de narratione Matthæi: *Proinde fieri potest, ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat.* Et cap. 26. ejusdem libri num. 59, *Hinc autem probabilius videtur quod hæc prætermissa recordando Matthæus commemorat: quia utique ante illum sermonem habitum in monte credendum est vocatum esse Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat* (cap 6. v. 13.) *omnes duodecim ex pluribus discipulis electos, quos & Apostolos nominavit.* Itaque nobis confugiendum non est ad Harmoniam Joannis Clerici pro expiscanda tam profunda & recondita observatione, Matthæum nonnulla recapitulando scripsisse. Demonstrandum jam hæc non fuisse contra Faustum reponenda. Quamquam verum est Matthæum in sua vocatione narranda ordinem temporum non servasse; hæc tamen quæstio in velitationibus Fausti ad rem non pertinet, & melius ac facilius Manichæi cavillatio depellitur, si demonstretur, potuisse Matthæum narrare quæ Christus dixerat in monte, etsi abfuisset. Atqui hæc Augustinus cap. 3. libri XVII. contra Faustum validissimis argumentis demonstrat. Quid ergo de tempore vocationis Matthæi disputare, & ordinem rerum gestarum exponere contextu Evangeliorum, adversus hominem impudentissimum contendentem in Libro Matthæi plures esse lacinias, & probantem quæ narrat de sua vocatione, negantem quæ scribit de sermone habito in monte? Si Evangelium universum recepisset Faustus, poterat & illud reponi: sed mutilans pro ingenio Scripturas erat usurpatis ab Augustino responsionibus refellendus.

25. Instantia Fausti. Carpit præterea Phereponus in libro XXII. cap. 35. responsionem Augustini pertinentem ad Saram, quæ appellatur ab Abrahamo Soror ratione consanguinitatis. Quia *non tantum* (Abrahamus) *sororem vocat, quod ambiguum esse potuit, sed filiam patris, non vero matris*, Gen 20. 12. *ex quo liquet proprie hoc esse intelligendum.* Addit nullam esse Historiam, quæ nos doceat eo tempore apud Chaldæos illicita fuisse fratrum & sororum conjugia, quamvis hoc affirmet Augustinus. Fatetur tamen eandem fuisse sententiam Epiphanii Her. 39. num. 7. & Hieronymi in libro adversus Helvidium.

26. Responsio. Verum longe probabilior est sententia Augustini, aut saltem non plane certa illa quam amplectitur Clericus, licet nonnullos habeat ista quoque assertores. Stant pro Augustino momenta quamplurima. Versio enim Arabica in Polyglottis Waltoni Tom. 1. p. 81. habet: *Et in rei veritate ipsa est consanguinea mea ex parte patris mei.* Jonathas legit: *Filia fratris patris mei.* Idem sentiunt Interpretes nobilissimi. Hieronymus non solum contra Helvidium, sed & in quæst. Hebr. ubi ait: *Aran duas filias genuit Melchan & Sarai cognomento Jeschan.* Et infra, licet alteram quoque sententiam approbes; inquit: *Fratris ejus est Aran filia, non sororis.* Varablus pariter: *Soror ejus fuit, sicut Lot frater ejus.* Mitto Salianum, qui exhibet etiam Schema familiæ Thare Tom. 1. Annal. pag. 360. Cornelium à Lap. & posteriores reliquos. Addo & Novatores, præsertim Clarium scribentem: *Fuit soror ejus, sicut Lot frater.* Deinde Augustinianam sententiam confirmat argumentum, quod depromo ex cap. XI. Genes. Ibidem v. 29. Aran dicitur pater Melchæ, & pater Jeschæ. At videtur Jescham eandem esse ac Saram; ideoque hanc esse neptem Thare

&

& filiam Aran. Id evincitur primo, quoniam deſcribuntur ibi uxores Abrahami, & Nachoris his verbis: *Duxerunt autem Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai: & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ & patris Jeſchæ.* Videtur ergo Jeſcha eadem cum Sarai ibidem commemorata; maxime quia proximo v. 31. Sarai non dicitur filia Thare patris Abram, ſed tantum nurus, & uxor filii ſui. Deinde Jeſcham eandem eſſe ac Saram, eſt pervetuſta Scriptorum clariſſimorum opinio. Joſephus in 1. Antiq. cap. 6. *Ex his*, (inquit) *Aranes reliquit Lotum filium cum filiabus Sara & Melcha. Neptes autem ex fratre duxerunt uxores, Melcham quidem Nachores, Saram vero Abramus.* Vetus Hebræorum Chronicon de Aran ait, *Hinc natus eſt Lot: ſequenti anno Jeſcha, quæ & Sara.* Jonathan Uzielis: *Jeſcha ipſa eſt Sarai.* R. Aben Ezra: *Antiqui patres noſtri dixerunt Jeſcham eſſe Sarai.* Erudita etiam Interpretatio nominum Hebræorum, quæ extat in fine Tom 6. Bibliorum Wiltonianorum, eſt de Sara, *Domina mea, vel princeps mea. Uxor Abram*, Gen. xi. 29. *filia Aran fratris mariti ſui, quæ & Jeſcha ibidem dicitur.* Nec orta eſt hæc ſententia ex commentis Cabbaliſtarum, quod eundem numerum hebraice reddant nomen שרה *Sara*, & יסכה *Jiſcha:* ſed, ut animadvertit R. Salomon, Jeſcha cognomento appellata eſt, & quia יסכה *contemplabatur* per ſpiritum, & quia omnes סכות *contemplabantur* ipſius pulchritudinem. His ergo, aliisque momentis pluribus ſententiæ, quam Auguſtinus amplectitur, additur firmitudo.

27. Confirmatio 1. Reſponſionis.

Econtra opinio eorum, qui Saram exiſtimant germanam ſororem Abrami, infirmiſſimo nititur fundamento. Geneſ. xx. 12. appellatur, inquit Clericus, non tantum ſoror, ſed & filia patris ſui. Ita eſt. Sed *apud Hebræos nepos vocatur frater, & neptis filia*, inquit Vatablus. Et quidem recte: nam Geneſ. xxix. 5. Laban dicitur filius Nachor. xxiv. 48. Rebecca appellatur filia fratris Abrami. 2. Regum xix. 24. Miphiboſeth filius Saul. Conſtat autem his locis filios appellari nepotes. Neque hi tantum, omnes poſteri in ſacris libris dicuntur filii, ut Achan appellatur filius Zare, Joſ. vii. 24. & Chriſtus Mat. 1. filius Davidis. Ergo Sarai neptis Thare ejus filia merito eſt appellata.

28. Confirmatio 2. Reſponſionis.

Num ex profana hiſtoria probari poſſit in uſu olim fuiſſe inter fratres, ſororesque conjugia, parum, aut nihil noſtra intereſt. Scimus quæ refert H. Grotius de moribus Gentilium ad cap. Geneſeos viceſimum. Sed non ſervarunt ſanctiſſimi Patriarchæ leges omnes Ethnicorum populorum. Quantum ad ſanctos Patres pertinet, extant de rebus illorum geſtis libri Divina auctoritate conſcripti. Ex his ſi nullum aliud proferatur teſtimonium, quam colloquium Abrami cum Sara, *Dic, quod ſoror mea ſis*, aut cum Abimelech, *Vere ſoror mea eſt, filia patris mei*; jam conſtat momentum iſtud nullius eſſe roboris. Econtra ratiocinatur Hieronymus adverſus Elvidium, credibile non eſſe Abrahum virum juſtum patris ſui filiam conjugem accepiſſe; & quia *in primis hominibus propter aurium ſanctitatem idipſum Scriptura non nominat, malens intelligi, quam proferri:* & quia Leviticí xx. 17. prohibentur matrimonia inter fratres, tanquam res per ſeipſam nefaria; quippe legitur; *Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conſpexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati ſunt.* Cæterum, utut defendi poſſit contrarium; neque liquet aperte Sarai fuiſſe filiam immediate generatam à Thare, neque Auguſtinum ſecutum ſententiam deteriorem. Atque hæc pro Auguſtinianis vindiciis tantiſper dicta ſunto. Nam in libris contra Fauſtum hæc tantummodo caſtigavit Phereponus; aut, ſi maculæ affictæ ſunt aliæ, exſufflantur halitu, neque opus eſt ſpongia.

CAPUT VII.

De Moyſe Hebraicarum legum Promulgatore.

SUMMARIUM.

1. An Moyſes ſit Ægyptium vel Hebraicum nomen.
2. Quænam uxor Moyſis.
3. An Moyſes Monogamon.
4. An Moyſes Homicida
5. & 6. Reſpondetur, quòd non fuerit homicida.
7. An Moyſes genere Haliopolitanus.
8. Moyſes non fuit leproſus.
9. Confirmatur.
10. 11 12. & 13. De cornuta facie Moyſis.
14. Moyſes non fuit primus literarum inventor.
15. Probatur 2dò.

1. An Moyses sit Ægyptium, vel Hebraicum nomen.

PLURA jam de Moyse in superioribus libris fuerunt suo quæque loco disputata, de illius antiquitate, de aversione à cultu Idolorum, atque de injusta insimulatione Magiæ. Expedientur nunc quæstiones aliæ de memorabili sanctissimoque viro ab eruditis scriptoribus institutæ. Prima quæstio est de nomine, num Ægyptium sit, an Hebraicum. Videtur esse nomen Ægyptium, primo quia impositum à filia Pharaonis, Exodi 11. 10. 2. quia Moyses interpretatur, *servatus ab aquis*. Id vero Ægyptia lingua dici Μω-υσης, aut Μωϋ-υσης observarunt plures, probatque ex vetusto Copto Vaticano Kircherius 3. quoniam à radice משה *extrahere*, participio præterito non appellandus erat משה *Mosché*, sed מושה *Masciù*, quod extractum notat. Arbitramur tamen nomen esse Hebraicum, tum quia habet in Hebræo apertissimam etymologiam; tum etiam quia linguâ Ægyptiâ appellatum fuisse Mneven colligitur ex libro 1. Diodori, atque hinc derivata est fabula Thalmud, Moysen esse Monjon Ægyptiorum, cum Monjos idem sit ac Menos. At vetusti Rabbini pro Mneve Menon facile posuerunt. Præmissæ autem conjecturæ non difficilem habent solutionem. Ad primam quippe respondemus cum Rab. Abenezra, *forsan didicisse filiam Pharaonis Hebraicam linguam, aut quæsivisse de illa.* Altera nullius est momenti, quoniam linguæ omnes habent plura nomina ab omnium matre, id est, ab Hebræa parum dissimilia, ac propria præsertim. Ad postremam dicimus, participium Benonì, *Extrahens*, passiva significatione usurpari; & hoc forsan loco non absque mysterio, cum Moyses non solum ab aquis extractus sit, verum etiam ipse populum electum deberet extrahere.

2. Quænam uxor Moysis.

Proxima est quæstio de illius uxore Aethiopissa, de qua Num. XII. 1. hanc enim Scriptores plurimi aliam putant à Sephora filia Jethro Sacerdotis Madian ducta in uxorem Exodi 11. 21. Arbitrantur namque Moysen, priusquam percusso Ægyptio, ib. v. 12. proficiscereturin Madian, constitutum à Rege Ægyptiorum Ducem exercitus suscepisse expeditionem in Aethiopiam, ibique filiam Regis ipsius amore captam participem fecisse connubii, Tharbin nomine. A qua opinione nec abhorret Abulensis q. 5. in cap. 12. Num. etsi Moysi Tharbin ac Sephoram putet fuisse desponsatas successivo tempore, & Sephoram, posteaquam Tharbis apud Aethiopes remansérat, à viro sponte divulsam. Hujus opinionis duo sunt argumenta: unum, quoniam hanc historiam narrat Josephus 2. Antiq. cap. 10. eumque sequuntur viri docti, inter quos Auctor Hist. Scholasticæ Petrus Comestor, Fabricius, alii. Alterum, atque istud præcipuum est, Sephoram nullatenus dici posse Aethiopissam, cum Madian ejus patria sita fuerit in Arabia Petræa ad Rubrum mare: ideoque Aethiopissa, de qua in duodecimo Numerorum, alia videtur à Zippora Madianitide.

3. An Moyses Monogamon.

Longe tamen verius est Moysen fuisse *Monogamon*, nec aliam duxisse, præter Zipporam, aut Sephoram, uxorem. Historia quippe belli Aethiopici fabulosa videtur Theodoreto, Ruperto, Cajetano, Genebrardo, Pererio, & Saliano, qui plura de hoc argumento ornate & erudite profert Tom. 2. Annal. ad an. M. 2494. Et quidem vero non est simile Regem Ægypti post illatam ab Aethiopibus cladem imperatorem militum elegisse virum Judæum coacervato, ut Artapanus narrat, exercitu ex gente Moysi cognata. Multo minus credendum quod scribitur à Josepho post deditionem urbis Meroë, pactisque cum Regina nuptiis, *sævitum nihilominus in hostes*, attenta præsertim singulari Ducis mansuetudine. Quod autem ad incrustandam fabulam addunt alii sculptas à Moyse imagines astronomicas in quibusdam annulis ad amorem vel oblivionem Moysis religioni, pietatique repugnat. Illa ergo de Moysis in Ægyptum expeditione commentatio, nisi penitus explodenda, saltem inter res incertissimas à viris doctis rejicitur. At quod legitur cap. XII. Numerorum, percipitur facilè, si animadvertamus duplicem fuisse Aethiopiam, Orientalem unam, Occidentalem alteram. De utraque sat est, si legas Tabulas Geographicas Augustini Lubin additas Sacris Bibliis Antonii Vitrè. Notis Geographorum atque Interpretum circa distinctionem Aethiopiæ accedit fuisse cognitam etiam Homero scribenti in primo Odisseæ:

Αἰθίοπας τοὶ δίχθα δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερελίοιο, οἱ δ' ἀνιόντος.
Aethiopas, qui bifariam divisi sunt, ultimi hominum,
Alii quidem Occidentalis Solis, alii vero Orientalis.

Zippora ergo Aethiopissa dicitur, quod terra Madian spectet ad Aethiopiam

piam Orientalem Aegypto propinquam, & ad Mare rubrum, sive Sinum Arabicum porrectam. Nisi mavis mulierem Madianitidem appellari Aethiopissam ignominiæ causa, ut sentiunt complures. Nihil itaque prohibet, quin credamus Moysen unius uxoris maritum, ut dubio procul tenent innumeri, inter quos Tertullianus scribens cap. 6. Monogamiæ: *Meliora sectari jussus habes & Joseph unijugum, & hoc nomine, audeo dicere, patre meliorem; habes Moysen Dei de proximo arbitrum.*

4. An Moyses homicida.

Quæstio tertia est, an Moyses percutiendo virum Aegyptium fuerit facinorosus homicida: quod supra diximus à Fausto Manichæo fuisse objectum. Atque stant contra Moysen haud leves, quæ sequuntur, præsumptiones. Primo enim ipsius conscientiam redarguunt facti circumstantiæ, nam cædem illaturus *circumspexit huc, atque illuc*, Exodi II. 12. Deinde *percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Tum audiens patratum scelus palam fieri, *fugit in terram Madian.* Quæ omnia sunt perspicua iniqui animi, suique facinoris conscii argumenta. Præterea homicida est, qui præter ordinem potestatis atque justitiæ vitam alienam invadit. At hoc fecit Moyses, cum privatus esset, & nondum in Judicem populi constitutus; quod à contribuli suo ei exprobratum est Exodi 2. 14. Fuit ergo homicida flagitiosus. Atque hæc ratio tanti est, ut ad objectionem Fausti Augustinus allatam supra responsionem inierit, ingenue scribens lib. 22. cap. 70. *Consulta æterna lege reperio non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum & improbum occidi.* Sed etsi Judex fuisset, quod constat esse falsissimum, debebat causam attente expendere, cum non sit vita hominis parvi facienda: nec pro sola percussione mortem rependere, judex una præceps & carnifex. Accedit quod in Epistola Judæ v. 9. habetur Diabolum altercatum de corpore Moysi contendentem cum Michaele Archangelo dignum non esse sepultura, quoniam percussisset Aegyptium, ut Oecumenius exponit. Postremo non alia ratione veteres Rabbini conati sunt Moysen defendere ab homicidio, nisi quia percussit hominem non gladio aut scipione, sed pronunciato Dei nomine יהוה. Quod cum mendacium sit putidum ac futile, quia nondum nomen tetragrammaton fuerat divinitus revelatum: cum Patronorum commentatione videtur causa Moysi deperdita.

Etsi vero hæc aliquam præseferunt criminis suspicionem, dicendum puto nullam homicidii culpam in virum sanctissimum transferendam. Probant id aliqui cum Abulensi Comment. in cap. 2. Exodi, quod existimandum non sit hominem cum Deo familiariter colloquentem passione atque ira, non æquitate cædem patravisse. At posset responderi nondum Divinis apparitionibus fuisse donatum, aut id saltem Divinis scripturis non evinci. Itaque Divino nutu percussisse Aegyptium ostenditur ex cap. VII. Act. Apost. v. 24. & seq. *Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.* Quibus verbis innuitur Moysen, licet nondum constitutus esset Judex, ac rector populi cum manu Angeli, potentique miraculorum virtute, revera tamen jam fuisse electum; & idcirco actum illum justitiæ exercuisse, quoniam arbitrabatur cognatum populum ex illius visitatione, atque opere satis percipere missum se à Deo illius Ducem ac Redemptorem. At cum noluerint illum recognoscere, & quidam illi dixerit, *Quis te constituit principem, & judicem super nos?* opus fuit, ut cum potestate miraculorum iterum Rector rediret. Unde legitur eodem cap. v. 35. *Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes, Quis te constituit principem & judicem? hunc Deus principem, & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.* Atque in hoc figuram prætulit Salvatoris, cujus potestas in priori adventu fuit Judæis despecta, & inviса, in secundo erit singulis formidabilis & glorioса. Ergo Moyses hominem Aegyptium non sine auctoritate Judicis, & Vindicis à Deo constituti percussit. Sed legite Hom. 1. S. Basilii in Hexameron, Amb. lib. 1. cap. XI. Augustinum Q. 2. in Exodum, D. Thomam 2. 2. q. 60. art. 6. Nicolaum de Lyra in cap. VII. Act. Apost. & celebriores alios Interpretes.

5. Moyses non fuit homicida.

Ad primam ergo in contrarium conjecturam, & ad consequens argumentum respondeo, tunc Moysen fuisse quidem Judicem populi idoneum, at id fratres ejus non intellexerant. Etsi enim Judex antequam demandatum sibi munus exerceat, debet populo innotescere, alias posset quisque sese in Reipublicæ regimen temere intrudere; attenta nihilominus misera Judæorum conditione, nam erant extra patriam asportati, ma-

6. Contrariis respondetur.

ribus circumdati, Regi potentissimo infensi, atque oppressi jugo durissimæ servitutis, nondum videbatur illorum Rector & Judex tam adversis temporum circumstantiis publicandus. Ergo Moyses circumspexit undique, & sabulo abscondit Aegyptium, & sparso illius cædis rumore fugam arripuit; ne in Dei populum Pharao conciperet acerbiorem indignationem, captivos vehementius affligeret, aut rapto ad supplicium ipso Moyse Divinum de populo liberando consilium nequaquam perficeretur. Atque hujus liberationis spe, non timore in fugam se conjecisse, auctor est Paulus in Epist. ad Heb. cap. XI. 27. *Fide reliquit Aegyptum, non veritus animositatem Regis.* Augustinus autem quæst. 2. in Exodum postquam repetit quæ scripserat adversus Faustum, *Tamen* (inquit) *sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem: ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuisse.* Instituere longam causæ tractationem, non patiebantur memoratæ temporum circumstantiæ. De pœnæ ad culpam æqualitate, putant aliqui, inter quos Abulensis, Aegyptium percussum fuisse propter adulterium: quod pœnâ mortis etiam apud Aegyptios plectebatur. Nam constat, inquiunt, ex Cap. 24. v. 11. Levitici, mulierem Israelitidem, Salumith nomine, de concubitu Aegyptii filium blasphemum peperisse. At Cap. 2. Exodi nulla adulterii fit mentio: & satius videtur, si respondeamus utrobique illatam mortem significari, & versu 11. מִיצְרִי מַכֶּה אִישׁ-עִבְרִי וַיַּרְא אִישׁ *Viditque virum Aegyptium percutientem virum Hebræum*, & versu 12. וַיַּךְ אֶת-הַמִּצְרִי ; *Et percussit Aegyptium.* Est enim utroque loco idem verbum נכה *cædem inferre.* Moyses ergo mortem morte mulctavit. Ad postremam de Corpore Moysi (nam nos pariter commentationem Rabbinorum explodimus) si admittamus interpretationem Oecumenii, nihil contra nos. Etenim spiritus nequam, Satan & Diabolus appellatus, quod sit adversarius & falsus criminator justorum, immerito Moysen accusabat, illique propterea restitit Michael. Sed probabilius est contendisse diabolum, ne sancti viri Cadaver terræ mandaretur in terra Moab contra Phogor, atque ob ejusdem sepulchrum antiqui idoli cultus aboleretur: quemadmodum contigisse in Daphni ex Reliquiis Sancti Babylæ, auctor est disertissima Oratione Chrysostomus. Aut forte sepeliendum curabat notissimo aliquo loco, ut filii Israel proni ad idololatriam Divinos illi honores deferrent. Nam utramque causam reddunt Interpretes ac Patres, quos consulas.

7. An Moyses genere Heliopolitanus.

Quæstio IV. est, an Moyses fuerit Heliopolitanus genere, atque ob lepram à suis expulsus, ut scribit apud Josephum lib. 2. Appion Grammaticus. Sed liquet Moysen Judæum fuisse ex cap. 2. Exodi; nec non ex Ethnicis Scriptoribus, Tacito lib. v. Historiarum, Lysimacho, Dionysio, & quotquot illius meminerunt. Nec ullatenus probabile est, puerulum elegantis formæ expositum in carecto ripæ fluminis, nisi fuisset ex gente Aegyptiis invisa. Ob eandem causam nec percussisset virum Aegyptium rixantem cum Hebræis. Appion autem non solum in describendo genere Moysis errore labitur, verum etiam in consignando exitu filiorum Israel de Aegypto ad annum 1. Olymp. VII. quo scribit ædificatam fuisse Carthaginem: at ab exitu de Aegypto ad institutionem Olympiadum anni 715. connumerantur; Carthago enim ædificata est juxta Timæum Siculum, & Dionysium Halicarnassensem lib. 1. Antiq. Rom. anno ante primam Olympiadem tricesimo octavo, & juxta Scriptores omnes longe ante Olympiadum institutionem. Quare Appion in omnem errorem cæcutiens rapitur.

8. Moyses non fuit leprosus.

De lepræ autem vitio, quo laborasse Moysen scripserunt Tacitus laudato libro, & Ptolomæus Alexandrinus cognomento Chennus, facile tollitur suspicio. Nam adversus leprosos, & pustula ac impetigine infectos plura statuta sunt Levit. XIII. quibus liquet non fuisse Ducem cum universo populo tali vitio contaminatum. Quippe statuitur, ut leprosi judicentur à Sacerdotibus, ut deferant caput nudum, vestem dissutam, os panno contectum, ut clament se contaminatos ac sordidos, ut vestimenta maculis conspersa comburant, aliaque id genus plura. Id vero hac præsertim de causa, quod tali morbo afficerentut iniqui, ut sacra monstrat Historia. Lysimachus autem, Tacitus, & Chennus mendaces manifesto deprehenduntur. Etenim ille narrat Judæorum multitudinem in mare demersam, perpaucos in deserta loca dejectos. At quomodo tam exiguo numero tot bella gerere, debellare Chananæorum regionem universam, urbemque toto orbe celeberrimam condere?

Refert

Refert ædificatam à Judæis civitatem ab ipsis appellatam fuisse *Herosylam*, id est, sacrilegam. Sed, ut mittam significationem hebraici nominis ירושלם *Jerusalem* longe diversam ab ea, quam habet græcum vocabulum ἱερόσυλα, *Sacrilega*, unde Lysimachus perperam contendit derivatum alterum ἱεροσόλυμα; quis propriam urbem sacrilegam appellet? Tacitus etiam scribens, *Orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Occhorim adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum Deis alias in terras avehere jussum*, duplici ratione refellitur. Primo enim Moyses Occhorim antecessit: deinde veteres Ægyptii Hammonem non coluerunt. Sed vide Justi Lipsii, aliorumque in Tacitum notas, nec non Chronicon Eusebii de Regibus Ægyptiorum.

9. Confirmatur. Verum est, quod Moyses aliquando extrahens de sinu manum, *protulit illam leprosam instar nivis*, Exodi IV. v. 6. sed eam retrahens protulit iterum similem carni reliquæ. Quare constat hoc magnum esse prodigium; neque enim naturaliter fieri potest, ut fiat eadem manus extemplo munda ac leprosa. Significabat autem hæc mutatio juxta Augustinum Serm. 86. de Temp. Synagogam, & Ecclesiam, secundum Cyrillum populum Judaicum, qui in lege permanens, tanquam manus in sinu, summis affectus est beneficiis, recedens autem ab observantia legis percussus atque abjectus evasit. Sed & præfigurabat Moyses Christum Dominum jam apud impios despectum, quasi leprosum, post hac gloria, & exaltatione conspicuum. Addit Tacitus Judæos abstinere sue *memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Verum non solum à sue abstinendum Judæis erat, sed ulterius ab omni animali habenti ungulam non divisam, & à commorantibus in aquis, si pinnulis careant aut squammis: ut addiscerent, inquit Clemens Alex. in 3. Pedagogi, *non oportere eos, qui Deum invocant, cum impuris versari hominibus.* At de his alibi.

10. De facie cornuta Moysis. Quæstio V. est de facie cornuta Moysis, sive de versione & intelligentia illorum verborum, *Ignorabat quod cornuta esset facies sua*, Exodi XXXIV. 29. Protestantes communiter scribunt, ineptam esse hanc lectionem, & auctorem Vulgatæ hallucinatum in voce hebraica קרן *Cheren.* Addunt Sixtum & Clementem in novis Bibliis approbasse vulgi à tot doctis damnatam consuetudinem pingendi Moysen cum radiis ad instar cornuum. Inquiunt ex Vulgata versione Moysen cornutum prodiisse in picturis: & impie lectionem illam retineri ad versionem Vulgatam statuminandam. Ita Tagius in Exodum, Sixtinus Amama in Antibarb. lib. 2. cap. 30. Rainoldus, Glassius, & alii. Adversus tam impudentem procacitatem tria demonstrabo: unum optimam esse versionem Vulgatæ; alterum nostræ communionis Interpretes cornutam faciem non intelligere, nisi splendidam ac radiantem: tertium picturas cornuti Moysis vetustissimas esse, recte permitti, neque ex Vulgata versione introductas.

11. Probatur optimam esse versionem vulgatæ. Primum igitur probo, quoniam hebraicam vocem קרן *Cheren* proprie ac literaliter significare *cornu*, & radios hebraice eo nomine appellari, quoniam ad instar flammulæ in pyramidem, uti cornua, elevantur, quemadmodum cornu etiam appellari potestatem ac dignitatem, eoquod cornua sint animalibus pars eminentior, atque robustior, est in sacris Bibliis manifestissimum. Legantur Hebraica Biblia Jos. 6. 4. Deut. 33. 17. Psalm. 69. 32. Daniel. 8. 9. &c. Igitur ea verba כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו *quod promicuisset cutis faciei suæ*, optime à Latino Interprete reddita sunt, *Quod cornuta esset facies sua.* II. Quamvis קרן significet aliquando regnum, ut 1. Paralip. 25. 5. Psalm. 132. 17. potestatem ac furorem Deut. 33. 17. 111. Reg. 22. 11. Daniel. XI. 40. aut locum eminentiorem Esaiæ v. 1. nihilominus his omnibus in locis hæretici in suis versionibus retinent vocabulum *Cornu*, quoniam regnum, potestas, & locus prominens ducta metaphora à cornu hebraice appellantur קרן *Cheren.* Igitur patiantur & verbum, *Cornuta esset*, in cap. XXXIV. Exodi, tametsi hoc verbo significatur splendor faciei, quoniam splendor ducta metaphora à cornu dicitur hebraice *Cheren.* III. Memorato cap. Exodi in verbo *Cheran* קרן iidem hæretici agnoscunt metaphoram, ut liquet ex Salomone Glassio pag. 1759. Ergo *Cheren* non sensu obvio ac literali splendorem significat, sed translatitio. At ubicunque sensus metaphoricus est, debet ipsa vox propria retineri: alioqui variatur stylus, suamque formam ac venustatem deperdit, nec habetur versio Scripturæ, sed paraphrasis, aut metaphrasis. IV. Versio Aquilæ pariter habet κερατώδης ἦν *cornuta esset*; & Hieronymus linguarum peritissimus in cap. 6. Amos,

Amos, inquit: *In Exodo juxta Hebraicum, & Aquilæ editionem legimus, Et Moyses nesciebat, quia cornuta erat species vultus ejus.*

12. Probatur cornua Moysis metaphoricè accipienda.

Quod nostri Interpretes ac Doctores non adeo sint imperiti, ut nesciant his verbis, *Cornuta erat facies Moysi*, significari splendorem vultus ejus, & cornua Moysis metaphorice esse accipienda; viderit qui ipsorum libros perlegerit. Observavimus Glossam Interlinearem, Catenam in Exodum Lippomani, Cornelium à Lapide, Emmanuelem Sa, Augustinum Calmet, alios: nec adinvenimns ullum adeo simplicem, qui credat cornua Moysi erupisse. Ipse Amama fatetur optime interpretatos hunc locum Steuchum, Cajetanum, Oleastrium, Sixtum Senensem, Bellarminum, ac D. Thomam. Itaque nostri in hoc puncto non de sensu verborum cum Hæreticis pugnant, sed de puritate versionis. Idcirco perperam nobis objectant Versionem LXX. qui sensum quandoque secuti reddiderunt, δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτὲ: *Clarificatus est conspectus coloris faciei illius*: ad quam versionem videtur respexisse Paulus 2. ad Corinth. III. 7. Nos enim ultro concedimus Moysen fuisse in monte clarificatum, & miro splendore circumdatum: at id optime cohæret cum allatis verbis ex capite XXXIV. Exodi.

13. Probatur ex prisca consuetudine prodiisse in simulacris Moysen cornutum.

Ut de picturis Patriarchæ Moysi nonnulla dicamus; proferunt Guilelmus Schikardus, & Jo. Seldenus perantiquum nummum Moysis auribus tenus cornuti cum inscriptione torqui addita משה *Moyses:* in postica autem sunt verba illa Decalogi: אלהים על־פני אל יהיה לך *Non habebis Deos alienos coram me.* Observarunt & in lamina aeris cornua haberi arietina. Num procusi hi nummi à Judæis res est valde incerta; vetustos autem nullus negat. Hujus imaginis rationem afferunt, quod Cornua in sacris literis majestatem significant, regiam potestatem, invictam animi fortitudinem, & gloriæ magnificentiam. Similia scribunt Bartholius de Unicornu cap. I. & Hottingerus de Nummis Orient. pag. 136. Magnum quoque Alexandrum nummi exhibent cum Cornibus arietinis ob potestatem ac fortitudinem. Hinc dictum putant Arabice *Dul-Karnaim.* Extat his consimile saxum in Musæo Capitolino Clementis XII. munificentia exornato postrema in aula, referens Alexandrum eodem pacto cornutum. Non ergo ex imperitia Pontificiorum interpretum, ut scriptitant hæretici alii, neque ex corrupta lectione Vulgatæ, sed ex prisca consuetudine prodiit in simulacris & picturis Moyses cornutus, in symbolum potestatis, & gloriæ. Talem nobis sculpsit Moysen celeberrimus Bonarrota in statua adhuc Romæ servata in Templo D. Petri ad Vincula; ne illam credas vulgarium Opificum consuetudinem. Ita nobis facile commovere, ut phrasi utar Tullii, cornua disputationis, quibus nos petunt Heterodoxi.

14. Moyses non fuit primus litterarum inventor. Probatur 1.

Quæstio VI. est, an Moyses fuerit primus literarum inventor, ut opinantur Possevinus, Jo. Mariana, Rupertus, & P. de la Haye in Prologom. Bibliorum, Sess. V. cap. 2. Respondendum est negative cum Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 39. Etenim 1. de Moyse sacri libri testantur, fuisse eruditum *omni sapientia Aegyptiorum.* Act. VII. 27. quod falso putant factum solis literis hieroglyphicis. Quandoquidem alphabeticas etiam apud Aegyptios extitisse ante Moysen, liquet primo, quod imperceptibile sit omnem Aegyptiorum sapientiam solis hieroglyphicis literis traditam. Deinde Nicolaus Damascenus, & Josephus lib. I. Antiq. scribunt ab Abramo & Chaldæis arithmeticam & Astrologiam in Aegyptum perveniisse: & ante Aegyptios cultas has scientias ab Assyriis auctor est Proclus in Timæo. Legimus præterea apud Simplicium Comment. 46. in lib. 3. de Cœlo Arist. Observationes Astronomicas, quas Callisthenes è Babylone miserat, fuisse annorum 1093. easque etiam Porphyrius refert usque ad Alexandri Macedonis tempora, fuisse servatas. Illarum vero initium erat paulo ante turris Babilonicæ structuram, & circa annum, ante Abrahamum, ducentesimum. Certissimum est etiam Cadmum Phœnicem genere prima Grammatices elementa Græcis tradidisse accepta à Chaldæis, ut scribit lib. V. Diodorus, & in lib. de Regibus Judæ Eupolemus. Orta hinc opinio Phœnices literarum fuisse inventores. Joseph quoque lib. I. Antiquit. cap. 3. commemorat columnas duas, quarum una ad suam usque ætatem persistebat, ubi rerum cælestium disciplinas & cursus astrorum descripserant homines Antediluviani.

15. Probatur 2.

Probatur 2. nam in Epistola Canonica Judæ v. 14. laudatur liber Henoch his verbis: *Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Henoch*, & exscribitur statim prophetia. Unde Augustinus cit. libro de Civit. Dei cap. 38. Enochum quædam Divina scripsisse non dubitat:

atque

atque idem est judicium Tertulliani in libro de Habitu mulierum. Respondent librum Enoch esse apocryphum. Ita est: at non inde sequitur Enochum nihil scripsisse. Etiam ex libris apocryphis, iis videlicet, qui non sunt undequaque exploratæ auctoritatis, licet certum habeant auctorem, testimonia quædam collegetunt Scriptores sacri. Compertum est Paulum Apostolum produxisse verba ex Arato Gentilium Poëta, Simonide Cretensi, & Menandro. Hujusmodi est illud Act. XVII. 28. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *Ipsius enim & genus sumus*, quod constat ab Apostolo desumptum ex Poëta Cilice concive suo. Menandri in Thaide est trimeter ex spondeis & jambis, qui legitur in 1. ad Corinth. XV. 33. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Quod legitur ad Titum I. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, *Cretenses semper mendaces*, carmen est Epimenidis, & Callimachi citatum à Favorino. Ex quibus colligitur perperam à plerisque Epistolam Judæ rejectam, quia ex libro Enoch desumit testimonium, ut in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum scripsit Hieronymus. Fatemur ergo librum Enoch non esse in Canone Divinarum Scripturarum, & negamus Enochum aliqua non scripsisse. At de Moyse cum hoc capite, tum præmissis disputationibus, & scriptiunculis nostris dictum satis.

CAPUT VIII.

De distributione, atque interpretatione Decalogi.

SUMMARIUM.

1. Decalogus Summarium universi Juris.
2. Decalogi nomen explicatur.
3. De distributione 10. Præceptorum in 2. tabulis.
4. In 1ma tabula sunt ea, quæ pertinent ad dilectionem Dei; in 2da, quæ ad proximi dilectionem.
5. Mandatum de non habendis diis alienis explicatur.
6. De præceptis duobus ultimis.
7. Probabile est in 1ma tabula quatuor contineri præcepta.
8. De Ordine præceptorum.
9. Præfatio brevis ad legem.
10. Præceptum I.
11. Quid sculptilia prohibita
12. Judæis tantum statuæ Idolorum prohibitæ.
13. Objectio cum Solutione.
14. Præceptum II.
15. An liceat gentilium Deos blasphemare.
16. Pœnale est præceptum.
17. Præceptum III.
18. De superstitione Judæorum circa sanctificationem Sabbathi.
19. Preceptum IV.
20. Honor erga Parentes quid exigat.
21. Honorari debet & Mater.
22. Promissio huic præcepto annexa.
23. Præceptum V.
24. Quando licitum occidi hominem.
25. Præceptum VI
26. Quid prohibeatur hoc præcepto.
27. Simplex fornicatio non est licita.
28. Præceptum VII
29. Præceptum VIII.
30. Præceptum IX. ac X.

1. Decalogus Summarium universi Juris

SUMMARIUM universi Juris esse Decalogum recte animadverterat qui libros Philonis de hoc ipso argumento editos, inscripsit, περὶ τῶν δέκα λογίων, ἃ κεφάλαια νόμων εἰσὶ. Haud bene ergo ab iis factum, qui Theologicas disciplinas tradentes Tabulas testamenti prætereunt. De his parce saltem differere volumus, quædam cursim attingentes, non trita penitus, & communia. Nam quæstiones Scholastica methodo pertractandas, solitas de nonnullis præceptis moveri, ad libros proximos de humanis Officiis, ne hic nimium excrescat, putavimus rejiciendas.

2. Decalogi nomen explicatur.

Itaque *Decalogum* dictum comperimus, quasi *Decem verba.* Est autem *Verbum* in sacris literis non solum quælibet vox significativa, sed & per analogiam interdum accipitur pro re gesta, aut gerenda, ut dicitur liber uterque Paralippomenon, seu Chronicorum, ob recensionem rerum gestarum priscis Judæorum temporibus, hebraica lingua *Verba dierum,* דִּבְרֵי הַיָּמִים. Sic accipitur Græcum ῥῆμα Lucæ II. 15. & λόγος ad Rom. IX. 28. Aliquando significat sententiam aliquam, ut Marc. XI. 29. *Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi: Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Utroque sensu arbitramur dictum esse Decalogum, videlicet ob decem sententias Domini, ac præscriptiones rerum agendarum: unde Auctor Quæstionum veteris & novi Testamenti inter Opera Augustini, *Decem sententias* (inquit q. 7.) *decem verba appellavit.*

3. De distributione 10. præceptorum in 2. tabulis.

Quomodo decem præcepta duabus in Tabulis fuerint distributa, vix possumus Divinare; probabilior tamen est sen-

sententia Augustini, quæ jam inter Catholicos communis evasit, talem fuisse partitionem, ut una Tabula tria ad Dei cultum pertinentia contineret, altera septem reliqua spectantia ad proximi dilectionem. Adversus quam distributionem nihil solidi crepant animadversiones Petri Martyris in caput VII. Epistolæ ad Romanos, aliorumque hæreticorum. Prima ergo partitio est, quam Judæi quidam tradiderunt post Josephum lib. III. Antiquit. cap. 8. & Philonem in Expos. Decalogi, in utraque tabula quina præcepta distribuens. Alteram tenet Hieronymus, ac post eum complures, opinantes præceptum de non faciendis simulacris, esse ordine secundum, ac diversum à primo, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti;* ita ut prior tabula quatuor præcepta comprehendat, sex altera, facto uno de duobus postremis prohibentibus concupiscentiam uxoris, & rerum alienarum. Tertia est communiter post Augustinum recepta, quam supra innuebamus: de qua vide Epistolam ad Januarium cap. 11. Sermonem 9. de decem Chordis, sive 96. de Temp. cap. 5. lib. III. Confess. cap. 8. &c. Divisio hæc Augustini est cæteris probabilior, si tria facile percipiantur: primo in una Tabula fuisse ea quæ pertinent ad Dei cultum, & dilectionem; in altera autem quæ referuntur ad proximum: deinde præceptum de non habendis diis alienis esse ordine primum, & consequenter ad Deum tria tantum, non quatuor præcepta referri: tertio, quod ex hoc consequitur, cum VII. alia ad complendum denarium numerum invenienda sint, nonum ac decimum præceptum esse diversa.

4. In 1. tabula sunt ea quæ pertinent ad dilectionem Dei. In 2. quæ ad proximi dilectionem.

Primum demonstratur; nam Matth. XXII. 38. & 39. & Marc. XII. 30. & 31. duo tantum dicuntur præcepta legis, *Diliges Dominum Deum tuum*, & *Diliges proximum tuum.* Id vero si dictum est propter distinctionem tabularum; constat omnia quæ spectant ad cultum Dei in prima tabula, & omnia quæ referuntur ad amorem proximi in secunda tabula fuisse conscripta: si autem duo tantum commemorata sunt, quod hæc sint veluti genera & capita cæterorum; nemo non videt, quam congruum magis, & longe probabilius sit, quæ ad diversa genera pertinent non fuisse permixta. Mitto, quod Ambrosius, Beda, & alii interpretantur verba Apostoli ad Ephes. VI. 2. *primum in promissione*, primum tabulæ posterioris. Conveniunt circa hanc distributionem Christiani omnes, etiam confessione Vossii disput. 24. Leidensi Thesi 3.

5. Mandatum de non habendis Diis alienis explicatur.

Mandatum vero, *Non habebis Deos alienos coram me*, esse ordine primum, liquet; nam in iis, quæ præcedunt, *Ego sum Dominus, &c.* est oratio enuntiativa, nullumque verbum ibidem est imperativum, seu præceptivum. Est ergo præfatio quædam ad Decalogum, Majestatem, ac beneficentiam Dei, cui obtemperandum est, denuncians. Consequens autem sententia de non faciendis sculptilibus numerum cum præcedenti non facit; quandoquidem quisquis idola fingit ad adorandum eo cultus genere, qui summo Numini debitus est, jam Deos habet alienos coram Domino. Accedit S. Patrem Augustinum Serm. de decem chordis cap. 6 in tribus præceptis prioris tabulæ insinuatam putare quamdam imaginem Trinitatis.

6. De præceptis duobus ultimis.

Duo postrema distinguenda esse jam constat; nam alioquin denarius non esset numerus præceptorum. Atque distincta sunt I. ut duobus præceptis prohibentibus illicitos exteriores actus in mulierem, & in rem alienam, sexto scilicet & septimo, correspondeterent duo alia ad coërcendam concupiscentiam. II. quia cap. 20. Exodi v. 17. videtur duplex sententia distingui, repetito verbo, *Non concupisces, non desiderabis*, tametsi Deuteronomii VI. 2. unica appareat. III. quoniam alia est ratio boni delectabilis, alia boni utilis: quorum concupiscentia postremis illis præceptis prohibetur.

7. Probabile est in 1. tabula 4. contineri præcepta.

Hæc cum probabilia sint; Augustinus non omnino repudiat sententiam eorum, quibus potius placet in prima tabula quatuor contineri mandata, ut quod dictum est, *non erunt tibi Dii alieni*, diversum videatur ab illo, *Non facies tibi sculptile:* & consequenter unum sit, *Non concupisces uxorem proximi tui*, &, *Non concupisces domum &c.* Docet tantum partitionem aliam *videri sibi congruentiorem;* quoniam, *revera quod dictum est*, Non erunt tibi Dii alieni præter me, *hoc ipsum perfectius explicatur, cum prohibentur colenda figmenta.* Legito quæstionem in Exodum LXXI. Imo lib. III. contra duas Epistolas Pelag. cap. 4. videtur in aliam sententiam declinare, quam certum est plures habere assertores, ut Augustinus ipse observat memorata q. LXXI. super Exodum. Dum ergo scribit Petrus Martyr cit. loco: *Miror quosdam, inter quos etiam est Augustinus, ex uno mandato duo facere voluisse*, id est, de duobus ultimis; iniquus est æstimator; quo-

quoniam nec Augustinus penitus rejicit sententiam alteram, nec minus probabilis est, quam amplectitur. At, inquit Hæreticus, si ad numerum earum rerum, quas concupiscimus, multiplicata sunt præcepta, ex uno infinita quodammodo faciemus. Inepte prorsus: non enim distinguuntur præcepta juxta numerum rerum quæ appetuntur, sed juxta genera bonorum, in quæ fertur illicita concupiscentia. Sunt autem hæc, ut diximus, aut delectabilia, aut utilia. Honesta quippe nefas non est concupiscere. De partitione Decalogi hactenus.

8. De ordine præceptorum,

De præceptorum ordine hoc duntaxat controvertitur, an præceptum, *Non mœchaberis* sit revera sextum, an quintum. Ponitur enim ante illud, *Non occides*, in vetustis Codd. Græcis cap. vicesimo Exodi. Item Marci x. 19. Lucæ xviii. 20. Et in Epist. ad Rom. xiii. 9. Ita etiam habet Augustinus lib. iii. contra duas Epist. Pelag. cap. 4. & Serm. 148. de Temp. Sed arbitramur præceptum de non occidendo esse priori loco ponendum. Etenim hunc ordinem servat nostra Vulgata Exodi xx. & Deut. v. Tenet eundem Codex Hebraicus, Josephus, Philo locis cit. Chrysostomus hom. 49. in Matth. alii complures. Habetur tamen alius ordo in quibusdam Græcis Versionibus, atque apud Patres, fortasse consulto variatus ob fœditatem, & summa mala, quæ infert mœchia, non ob errorem, ut quidam putaverunt, lxx. Interpretum. Qui eandem fœditatis rationem habere potuerunt, quam habuit Marcus Evangelista cap. x. & Apost. cap. xiii. ad Rom. Nam Lucas juxta Lect. Vulgatæ, quemadmodum & Matthæus xix. 18. tenent ordinem primum & perantiquum. Variant Græca lxx. Interpretum: nam quibus usus est Philo, Complutensia, & recentiora ordinem tenent Hebræum: discrepant Vaticana.

Decalogi Explanatio.

9. Præfatio brevis ad legem.

Præmittuntur Decalogo hæc verba: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.* Brevis est ad legem præfatio, sed vere Divina. Proponit enim ineffabilem ac singularem Dei præcipientis majestatem tetragrammato nomine יהוה, *Dominus.* Demonstrat & summum illius imperium ac potestatem altero vocabulo Elohim אלהים, *Deus.* Vide nostram horum nominum interpretationem lib. ii. cap. i. Insinuat & Divinitatis mysteria, quæ sub his latere demonstravi initio librorum de Trinitate. Addit *Tuus*, & ut demonstret se peculiari titulo Deum esse Judæorum, ac maxime nunc Christianorum; atque ut ostendat se unitatis numero singulos alloqui. Commemorat recentiora beneficia, quibus sibi obedientiam subditorum magis devinciat.

I. Præceptum.

10. Præceptum i.

Tam sublimi præfatione positâ, sic statuit: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra.* Prohibetur hoc priori mandato quilibet cultus idolorum, aut fiat adoratione, aut sacrificio immolationis, aut suffimento, aut libamine, aut ritu peculiaris numinis commentitio. Alieni autem dicuntur Dii gentium à Domino, vel naturâ, si sint res creatæ; vel figmento, si sint opera manuum hominum. Quod Latine legitur *Coram me*, est Hebraice על־פני, *Super faciem meam.* Eapropter Græcus in Exodo cap. xx. v. 3. reddidit, πλὴν ἐμοῦ, quæ particula habet hanc vim significationis, *Non habebis Deos alios, sed tantum me.* Ideo recte Theologi nostri primum præceptum non solum negative accipiunt, ut nefas sit colere quodcunque idolum; sed & positive, ut exhiberi debeat Deo omne specimen Divini obsequii, puta sacrificium, religiosum cultum, corporis animique inclinationem, & actus Theologalium virtutum. At cap. v. Deuter. v. 7. eandem particulam על־פני vertit Græcus Interpres, πρὸ προσώπε μου, & Latinus pariter, *in conspectu meo*: qua phrasi prohibetur quælibet etiam occultissima cordis idololatria; quoniam nec cogitationes nostræ sunt Deo absconditæ. Ex quibus liquet legitimum Dei cultum non esse, qui exteriori tantum actu exhibeatur.

11. Quid sculptilia prohibita.

Dicendum modo, quid sint sculptilia, & similitudines vi hujus præcepti prohibita. Pro *sculptili* habet Hebræus Codex פסל. Est autem פסל, idem ac *dolavit.* Ergo non tantum prohibetur erectio simulacrorum, sed etiam quadrati ac perpoliti lapidis positi ad religiosi cultus testimonium. Nam veteres in lapide quadrato coluisse Venerem testatur Pausanias in Corinthiacis. Prohibemur similiter erigere cippum, columnam, aut monumentum aliud dolati

lati lapidis, aut ligni; quippe & usu stipitum cultos Deos auctor est Philo Byblius. Quare Deut. 16. 22. ubi præcipitur, ne erigatur statua, posuerunt Helleniste, Στήλην. Pro *sculptile* vero in cap. xx. Exodi habent Græci, εἴδωλον, *idolum:* at Deut. v. γλυπτὸν, *sculptile.* Et γλυπτὸν quidem significationem habet eandem, ac פסל à verbo, γλύφειν, *lapidem polire*, ac *dolare.* Idolon significare putant quamlibet imaginem hæretici complures, maxime Henricus Stephanus, & Scapula. Non designare nisi inanis, ac fictæ rei similitudinem demonstrant Classenius lib. 1. de Theologia Gent. &, quos ille commendat, Vossius, Menochius. Addamus Lirinum ad Cap. 6. Deuteronomii id aperte probantem ex verbis Pauli 1. ad Corinth VIII. v. 4. *Nihil est idolum in mundo:* quod nec prætermisit Classenius. Est ergo revera idolum, simulacrum fictam repræsentans divinitatem: unde *Ididolatria*, id est, cultus, atque adorationis à Creatore ad creaturam translatio. *Similitudines* ergo quid erunt? Profecto non qualescunque imagines, ut falso quidem interpretantur, sed genus aliud idolorum. Cum enim, ut vidimus, *Sculptile* significet statuam ex ligno vel lapide, aut quæ fiat scalpro, vel dolaturâ; prohibenda etiam erant idola reliqua, quæ conflantur, aut pinguntur: ac propterea additum est, *Neque omnem similitudinem.* Quoniam vero adeo desipuerunt gentiles. ut cultum exhiberent soli, lunæ, astris, avibus; arboribus, stipitibus, piscibus, ut diximus de Origine idololatriæ; horum omnium inanium Deorum idola verbis sequentibus prohibentur.

12. Judæis tantùm statuæ Idolorum prohibitæ.

Ex hac nostra primi præcepti explicatione planissimâ, uti credimus, appareret Hebræis non alium statuarum, atque imaginum usum fuisse interdictum, quam idolorum. Quare miramur tantas in Scholis versari opiniones, ut acerrime quidam propugnent Judæis omnem prorsus sculpturam, atque imaginem fuisse vetitam; quidam alii, permissas duntaxat imagines rerum per se non extantium. At bene prorsus Augustinus docens verbis illis, *Non facies tibi sculptile, &c.* perfectius præcedentia explicari, & prohiberi *colenda figmenta:* & S. Thomas 3. p. q. 25. art. 3. scribens, *quod non prohibetur illo præcepto facere quamcunque sculpturam & similitudinem, sed facere ad adorandum.* Hanc sententiam argumenta ista confirmant. I. Vidimus, ut imagines, & simulacra, ita verbis legis prohiberi quadratos lapides, columnas, cippos, stipites, & figuras astrorum, stirpium, elementorum, herbarum, rerumque creatarum omnium. Nam & dolatum lapidem aliquando esse titulum Divini honoris evincunt cum Gentilium testimonia, tum saxum erectum à Jacob Gen. xxxv. 14. Atqui nullus dixerit vetitum fuisse Judæis erigere lapides, ac stipites, dummodo id non facerent causa cultus extranei, uti fecerunt ad tumulos Jordanis filii Ruben & Gad, Jos. xxii. 10. Igitur nec vetitum est habere imagines ac statuas, si hæc eadem idololatriæ causa non interfit. II. Nonne Cherubim sculpta fuerunt juxta latera arcæ, & juvenci in mari æneo, leones quoque ad Salomonis thronum? Facta hæc, inquiunt, Dei jussu, nec figuræ erant rerum per se stantium. At Dei quidem jussum cum in his, tum in aliis omnibus ad structuram templi pertinentibus interfuisse concedimus, dispensationem vero negamus. Res autem etiam per se non stantes, imo & lapidem & cylindrum, & sculpturam quamlibet esse aliquando idolum, liquet ex dictis: ideoque si prohiberentur imagines rerum per se stantium, quod possint esse simulacra Deorum, deberent absolute inhiberi sculptilia quælibet absque ullo discrimine. III. Opposita sententia repugnat Judæorum historiis. Nam 1. Regum cap. xix. 13. legitur Michol uxorem Davidis posuisse statuam hominis super lectum, eamque cooperuisse pelle caprarum. Non deerant ergo simulacra in domo Davidis, cum justus esset ac innocens. Deinde ex libro Josephi xv. Antiq. cap. 2. habetur Aristobolum, & Mariamnem lubenter passos, ut pingerentur, illorumque imagines, à Dellio missas ad Antonium. Certum præterea est in Agrippæ Palatio statuas filiorum ejus fuisse locatas. Videantur eruditæ Notæ ad librum 1. de Bello Judaico cap. 33. postremæ elegantissimæ editionis Hudsoni. IV. Revincitur ex nummis Hebraicis. De nummo Moysis pertractatum superiori capite. Apud Villalpandum p. 2. Apparatus Urbis & Templi lib. 2. disp. 4. cap. 27. extat nummus M. Antonii cum ipsius imagine, & inscriptione, מלך שלמה, *Salomon Rex.* Putant quidem nonnulli peregrinum, non ab Hebræis procusum: at id non probant. Imagines non protuberantes, id est, incisas in numismatibus Judæorum fuisse, consentiunt docti omnes. De protube-

berantibus negant aliqui, sed inmerito. Sicli à Judæis procusi ante captivitatem sculptum habent ex una parte vasculum, ex altera virgam floreſcentem. Sed quid de nummis in usu habitis ætate Christi? Sculptam in his imaginem Cæsaris liquet ex cap. XXII. 20. Matthæi. Adversarii putant se facile ab hac objectione expedire, dicentes Hebræos, cum sui juris non essent, usos propter necessitatem moneta Romana. Verum nihil plane dicunt. Nam cum sint Judæi præceptorum suorum rigidissimi observatores, si numisma cum Imagine Cæsaris existimassent lege interdictum, nunquid ipsi manibus contrectassent? Id quidem nullo pacto. Deinde, cum nummi illi haberent superscriptionem hebraicam; falsum est fuisse monetam Romanam. Insuper nulla ratione Judæi coërceri potuerunt, ut paterentur necessitatem, quando Pilatus Imagines Cæsaris in urbem intulit, ut narrat Josephus lib. 2. de Excidio Urbis cap. 8. nec quando posita est Aquila aurea super portam majorem Templi, quod narratur ab eodem Histor. lib. 17. Antiq. cap. 6. Igitur nec propter necessitatem contrectassent numismata Cæsaris, quod agnovissent lege interdictum.

13. Objectio cum solutione.

At inquiunt Adversarii. Hæc facta de imaginibus Cæsaris, & de Aquila aurea demonstrant abjeciſſe Judæos omnem promiscue imaginem. Hoc fortasse præcipuum ipsorum argumentum. Cui, ne à Josepho recedamus, accedit, quod Historicus ipse lib. VIII. Antiq. cap. 7. ait, Salomonem peccasse, quando boum æneorum simulacra fecit mari subtus attollendo, & leonum effigies suum circa solium. Hæc objectio me nihil penitus commovet. Nam Aquilam auream scribit ille fuisse consecratam, *Dedicaverat* (inquit) *ingentem & magni pretii Aquilam ex auro. Lege autem vetitum est iis, qui volunt ex ejus institutis vitam agere, & quidquam cogitare de imaginibus erigendis, operamve dare simulacris consecrandis.* Non ergo excitarunt Judæi turbas, quod rejicerent omnem imaginem; sed quia apppositum erat templo simulacrum *consecratum.* Tales esse imagines Cæsaris non sine fundamento suspicabantur, & quia Romani Cæsares inter Deos referebant, & quia Pilatus illas Jerosolymam intulerat clam, & velatas. Nam signa & vexilla militaria, utique varie picta, passi sunt æquo animo. Ergo nulla alia de causa simulacra aspernabantur, nisi ob cultum extraneum. Nec refert asserere Josephum, quod Salomon peccaverit. I. Quia tot aliis jam productis locis scribit, vetitum in lege tantumodo ne consecrarentur idola. Imo lib. 3. Ant. cap. 5. explicans præcepta Decalogi, id unum isto mandari affirmat, *nullius animalis simulacrum adorandum.* II. Quia forsan opinatus est jam dudum Salomonem ad idololatriam inclinasse, quando sculpsit juvencos, quod viderentur ii referre numina Aegyptiorum, & vestigium aliquod esse antiquæ idololatriæ. III. Quia, etsi id Josephus credidit, omnium consensione falsum est; & Dominus omnia Salomonis ad Templi ornatum opera comprobavit, non redarguit. IV. Quia Josephus Pharisæus erat. Et Pharisæorum severior erat disciplina: unde hi ad majorem cautelam, ne fieret cujusque animalis simulacrum, prohibuerunt. Quod servarunt etiam Hebræi Alexandrini, etiamsi communis opinio esset Legi imagines & statuas non adversari. Hinc à civitatibus Judæorum Statuarii & Pictores arcebantur, *ne occasio præberetur hominibus crassis*, ut inquit Origenes lib. 4. contra Celsum, Philo in libro de legat. ad Cajum, & Tacitus lib. v. Histor. Sed hæc erat œconomia quædam, & rigidior disciplina quodammodo Populo illi ad idololatriam prono necessaria; non ut quidam putant, expressa vis Divini præcepti: de quo satis.

II. PRÆCEPTUM.

Sequitur Exodi XX. 7. mandatum alterum, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Assumere nomen Dei est hunc tanquam testem ac fidejussorem invocare, aut alia ratione Dei nomen proferre: quod si reverenter fiat, religiosum est, neque alicubi prohibetur. Cavendum ergo, ne assumatur *in vanum.* Postremæ huius vocis præcipua significatio est, ne id fiat mendaciter: quod frequenter denotat Hebraica dictio לשוא, quæ istic habetur. Principio itaque prohibentur perjuria, id est non stare juratis, aut irrita facere juramenta, nec non falsum obtestatione Divini nominis confirmare. Item fallere verbis expectationem eorum quibus juratur, sive ambiguitate sermonis, sive qualibet mentis alienatione. Idem præterea est illud *in vanum*, ac temere, inconsulte, sive absque judicio & ratione: ideoque verterunt aliqui εἰς εἶκη, *sine consilio.* Graviter propterea peccat quisquis jurat temere & absque necessitate. Valet insuper ea vox *in vanum* idem, ac inani nixu, ideoque habent

14. Præcept. 2.

Græci hoc loco μάτην, *incassum*. Ex his liquet licita juramenta tunc fieri, quando juratur *in veritate, & in judicio, & in justitia*, ut ait Jeremias IV. 2. Atque has conditiones pertractantes de Theologia Morali appellant Comites juramenti. Deerit itaque juramento *veritas* si fiat mendaciter, *judicium* si pro re levi, *justitia* si absque consilio atque pro re illicita. Assumunt Dei nomen *in vanum* & qui, licet non dejerent, irato animo & polluto ore Divina, & sacra pronunciant. Quos Dominus arguit Levit. XXII. 32. dicens, *Ne polluatis nomen meum sanctum.*

15. An liceat gentilium Deos blasphemare.

Josephus libro 4. Antiq. & Philo lib. 3. de vita Moysis, scribunt illicitum esse blasphemare Deos, quos colunt civitates Gentilium. Idem sentiunt Judæorum alii, quod etiam simulacra Gentium habeant Dei nomen, atque Exodi XXII. 28. scriptum sit: *Diis non detrahes.* At errant crasso errore. Nam simulacra Gentium immerito Dei nomine designantur, & nunquam tetragrammato, ac proprio: sed, ut verbis utar Apostoli I. ad Corinth. VIII. 5. sunt Λεγόμενοι Θεοὶ, id est, Deorum nomine venditantur. Dii vero, quibus non est detrahendum, sunt Rectores ac Judices, de quibus in Psal. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Judices ac Princeps appellantur frequenter אלהים, *Elohim*, eo quod debeant judicium Domini exercere, ut in 2. Paralip. cap. XIX. 6. At Dii Gentium nihil habent cum vero Numine affinitatis: & illud juremerito Exodi XXIII. 13. cautum est, *Per nomen externorum Deorum non jurabitis.* Idola figmenta sunt, atque abominationes hominum. Ut figmenta nequeunt esse testimonium veritatis: ut abominationes, sunt probris, maledictisque dignissima.

16. pœnale est Præceptum.

Assumentes in vanum Dei nomen dicitur Dominus non habere insontes. Legit Augustinus Sermone de decem plagis: *Qui enim acceperit nomen Domini Dei sui in vanum, non mundabitur.* Rationem affert dicendo, *Quia veritas mundat, vanitas inquinat.* Videtur ea lectio sensu à Vulgata non discrepare, nec ab Hebræa, quæ habet, לא ינקה׃ *Non faciet innocentem.* Est autem *non facere innocentem*, sive *non habere insontem* illud idem, ac pœnam sumere, & punire gravissime. Est igitur huic præcepto comminatio pœnæ adjuncta. Vide quæ scripsimus in fine dissertationis de H. Jansseniana.

III. Præceptum.

17. Præcepto 3.

Tertium ad hunc modum se habet: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Alia ratio est, cur Deus festi sanctificationem præscripserit, alia cur diei septimæ. Prima colligitur ex verbis versu II. sequentibus, ut scilicet in specialem cultum Creatoris mentem, animumque intendamus: nam idcirco eo loci creationis sex diebus peractæ opera commemorantur. Altera inde deprehenditur, quod Sabbato Dominus ab omni opere dicitur requievisse, unde & septima dies *Sabbatum* appellata est, videlicet, שבת, *requies:* ad arcendumque ab idololatria populum, & significandam requiem Sanctorum dirigitur hæc institutio. Cum enim lex data est, à gentibus creaturis cujuscunque generis impendebatur latria soli, lunæ, astris, elementis, piscibus, plantis, hominibus. *Factum est igitur, dum Sabbato cessant, ut divinitatis sensus Israelitis incuteretur, & naturam omnium opificem & effectricem intelligerent*, inquit Hom. 6. de Pasch. Cyrillus Alexandrinus. Ne ergo crederet rudis populus diem sanctificari ob cultum rerum creatarum, festum diei, quâ nihil creatum est, opportune fuit alligatum. Hinc recte designabat Dominus Hebræorum solemnia hisce appellationibus, *Sabbata mea*, quoniam signa erant illum tantum esse Dominum Deum; ut habetur in Ezech. cap. XX. 20. Atque Sabbati observatione secernebatur Judæus ab idolorum cultoribus: unde Ovidius in I. de arte amandi, *Culta Palæstino septima festa viro.* Erat & Sabbatum typus liberationis, & requiei Sanctorum, à captivitate primum dæmonis, deinde ab ergastulo carnis: quorum origo est Domini sepultura. Legitur idcirco Joan. VII. 23. totum Hominem sanatum *in Sabbato.* Lex igitur quantum spectat ad septimæ diei determinationem, temporaria est, atque abolita idololatria, impletisque figuris, in diem primum commutanda. In qua præter beneficium creationis, memoria colitur completæ redemptionis, mortisque devictæ. Ex his autem constat hoc præceptum, ut in superioribus dictum est, fuisse ex parte cæremoniale.

Ut Festa sanctificentur oportet abstinere ab omni opere, quod à Divino cultu possit avertere. Quare Augustinus Tract. 3. in Joannem ait: *Spiritaliter observat Sabbatum Christianus populus abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato.*

Et

Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Similia docet de Spiritu & lit. cap. 15. Semper ergo incumbendum est, ne operam demus commessationibus, ebrietatibus, & flagitiis reliquis: at festivo præsertim tempore. Videtur tamen his verbis, *Memento, ut sanctifices*, vis quædam inesse præscriptiva operum sanctorum; & ideo sat non est evitare peccata, nisi & Sacra peragantur, & insistatur etiam in conventu Ecclesiæ statutis supplicationibus.

18. De superstitione Judæorum circa sanctificationem Sabbathi.

Quantum attinet ad abstinentiam ab operibus servilibus mirum est quanta fuerit, atque adhuc sit Judæorum superstitio. Censent non exprimendam vestem madefactam, non venandum pulicem saltantem, non subtrahendas clitellas asino, non compescendum puerum à fletu, non scindenda ligna, non eripiendam substantiam ab incendio, non sternendum lectum, non ludendum nuce, aliaque plura recensita ab Apostata Munstero. At hanc superstitionem optime redarguit Christus Dominus Matth. XXII. à versu 3. ad 9. refutatque exemplo Davidis, qui esuriens panes propositionis comedit, & Levitarum, qui sine crimine Sabbati otium violabant. Quæ itaque pertinent aut ad humanæ vitæ necessitatem, aut ad ornatum templi & celebritatem festorum, aut ad pietatis officia, ut fiant die festo lex Divina non vetat.

Consuetum fuit Hebræis Sabbato extra mœnia urbis recreationis causâ deambulare. Spatium itineris definitum tradunt ad bis mille passus, aut septem stadia, plus, minus. De monte Olivarum legimus in Act. Apost. cap. 1. v. 12. *qui est juxta Jerusalem, Sabbati habens iter.* Distantiam hanc esse duo millia passuum scribit D. Hieronymus in Epist. ad Algasiam. Septem stadia habet Syrus, dimidium Leucæ, sive milliarium Lyranus, nec veteres omnino consentiunt in stadiorum finienda dimensione, aut longitudine milliarii. Hoc unum colligimus, antiquam esse Judæorum Sabbato inambulandi consuetudinem, recreandi animi gratia. A nobis quæcunque oblectatio, quæ à Dei cultu per se avertat, est sedulo removenda; cujusmodi sunt spectacula, choreæ, bacchanalia, & quæcunque festorum institutioni jam expositæ non conveniunt.

IV. Præceptum.

19. Præcept. 4.

Quartum est autem, *Honora Patrem, & Matrem*, Exod. XX. 12. *Primum* istud appellatur ab Apost. ad Eph. VI. 2. & *quoniam primum est in secunda Tabula*, ut Augustinus ait sem. de x. Chord. cap. 6. & quia primum est *in promissione* inquit ibidem Apostolus, ob repromissam observantibus peculiarem benedictionem. Ad secundum autem Tabulam relatum est, *propterea quod honor parentibus in gradu suo servandus est, sed eos tamen in Divini honoris comparatione, præsertim si impedimento sint, debemus contemnere*, inquit S. Pater cap. 6. contra Adimant. Ex his Divinam intelligimus sententiam Lucæ XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c.* Odium quippe accipiendum hoc loco pro minori dilectione, videor mihi aperte conjicere ex cap. X. Matth. v. 37. ubi extat sententia eadem his verbis: *Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus.* Fugiendos tamen parentes Religionis causa, hæc ipsa ratio suadet; quod ipsorum honor Divino sit postponendus. Cæterum recte hoc præceptum in secunda tabula priorem habet locum, eoquod tam aperte natura ipsa honorem parentibus decernat, ut non male scripserit Augustinus Serm. de x. plagis, *Caninum est parentes non agnoscere.* Adde, quod illi sunt immortalis Dei quasi quædam simulacra; quemadmodum explicatur in Romano Cath. Habent idcirco quidam Codd. uti Salazar, & Lorinus observarunt ὑπερτίμια *superhonora.*

20. Honor erga parentes quid exigat.

Honor parentibus debitus postulat pietatem, & sinceram animi benevolentiam, ne dicatur externis officiis à nobis legem impleri, non charitate. Nam si honor exhibeatur intuitu temporalium bonorum, nec sit ordo debitus dilectionis, honor non est, quoniam merces illum parit, non pietas. Talis est honor eorum, qui senibus obsequuntur, ut adipiscantur hæreditatem: Legito Serm. August. 12. ex additis à Sirmondo. Hinc ab Ecclesia definitum est, non esse licitum cupere mortem parentum, aut de ea gaudere ob pingue venturum patrimonium. Consule propos. ab Innoc. XI. proscriptas. Ad honorandos parentes requiritur præterea, ut filii eis opem ferant. Diximus supra cap. 6. quantum in hoc deliquerint Pharisæi. Etiam Gentiles clamante natura passim id prædicant: inter quos Cicero in 1. de Officiis, *Necessaria* (inquit) *præsidia vitæ debentur his maxime.* Exigit præterea parentum honor præstandam illis, dummodo justa præcipiant, obedientiam.

21. Honorari debet & Mater.

Non usus est Dominus communi parentum nomine, sed utrumque nomi-

navit,

navit, *Patrem ac matrem*, meliori sane consilio, quam politici legislatores, qui solis ferme patribus consuluerunt. Affert H. Grotius in Exodi caput xx. Persicas, Romanas, Græcasque leges. At etiamsi Patrifamilias exhibenda est peculiaris quædam reverentia, matrem quoque honore prosequi naturali, divinaque lege jubemur. Et patrum quidem nomine intelligimus primum Genitores, deinde superiores ac principes, tum ætate seniores, omnes suo ordine venerandos. Enimvero Patrem aliquem nominamus *ob genituram* ac productionem, ut Jabel dicitur pater habitantium in tentoriis Gen. 4. 20. *ob generis originem*, ut Abraham pater Judæorum Joan. 8. 53. *ob educationem* filiorumque magisterium, ut Sacerdos Judicum 17. 10. & Paulus 1. ad Carinth. 4. 15. *ob gubernationem* ac regimen, ut Eliacim Esaiæ xxxii. 21. & Seniores ætate, ut 1. ad Timot. 5. 1. Id vero non ex sola scripturarum sanctarum consuetudine, sed ex more omnium gentium, ut Romani Senatores appellabantur Patres Conscripti, aut absolute Patres. Ita Stephanus coram multitudine verba facturus, Act. vii. 2. incæpit: *Viri fratres, & patres, audite*: & Cicero in Catil. *Video P. C. in me omnium vestrum ora*, &c. Itaque Genitoribus, Patribusfamilias, Præceptoribus, Præpositis, Magistratibus ac senibus æquum est honorem deferre.

22. Promissio huic Præcepto annexa.

Promissio specialis huic præcepto annexa est: *Ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* v. 12. Longævitas est vitæ hujus prolongatio. Visum quibusdam hebraico verbo לְבַעַן יַאֲרִיכֻן *ut prolongetur*, vim activam inesse, ut sensus sit, *ut parentes benedicentes tibi diuturnam vitam elargiantur.* Et quidem Ecclesiastici 3. 11. habetur: *Benedictio Patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ac benedictionis singulare habemus exemplum in Jacob Gen. xvii. 27. & in filiis ejus xlix. 2. maledictionis autem in Chanaan Gen. ix. 25. Attamen etsi parentes filiis iniquis non maledicant, vim debitæ maledictionis hi experiuntur. Habes in Absalom exemplum. Christianis non corporalis vita, & copia terrenorum bonorum pro honore parentibus exhibito est expectanda, sed æterna possessio terræ illius novæ, quæ in cap. 21. Apocalypsios promittitur, & de qua David in Psal. 141. 6. *Portio mea in terra viventium.* At de quarto præcepto diximus: ad quintum deinceps transeundum.

V. Præceptum.

Quintum nos ponimus, *Non occides*, eo ordine, quem tenet in Exodo xx. 13. Deut. v. 17. & apud Matth. xix. 18. etiamsi alibi præmittatur consequens vetans mœchiam, ut supra animadvertimus. Occidi dicuntur viventia, & metaphorice etiam stirpes ac semina; unde mori dicitur granum frumenti Joannis xii. 24. & vites occidi grandine Psal. lxxvii. 47. Hinc quidam hoc non occidendi præceptum conati sunt etiam in bestias, & pecora extendere, de quibus S. Pater in 1. de C. Dei cap. 20. imo Manichæi etiam in arbores, poma, folia, herbas; ut idem S. Doctor scribit in libro de H. ad Quodvultdeum. Sed refelluntur apertissime, primo, quoniam, ut observarunt Cajetanus, Lorinus, aliique, est in hebræo verbum רָצַח, quod est *necem inferre hominibus.* Deinde apud Matthæum xix. 18. ita explicatur, *Non homicidium facies.* Præterea animantia irrationalia, volatilia, natatilia, reptilia nullâ nobis ratione sociantur, quam nobiscum habeant communem; ideoque justissima ordinatione vita & mors eorum nostris usibus subditur. Tum insanum est agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima tanquam plurium occisionum auctricem damnare. *Restat ergo, ut de hominibus intelligamus, quod dictum est, Non occides*, inquit S. Pater de Civ. Dei loco nuper citato. Hæc obiter adversus Manichæorum dementiam.

23. Præcept. 5.

Habet quasdam exceptiones hoc præceptum, ita ut liceat hominem quandoque occidi. Quod fas est 1. si accedat Dei jussio, ut Abrahamo, in quo laudatur religio, non redarguitur impietas. II. Si pro Dei cultu, aut publica utilitate bella garantur, ut fecerunt filii Israel contra Philistiim. III. Si persona publica potestatem habens secundum justissimæ rationis imperium morte plectat sceleratos, ut David Amalecitam. IV. Si Spiritus Sanctus latenter hoc jubeat, ut Samsoni. Vide Augustinum eodem libro 1. de Civ. Dei cap. 21. Ergo peccat quisquis occidit privata auctoritate, aut publica non directa rationis imperio, uti peccavit David præcipiens, ut cæderetur Urias. Similiter qui sibi ipsis manus violentas inferunt, qui ad duellum provocant, qui procurant abortus; sed de his alibi. Gravissimum crimen esse homicidium ex eo liquet, quod Divinam imaginem violet, quod sibi homi-

24. Quando licitum occidi hominem.

homicida arroget judicialem auctoritatem, quod atrocissime humanam societatem disrumpat. Nec cædem inferre tantum, vetamur etiam nimis iracundiæ indulgere, de proximorum adversis lætari, maledictis aliquem lacessire, cum & minimum contumeliæ verbum animo malevolo, invidoque prolatum apud judicem cordium scrutatorem gehennâ puniatur. Nam pro genere maledictorum Matth. v. 22. ponitur verbum *Raca*, quod hominem levem, ac vecordem significat, & Syrorum linguâ minus est aliquid, quam *fatuus*. Dixi *irato animo*; etenim zelo charitatis expedit, ut verbis utamur increpatoriis: & ipse Dominus aliquando vocavit discipulos suos *stultos & tardos corde ad credendum*, Petrum *Satanam*, Pharisæos *ex patre diabolo*, & *genimina viperarum*; Paulus quoque Galatas *insensatos*. Sunt ergo distinguenda quæ animi indignatione, & quæ à benevola charitate procedunt: nam honesta potest esse ira; atque juxta illud Sosiphanis.

Νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, ἡνίκ' ἔνδικον, λαβεῖν.
Cum jus & æquum poscit, irasci decet.

VI. Præceptum.

25. Præcept. 6. At sextum præceptum est Exod. 20. 14. *Non mœchaberis.* Verbum נאף, *Nabaph*, extans in Hebr. videtur esse *cum aliena uxore coire*, ut liquet ex Deut. XXII. 22. atque eadem videtur significatio Græci μοιχεύειν *adulterium committere*, unde est latinum *mœchari*. Sed usurpantur hæc omnia pro quolibet concubitu illicito. Nam נאף impudicum omnem amplexum designare demonstrat ex Abenezra ad cap. 5. Mat. Hu. Grotius. Deut. v. 18. in Arabica versione Waltoniana extat: *Ne forniceris*. Mœchiam quoque Græci etiam stuprum illatum virgini appellant; unde Luciano dicitur Jupiter *mœchatus Danaen*, apud Robertum Const. Henricus Stephanus, & Scapula *mœchalidem* vocari omnem mulierem, quæ se stuprandam prostituit, demonstrant ex Athenæo: atque ob detestabilius crimen Lucillius apud Turnebum appellavit imberbes *mœchocinædos*. Male ergo quidam in sexto præcepto solum adulterium prohiberi grammaticalibus notationibus autumarunt. Quamquam si haberent hebræa, græca, latinaque verba unam significationem vitiandi uxorem alterius, posita esset consuetudine Scripturarum *species* pro genere, ut supra pro omni læsione homicidium, ac pro qualibet superstitione cultus idolorum.

26. Quid prohibeatur hoc præcepto.

Ergo prohibetur primo loco adulterium, deinde incestus, stuprum, fornicatio, & actus quilibet illicitæ oblectationis. Atque incestum omnem damnat Levitici liber caput 18. connumeratis consanguineorum gradibus, in quibus certum est posse Ecclesiastica lege in matrimoniis contrahendis dispensari: nam conjugium cum nepte prohibitum v. 10. lex naturæ non vetat, ut liquet ex matrimonio Abrahami cum Sara. Utitur Moyses in prohibitione incestus pressiori quadam phrasi, id est, *Turpitudinem non revelabis* Majus est aliquid, quam *cognoscere*, & *appropinquare ad mulierem*, quibus alibi utitur sancta divinarum Scripturarum verecundia; ut possimus in incestu deprehendere specialem quamdam nequitiam. Stuprum vero, quod lex Julia, & Quintilianus promiscue accipiunt pro adulterio, & mœchia, intelligimus nos vitium illatum virgini. Quod longe fornicationis crimen superat, in ingenuis maxime, honestisque puellis: unde & Romanorum leges permittentes adolescentibus scortationem, comprimentes Romanam civem pœna plectebant capitali: vitiantes autem civem Atticam, ducere tenebantur: unde est in Andria Terentii Act. 4. Sc. 5.

jam susurrari audio
Civem Atticam esse hanc. C. hem!
D. coactus legibus
Eam uxorem ducet.

27. Simplex fornicatio non est licita.

Illud autem magnopere mirandum, fuisse qui simplicem fornicationem, id est liberi ad liberam accessum excusarent. Legendum iis primo, quod Dominus præcepit de puella, post virginitatis jacturam extra paternas fores ejiciendam, obruendamque lapidibus, Deut. XXII. 20. Videndus deinde Apostolus in 1. ad Corinth. cap. III. 17. scribens: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*: & cap. 9. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Tum perlegenda quæ scribit Augustinus serm. de x. Chordis cap. x. q. 37. & 38. super Deuteronomium, & lib. XXII. contra Faustum cap. 62. Illud inquam magnopere mirandum; atque etiam consensione carnalium populorum detestandum. Meretrices quippe ob sceleris turpitudinem nonnisi peregrinas, & serviles fœminas fuisse, ac sese prostituisse duntaxat cooperto vultu liquet ex cap. 38. Genes. v. 15. Ob vulgati corporis vili-

tatem appellatas *Lupas* recte observavit Lactantius lib. 1. Inst. cap. 20. & ideo conditores Romanæ Urbis dicuntur lactati à lupa, quod illorum nutrix Acca Laurentia sui corporis copiam faceret. Certum est etiam habitasse extra urbem exiguas domunculas, & perditos Amasios expectantes sedisse ante stabula: quod scribit Grotius prodidisse Chrysippum; ac etiam ex Latinis cognoscitur: inter quos Plautus in Pœnulo Act. 1. Sc. 2. illas appellat *prosedas;* Martialis lib. 12. Epigramm. *submœnianas*, earum vero casas Horatius lib. 1. Sat. 2. *olentes fornices.* Quæ omnia demonstrant ignominiam, ac turpitudinem fornicationis. Gravius tamen aberrarunt, qui ausi sunt excusare manustupratores: quorum scelus naturæ adversari ratio ipsa declarat, neque id fugit laudatum Martialem in Epigrammate 42. lib. IX. adversus Ponticum.

Ergo ut Augustinus docet q. 71. super Exodum prohiberi dicimus *omnem illicitum concubitum, atque illorum membrorum non legitimum usum.* Neque id tantummodo; inhonesta quæque, aut motu corporis, aut verbo, aut scripto, aut nutu, aut quomodolibet peragantur. Addimus licentiam oculorum noxia cupiditate vagantium: & denique desideria nociva, sensusque labefactantem concupiscentiam. At meminimus oportune versus Ecclesiastici v. 14. *Sit manus tua super os tuum*, dictique Latini, *Digito compesce labellum.*

VII. Præceptum.

28. Præceptum 7. Prohibet præceptum septimum illicitam rei alienæ usurpationem jussione illa: *Non furtum facies*, Exodi xx. 15. Est autem *furtum*, quando res aliena subripitur invito Domino. Quod si occulte fiat, retinet furti nomen; si per vim, dicitur à rapiendo *rapina.* Prohiberi alieni compilationem lege naturali & Jurisconsulti fatentur cum Ulpiano I. *Probrum*, & ratio evincit, cum lædat hominum societatem, simulque rempublicam; cujus recta constitutio postulat, ut tutæ sint possessiones uniuscujusque. Est inter furta gravissimum, quod Latini dixerunt *plagium*, illud scilicet, quo liberum hominem emunt, aut vendunt. Nam inter hominum bona habetur post vitam præcipuum, atque, ut Cicero scribit ad Atticum, dulcius proprium retinere libertatem. Capitale delictum plagium esse constat ex cap. XXIV. Deut. 7. Qui publicam pecuniam subripit, committit crimen *peculatus*, quod nomen apud Tullium quoque frequentissimum; unde & violator ærarii latine dicitur *peculator.* Furtum rei sacræ illud est, quod proprie ipse Cicero *sacrilegium* appellat: quamquam eo nomine intelligimus modo quamlibet rei sacræ violationem, sive furto fiat, sive incesta libidine. Raptores alienorum bonorum sunt non soli latrones, excursores, piratæ; verum etiam fraudatores vectigalium, fœneratores, & qui rei frumentariæ atque annonæ lucri causâ appetunt caritatem. His annumerandi sunt etiam ii, qui de superfluis non largiuntur pauperibus eleemosynam: nec in superfluo dijudicando attendi debet ambitio, cupiditas, intemperantia, quibus deesse multa possunt, non superesse, sed propriæ vitæ necessitas, & honesta conditio.

VIII. Præceptum.

29. Præceptum 8. A cohibenda manu ad linguam coercendam transitur sequenti mandato v. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hebræis quidem proximus ille tantum videtur, qui est popularis aut concivis, sed habendum ut proximum etiam qui adversum nos hostili est animo, monet Christus Matth. v. 43. Ergo nefas est cuilibet, etiam hosti, falsum crimen imponere, aut ad fidem testibus detrahendam iis infamiæ notam, culpamque fictitiam objicere. Interroganti autem Judici de patrato scelere testem aliquem, aut ipsum reum præscriptâ formulâ juris, nequit veritas occultari. Fuit olim hæc formula *Adjuro te*, aut, *Da gloriam Deo*, aut consimilis. Ita legimus interrogavisse Josue Achan cap. 7. 19. Achab Micheam prophetam, 3. Regum 22. 16. Pharisæos cæcum à nativitate Jo. 9. 24. & principem Sacerdotum interrogasse Christum Mat. 26. 63. Jusjurandum pariter exigere solent Judices; quibus propterea in detrimentum proximi mentientes & se crimine perjurii illaqueant, & Deo illudunt, & lædunt veritatem, & fratribus damnum inferunt. Recte ergo plectebantur falsidici pœnâ talionis: cujus exemplum occurrit Danielis cap. 6. 24. & cap. 13. 61. Vetitum pariter est mentiri, proximo detrahere, & temere de aliorum moribus gestisque proferre judicium.

IX. ac X. Præceptum.

30. Præceptum 9. ac 10. De nono tandem ac decimo, quoniam nonnulla dicta sunt paulo supra in parti-

partitione decalogi, atque eadem ratio eſt de concupiſcentia & externis operibus, ſufficiat animadvertiſſe lege demonſtrari, quod utraque ſint peccata, furari alienam rem, & illam concupiſcere; miſceri conjugi alterius, eamque deperire: omniumque rerum poſtremis hiſce mandatis prohibitam eſſe cupiditatem, quarum ſuperiora inhibent contrectationem. Atque hactenus de præceptis Decalogi, cujus Tabulis adjiciam verſus piiſſimi Theodulfi:

Qui cupis eſſe bonus, qui vitam quæris honeſtam,
Me pete, te moneo, Lex ego ſancta Dei.
Sum vita, ſum lux, ſum doctrix, ſum conſcia veri,
Lumen inextinctum qui mihi paret, habet.

CAPUT IX.

Secundaria Judæorum præcepta, ritusque legales, fuiſſe optimo conſilio inſtituta.

SUMMARIUM.

1. De Legalium cauſa & origine.
2. De diſcretione ciborum, & animalium.
3. Quid per immunda animalia intelligendum.
4. De Paſchate Judæorum.
5. Judæorum Paſcha figura noſtræ Redemptionis.
6. Quid ſignificent reliqui ritus, & Sacrificia.
7. De Immolatione Vaccæ.
8. De Immlatione Hirci.
9. Opinio de capro ſtatuitur.
10. Quid Hircus emmiſſarius ſignificet.

1. De legalium cauſa & origine.

CUM ad Manichæorum refutandam inſaniam, Scriptorumque Gentilium Judaica legitima irridentium, tum ad Judæorum ipſorum exiſtimantium perpetuo tempore duratura pervicaciam, craſſamque inſcitiam refellendam, inſtitui hoc loco diſſerere de legalium origine & cauſa; qua perſpecta duo conſequantur neceſſe eſt, unum in illis ſtatuendis Divinum apparere conſilium, alterum vero ſublata inſtitutionis cauſa finem illorum adventaſſe. Atque hæc duo me aſſecuturum eſſe confido, ſi demonſtravero omnia legalia, præter allegorias & agendæ vitæ rudimenta clariſſima, in quibus detegendis ſtylum exercent interpretes, fuiſſe ordinatiſſime præſcripta, ut graſſantem idololatriæ ſuperſtitionem opportune compeſcerent, & futuri Redemptoris adventum præfigurarent. Nam per Chriſtum principe hujus mundi foras ejecto, id eſt, diabolo divinitatis uſurpatore devicto, data Eccleſiæ miniſtris poteſtate calcandi ſerpentes, omnemque ſuperandi calliditatem, ædificata ſupra petram Eccleſia, ne poſſent portæ inferi adverſus eam prævalere, completisque promiſſi Evangelii figuris, neque à ſervitute liberatos jugum premere debet vetuſtatis, neque habentibus ſpiritum veritatis typi duntaxat, ſignaque ſunt proponenda. Quæ duo, aptum ſcilicet, eique tempori conveniens adverſus cultum idolorum remedium, atque Salvatoris noſtri prædictiones, Moſaicorum rituum præclarum eſſe ornamentum, ſubjectis animadverſionibus declarabo.

2. De diſcretione ciborum & animalium.

Principio dicam de ciborum & animalium diſcretione, de qua pertractat caput Levitici XI. Hac ſane proviſum eſt, ne Hebræi communes haberent cum Gentibus epulas, moresque illarum paullatim exuerent. Nam conviviis potiſſimum junguntur fœdera, & addiſcuntur ſcita, moresque exterorum. Deinde cum delectum ciborum feciſſent idololatræ damnabili ſuperſtitione, nova lege diſcreti ſunt, E. G. ut immunda haberentur animalia, quæ *multifida* ſunt, id eſt, ſciſſis ungulis, & non ruminant; ſive ruminant, nec ungulam dividunt. Abſtinebant quidem etiam Ægyptii ſolidungulis & cornigeris, & ſuilla etiam carne, ut ſcribunt Herodotus, & Porphyrius: ſed hi quibusdam animalibus divinitatem tribuebant, quibusdam aliis utebantur ad auguria captanda; Judæi vero ab iisdem animalibus abſtinere juſſi ſunt, tanquam immundis. De ſue præſertim id conſtat, tametſi putat Tacitus Judæos hujus animalis carne non veſci, quod ſcabiei ſit obnoxium. At cauſam, quam divinare nunquam potuerunt Gentiles, ignorantque nunc etiam permulti, docent nos profani ritus idololatrarum. Porcus enim magis, quam aliud animal idolis immolabatur. Liquet primum ex Athenæo, qui refert à ſue immolata Veneri hujus feſtum appellatum ab Argivis *Hyſteria*. Deinde ex Ovidio, qui pri-

primo Fastorum libro inquit, *Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ.* Tum ex Varrone scribente in libro 2. de re rustica, *Sus dictus à σύειν quod est immolare.* Legitur & apud Josephum lib. 12. Antiq. cap. 7. Antiochum captis Jerosolymis *ingentem porcum sacrificasse.* Inter puras victimas etiam à Romanis connumeratos porculos, demonstrat libro 4. de vet. Jure Pontif. Jac. Gutherius. Eandem fuisse hostiam eorum, qui initiabantur, probat ex Aristophane in Eleusinia cap. 7. Joannes Meursius. Factam mactato sue expiationem concionis ostendit lib. 2. de Republic. Athen. cap. 4. Carolus Sigonius. Insaniam quoque tali victima piari solitam erudite demonstrat ex Plauto, & Horatio Comment. in XI. Lev. Jo. Lorinus. Nullum ergo animal in sacrificiis idolorum tam frequens, quam sues, unde à vetustis Latinis *porci sacres* dicebantur. Præterea in magicis superstitionibus factam olim jusculo porcino dæmoniacam consecrationem, ideoque servatum illud ab idololatris, non male quidam conjiciunt ex verbis Esaiæ cap. 65. 4. *Qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum.* De qua consecratione plura de Legibus Hebræorum Spencerus. Tandem etiam fœdera mactatione suis fuisse inita, liquet ex Virgilio Aen. VIII. canente: *Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca.* Recte ergo animal istud olim execrabantur Judæi ob horrendas idololatrarum consuetudines, non propter scabiem duntaxat, ut scribit Tacitus, neque propter rationem aliam satyrice allatam à Juvenali, ubi de Judæis ait, Sat. 4. *Nec distare putant humana carne suillam.*

3. Quid per immunda animalia intelligendum.

In abstinentia autem ab immundis animalibus præfiguratam Christianorum disciplinam, Patres, atque Interpretes omnes commonstrant. Neque diu hoc in argumento versabor; nam milvum, aquilam, & aves cæteras rapina victitantes fœneratorum rapacitatem significare, nemo non videt, Animal non ruminans typum gerit illorum, qui à carnali sensu ad spiritualem reminiscentiam non revocantur, veluti bestiæ, quæ escam in ventrem trajiciunt, neque retrahunt ad os dentibus comminuendam. Porcum immunditiæ symbolum esse satis percipit, qui illum videt se volutantem in cæno; unde à Judæis appellatum חזיר *Chazir*, quasi quod luto *convolvitur*, observatum ab aliis. Legendus libro 3. Pedagogi S. Clemens Alex. & S. Pater cap. 15. contra Adimantum, & lib. 6. contra Faustum cap. 7. Frustra autem aliqui allegorias divinarum Scripturarum rejiciunt, cum & Apostolus Paulus easdem in veteri testamento agnoverit, ut dixi cap. 6.

4. De Paschate Judæorum.

Dicam jam nonnulla de Judæorum Paschate: & primo ostendam, quomodo institutum fuerit adversus Ægyptiorum idololatriam. Exodi XII. legimus v. 3. *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* At nullus Ægyptiorum agnum vel hœdum manducabat: quod non solum affirmavit Theodoretus, sed & Juvenalis scribens Satyra V.

. . . . . *Lanatis animalibus abstinet omnis*
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Præcipitur v. 5. ut agnus sit masculus: Servius autem in 8. lib. Aeneid. animadvertit, *in omnibus sacris fœminini generis plus valuisse victimas.* Ibidem mandatum est, ut tollerent & hœdum: ex quo ritu non male Tacitus scribit de Judæis lib. 5. Hist. *Cæso ariete velut in contumeliam Ammonis.* Versu 6. servandum agnum præcipitur usque ad quartamdecimam diem mensis Abib, id est ad plenilunium vernum: eademque die Ægyptios Arieti sacrificasse demonstrat apud Spencerum Abram Seba. Jussum v. 7. ponendum sanguinem super postes, & in superliminaribus domorum; idque ad confutandam Ægyptiorum insaniam, qui opinabantur mactationem hœdi esse mortiferam; cum ea nocte sanguis ille Judæos à cæde Ægyptiis illata immunes reddiderit. Cautum præterea v. 9. ne comederent ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni; nam Gentiles, ut scribit Arnobius lib. 5. contra Gentes, & Clem. Alex. in Admonit. alii crudarum carnium esu sacram agebant insaniam, alii caprorum reclamantium viscera cruentis oribus dissipabant, alii hœdum in aqua, aut lacte elixabant. Extat etiam apud Catullum hujus insaniæ testimonium eo versu: *Pars è divulso jactabant membra juvenco.* Nihil ex eo remanere debebat usque mane: etenim Sacerdotes idolorum carnes victimarum distribuebant, illasque fœminæ, ut iis abuterentur ad turpia, condiebant sale, ut liquet ex verbis Baruch cap. VI. v. 27. *Hostias illorum vendunt Sacerdotes ipsorum, & abutuntur: similiter & mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid im-*

impertiunt. Tandem inter cæremonias, ne singula persequamur, præscriptum est, ut ederent azymos panes cum lactucis agrestibus, sive עַל־מְרֹרִים, *amaris.*

Quippe certum est nonnisi panem fermentatum idololatras in sacris adhibuisse, juxta Maimonidem lib. 1. cap. 131. succis autem dulcibus ex uva expressis, aut melle permixtis frequenter usos; ideoque Levit. 2. v. 11. legitur: *Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Contra mel usurpatum in sacris Mithræ demonstrat ex Porphyrio & Scholiaste Papinii ad finem Thebaidos H. Grotius. Adde versus Ovidii ex III. Fastorum.

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

5. Judæorum Paschæ figura nostræ redemptionis.

In hoc Judæorum Paschate præfiguratam humani Generis redemptionem, satis compertum arbitror. Nam Christum sub Agni nomine ac typo prædixerat Esaias cap. XVI. v. 1. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ:* & Baptista Joan. 1. v. 29. videns venientem ad se Jesum ait: *Ecce Agnus Dei.* Prædicens & Propheta Salvatoris in passione sua humilitatem ait cap. 53. v. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quæ de Christo interpretatus est Philippus Eunucho Act. 8. 32. Completam esse constat passionem Christi, institutamque in Azymo Eucharistiam in ipso plenilunio mensis Nisan. Animadvertit Joannes cap. 19. 36. in Christo illud quoque adimpletum Exodi 12. 46. *Nec os illius confringetis.* Ad contundendam Judæorum pervicaciam, addo in libro Cabbalæ, quem plurimi ipsi faciunt, scriptum esse: *Et in eadem die, videlicet quintodecimo mensis Nisan redimendus est Israel in diebus Messiæ.* Legito Catenam in Exodum Lippomani.

6. Quid significent reliqui ritus, & sacrificia.

Idem profecto judicium ferendum est de reliquis ritibus & sacrificiis Judaicis. Etenim cur illis animalia immolabantur, quibus Gentes summum deferebant honorem, nisi in idolorum contemptum? Proferamus præ cæteris exemplum unum *vitulæ rufæ*, cujus sacrificium describitur cap. Numerorum 19. Bovem Aegyptios adorasse, dictum sæpe. Videatur Plinius lib. VIII. cap. 46. Clasenius, Vossius, Lilius Gyraldus, Seldenus, & qui de Diis, sive Theologia Gentilium pertractarunt. Ergo à Judæis bos immolabatur in contumeliam Numinis, quod Aegyptii Apim vocabant. Vitula autem eligenda erat, quoniam hæc singulari cultu in memoriam Isidis colebatur. Vidit id etiam D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. Cur comburenda esset vacca cum pelle, carnibus, sanguine, & fimo, constat ex dictis; quoniam scilicet idololatræ reliquiis victimarum abutebantur. Additur recens exemplum ipsorum Hebræorum; qui Aegyptiorum idolis nimium addicti, conflato vitulo Apim adoraverunt, Exodi 32. *Apim* dixi: nam quod scribunt Grotius, Episcopius, & hæreticorum aliorum nonnulli, vitulum illum consecratum *Jehovæ;* id est conflatum ut in eam imaginem Spiritus veri Dei, quem colebant, adveniret, falsum est penitus. Arbitrantur enim non adeo Judæos desipuisse, ut vitulum adorarent, numenque profanum. Sed nimium illis gratificantur; nam apud Amos v. 26. habemus revera illos coluisse idolum Moloch. Sive Deum Moloch dixeris esse Ῥεμφὰν, ut vertunt LXX. ita appellatum à Rege Aegyptiorum Remphis, sive *Kiun* nomen stellæ, in qua olim Aegyptii coluerunt Saturnum, constat Hebræos in idololatriam Aegyptiorum antiqua consuetudine fuisse proclives. Quid ergo prohibet, ne dicamus Hebræos revera Api cultum præstitisse? maxime cum iisdem usi fuerint in idololatria cæremoniis, commessationibus, & ludis, à superstitiosa Aegypto, dum Apim colerent, usurpatis. Sed auctore ipso Grotio Moyses ideo comminuti vituli cineres v. 20. sparsit in aquam, ut pœna fieret superstitio ipsa Aegyptiorum, de qua Papinius:

. . . . aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

Ergo revera vitulum Judæi adoraverunt, ut scripsimus Lib. 1. cap. v. atque contra idololatriam immolatio vaccæ optime fuit instituta.

7. De immolatione Vaccæ.

Sacrificium istud typum fuisse Christi diserte scribit Apostolus ad Hebræos cap. IX. 13. & cap. XIII. 12. Et quidem vitula educta extra castra Christum extra portam passum præfigurabat, & sanguis illius aspersus contra fores Tabernaculi, Christi sanguinem emundantem conscientias nostras, & Patri pro nobis litrum oblatum. De his plura in Bibliorum singulis Commentariis. Quorum hoc unum singulare commemorandum est, quod ædificato post Salomonem templo sanguis vitulæ rufæ aspergebatur in monte Olivarum, eodem nempe loco, ubi

Dominus Jesus inchoavit passionis suæ sacrificium. Ibidem unicem illam rufam mactatam scribunt Abenezra, & Rabbini alii in cap. 19. Num. Interpretes nostri, & etiam Grotius Com. in Matthæum, & Spencerus de legibus Hebræorum.

8. De immolatione Hirci. Hircum, in quo dictum supra adoratum Hammonem, speciali ritu immolandum præcipitur cap. 16. Levitici. Duo enim hirci statuendi erant ante Dominum, & missa sorte unus offerendus erat pro peccato, alter emittendus in solitudinem. Ex hoc loco objiciebat Julianus Apostata apud S. Cyrillum Alexandrinum, in lege Moysi oblata sacrificia etiam dæmonibus. Et quidem caper emissarius in Hebraico textu dicitur sors *Azazeli*, לעזאזל. Azazelem ipsum diabolum esse, videtur concedere Origenes lib. 6. contra Celsum: unde Augustinus q. 55. in Levit. dicit, hircum dimittendum à quibusdam *accipi in malum*. Eandem opinionem amplexus est memoratus Spencerus in dissert. de Hirco Emissario Tom. 2. de Legibus Heb. pag. 1425. ubi nititur demonstrare diabolum dici Azazelem, quoniam est עז, *fortis*, & אזל, *abiens*: unde Jacobus cap. 4. 7. ait: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Inquiunt & à Magis in Classe dæmonum, quos asserunt elementis præesse, connumerari hunc Azazelem.

9. Opinio de Capro statuitur. Verum inter varias de Capro illo opiniones certissimum puto ea verba Levitici, *Cujus exierit sors Azazeli*, non diabolum designare, sed caprum ipsum emissarium, ita, ut non solum consecratus non fuerit dæmoni, sed nec superstitionis causa missus in solitudinem. Nam & opinio illa, quæ Azazelem interpretatur dæmonium, imprudens & nefanda dicitur à Procopio, & Cyrillo; & ipsa lectione Levitici refutatur. Etenim Vulgata nostra pro Azazele habet *Caprum emissarium*: Græca, ut animadvertit citata Q. Augustinus, ἀποπομπαῖον, *ablegatitium:* & ipsum vocabulum hebraicum עזאזל, *Azazel*, magis capro quadrat, quam diabolo. Nam עז capri proprium est nomen, אזל vero idem est, ac *emissus*, vel *abiens*. Az-azel ergo idem est, ac hircus emissus. Quid autem nostra interest, si Magi hirci nomen Diabolo tribuerunt? Quod si placet in Azazele ita Diabolum intelligere, **ut in** Capro emissario significata sit **expulsio** idololatriæ, hoc quidem sensu Origeni non repugno. Augustinus hircum dimittendum non esse accipiendum in malo demonstrat, quoniam etsi homo, à quo in eremum ducebatur, cum rediret lavare jussus est vestimenta, abluendus erat pariter qui alterius hirci carnes cremabat extra castra, etiamsi hircus ille accipiendus esset in bono. Itaque recte responsum Juliano, nullum hircum in lege Moysi fuisse Diabolo consecratum, cum Azazel non Diabolus sit, sed hircus ipse. Sed etiam concesso Azazelem esse Diabolum, hircus emissarius deportabatur vivus in solitudinem: ergo non mittebatur Diabolo oblationis & victimæ loco, cum victima omnis mactetur, & juguletur.

10. Quid hircus emissarius significet. Porro in hirco emissario præfiguratam ablegationem idololatriæ, & Diaboli per Christum ejectionem dictum est nuper. In duobus autem hircis, quorum alter dimittebatur, quidam volunt designatos Christum & Barabbam, alii sortem prædestinatorum ac reproborum, nonnulli Matthiam, & Barsabam, aliqui Ecclesiam & Synagogam. Ex dictis autem illa duo, quæ declaranda suscepi, videntur manifestissima, legitima Moysi utilia olim fuisse, quia ab idolorum cultu removebant; nec perpetuum duratura, quoniam figuræ erant futurorum.

Finis enim legis Christus, quia lege fideli
Prædictus, legi lex veniendo fuit,
Præscribens veteri finem, legemque fidei
Legem perfectam Gentibus instituens.
Unde Magister ait, Vetera effluxere practis
Temporibus, subeunt omnia ubique nova.

S. Paulinus de Obitu Celsi pueri.

CA-

CAPUT X.

Quando legalia abrogata sint, & cœperint esse mortifera?

SUMMARIUM.

1. Quando Legalia fuerint mortua, & mortifera.
2. S. Hieronymus censuit legalia fuisse mortifera.
3. Augustini Epistola contra Hieronymi sententiam.
4. Responsio Hieronymi.
5. Responsio alia Hieronymi.
6. Propositio 1. cum probatione.
7. Instantia cum solutione.
8. & 9. Propositio 2. probatur.
10. 11. 12. 13. 14. Solutio objectionum.
15. 16. 17. & 18. Probatur Propositio 3.
19. Omnis simulatio est illicita.
20. Usque 30. Objectiones.
31. S. Eusebius non fuit simulator.
32. Observationes in c. 15. v. 29. Actuum Apostolorum.
33. & 34. Quid de sanguine dicendum.
35. à quatuor abstinere præceperunt Apostoli.
36. Quo tempore legalia fuerint mortifera.

1. Quando legalia fuerint mortua, & mortifera.

FINIS ergo legalium, quæ ad significationem futurorum fuerant instituta, ipse Christus est. Quæritur idcirco an lex Moysis in iis, quæ Evangelii typum gerebant, Salvatore nostro suffixo Cruci fuerit abrogata. Id vero duplicem sensum patitur; nam dubitari potest, num post mortem Christi ita legalia illa cessaverint, ut nullatenus ad salutem æternam fuerint necessaria, neque vim habuerint à peccato expiandi, quod significare volunt è Schola Theologi, ubi disputant, utrum fuerint eo tempore *mortua*: & institui potest disceptatio, an statim cœperint esse noxia ita, ut nefas esset illa amplius in usum assumi, quod intelligunt Scholastici differentes utrum fuerint etiam *mortifera*. Et mortua quidem legalia ipso Christo in crucem sublato consentiunt Theologi, tametsi discrepent aliquantulum, an præcise in ipsa morte Redemptoris fuerint abrogata, an circumcisio, ut sentit Scotus, in institutione baptismi, sacrificia autem, ritusque alii post Domini resurrectionem. Quæ postrema difficultas non est tanti ponderis, ut operam omnem videatur expostulare.

2. S. Hieronymus censuit legalia fuisse mortifera.

Gravior est altera, an, ex quo cœpit promulgari Evangelium, fuerit lex vetus semper mortifera, ita ut nefas esset cæremonias veteres ex animo observare: de qua re certarunt olim duo Ecclesiæ lumina, Hieronymus & Augustinus: quorum ut mentem percipias, controversiæ inter illos exortæ originem progressumque narrabo. Hieronymus quidem existimavit legalia fuisse mortifera; sed cum optime sciret, quod Paulus se totondit in Cenchris (portus erat Corinthiorum ad Sinum Saronicum) quod facto calvitio oblationem obtulit in Jerusalem, ac Timotheum circumcidit, & exercuit nudipedalia, quæ manifestissime de Judæorum cæremoniis sunt, docet in caput 2. Epistolæ ad Galatas utilem aliquando esse, & assumendam in tempore simulationem, eaque usum Apostolum, ut quæ nocebant eis, qui ex Gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendarentur. Ita & Petrum se gessisse, dum cogebat gentes judaizare, & à Paulo non ex animo, sed opportuna simulatione fuisse reprehensum. Atque hæc iisdem ferme Hieronymi verbis relata sunt.

3. Augustini Epistola contra Hieronymi sententiam.

Augustinus cum hæc legisset, scripsit, circa annum 395. Epistolam ad Hieronymum VIII. nunc 28. in qua post nonnulla pertinentia ad novam, quam Hieronymus exornandam susceperat, sacrorum Bibliorum Versionem, de præsenti controversia ait dolere se, quod à Hieronymo tali viro, vel à quopiam, si alius illa scripsit, patrocinium susceptum esset mendacii, atque fore ut non mediocriter commoveretur, donec refellerentur, si forte refelli possent, momenta rationum, quas è vestigio proponit. Id vero tanta humilitate Augustinus, ut sub finem Epistolæ scripserit, se difficillime bonum judicem futurum legendo quod scripserat, sed aut timidiorem recto, aut cupidiorem; malle autem se veritatem audire à melioribus, ne si à se ipso reprehendatur, blandiatur sibi, & meticulosam potius quam justam ferat in semetipsum sententiam. Cum reddita non esset hæc Epistola circa annum 397. aliam S. Pater conscripsit numero IX. nunc 40. ubi posteaquam officiosum mendacium, seu Apostolorum assertam à Hieronymo simulationem iterum explosit, illum hortatur, ad canendam παλινῳδίαν, quod pulchrior sit veritas Christianorum, quam Helena Græcorum: alludens ad Stesichorum, quem ferunt laudando Helenam oculos recepisse, quos illi detrahendo perdiderat.

4. Responsio Hieronymi.

Hieronymus hac Epistola accepta veritus an esset Augustini, id tamen existimans ex stylo, & argumentationis methodo, brevi respondit, optare se, ut Augustinus aperte scriberet, si sua esset Epistola cærerum nolle se in Augustini libris quidquam carpere, unumquemque in suo sensu abundare, & puerilem esse jactantiam accusando illustres viros suo nomini famam quærere. Addit nonnulla, quæ videri possent commoti animi argumenta, ut est illud, *Memento Dâretis, & Entilli; & vulgaris proverbii, quod bos lassus fortius figat pedem.* Est hæc Epistola inter Augustinianas XIII. nunc 68. Addidit Hieronymus & Epistolam XIV. sive 72. in qua ingenue, propriaque sancti viri libertate, scripsit, ut Augustinus mitteret epistolam propria manu subscriptam, aut desineret lacessere senem latitantem in cellula: esse Romæ complures, qui cum eo in disputatione jugum ducerent, si propriam vellet exercere doctrinam; se quondam militem, jam veteranum, debere aliorum laudare victorias, non effœto corpore dimicare. At incredibile est, quanta humilitate S. Augustinus asperitatem Hieronymi lenire studuerit. Nam rescripta Epistola LXXIII. olim 15. ait cognoscere peccatum suum quod prior literis senem sanctissimum læserit; obsecrat illum per mansuetudinem Christi, ut sibi dimittat, nec vicissim lædendo malum pro malo reddat: testatur se non pertimescere ad instar Entelli, qui cædebatur, non sanabatur, salubria verba, & correptionem medicinalem: hortatur, ut fortius figat pedem quasi bos lassus, senectute forte corporis, non vigore animi, dummodo culpæ suæ palea conteratur. Atque alia habet plura, quibus Hieronymi sententias placide excipiens illarum frangit aculeos.

5. Responsio alia Hieronymi.

Talibus Hieronymus devictus officiis ad propositam quæstionem respondit circa finem anni 404. epistolam jam inter Augustinianas XI. & haud recto ordine ante præcedentes locatam, nunc num. 75. congrua serie positam. In hac vero primo Hieronymus ait, se in præfatione Commentariorum in Epistolam ad Galatas libere confessum Origenis commentarios esse sequutum, neque ex definito animo ea defendisse quæ in Græcis legerat, sed ea expressisse quæ legerat, & lectoris arbitrio dereliquisse, utrum probanda essent, an improbanda. Deinde ait, quod si Augustino placet Judæos, quicunque credunt, debitores esse legis faciendæ, ipse Episcopus toto orbe notissimus hanc promulget sententiam, & in assensum suum omnes coepiscopos trahat. Priori tamen Hieronymus hæret adhuc, eamque confirmare nititur iisdem argumentis diligentius tractatis, quæ in Commentariis Epistolæ ad Galatas olim produxerat; atque simulationem Apostolorum, non officiosum mendacium fuisse contendit, sed honestam potius dispensationem. Verum S. Pater argumentationibus Hieronymi satisfecit Epistola XIX. nunc 82. data anno 405. In illa vero propugnat Petrum, dum cogeret judaizare gentes, non recte ad veritatem Evangelii fuisse ingressum, & recte à Paulo reprehensum: ac Paulum ipsum quandoque veteres cæremonias servasse, non simulate, neque ex necessitate, quasi putaret iis Christianam conferri salutem, ut putabant Ebionitæ; sed ne crederetur antiqua sacramenta, quæ in umbris rerum futurarum Deus fieri jusserat, impia existimare, & abjicere tanquam profana. Juxta Augustinum itaque tria distinguenda sunt tempora: unum ante Christi mortem, in quo vetera sacramenta fuerunt salubria: alterum statim post mortem Christi, atque ante Evangelii promulgationem, in quo amplius salubria non erant, nec poterat quispiam cogi ad illa suscipienda, licebat tamen ea retinere, ne videretur lex Moysi tanquam noxia statim abrumpi, sed veluti mortuum cadaver in gratiam animæ, quæ in ipso paulo antea delituit, cum honore deferretur ad tumulum, atque ideo reprehensibilem fuisse Petrum, qui gentes ad judaizandum impulit, laudabilem Paulum qui cum Judæis legalia absque simulatione servavit. Tertium vero tempus est, cum veteri lege ad tumulum jam deducta, mortiferus cœpit esse usus legalium religionis causâ servatus; nam si quis ob valetudinem se purificet, aut circumcidat, vel fame impellente, atque sine scandalo edat azymum; id antiquæ legis gratiâ non fit, nec debet putari mortiferum. Hanc Augustini sententiam nos propugnamus, eamque prolixe explicavimus narratione controversiarum, quas cum Hieronymo habuit; primum, quia hac præmissâ tota quæstio facillime solvitur: deinde quia Sanctorum Doctorum exemplo commonemur dissidia aliquando disputationibus nostris excitata, quæ non nisi circa res graves versari debent, prudenter vitare, temperanter tutari, & mutua charitate compescere.

Pro-

6. Prooſitio I. cum probatione.

PROPOSITIO I. Lex vetus duntaxat in morte Chriſti, quantum ad Cæremonialia præcepta ſpectat, deſiit obligare.

Probatur ex Epiſtola Pauli ad Hebræos cap. VII. 12. ubi legitur: *Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*: id eſt, quandiu lex vetus perſiſtebat Sacerdotium erat Leviticum, ſurgente vero Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech translatum eſt etiam mandatum legis. Atqui Sacerdotium Leviticum conſummatum non eſt, niſi quando Filius Dei ſe ipſum in Cruce cum clamore valido, & lacrymis obtulit, factus omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech, ut idem Apoſtolus ait cap. v. 7. 8. 9. Igitur eo tantum tempore lex vetus eſt abrogata. Præterea idem Apoſtolus cap. IX. ejusdem Epiſtolæ v. 8. inquit: *Nondum propalatum eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*; videlicet, ut ad ſancta & cæleſtia pateret acceſſus, neceſſe fuit, quod Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum introiret in ſancta, prout præſignatum erat in Pontifice ſemel in anno in ſecundum tabernaculum introeunte. At Chriſtus introivit in ſancta, viamque ad cæleſtia aperuit *per proprium ſanguinem æterna redemptione inventa*; verſu 12. ſeq. Prius ergo tabernaculum ante peractam per Chriſti ſanguinem redemptionem habebat ſtatum. Item viguit vetus teſtimentum usque dum Chriſtus novi teſtamenti fieret mediator. Factus eſt autem novi teſtamenti mediator *morte intercedente*, inquit v. 15. Apoſtolus. Ad hanc ergo mortem vetus perduravit. Sequitur Paulus v. 16. 17. 18. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.* Recte quidem; nam Teſtamentum definitur à Quintilliano *Voluntas defuncti*: atque ut habetur L. 1. D. de Hæred. *Viventis nulla eſt hæreditas.* Quis autem ignorat vetus teſtamentum, antequam novum confirmaretur, in ſuo robore permanſiſſe, & antiquam ſtare poſſeſſionem nondum novo hærede conſtituto? Vide Patres ac Interpretes ſuper hæc loca, necnon in illa verba Mat. XXVII. 51. *Et velum templi ſciſſum eſt in duas partes*, & Joan. XIX. 30. *Conſummatum eſt.* Hæc enim demonſtrant in morte Chriſti legis velamen fuiſſe diſciſſum, apertum adytum ad ſacratiora myſteria, jugum ſervitutis excuſſum, omniſque de Filio hominis Prædicta jam conſummata & completa.

7. Inſtantia. cum ſolutione.

At dices: ſaltem baptiſmus ante Chriſti mortem integro triennio inſtitutus præcipuum vetuſtæ legis myſterium eliminavit; unde legitur apud Lucam cap. XVI. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Reſp. diverſas eſſe circa tempus inſtitutionis baptiſmi Theologorum, ac Patrum ſententias: ſed dato ante Chriſti mortem fuiſſe inſtitutum, non potuit omnes generaliter obligare antequam Apoſtolica prædicatione promulgaretur, legisque fieret translatio. Nam leges, ut obligent, ſunt promulgandæ; nec ante mortem teſtatoris novæ hæreditatis jura ſubſiſtunt. Ea autem verba, *Lex & Phrophetæ usque ad Joannem*, expeditam habent intelligentiam, ſive dixeris his commonſtrari, Joannem, qui Meſſiam digito prodidit, fuiſſe ultimum Prophetarum illorum, à quibus Chriſtus in lege fuit prænuntiatus; nam Matthæus eandem ſententiam reddidit cap. XI. 13. *Omnes Prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Sive dixeris particulam *usque*, quam certum eſt interdum exprimere aliquam continuationem, ſumendam eſſe *inclusive*, ut ſenſus ſit tempore quoque Joannis legem perſtitiſſe. Atque hæ ſunt pervulgatæ illius loci expoſitiones. Addam alteram. In lege ac Prophetis promiſſa ſunt juſtis bona præſertim temporalia: & Joannes introduxit appellationem tantummodo regni cæleſtis, nihil ipſe terrenum annuntians. Senſus eſt ergo, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, quantum ad promiſſionem, non quantum ad obligationem. Enimvero Lucas ibidem Chriſti adverſus avaritiam, divitiarumque immodicam cupiditatem ſermonem narrat: atque laudatis verbis immediate addit: *Ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.* Habet ſimilia citato loco Matthæus, *A diebus enim Joannis regnum cælorum vim patitur.* Quæ reddunt textum, qui opponebatur, planiſſimum.

8. Propoſitio 2.

PROPOSITIO II. Non ſtatim à morte Chriſti legalia fuerunt mortifera, ſed ad vitandum ſcandalum, & ne lex Moyſis tanquam impia rejici videretur, licitum fuit aliquando veteres cæremonias ſervare.

9. Probatur.

Hanc Auguſtini aſſertionem propugnat major Theologorum pars, & Auctore Velloſillo Adv. in 2. Tom. Auguſt. Q. 3. probavit ad literam Concilium Florentinum: quod, ubi declaravit Le-

galia cessasse in Christi morte, subdit, *Non tamen negat* (S. Synodus) *à Christi passione usque ad promulgatum Evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur.* Eam ergo sic probo. Fuit aliquando licita legalium observatio, si Apostoli eadem communiter observarunt, & post annos plures deserenda, aut non imponenda esse decreverunt. Hoc autem in dubium nequit revocari. Paulus enim Act. XVI. 3. circumcidit Timotheum, XVIII. 18. se totondit in Cenchris, XXI. 26. more Judæorum se purificavit. Petrus etiam in visione quam habuit circa annum Ae. V. 39. decennio post Christi mortem, inquit Act. X. 14. *Nunquam manducavi omne commune & immundum*: quibus verbis significat se hactenus à cibis immundis abstinuisse. Et in Concilio Jerosolymitano orta inter Judæos, & Gentes ad Christum conversas seditione, sancitum fuit, ut abstineretur in posterum ab immolatis simulacrorum, & à sanguine & suffocato, & nihil ultra vetusti oneris fidelibus imponeretur, Act. XV. 29. Legalia ergo ad ea usque tempora Apostoli permiserant: quod nequaquam fecissent, si existimassent mortifera. An vero his verbis, *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato*, præscribatur observantia rituum legalium, ut scribunt post alios Scholasticos Habert, Juenin, Girken, dicam infra; nam inde tantum evinco fuisse adhuc in usu circumcisionem, cujus onus decreverunt Apostoli non esse ulterius credentibus imponendum. Præterea in hac, quam propugnamus, sententia statim explicantur difficultates in Apostolorum Actibus occurrentes. Paulus etenim, ut diximus, circumcidit Timotheum mulieris Judææ filium, atque inter Judæos versaturum; profecto ut ostenderet se circumcisionem non aspernari; sed ex adverso, ne quis putaret conversos è Gentibus esse circumcidendos, non est passus circumcidi Titum, ad Gal. II. 3. ne veritati Evangelii faceret præjudicium. Et Jacobus pariter, qui purificationem Judæorum Paulo suasit, Act. XV. non sinit jugo legis gravari eos, qui crediderant. Tali igitur œconomia demonstrarunt antiquas cæremonias neque noxias fuisse, neque ad salutem necessarias. Tandem hæc sententia etiam consulit Mosaicæ legis honori; siquidem, ut Augustinus scribit Epist. 19. nunc 82. *Sicut defuncta corpora, necessariorum officiis deducenda erat quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose, non autem deserenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus projicienda.* Nec audiendus Erasmus scribens Comment. in Epist. ad Galat. debitum non fuisse talem honorem legi, quam constat fuisse *viricidam*, Nam ex disputatis supra cap. 6. constat legem Moysis per se fuisse sanctam, rectissimamque, licet dicatur ab Apostolo ministratio mortis, & causa per quam subintravit peccatum, quatenus malum redarguit & prohibet, & accepta per legem occasione concupiscentia, quæ vehementius nititur in vetita, nisi submini-stretur gratia Spiritus Sancti, operatur peccatum: quod propterea non justæ legi tribuendum est, sed perversæ hominum voluntati.

10. Objectio 1. cum solutione.

Opp. 1. Paulus ad Galat. II. 3. scribit: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis compulsus est circumcidi.* Existimavit ergo Paulus mortiferam esse circumcisionem. Resp. Nego consequentiâ; si enim Titus non fuisset circumcisus, quod circumcisio jam esset illicita, non permisisset Apostolus circumcidi Timotheum in eo efficiens, quod arbitrabatur iniquum. Ergo non circumcidit Titum, *propter superinductos falsos fratres, qui subierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo JEsu, ut nos in servitutem redigerent,* inquit ibidem Apostolus; id est, ut defenderet Evangelii veritatem adversus Judæos contendentes circumcisionem necessariam adhuc esse ad salutem. Econtra circumcidit Timotheum ex Judæa matre prognatum, ne cognationi ejus videretur sacramenta vetera æque reprobare, ac superstitiosos ritus idololatrarum. Quare hoc argumento nostra corroboratur sententia. *Ergo* (inquit Augustinus cit. Epist. 82.) *& Timotheum circumcidit propterea ne Judæis & maxime cognationi ejus maternæ sic viderentur, qui exgentibus in Christum crediderant, detestari circumcisionem, sicut idololatria detestanda est, cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit. Et Titum propterea non circumcidit, ne occasionem daret eis, qui sine ulla circumcisione dicebant credentes salvos esse non posse, & ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum sentire jactarent. Quod ipse satis significat, ubi ait: sed neque Titus qui mecum erat, cum esset Græcus, compulsus est circumcidi: propter superintroductos autem falsos fratres, &c.*

11. Objectio 2. & solutio.

Opp. 2. At in eadem Epistola cap. v. 2. inquit Apostolus: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

Noxia

Noxia ergo erat circumcisio, quæ à justitia Christi credentes arcebat. Resp. loqui, Apostolum adversus eos, qui dicebant, *Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* Cujus generis extitisse aliquos è circumcisione, constat ex cap. xv. Act. Apost. v. 1. Adversus istos docet Apostolus, quod si ad justificationem necessaria foret circumcisio, neque Christus nos liberasset à servitute legis, neque ab ipso justitiam haberemus & gratiam. Sequitur itaque post verba, quæ objiciebantur, *Testificor autem rursus omni circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini: excidistis à gratia.* Sed audiendus est iterum Augustinus laudata nuper Epistola, ubi ita Hieronymum alloquitur: *At enim dixit idem Apostolus, Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Decepit ergo Timotheum, & fecit ei nihil prodesse Christum? An quia fallaciter factum est, ideo non obfuit? At ipse hoc non posuit, nec ait, Si circumcidamini veraciter, sicut nec fallaciter, sed sine ulla exceptione dixit, Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. Sicut ergo tu vis hic locum dare sententiæ tuæ, ut velis subintelligi, nisi fallaciter; ita non imprudenter flagito, ut etiam nos illic intelligere sinas eis dictum, Si circumcidamini, qui propterea volebant circumcidi, quod aliter se putabant in Christo salvos esse non posse. Hoc ergo animo ac voluntate, ista intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei nihil omnino proderat.* Quod subinde S. Pater demonstrat consequentibus verbis Apostoli: *Hoc ergo declarat, & quod ipse commemorasti, Evacuati estis à Christo, qui lege justificamini; à gratia excidistis. Illos itaque arguit, qui se justificari in lege credebant, non qui legitima illa in ejus honorem, à quo mandata sunt, observabant, intelligentes & qua prænunciandæ veritatis ratione mandata sint, & quousque debeant perdurare.*

12. Objectio 3. cum solutione.

Opp. 3. Legalia erant olim signa, & figuræ futurorum in Christi morte consummatæ & completæ. Exinde igitur facta sunt figuræ, & signa mendacia; eisque propterea ulterius uti fuit res noxia. Respondeo dist. conseq. illicitum & noxium fuit illis ulterius uti, tanquam signis rerum futurarum, & sacramentis in spe venturi Redemptoris justitiam afferentibus, ac salutaribus, concedo: tanquam exuviis legis emortuæ, sed à Deo institutæ, & honore aliquo abrogandæ, nego consequentiam. *Non ideo fuerunt* (ait eadem Epist. S. Pater) *tanquam diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cum ipsa gratia jam cœperat revelari, quæ umbris talibus fuerat prænunciata: sed permittenda paullulum eis maxime qui ex illo populo, cui data sunt, venerant. Posteà vero tanquam cum honore sepulta sunt, à Christianis omnibus irreparabiliter deserenda.*

13. Objectio 4. & solutio.

Opp. 4. Hac sententia in hæresim Cerinthi, & Ebionis dilabimur; nam hi propter hoc tantum à patribus anathematizati sunt, quod legis cæremonias Christi Evangelio miscuerunt. Resp. pernicioſam Ebionitarum hæresim fuisse, quod legalia necessaria sint ad salutem, non sepelienda, & abroganda, sed simul cum præceptis Evangelicis perpetuo retinenda: quam hæresim tunc primum serpentem, ut diximus, præfocarunt Apostoli, quando acerrime pro libertate Evangelii pugnantes noluerunt circumcidi Gentes, nec legis jugo gravari.

14. Objectio 5. cum solutione.

Opp. 5. Observantia legalium non potest esse indifferens, ut ambulatio, sed aut bona est ut continentia, aut mala, ut luxuria; quod autem bonum est, ideo observatur, ut salutem afferat. At hoc fine post mortem Christi non observabantur legalia: mala ergo erat observatio eorundem. Resp. inspectis diversis circumstantiis temporum ac locorum observantiam veterum cæremoniarum fuisse & bonam, & malam; malam quidem apud eos, qui adversus libertatem Evangelii jugum legis imponebant credentibus, quasi necessaria adhuc foret: bonam vero apud illos, qui à consuetudine Judæorum legalia ipsa non auferebant tanquam detestanda & damnanda, quamvis crederent gentibus non esse imponenda. Quod vero dicitur post mortem Christi legalia non fuisse salubria, si intelligatur non fuisse necessaria ad salutem, verum est; si intelligatur non fuisse religiosum ac pium ea absque simulatione exercere; id quidem est falsum. Etenim, ut paulo antea cum Augustino dicebam, sicut defunctorum corpora necessariorum officiis religiose deferuntur ad tumulum, ita cum honore lex vetus erat quasi sepelienda, ne obtrectationibus inimicorum proscinderetur. Proinde quisquis nunc vellet legalia observare, tanquam sopitos cineres è tumulo extraheret; nec esset pius deductor cadaveris, sed impius sepulchrorum violator.

15. Propositio 3.

Propositio III. Apostoli non observarunt legalia prudenti quadam simulatione, sed ex animo, & sincere, sicuti

&

& absque simulatione Paulus restitit Cephæ intempestive ipsa legalia usurpanti.

Probatur 1. Demonstratur primo. Aut servare absque simulatione vetustas cæremonias superstitiosum erat atque mortiferum, aut licitum atque opportunum: si hoc dixeris, non est cur credantur Apostoli simulatione fuisse usos; nam ideo simulate se gessisse putavit olim Hieronymus, quod jam essent mortiferæ, & nefas esset illas ex animo & religiose exercere. Si autem dixeris fuisse talem usum sincere, serioque peractum irreligiosum & impium, non debes asserere fuisse ficte ac simulate à viris sanctis adhibitum. Enimvero simulate peragere quod irreligiosum ac mortiferum est, gravi culpa non caret: alioquî licitum esset nunc quoque, ut lucraremur Judæos, cum illis judaizare; quod neminem puto esse dicturum. Cur enim judaizare non licet modo, nisi quia religionis signo cæremonialia probare jam superstitiosum est, & illicitum? Imo fas esset ad lucrifaciendos idololatras, simulacris cum simulatione immolare; quoniam id non alia ratione potest esse prohibitum, nisi quia hujusmodi immolatio est superstitiosa ac nefaria. Si ergo in præsentia nefas est judaizare, aut sacrificare cum gentibus; nec Apostolorum tempore licuit Judæorum ritus, supposito quod jam essent illiciti, etiam cum simulatione celebrare. Scite Augustinus Epist. 40. ad Hier. *Nam si propterea* (Paulus) *illa Sacramenta celebravit, quia simulavit se Judæum, ut illos lucrifaceret; cur non etiam sacrificavit cum gentibus, quia & iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege factus est, ut eos quoque lucrifaceret?*

16. Probatur 2. Deinde aperte ex cap. 21. Act. Apost. thesis nostra corroboratur. Siquidem narratur ibidem Paulo, postquam advenerat Jerosolymam, dixisse Jacobum: *Vides frater, quot millia sunt ex Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per gentes sunt, Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.* v. 20. & 21. De his quidem, cum ex Judæis essent, puto esse apertissimum, quod legalia absque ulla simulatione exercerent. Sequitur Jacobus v. 23. 24. *Hoc ergo fac quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis: & impende in illis, ut radant capita: & scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.* Nunquid ait Jacobus, Utere, ò Paule, ad tempus simulatione? Minime, *Fac*, inquit, *quod dicimus, sanctifica te cum illis.* Aitne, Judæorum commotionem actione hac simulata compesce? Nequaquam: sed, *Scient omnes, quia ambulas & ipse custodiens legem.* Certe num verbis magis perspicuis potuisset significari legalium sincera observatio, ignoro penitus. *Nam si revera* (inquit Augustinus Epist. ad Hier. 82.) *sic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam, non ei diceret Jacobus, Et scient omnes, sed diceret, Et putabunt omnes quoniam quæ de te audierunt falsa sunt: præsertim quia in ipsis Hierosolymis Apostoli jam decreverant, ne quisquam tunc Judæos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipso jam doctrina Christiana non cogeret.* Attenta ergo Actuum Apostolicorum lectione, haud obscure percipitur ab Apostolis antiquos ritus fuisse ingenue servatos.

17. Roboratur. Incredibile præterea est Apostolum Paulum in Epistola ad Galatas, in qua cap. 1. v. 20. ait, *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*, fuisse mentitum; at si ficte, & simulate restitisset Petro dum gentes cogebat judaizare, mendax esset & falsus. Igitur non ficte & apparenter restitit Petro, sed sincere, & ex animo. Cui argumentationi respondet Baronius ad an. Ch. LI. n. 38. (quamquam & ipse Apostolos non simulate se gessisse concedit) quod minime inter se pugnant Paulum sinceram narrasse historiam, & ea, quæ recensuit non serio fuisse peracta. At Paulus non tantum scribit se restitisse Cephæ, verum etiam, quod *reprehensibilis erat*, v. 11. quod *non recte ambularet ad veritatem Evangelii*, v. 14. quod non simulabat, sed *cogebat judaizare.* Petrus autem aut bene se gerebat, aut male; si male, ergo ex animo à Paulo reprehendebatur: si bene, ergo Paulus mentitus est scribens illum non recte ambulasse. Belle excusserat Augustinus inane illud responsum Epist. 40. n. 3. his verbis: *Si enim recte illi ingrediebantur, iste mentitus est: si autem ibi mentitus est, ubi verum dixit?* Multo minus responderi potest, Paulum scripsisse quod Petrus fuerit reprehensibilis, & non recte ingrederetur, ut removeret Galatas à servitute legalium, tametsi persuasum sibi foret Petrum nec reprehensibilem fuisse, nec male operatum.

tum. Nam, ut Augustinus argumentatur Ep. 28. n. 4. *Si Paulo recte videbatur Petrus feciſſe, quem non recte feciſſe & dixit & ſcripſit, ut quaſi animos tumultuantium deliniret: quid reſpondebimus, cum exurrexerint perverſi homines prohibentes nuptias, quos futuros ipſe prænunciavit, & dixerint quod totum illud, quod idem Apoſtolus de matrimoniorum jure firmando loquutus eſt, propter homines, qui dilectione conjugum tumultuari poterant, fuiſſe mentitum; ſcilicet non, quod hoc ſenſerit, ſed ut illorum placaretur adverſitas?* Cujus generis exempla poſſent afferri quamplurima.

18. Confirmatur.

Accedit quod omnem ſimulationem, & omne mendacium etiam officioſum, quamquam illud probaſſe videntur nonnulli Græcorum, ſententia noſtra damnat ac reprobat, quod malum ſit intrinſece, & cum veritate pugnet ſuapte natura. Nec moror, quod Suareſius ſcribit lib. IX. de Legib. cap. XVII. etiam in ſententia Auguſtini admittendam eſſe aliquam ſimulationem, eoquod Apoſtoli illas cæremonias faciendo ſimulabant ſe obſervare legem tanquam illi ſubjectos, imo volebant, aut permittebant hoc ab aliis Judæis videntibus ita putari. Iſtud, inquam, non moror; nam ſatis hanc ſimulationis ſuſpicionem removebant neminem ad judaizandum cogendo: quod ubi Petrus fecit, reſtitit ei Paulus. At Hieronymus, uti obſervatum ſupra, non officioſum mendacium ait appellandam eſſe ſimulationem Pauli, ſed honeſtam potius diſpenſationem. Verum his optime repoſuit Auguſtinus ſupra Epiſt. 40. quod ſi recte Petrus ad veritatem Evangelii ingreſſus eſt, mentitur Paulus ſcribens quod non recte ambularet: ideoque nequit in ſententia illa Hieronymi excuſari Apoſtolus à mendacio. Præterquam quod, ut idem Auguſtinus inquit Epiſt. 82. illud diſpenſationis vocabulum quid ſibi vult, oro? *Aut enim hoc eſt quod ego appello officioſum mendacium, ut hæc diſpenſatio ſit officium velut honeſte mentiendi: aut quid aliud ſit omnino non video, niſi forte addito nomine diſpenſationis fiat, ut mendacium non ſit mendacium.*

19. Omnis ſimulatio eſt illicita.

Cæterum etſi aliquando liceret uti ſimulatione & officioſo mendacio, quod nos probare non poſſumus; in cauſa religionis, qualis erat illa, de qua in præſentiarum diſſeritur, communior Theologorum, ipſius etiam Suareſii, vera & certiſſima ſententia eſt omnem ſimulationem eſſe illicitam & pernicioſam. Primo quia in hac hypotheſi ſimulatio eſt quædam proteſtatio & approbatio falſæ religionis, ideoque veræ fidei negatio & erubeſcentia. Deinde quia ſimulatio iſtiusmodi ſcandalum præbet conſcientiæ infirmorum, qui inde conjicere poſſunt veram eſſe etiam ſuperſtitioſam religionem: quod ſane ſcandalum exhibuiſſet ſimulatio Apoſtolorum, ex qua fideles potuiſſent ſuſpicari, fuiſſe licitum cultum cæremoniarum antiquarum, quas oppoſita ſententia cenſet fuiſſe mortiferas. Tandem, ne ſim verboſior, ſi in cauſa religionis ſimulare fas eſſet, fruſtra Eleazarus 2. Macchab. cap. VI. 24. & 25. compulſus manducare porcinam, dixiſſet: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere: ut multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonagintà annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum; & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Atque huic præclaro exemplo accedit commendata ſeptem fratrum Maechabæorum hiſtoria cap. proximo enarrata, ac plurimorum Martyrum ad ſimulacra Gentium etiam ſimulati cultus laudabilis deteſtatio.

20. Oppoſitio & Solutio.

Sed objicies 1. Apoſtolos cum ſimulatione obſervaſſe legalia; nec ex animo Petrum fuiſſe à Paulo reprehenſum demonſtratur ex Epiſtola ad Galat. cap. 2. Etenim v. 11. ait Apoſtolus: *In faciem ei reſtiti:* At illud *in faciem* idem eſt, ac *apparenter* & *ſimulate*: igitur Paulus non ex animo, ſed cum ſimulatione reſtitit Petro. Reſp. falſam eſſe minorem; quippe illud *in faciem* idem eſt, ac *palam*, & *coram omnibus*; uti conſtat ex Græca lectione, ex Aethiopica, & Syriaca, quæ habent, *palam, coram omnibus, in faciem ipſius*, &c. Demonſtrat quoque illius vocis ſignificationem idem Apoſtolus infra v. 14. *Dixi Cephæ coram omnibus.* Item dum profert cauſam cur ei reſtiterit, *Quia reprehenſibilis erat.* Ad hæc Act. XXV. 16. ubi Vulgata noſtra legit: *priusquam is, qui accuſatur præſentes habeat accuſatores*, habentur in Græco eædem particulæ, quæ in Epiſtola ad Galatas, κατὰ πρόσωπον, *in faciem.* Eſt ergo proprie illud *in faciem* idem, ac *in præſentia*, & *coram omnibus*, non *ficte*, & *cum ſimulatione.* At dices fortaſſe: In 2. ad Corinth. cap. V. 12. legitur idem valere *in facie*, & *non in corde.* Expedite reſpondeo, aliud eſſe ἐν προσώπῳ, *in facie*; aliud κατὰ πρόσωπον, *in faciem*; hoc poſtremum idem eſſe ac *palam*, & *coram*, demonſtrant, ut adnotavit etiam Eraſmus Comment. in Epiſt. ad Galatas, Latini Patres, & Scholia omnia Græcorum. Quamquam ſi illud κατὰ πρό-

πρόσωπον sensum haberet ambiguum, in Epistola ad Galatas liquet idem significare, ac *palam*, & *coram*; cum habeatur v. 14. ἔμπροσθεν πάντων, *coram omnibus*.

21. Oppositio 2. & solutio. Oppones 2. Advertit citatus Erasmus verba versus 11. quæ reddidit Latinus Interpres, *Quia reprehensibilis erat*, haberi in Græco, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *quoniam reprehensus erat*. Græci itaque recte hunc locum interpretati sunt, quod male de Petro judicabatur, etiamsi reprehensibilis revera non erat. Resp. 1. Etiam Auctorem Commentariorum, quæ ibidem Erasmus, aliique tribuerunt Ambrosio, legisse, *Reprehensus erat*; sed hujus reprehensionis causam proferens, ait, *Unde reprehensus? utique ab Evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur*. Parum ergo Græcorum opinioni ipsa Græca lectio suffragatur. Deinde demonstro legendum esse, ut habet Vulgata, *Quia reprehensibilis erat*. Syriaca, & Arabica versio similiter habent. Item Vatablus, & alii. Sed aperta ratio eruitur ex v. 14. *Quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii*. Est autem, qui ita non ambulat, reprehensibilis & corrigendus. Quæris cccur in Græco positum est, κατεγνωσμένος, *reprehensus*, non autem κατάγνωστος, *reprehensibilis*? Causam accipe. Phrasis Hebraica est participia pro verbalibus usurpare: ut 4. Regum XVIII. 21. legitur, *in baculo arundineo, atque confracto*, id est, *frangibili*; Psalm. XI. 7. *argentum igne examinatum*, id est, *eximium & æstimabile*: Esaiæ XXXIII. 19. *populum alti sermonis*, quod in Hebræo est, *irrisum lingua*, id est, *non intelligibilis ac barbarus*. Ea phrasis fuit Paulo familiarissima; nam 1. ad Corinth. cap. 9. 25. athletam appellat ἀγωνιζόμενον, pro ἀγωνιστὴν: ad Hebræos XII. 18. pro eo, quod nos habemus, *ad tractabilem montem, & accessibilem ignem*, extat in Græco ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ, *monti contrectato, ignique accenso*: & ibidem v. 27. legimus σαλευόμενα, *commota*, pro *mobilia*. Hac ergo phrasi nec à Latinis prorsus aliena, quibus *invictum*, *indomitum*, *perditum*, idem est, ac *invincibile*, *intractabile*, & *dignum perditione*, positum est ab Apostolo *reprehensus* pro *reprehensibili*. Ex his obiter nota operam perdere Baronium, dum citato loco nititur demonstrare Augustinum locum Epist. ad Galat. inoffenso pede non pertransisse, nec Petrum aliqua ratione peccasse. Certe si Petri animum inspiciamus nullam offensionem, aut scandalum præbendi Judæis, constat Petri peccatum esse aliqua ex parte excusabile; at peccasse jam ex dictis constat, & recte adversus Græcorum nonnullos id sentiunt Latini Patres apud Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 28. Imo opere ipso externo erat Petri factum superstitiosum, ut Augustinus affirmat cap. 30. de Agone Christiano, quoniam cogendo Gentes judaizare videbatur adstruere legalium necessitatem. Quare Augustinus non *tractavit Petrum durius, quam par erat*; uti scribit Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 274.

22. Urgetur & respondetur. Si dicas hanc opinionem Augustini nimium patrocinari, aut Porphyrio, qui blasphemabat Paulum ausum redarguere procaciter Petrum, cum in eodem errore fuerit; aut Novatoribus, qui peccatum Petri atroci calumnia adversus Romanorum Pontificum auctoritatem objectant; Respondeo adversus sycophantam Porphirium, audacesque heterodoxos longe melius in sententia Augustini defendi Petri & Romanorum Pontificum auctoritatem, quam si dicamus illum cum simulatione fuisse reprehensum. Hoc namque supposito objectarent Romanæ Ecclesiæ inimici, Apostolos in causa religionis fuisse mentitos, nec Petrum errasse tantum servando intempestive quod damnatum non erat, sed etiam cogendo fideles ad ritus abrogatos atque mortiferos. At posita sententia Augustini apparet *lux justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro*; ut idem Sanctus Doctor demonstrat. Epist. 82. ad Hieronym. & Epist. 71. ad Quintum sanctissimus Martyr Cyprianus.

23. Oppositio 3. & Solutio. Opp. 3. Paulus ipse servavit legalia: qua ergo fronte, qua auctoritate audet reprehendere in Petro, qui circumcisionis Apostolus erat, quod ipsemet Apostolus Gentium constat commisisse? Responsum est prop. 2. Petrum fuisse à Paulo reprehensum, non quod ille uteretur legalibus, sed quoniam ad hoc faciendum gentes cogebat; unde qui credebant in Christum poterant suspicari, *sine illis veteribus Sacramentis salvos se esse non posse*. Sed legitote Augustinum Epist. 82. cap. 2. num. 8.

24. Oppositio 4. & Solutio. Quarto oppones: Simulasse Paulum aperte ipse testatur scribens in priori ad Corinth. cap. IX. 20. *Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer*. Resp. cum eodem Augustino Ep. 40. n. 4. & Epist. 82. num. 28. Apostolum Judæis tanquam Judæum factum esse, *non mentientis astu, sed compatientis affectu, sive, compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ; quomodo qui ægrotis ministrat fit tanquam ægrotus, non*

non cum febres se habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret. Atque id executus est Paulus familiariter cum Judæis conversando, & servando legalia, quando id non fuit Gentibus occasio offensionis. Alioquî si factus esset tanquam Judæus observando cum simulatione cæremonias mortiferas, factus quoque esset tanquam Gentilis cum simulatione idolis sacrificando; ut supra in hujus positionis demonstratione prima ratiocinabamur.

25. Oppositio 5. cum solutione.

Rursus objicies 5. Eodem cap. 2. ad Galat. v. 13. habetur: *Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem* Resp. observationem legalium factam à Petro dici *simulationem*, non quod fieret ficte, & non ex animo; sed dicitur simulatio, quoniam Gentiles falso illâ deducebantur, ut crederent Judæos segregari à Gentibus, quoniam hæ nolebant exercere ritus legales, tanquam ad salutem necessarios. Nam seq. versu legitur, quod Petrus Gentes ad judaizandum cogebat, & cum primum ederet cum Gentibus, advenientibus Judæis, se ab ipsis Gentibus subtrahebat & segregabat. Quare pro simulatione legit Syrus, אתרמי, *segregationem:* & sunt qui pro, συυυπεκρίθησαν αὐτῷ, *simulationi ejus consenserunt*, legendum putant, συυυπεκλίθησαν, *una se subduxerunt, aut segregarunt*, & pro τῇ ὑποκρίσει, *simulationi*, τῇ ὑποκλίσει, *segregationi.* Sed his admissis pro responsionis nostræ explicatione, lectionem Vulgatæ esse præferendam etiam vetusti Græcorum Codices commonstrant.

26. Oppositio 6. & solutio.

Opp. 6. Patres Græci Apostolorum simulationem diserte probant, Origenes, Didymus, Laodicenus, Alexander, Eusebius Emissenus, Theodorus Heracleotes, & Joannes Chrysostomus. Hos in sua Epistola laudat Hieronymus. Adde Doctorem Latinorum præstantissimum, ipsum nempe Hieronymum. Resp. Augustinus Laodicenum ipsius Hieronymi confessione egressum fuisse ab Ecclesia, Alexandrum appellari veterem hæreticum, Origenem vero ac Didymum in pluribus, gravissimisque quæstionibus ab eodem Hieronymo fuisse reprehensos. Tres igitur restant Eusebius, Theodorus, & Chrysostomus; quibus S. Pater opponit Cyprianum, & Ambrosium. Adde Tertullianum, ipsum Augustinum, Gregorium Magnum, aliosque Latinos. A Græcorum vero illorum auctoritate his verbis S. Pater se munit Epist. 82. num. 25. *Dent veniam quilibet aliud opinantes. Ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis literis juranti, quam cuiquam doctissimo de alienis literis disputanti.* Scio Erasmum in Epistolam ad Galatas scribere se in his majorem fidem habere Origeni, quam decem Patribus Orthodoxis. Sed fidem Origeni non habendam esse, præter ea quæ dicta sunt, ostenditur ex ipso Hieronymo. Qui in Epistola 75. ad Augustinum ait, *Hanc autem interpretationem primus Origenes, & cæteri deinceps interpretes sunt sequuti, ut Porphyrio respondeant blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem.* Ergo ante Origenem nemo credidit Apostolum simulasse, neque Origeniana interpretatio antiquâ traditione fulcitur. Ad retundendam vero audaciam Porphyrii parum illam interpretationem valere demonstratum est supra. Igitur interpretatio Origenis sacræ Apostolorum historiæ, ejusque literali intelligentiæ præferri non debet. Adde Græcos in verbo κατεγνωσμένος non advertisse hebraicam phrasim, qua usus est Paulus, & probasse aliquando simulationem, & officiosum mendacium certissime reprobandum. Quantum ad Hieronymum; Origenis sententiam fuisse secutum, neque eam definito animo defendisse, ipsius testimonio supra monstravimus. Probabile est etiam priorem deposuisse sententiam: nam lib. 3. Apologiæ adversus Rufinum, & Dialog. 1. contra Pelagianos cap. 8. demonstrat exemplo Petri, qui non recto pede incessit in Evangelii veritate, sanctos non omni caruisse peccato, & etiam Apostolos salva amicitia inter se dissensisse. Idcirco Augustinus Ep. 260. ad Oceanum, nunc 180. inquit: *Cum de hac quæstione inter nos ego, & prædictus venerabilis frater Hieronymus satis literis egerimus: in hoc opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversus Pelagium modo edidit, eandem de ista re gesta, dictisque Apostolicis sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.*

27. Objectio ultima.

Ultimo objicies. Simulationem aliquando ad proximorum lucrum esse licitam, Christi Domini exempla, sacrarum historiarum monumenta, laudibusque celebrata Sanctorum facta demonstrant. Christi quidem; nam *factus in similitudinem carnis peccati* simulavit se peccatorem, & discipulis euntibus in Emmaus Lucæ 24. 28. *finxit se longius ire:* Magdalenæ quoque sub hortulani specie apparuit Joan. xx. 15. Divina autem historia narrat Josue cap. VIII. 5.

simulando ad decipiendos hostes terga vertisse: refert 4. Regum cap. v. 18. Naaman Syrum orasse Elisæum, ut si in Templo Remmon cum Domino suo adorasset idolum, quoniam id simulatione facturus erat, ei non imputaretur ad culpam: cui Propheta quasi illam simulationem probando respondit, *Vade in pace.* Et cap. ejusdem libri x. 18. Jehu insidiose ut perderet cultores Baal ait: *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius.* In Ecclesiastica demum historia habetur Catholicos se olim simulasse Priscillianistas, ut liberum haberent ad istos accessum; & sanctum Eusebium Vercellensem Episcopum finxisse se Arianum, ut Dionysium Mediolanensem Antistitem ab hæresi revocaret.

28. Respondent qui simulationem aliquando licitam esse propugnant, ad rem non facere exempla allata simulationis Christi Domini, & Josue, cum hoc simulationis genere nullus superstitiosus ritus fuerit approbatus, uti contigisset simulatione Apostolorum; quæ propterea non caruisset omnino reatu, quomodo non caruit simulatio Jehu, Naamani, & etiam S. Episcopi Vercellensis. At nos dicimus nullam, nec religionis causa simulationem esse licitam; quippe simulatio mala est, ut inquiunt, *ex objecto*, cum veritati directe opponatur, & aliud, quam habeatur mente, significet verbo, vel facto. Quod autem est per se malum, nullâ conditione aut circumstantia rerum excusatur; quoniam nulla rerum conditio potest efficere, ut simulatio cum veritate non pugnet, ideoque nequit ab ipsa simulatione auferri malitia. Unde nec dispensatione Dei permitti potest ipsamet simulatio, quoniam nunquam licitum esse potest, quidquid in qualibet circumstantia adversatur summæ veritatis, & æquitatis rationi. Ad singula ergo nostrum est respondere.

Responsio 1.

29. Atque ad 1. dicimus Verbum Divinum factum in similitudinem carnis peccati, non simulando se peccatorem, sed exercendo humilitatem, cum peccatoribus conversando compatientis affectu, & pro illorum salute crucem subeundo, semper tamen specimen virtutum exhibendo, propriam innocentiam prædicatione signisque confirmando, hypocrisim & reliqua vitia reprehendendo. Quod sane non est simulare se peccatorem, sed peccatores recipere, redarguere, & salvare. Dum finxit se longius ire, nulla usus est simulatione opposita veritati. Primo enim juxta Augustinum, plura quæ primo aspectu videntur mendacia, talia non sunt si animadvertatur ea referri ad prædicendam, & significandam aliquam veritatem: tunc enim veritatem non violant, sed explicant & præsignant. Atque hoc pacto, si id, cujus causa factum est, advertatur, neque mentitus est Abraham dicens pueris suis, se quamprimum reversurum cum Isaac, nec Jacob dum hœdinis pellibus contectus ait patri esse primogenitum ejus, dum Christi incarnationem, & Redemptionis mysterium uterque prædiceret. Ita in Christo, dum finxit se longius ire, non fuit simulatio mendacii, quoniam significabat se quamprimum ab Apostolis discessurum, & longe etiam à mente infidelium abesse. Præterea, ut Tirinus & Menochius observarunt, non fuit ea simulatio, quia nisi illum discipuli detinuissent, revera longius profectus esset. Deinde Estius ait Christum ad excitandum in corde Discipulorum amorem gestum & motum corporis composuisse, ut solent ii, qui longius ire contendunt, atque ut matres componunt habitum corporis tanquam à puerulis digressuræ. Observarunt alii haberi in Græco προσεποιείτο: est autem προσεποιείσθαι idem ac *præseferre*, etiam ubi nulla est species simulationis. Quod ad apparitionem factam Magdalenæ pertinet, habere potest eandem, quam supra, solutionem. De qua plura Augustinus contra Mendacium cap. 13. Habet enim talis apparitio veracem significationem fidei, quam ad instar grani sinapis in nobis Christus spargit; ut inquiunt Gregorius hom. 25. in Evang. & Tract. 121. in Joann. S. Pater. At non habetur Jo. xx. 15. Christum apparuisse hortulani specie, quasi ligonem aut sarculum gerentem manu; sed Magdalenam adhuc turbantem in fide, existimasse juvenem stantem non esse Dominum, sed illius horti cultorem. Id vero non simulationem in Christo, sed dubitationem arguit mulieris; quæ nondum conversa corde, ut Augustinus ibidem scribit, *quod non erat, putavit.*

Responsio 2.

Ad exempla ex veteri Testamento 30.
deprompta, potest 1. universaliter re- Responsio 3.
sponderi cum S. Patre contra Mend. cap. 16. nos cum quærimus, sitne boni hominis aliquando mentiri, non de hominibus quærere adhuc ad Ægyptum, vel ad Hiericho, vel ad Babyloniam, vel ad ipsam Jerusalem adhuc terrenam pertinentibus; sed de civibus illius civitatis, cujus princeps est ipsa Veritas, & ad quam appropinquabant veteres justi, sed ab ea aberant aliquantulum. Josue tamen, ut etiam demus singulis responsum,

potest

potest ab omni fallaci simulatione purgari; nam bellum gerentibus licitum est terga vertere, obsidionem relinquere, & hostibus belli seriem occultare; non quidem fallendi animo, sed ut in meliori statione constituantur. Jehu, quamquam delendo domum Achab laudem aliquam promeruerit, peccavit tamen *mendacio impio & sacrificio sacrilego*, ut Augustinus docet eodem libro, cap. 2. & S. Thomas 2. 2. q. 111. art. 2. Naaman vero, non exoravit Elisæum, ut posset Saturno, seu, qualecunque illud fuerit, idolo Remmon cum simulatione cultum religiosum exhibere: sed hoc petiit tantum, ut si Domino idololatræ serviens, isto adorante, Naaman quoque caput inclinaret, quoniam id facturus erat obsequio quodam politico debito principi, non cultu religionis idololatrico; id famulo non imputaretur in culpam, aut si culpa esset aliqua, precibus Elisæi sibi remitteretur. Verebatur quippe Naamanus, ne Syri putarent flexionem illam corporis Saturni simulacro à se fieri. At quia ex alia parte exteriori signo Naaman demonstrabat, se Remmoni nullum cultum præstare, & nunquam sine Principe idolium ingrediendo, & summo Deo offerendo holocausta super terram, quam in publicum suæ religionis testimonium oneratis duobus burdonibus asportabat de terra Israel; Ideo respondit Elisæus, *Vade in pace*, commendans fidem hominis, qui nec simulate vellet idolo genua flectere, & etiam terram, ut immolaret victimas Deo Israel, veheret in Syriam. Hoc asportatæ terræ manifestissimum signum assertionem nostram confirmat, & retorquet argumentum in Adversarios; evincit enim nec Naamanum paulo ante idololatram probasse simulationem, quam perperam ipsi commendant.

31. S. Eusebius non fuit simulator.

Dicam nonnulla de S. Eusebio Vercellensi, nam simulationem Priscillianistarum, eorumque, qui cum iis fovebant consuetudinem, cum Augustino citato lib. cap. 2. & 3. rejicimus & damnamus. Una est eruditorum Theologorum sententia, factum Eusebii, si intentionem spectes, laudandum, si vero Arianismi simulationem, esse redarguendum. Si dicas in Ambrosiano sermone de laudibus Eusebii LVI. factum istud impense laudari; primo eandem adhibent responsionem: deinde inquiunt Sermonem illum non esse Ambrosii, ut Dupinius, Benedictini Patres, & alii agnoverunt, & tota sermonis series abunde probat. Quibus addo illius Orationis auctorem comprobare simulationem exemplo Pauli; cum Ambrosius simulationem omnem reprobet lib. 2. de Offic. cap. 22. uti & Pseudambrosianus Commentator in Epistolas Pauli in 1. ad Corinth. cap. IX. 20. & ad Galat. 11. 11. Sed aliam ego dabo responsionem forte æquiorem, sanctitate Eusebii magis dignam, nec repugnantem Scriptori sermonis nuper laudati, quem constat perantiquum esse & habitum coram Eusebii discipulo Exuperantio. Dictum supra ad oppos. v. segregationem Apostolorum dici simulationem, quoniam fortassis videbatur tali segregatione à gentibus approbari legitima Moysis tanquam necessaria; cum revera Apostoli judaizando rem licitam animo serio peragerent. Ita quod pro lucrifaciendo Dionysium gessit Eusebius, potuit fortasse imperitis videri simulatio, sed non est revera, servavitque ille facto, verbisque veritatem. Extat facti narratio in vetustissimo Codice Vercellensi edito ab Ughello Tom. 4. Italiæ Sacræ, longe ante millesimum annum conscripto. In eo narratur, Eusebium accersitum ab Imperatore Constantio, & honorifice susceptum, atque invitatum ad subscriptionem fidei Arianæ & damnationis Athanasii, quam Dionysius firmaverat, respondisse: *Non est discipulus supra Magistrum, neque filius supra patrem. Non post filium subscribam, quem præcessi nomine: istud incendite.* Auctor etiam præfati sermonis simulationem, qua Eusebius consentire visus est perfidiæ Arianorum, hanc esse declarat, quod dixerit: *Vos, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium meum prætulistis?* Itaque etsi Ariani putarunt velle Eusebium fidem illorum probare, quam ob rem dicitur sensu aliquo simulasse tacendo quod opportunum non erat proferre; tamen reapse non simulavit, quoniam neque Constantium adiit nisi accersitus, neque affirmavit Filium esse Patri inæqualem; & ne subscriberet veram rationem attulit, quoniam erat ille revera Dionysii Magister & Pater. Atque hæc pro Sancto Antistite Vercellensi, & pro quæstionis hujus coronide dicta sunto.

Animadversio in vers. 29. Cap. xv. Act. Ap.

32. Observationes in C. 15. v. 29. actum Apostolorum.

Oritur ex dictis quæstio, cur in Act. Apost. cap. xv. 29. impositum fuerit, tanquam observatu necessarium, Gentibus, quæ ad legalia cogi non poterant, *ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & for-*

nicatione. Et de immolatis quidem, & de scortatione ratio videtur aperta, quod illa sint idololatriæ quædam contestatio, venus autem omnis flagitiosa. At non edere animalium sanguinem lex est septimi capitis Levit. v. 26.: ad quam si credentes in Christum obstringi non poterant; eccur, quæso, Apostoli idem necessario observandum esse definierunt?

33. Quid de sanguine dicendum.

Itaque sunt, qui *sanguinis* nomine prohiberi contendunt homicidium, & per *suffocationem* violentam oppressionem miserorum: unde Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. ait, *Alii intelligunt à sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet.* Censent alii vetitum ne ederetur de carne cujus sanguis non esset effusus; & de animali suffocatione interempti. Hoc vero docent duplici de causa fuisse impositum: primo, ut per hanc abstinentiam ab omni humana cæde magis fierent alieni, uti hoc idem præscriptum fuerat Noe & posteris, Genes. cap. IX. 4. deinde ne Judæi refugerent cum Gentilibus Christianis societatem. Atque hanc postremam causam libenter probo; quoniam & S. Pater loco nuper commemorato laudat prudentiam Apostolorum, qui *elegisse videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes aliquid communiter observarent.*

34. Ultimata ratio de sanguine.

Sed quamquam hæc ratio verissima est; non videtur princeps, aut saltem unica: & S. Pater ibidem hoc tanquam vero simile tantum affert docens quod *hoc discutere longum esset.* Arbitror itaque id optime fuisse sancitum, non ut in gratiam Judæorum ceremoniæ veteres servarentur; sed ut à Gentilibus superstitiones, & vitia cultum idolorum comitantia penitus removerentur, cujus rei gratia fuerant ipsæ ceremoniæ institutæ. Ac propterea præceptum illud abstinendi à sanguine, & suffocato diù in Ecclesia servatum est, ut constat ex Conciliis Trullano, & Gangrensi; & etiam nunc servatur à Græcis nulla habita ratione, ut reor, rituum Mosaicorum.

35. A quatuor abstinere præceperunt Apostoli.

Revera quatuor sunt, à quibus abstinendum esse Apostoli præceperunt. Veniunt priori loco carnes immolatitiæ; quas ob idololatriam vetari, res per se loquitur. Videatur Epistola Pauli prima ad Corinth. cap. X. 7. & 21. Esum sanguinis præsertim victimarum, quæ mactabantur idolis, fuisse Ethnicis superstitiosi cultus argumentum, demonstrant apud Jo. Spencerum in hac dissert. p. 717. Origenes, Tertullianus, Minutius, & quæ scripsimus sup. cap. IX. Synodus quoque Trullana can. 67. prohiberi docet *sanguinem animalium mactatorum.* Suffocatum nihil est aliud, quam animal dæmoni immolatum suffocatione, in qua animantium animam sacrilegi offerri putabant: quod recte observarunt ex Scholasticis Alexander Alensis 3. p. q. 55. & Guilelmus Parisiensis de Legibus cap. 8. Fornicationem vero maxime viguisse inter gentes, quæ ignorant Deum, & ab his scortationis causâ lucos prope delubra plantatos, & strata ibidem cubilia, tradit etiam Esaias cap. 57. Cum igitur in ipsis Ecclesiæ incunabulis studeret Diabolus his quatuor fideles ad idololatriam trahere, ut liquet ex cap. 2. Apocal. v. 14. & 20. consulto Apostoli præceperunt abstinendum omnino esse ab idolotythis, à sanguine, à suffocato, à fornicatione. Etsi ergo facile in hoc poterant convenire Gentes cum Judæis; attamen præcepto illo non fuit præscripta observantia legalium, *ut legalium,* quomodo scripserunt è Schola complures, sed prohibita quatuor illa idololatriæ adminicula nuper exposita. Quare si Tyrannus idolorum cultor carnes immolatitias Christiano proponeret, sive, ut fecisse dicitur Julianus Apostata, cibos sanguine victimarum pollutos; servanda adhuc esset lex Apostolica exemplo Sanctorum Martyrum LXXX. de quibus Martyrologium Romanum die 2. Martii. Econtra ubi sanguis, & suffocatum nullam idololatrici cultus ingerunt suspicionem, neque obstat jejunii, & abstinentiæ præceptum, iis vesci nullo decreto Apostolico prohibemur.

36. Quo tempore legalia fuerint mortifera.

De altera quæstione, quam solent hoc loco tractare, quo præcise tempore legalia cœperint esse mortifera, nescio quid sit definite pronunciandum. Probabilius arbitror id contigisse postquam promulgato Evangelio necessaria non erat diuturnior cum Judæis dispensatio; imo poterat ex ea pertinacius tumescere Nazaræorum & Ebionitarum hæresis, Christianam religionem cum Judaica complectens. Igitur cessarunt Legalia, & quasi sepulta sunt una cum ruderibus Civitatis Jerusalem, quam duce Tito occuparunt Romani, & ferro, & igne vastarunt anno Ae. V. LXX. Titi Flavii Vespasiani II. post Christi mortem anno XLI. supposito quod mortuus sit anno Ae. V. XXIX. Coss. duobus Geminis.

CA-

CAPUT XI.

A Petro Principe Apostolorum Cepham, cui restitit Paulus, non esse diversum.

SUMMARIUM.

1. An Cephas sit alius, quàm Petrus.
2. 3. & 4. Probatur propositio.
5. 6. 7. 8. & 9. Solvuntur Objectiones.

An Cephas sit alius quàm Petrus

NON errasse Petrum in fide se à Gentibus subtrahendo, animique inspecta intentione à culpa saltem gravi excusandum, paulo supra adversus Porphyrium, Novatorumque phalanges perscripsimus. At fuerunt nihilominus quidam veteres, qui ut facilius Petrum defenderent, affirmarunt Cepham à Paulo reprehensum esse alium à Principe Apostolorum. Quorum opinionem jam extinctam, & rursus excitatam ab Harduino & Boileau scribit Eruditissimus Calmet Dissert. 1. in Epist. ad Galatas, & in Dictionario Biblico V. Cephas. Verum ante Harduinum illam propugnarunt Hector Pintus in Danielem, & Bartholomæus Cornera de Jejunio cap. 6. imo Harduini argumenta à Patrum maxime testimoniis deprompta collegit, brevique solvit Suaresius de lege veteri libro IX. Talem vero opinationem à Hieronymo, aliisque Patribus, à Scholasticis etiam & sacrorum librorum Expositoribus refutatam proxima positione expendam.

1. Propositio.

PROPOSITIO. Cephas, cui Paulus in faciem restitit, non fuit alius à Petro.

2. Probatur 1.

Et Petrum quidem cognominatum fuisse Cepham extra controversiam positum est. Ei quippe ait Christus Jo. 1. 42. *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Huic ergo Cephæ, non alteri, quem nonnulli dicunt fuisse unum ex discipulis Domini, & quidam Martialem Lemovicensem Episcopum, Paulum restitisse, haud obscure colligitur ex cap. 2. Epistolæ Paulinæ ad Galatas. Ibidem enim v. 8. legitur: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes:* ibique Apostolorum principem designari, & expressum nomen demonstrat, & character Apostolatus. At proximo v. 9. legitur: *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Atque huic Cephæ restitit Paulus, ut liquet ex versu XI. sequenti. Frustra autem Cepham versu nono commemoratum jactant diversum à Petro. Primo enim constat ex versu immediate præcedenti Apostolum sermonem instituisse de Petro: deinde tres illos Petrum, Jacobum, & Joannem sui & Barnabæ comparatione Ecclesiæ columnas appellat: præterea repetit fuisse Apostolos circumcisionis, uti ipse ac Barnabas Gentium. At circumcisionis Apostolum, ut vidimus nuper, non alium quam Petrum intelligit. Conferas Actus Apostolicos, & percipies ex cap. XV. 7. & 13. Petrum & Jacobum simul constitisse Jerosolymis operam dantes conversioni Judæorum; Paulum vero ac Barnabam missos ad Gentes constat ex cap. XIII. 2. & 7. Quod inquiunt hunc Cepham non esse Petrum, quoniam post Jacobum commemoratur, optime solvitur à Calmet exemplis aliis Scripturarum, ubi in personis laudandis non servatur dignitatis ordo, ut ad Rom. 16. 3. ad Corinth. 1. cap. 16. 19. in ipsa Epistola ad Galat. v. 1. & in 1. Joan. 11. 24. Et videtur mihi posse futilem illam responsionem contra Harduinum retorqueri. Si enim de Cepha non Apostolo loquitur Paulus; cur illum præfert Joanni? Si etiam Joannes est ignotus discipulus, non Evangelista ille, & Apostolus: cur Paulus jam segregatus à Spiritu Sancto, & Apostolus Gentium destinatus, de tribus illis tanquam dignioribus ait, quod videbantur esse columnæ, & tanquam honorem maximum sibi collatum narrat, quod sibi ac Barnabæ dederint dexteras? Addo, etsi Vulgatam præ cæteris recipio, proboque, extare antiquissima Mss. citata à Grotio, in quibus Cephas præcedit, non interponitur Jacobum inter ac Joannem, eoque ordine hunc locum citari à Veteribus.

3. Probatur 2.

Probatur præterea ex v. 11. & 14. In primo namque Vulgata legit, *Cum autem venisset Cephas Antiochiam;* in altero, *Dixi Cephæ coram omnibus:* & similiter habet Syriaca, nam Petrus latine, Syriace Cephas dicitur. Pervetusti autem Græci Codices habent v. 11. Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, & v. 14. εἶπον τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων; & similiter utroque loco Arabica. Cephas er-

ergo hac in Epistola non est alius à Petro. At inquiunt, nostra Vulgata, quæ sola authentica est, *Cepham* habet, non *Petrum*. Id quidem inepte dicunt. Nam & supra v. 8. *Petrum* habet. Summam vero auctoritatem Vulgatæ postulare ne propriorum saltem nominum significationem ex aliis Versionibus mutuemur, soli negant indocti, & ad literas excolendas pigerrimi. Nullus præterea Cephas nomine fuit diversus à Petro; aut si fuit, ejus non meminit Epistola Pauli ad Galatas.

4. Probatur 3. Et nullum quidem alium fuisse Cepham, est expressa sententia Hieronymi in hanc Epistolam Comment. *Primum respondendum, alterius nescio cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa modo Petrus, modo Cephas scribitur: non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas: sed quod quam nos latine & Græce petram vocamus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter se viciniam Cephan nuncupent.* Dices, opinor, Cepham quoque appellatum Martialem Episcopum Lemovicensium, ut constat ex titulo illius Epistolæ ad Tolosanos Tom. 3. Bibl. SS. PP. His respondemus illam Epistolam esse suppositam, quoniam illius Auctor scribit se baptizasse Stephanum regem, profertque loca Scripturæ ex Versione Hieronymi. Dicimus præterea Martialem profectum in Gallias anno duntaxat 254. ut habet Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 10. Deinde admisso quod in Gallias venerit Apostolorum ætate, Martialis non appellatur solo nomine Cephæ, sed *Martialis Cephas*. Ad hæc: dicitur ab iis, qui falso illum referunt ad sæculum Apostolicum, missus in Gallias anno post Christi passionem XIV. Paulus autem restitit Cephæ anno post Christi mortem XIX. Etenim Christo nomen dedit biennio saltem post ascensionem Domini anno Ae. V. XXXI. Post tres annos à conversione sua venisse Jerosolymam, ipse affirmat eadem Epist. ad Gal. cap. 1. 18. Ascendit iterum Jerosolymam post annos XIV. quo tempore Petrum redarguit, ut habetur cap. 11. 1. Demum scribit Hieronymus citato loco sensum eorum, qui Cephan à Paulo secernunt, repugnare argumento Epistolæ, *quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur.* Itaque, quod demonstrandum erat, aut Cephas non fuit alius à Petro; aut si fuit eo nomine aliquis, de illo in Epistola ad Galatas nulla fit mentio.

Opp. 1. Cepham à Petro diversum esse affirmat S. Clemens Alex. lib. v. Hypotipóseon, Eusebius lib. 1. cap. 12. Dorotheus Tyrius in Synopsi, Chronicon Alex. & in Epist. ad Galatas Oecumenius. 5. Objectio 1. cum solutione. Primo respondetur adversus hos perpaucos stare Patres omnes tum Græcos, tum Latinos; inter quos laudandi sunt præsertim Tertull. de Præscript. cap. 23. Cyprianus Epist. 71. Hieronymus supra laudatus, Augustinus Epist. 28 40. 82. de Agone Christ. cap. 30. Ambrosiaster in Epist. ad Galat. S. Gregorius Magnus hom. 18. in Ezech. S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. Neque hi opinative locuti sunt, sed assertive: & quidam, ut Hieronymus, quæstionem accurate pertractarunt: quidam, ut Gregorius, scribunt quod Adversarii, *Si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.* Deinde respondeo librum Hypot. dubiæ esse auctoritatis, & fœde erroribus conspurcatum. In eo quippe, auctore Photio Cod 109. asseritur materia Deo coæterna, Animarum transmigratio, Angelorum cum fœminis concubitus, Evæ ex Adamo obscœna productio, & alia id genus sexcenta, quæ hæreticorum insaniam habent, non Clementis salivam. Ait Calmet etiam Boileau dubitare, num fuerit genuinum opus Clementis. Animadverti dubium hærere etiam Photium, qui codice citato à Calmet non solum libri errata connumerat, sed inquit ulterius, *Sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus &c.* εἴτε αὐτὸς εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθεὶς: arbitror scriptum à Clemente; nam sub ejus nomine laudatur ab Eusebio, sed laciniis fœdissimis, fabulisque fraude aliena consutum. Ipse autem Eusebius sententiam narrat, nec rejicit, nec probat. Ab Oecumenio etiam dicitur *probabilis sermo*, πιθανὸς ὁ λόγος. Cæteros mitto.

Opp. 2. Cepham fuisse diversum à Petro colligitur ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. 12. ubi Apostolus ait: *Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo, ego vero Cephæ: ego autem Christi.* Ex quo loco appareret Cepham judaizando in Ecclesia quoque Corinthiaca fecisse scissuram. Item ex cap. 15. ejusdem Epistolæ, ubi de Christo ait: *Visus est Cephæ, & post hoc undecim.* At ex Luca XXIV. 34. liquet primum apparuisse undecim, deinde Simoni. Cephas ergo est à Simone diversus. Resp. 1. Dato etiam fuisse aliquem discipulum Cepham nomine, non de isto, sed de Apostolo circumcisionis, de columna Ecclesiæ, de eo qui simul cum Jacobo Judæorum saluti navavit ope- 6. Objectio 2. & solutio.

operam, suaque auctoritate dedit dexteram, id est, mandavit prædicationem Gentium Paulo, & Barnabæ, in Epistola ad Galatas institui sermonem. Deinde respondetur & de Petro loqui Apostolum in 1. ad Corinth. cap. 1. 12. Quis enim credat sanctum aliquem discipulum à Paulo reprehensum post Concilium Jerosolymitanum Corinthi circa observationem legalium iterum excitasse dissidia? Planam hujus loci intelligentiam exhibet nobis S. Clemens in Epistola ad eosdem Corinthios, ubi de Paulina scribit: *Profecto in spiritu ad vos literas dedit de seipso, & Cepha, & Apollo, quia etiam tum diversa instudia sciss: sed varia illa animorum inclinatio minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in Apostolos testatæ sanctitatis, & in virum ab illis probatum.* Vide Tom. 1. PP. Apost. pag. 174. & notas in hunc locum Cotelerii. Apparuisse autem Christum Simoni primum, deinde XI. scribit, si attente legeris, etiam Lucas eodem cap. v. 36.

7. Objectio 3. & Solutio. Opp. 3. In sententia, quæ Petrum non distinguit à Cepha, arguitur princeps Apostolorum erroris in fide, & Paulus, qui illum redarguit summæ procacitatis, & audaciæ. Respondetur est supra cum Cypriano & Augustino, Petrum non errasse in fide, quoniam legalia nondum erant mortifera; atque in reprehensione Apostoli præclarum nos exemplum habere & sanctæ humilitatis in Petro, & justæ libertatis in Paulo.

8. Objectio ultima & Solutio. Oppones ultimo. Subortis circa observantiam legalium dissidiis Antiochiæ, Paulus profectus est Jerosolymam, ubi in Synodo Apostolorum, cui præfuit Petrus, statutum est, ne ultra jugum Mosaicorum rituum imponeretur credentibus, ut constat ex cap. xv. Act. Ap. Paulus autem restitit Cephæ Antiochiæ, ut habetur in Epistola ad Galat. cap. 11. Si ergo Petrus erat Jerosolymis; quomodo restitit illi Paulus Antiochiæ? Vulgaris est responsio, quam tradit laudatus Calmet, Paulum absoluto Concilio statim reversum antiochiam; quo postea se contulit Petrus dissidiis jam compositis, & ab Ecclesia Corinthiorum receptis definitionibus Apostolicis; postquam vero Petrus advenerat Antiochiam, contigisse quæ narrantur in Epistola ad Galatas. Sed Augustinus in Epist. 82. ad Hieronymum probabilius censet hæc gesta ante Jerosolymitanum Conventum; nam post verba S. Patris producta superiori cap. Prop. 3. habetur: *Si autem hoc, quod magis arbitror, ante illud Jerosolymitanum Concilium Petrus fecit &c.* Ideo respondeo non esse eandem profectionem Pauli ex Antiochia in Jerosolymam, quæ narratur cap. xv. Act. Apost. & quæ describitur Cap. 2. Epistolæ ad Galat. Etquamquam certam figere Epocham non ausim, dico Concilium Jerosolymitanum saltem biennio esse posterius, si recte à recentioribus collocatur ad annum Ae. V. L. vel LI. Nam ego censeo Christum passum anno Vulg. Ae. XXIX. quibus si addamus XIX. quos vidimus fluxisse usque ad Reprehensionem factam Petro, nonnisi ad annum Ae. V. XLVIII. pervenietur.

9. Oppositio Calmetis & Responsio. Ait Calmet hanc distinctionem temporum nimis fluxam esse, & incertam, nec tam levi conjectura satisfaciendum contrario argumento. Verum cum ipse fateatur non convenire Scriptores circa annum Jerosolymitani Conventus, & sive ante, sive post Pauli & Cephæ dissidium evenerit, adhuc esse discrimen, dummodo demonstretur in Epistola ad Galatas non enarrari quod extat in cap. Act. Apost. quintodecimo, omnis contradictio evanescit, simulque evincitur priorem responsionem niti longe levioribus conjecturis. In Epistola ergo ad Galatas res diversas narrari colligitur, quia cap. 11. 2. ait Apostolus, venisse Jerosolymam, *secundum revelationem*, id est, Divino monitu ductum: in cap. xv. Act. habetur, statutum fuisse, *ut ascenderent Paulus & Barnabas*, hoc est, Ecclesiæ Antiochenæ consilio, non speciali facta Paulo revelatione. Priori in loco asseritur causam, cur jerit Jerusalem, fuisse, ut conferret cum Apostolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset: in posteriori autem ob seditionem excitatam à Judæis, & ob solam quæstionem circumcisionis. Ibidem dicitur ascendisse cum Barnaba & Tito; quod factum affirmat Hieronymus, ut prædicationis suæ ex Circumciso, & Gentili haberet testimonium. Istic vero nec Titus ab Ecclesia destinatus legitur, nec ab Apostolo assumptus. Affirmatur etiam in Ep. ad Galat. decrevisse Petrum, Jacobum, & Joannem, ut Paulus & Barnabas converterentur ad Gentes, quod in Act. Apostolorum fuerat jam narratum cap. XIII. Quod autem post Jerosolymitanum Concilium statim Petrus se contulerit Antiochiam, ibique fuerit à Cepha reprehensus, in capite xv. non invenies. Igitur ex collatione Epistolæ ad Galatas cum Actibus Apostolicis, quoniam diversam profectionem, diversamque Pauli causam enarrant, frustra sententiam nostram damnant antilogiæ, qui Cepham distinguentes à Petro, Magno Gregorio auctore, *si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.*

CAPUT XII.

De Lege nova breviſſimè pertractatur.

SUMMARIUM.

1. An lex nova ſit perfectior veteri.
2. Etiam in lege nova ſunt aliqua præcepta ſervanda.
3. & 4. Probatur.
5. Solvuntur Objectiones.
6. Quænam præcepta Legis Evangelicæ.
7. Quomodo præcepta dicantur levia.
8. De Monogamia & Confeſſione Sacramentali.
9. De inhibitione repudii Uxoris.
10. Lex nova eſt perfectior veteri, & nunquàm interitura.

1. An lex novâ ſit perfectior veteri.

QUONIAM facile ex dictis infertur hoc inter legem veterem ac novam intereſſe diſcrimen, quod illa iſtius myſteria præſignabat, fructumque uberrimarum gratiarum pollicebatur; recte hanc utriusque diſcrepantiam explicarunt Theologi comparatione parvuli virique perfecti, aut arboris latentis in ſemine, ac inde germinantis, pomaque ſaluberrima proferentis. Hinc ſolvitur prima quæſtio, quam de nova Divina lege Theologi inſtituunt, num veteri ſit perfectior. Conſtat quippe perfectius eſſe quod fructum affert, quam quod illum promittit, & virum hæreditatem capeſſentem, quam parvulum ſub tutoribus, & actoribus conſtitutum. Eſt autem ſub Evangelica lege repromiſſa hæreditas, unctio primum Spiritus Sancti, libertas filiorum, qua clamamus, *Abba*, Pater, deinde quod adoptionem conſequitur, cæleſte regnum. Atque hanc hæreditatem conſecuti ſunt quidem & Sancti veteris teſtamenti: ſed diſpari ratione, nam adoptionem filiorum habuerunt in ſpe venturi Reparatoris; gloriam vero adepti ſunt jam redemptione perfecta, ne ſine nobis conſummarentur. At nunc adoptamur in filios gratia Sacramentis Evangelicis abunde collata; ſervatisque mandatis, ſempiterna retributio jure quodam hæreditario conſequitur. Eapropter lex Evangelica Moſaicam dignitate præcedit, & quoniam hæc illius gratiâ fuit inſtituta tanquam ſymbolum futurorum; & quoniam vetus ſempiternam retributionem nec expreſſe promittebat, nec vitâ functis largiebatur; cum lex nova utrumque præſtet Divina præcepta ſervantibus. Illud quoque accedit, quod Lex Moyſis Judæorum populo titulo quodam peculiari data eſt, Evangelium vero omni creaturæ Divina inſtitutione annuntiatum. Erat præterea antiqua lex cum ob ſacrificiorum multitudinem, tum ob judicialia præcepta jugum quoddam ſervitutis: cum Evangelica jugum ſuave, & onus leve dicatur & ob legalium rituum abrogationem, & ob charitatem Spiritus Sancti, unde merito nuncupatur lex amoris, & gratiæ. Atque hæc de utriusque legis diſcrimine, & novæ ſupra veterem excellentia.

2. Etiam in lege nova ſunt aliqua præcepta ſervanda.

Extra controverſiam poſitum eſt in lege etiam nova quædam præcepta fidelibus intimari, & eſſe opere, animoque ſervanda: quidquid dixerint Lutherus, Calvinus, & Pſeudoreformati alii, impie ſentientes ſolam divinorum promiſſorum fidem eſſe nobis unicam cauſam ſalutis. Sed hanc blaſphemiam, præter ea quæ de Juſtificationis cauſa diſputata ſunt, omnia epicherematon genera arguunt, atque diſpellunt. Principio novam legem ſuis conſtare præceptis ſacri, quibus comprehenditur, libri manifeſto demonſtrant. Nam Mat. cap. v. 19. legitur dixiſſe Chriſtum legislatorem: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum:* v. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c.* v. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros;* & alia bene multa ad reprimendam concupiſcentiam, ad vitanda perjuria, ad connubiorum ſervandam fidem ibidem conſtituta narrantur. Cap. etiam XIX. 17. legitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cujus generis habentur plurima Joan. XIV. 15. 21. XV. 10. 14. 17. Lucæ VI. 46. 47. 49. in Epiſtola Pauli ad Eph. cap. v. 8. 15. & ſequentibus. Quid vero clarius noviſſimâ ſententiâ Judicis in eos, qui etiamſi crediderint, opera miſericordiæ executi non fuerint? Eam vide apud Mat. cap. XXV. 42. Aperte itaque hæreticorum inſaniam ipſum legis volumen redarguit. Atjure, meritoque illam damnat ſacroſancta Tridentina Synodus can. 19. Seſſ. ſextæ: *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem; cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.*

Probatur 1. ex SS. Scriptura.

3. Probatur 2. ex Patribus.

Auguſtinus, cui alii Patres conſentiunt, lib. XVII. de Civit. Dei cap. 17. ſcribit Chriſtianam legem prænuntiatam à Davide Pſalm. CIX. 2. illis verbis, *Vir-*

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, atque hanc legem esse Evangelium: de qua & vaticinatus fuerat Esaias cap. 11. 3. dicens: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Lex enim Moysis in Sina, non in monte Sion lata est. *Virga* autem principis auctoritatem, & Legumlatoris mandatum haud obscure significat. Et libro proximo cap. 50. idem Augustinus Christianæ legi ita subdi Reges declarat, ut venerari teneantur sanguinem Martyrum, & persequi falsos Deos, quorum causa priusquam Christo nomen darent cultores veri Dei perdere studuerunt. Sed cæteris missis, libro tertio ad Bonifacium cap. 4. *Si Christus*, inquit, *nobis abstulit illud gravissimum multarum observationum jugum . . . . . nunquid propterea dicturi sumus non ad nos pertinere quod scriptum est, ut alienum quodcunque perditum quisquis invenerit reddat ei, qui perdidit, & alia multa similia, quibus pie recteque vivere discitur, maximeque ipsum decalogum, qui duobus illis lapideis tabulis continetur, excepta sabbati observatione carnali, quæ spiritualem sanctificationem, quietemque significat? Quis enim dicat, non debere observare Christianos, ut uni Deo religionis obsequio serviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiscatur aliena? Quis est tam impius, qui dicat ideo se ista legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus?* Veritas ergo Catholica etiam Sanctorum Patrum, præsertim vero Augustini auctoritate corroboratur.

4. Confirmatur.

Externa præterea opera illius charitatis, quæ ad novam legem præcipue pertinet, sunt exercitium, atque experimentum. Nam si Deus à nobis diligitur, laudandus, & glorificandus est publica etiam, ubi opus sit, confessione, & sanguinis effusione. Amore autem proximi quisnam ardere putabitur, si ab eo contra Divina monita claudat viscera misericordiæ? Econtra opera sunt plura, quæ cum charitate Dei ac proximorum directe pugnant, à quibus proinde æquissimum est abstinere. Alioquin lex Evangelica legem naturæ disrumpet, nec imperfectione, omnique injustitia carebit. Ex quo sit ergo Evangelium lex gratiæ, lex amoris, non eximit ab observatione præceptorum, sed in eam urget magis; quoniam charitas, in qua legis sita est plenitudo, otiosa esse non potest, atque cæterarum omnium virtutum, ut Apost. docet in 1. ad Corinth. cap. 13. comes est individua.

5. Objectiones & Solutiones.

Quæ afferunt Heterodoxi in hæresis suæ patrocinium, sunt: Primo inquiunt, Lex Evangelica est lex libertatis, scribente Paulo ad Galat. v. 18. *Quoniam si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et ad Rom. VI. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Deinde hoc est discrimen inter legem veterem, ac novam, quod illa erat lex factorum, ista lex fidei; ut docet idem Apostolus cit. Epist. ad Rom. cap. III. 27. Insuper lex nova spiritualis est, ac per eam *Regnum Dei intra nos est*, quomodo legitur Luc. XVII. 21. in regno autem spirituali opera externa nec præcipiuntur, nec prohibentur. Postremo quid nomen Evangelii significat, nisi *bonum nuncium*, ac nostræ per Christi gratiam libertatis promulgationem? Quibus jam cap. 2. hujus libri responsum est, ubi demonstravimus, Evangelium appellari legem gratiæ ac libertatis, propterea quod lex se ipsâ jubet tantum, premit, minitatur, & peccata ostendit, non tollit: Christus vero etiam gratiam largitur, & adjuvat, ut non sit quisque nostrum impotens auditor legis, sed factor. Diximus etiam sub Evangelio liberum esse unumquemque à servitute legis prementis, & vindicantis, quoniam si charitate trahamur, & amore justitiæ, fit mandatum Domini latum nimis: unde ait David, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Spiritualis est autem lex Christianorum, quoniam spiritualia promittit, & qui eam studiose implent, spiritu Dei aguntur, nec mandata solo externo opere faciunt, sed etiam intentione animi, & rectitudine finis. Atque jure merito hæc lex humani generis redemptionem, institutaa peccatorum remedia, adoptionem filiorum, & Christi hæreditatem promittens, & conferens, Evangelium, id est bonum nuncium, appellatur. Sed vide citato cap. 3. atque magnum Augustinum lib. 3. ad Bonif. post verba superius laudata, de Sp. & lit. cap. 4. & 10. in Psalm. 59. de Nat. & Grat. cap. 57. & contra Adimantum cap. 17.

6. Quænam præcepta legis Evangelicæ.

Si quæras quænam præcepta contineat lex Evangelica: Respondeo continere eadem præcepta vitæ instituendæ, sive moralia, quæ etiam lex vetus præceperat; & quæ contra Pharisæorum licentias Christus ampliori explicatione, ut supra vidimus in expositione Decalogi, singulis proposuit servanda. Occasione autem Evangelicæ prædicationis,

per quam Trinitatis mysterium, Incarnatio Verbi, ejusque mors & resurrectio, aliaque ad nostram notitiam pervenerunt, addita sunt in Evangelica lege nonnulla Fidei præcepta. Loco plurimorum sacrificiorum unum institutum est longe vetustis victimis excellentius. Sacramenta, quorum participatione Christianus populus coadunatur, septem vera Ecclesia connumerat, non omnia tamen singulis necessaria. Præceptis accedunt consilia Evangelica: cujusmodi est facultates omnes pauperibus distribuere, ac perpetuam servare virginitatem: quorum primum habetur Matth. XIX. 21. alterum in prima ad Corinth. cap. VII. 25. Est autem differentia inter præceptum, & consilium, quod illud necessitatem imponit, istud in optione relinquitur eligentis. Etsi vero abjiciendo consilia præcise quisque non peccet; fieri tamen potest, ut qui illa spernit, vel cupiditatibus noxiis immodice indulgeat, vel æternæ salutis capessendæ occasionem pessumdet: ideoque interest plurimum, ut probetur singulorum spiritus, divinæque compleantur inspirationes: & cavendum contra, ne cuilibet spiritui adhibeamus fidem, ut non vento nequitiæ circumferamur.

7. Quomodo Præcepta dicantur levia.

At si petas, quomodo fieri potest, ut in tanta divinorum præceptorum copia, quorum aliqua gravia censentur, uti Sacramentalis Confessio, & polygamiæ, repudiique exosæ uxoris inhibitio, sit tamen leve jugum legis Christianæ: Respondemus leve quidem esse pluribus ex causis. Primum si legi veteri comparetur; cum abrogata modo sint tot sacrificia, & genera holocaustomatum, ablata legalis immunditita ciborum, carnalis circumcisio, & purificationum & cæremoniarum antiqua præscriptio: nec taurorum, hœdorumque sit repetenda mactatio, aut ascendendum undique Jerosolymam ad sacrificia, festorumque celebritatem; sed ubique locorum absque dispendio & gravamine offeratur Domino Oblatio munda. Deinde cum universa Christianorum lex ad charitatem, & dilectionem referatur, Deus autem abunde subministret spiritum bonum petentibus; cumque, ut est in Augustinianis proloquiis, omnia facilia reddat amor, ubi amor est non sit labor, aut si labor sit, ipse labor voluptate dulcescat; consequens est ut diligentibus Evangelica præcepta alæ potius volantis sint existimanda, quam premens sarcina ac pondus. Legas autem oportet Charitatis ac dilectionis Præconem maximum Augustinum, id serm. 22. de Verbis Apost. de Bono Viduitatis cap. 21. In Psalm. 59. & 128. De Nat. & Grat. cap. 69. aliisque in locis explanantem.

8. De Monogamia & Confessione sacramentali.

Quæ autem gravia nonnullis forte videntur, ut Sacramentalis Confessio, atque monogamia, certam personarum conditionem spectant, nec alios obligant Divino jure, nisi qui propria voluntate peccarunt, aut statuerunt ducere uxorem. Et transgressoribus præceptorum Sacramentalis Confessio gravis videri non debet: quin corrigendis, & aliqua animadversione dignis non poterat remedium præscribi salubrius. Nam confitendi necessitas peccantium cohibet inverecundiam, & Sacerdotalis absolutio animis scelerum suorum conscientia prostratis summam affert cum spe veniæ jucunditatem. Forma etiam judicii, sive Sacerdotis persona spectetur, sive secreta peccatorum accusatio, sive satisfactio exhibenda, non poterat institui facilior. Quare durissima potius lex foret, si impiis occulta iniquitate ruentibus & misero naufragio pereuntibus tabula hæc non adesset: neque lex gratiæ & charitatis censenda esset, quæ sineret fidelium conscientiam diuturna anxietate, & absolutionis incertitudine contabescere. Verum de his alibi, propitio Numine.

9. De inhibitione repudii uxoris.

Ne de uxoribus penitus taceamus, ipsa lex charitatis Christianorum consuetudinem magnopere commendat. Nam si nuptam dimittas, proli parentem aufers, consanguineos afficis injuriâ, propriam intemperantiam atque acerbitatem prodis, & carnis tuæ revelas turpitudinem. Contra uxori adhærens spernis pellices, vitas adulteria, colis amicos, & legitimo thoro susceptos filios paterno amore complecteris. Ex polygamia pariter vel inter uxores simultates, vel inter natos dissidia, ac proinde tui ipsius molestia oriatur, necesse est. Igitur etiam Christianorum connubiorum jura ad legem spectant amoris ac libertatis. Quod, ut Saræ & Agar, Rachaëlis & Liæ, filiorumque ipsarum facta præteream, arbitror etiam Gentiles naturali lumine percepisse. Etenim nullus Romanorum ante Antonium legitur habuisse duas simul uxores: imo Edicto Prætoris qui bina sponsalia eodem tempore constituta haberet, notabantur infamiâ. Atque hinc decreta Imperat. Valerian. & Galien. l. *Eum qui*, 18. ad l. Jul. de Adult. Dioclet. & Maximin. l. 2. C. de incest. nupt. ac postremo Justin. Novella 79. Matronas quoque Romanas polygamiæ incommoda vehementissime aspernatas demonstrat festivum lepidumque figmentum

tum

tum Papyrii; de quo lib. 1. Saturn. cap. 6. Macrobius, & A. Gellius lib. x. cap. 23. N. A. Idem fuit optimum consilium Græcorum; nam cum antiquitus plures uxores ducerent, Cecrops Athenis unicam uni viro statuit esse jungendam. Objectum idcirco Socrati à Callisthene, à Satyro Peripatetico, atque à Demetrio Phalareo, quod duas simul haberet uxores Xantippen, & Myrto, observavit in libro de Luxu Græcorum Musonius. Quomodo Clytæmnestra in Agamemnonen, & Cassandram manus violentas injecerit, quod hanc ille lecti sociam feciſſet, & Jasoni ob superinductam uxorem alteram Medea struxerit interitum, narrant Antiquitates Homericæ. At non vacat modo per Græciam, Latiumque vagari.

10. Lex nova est perfectior veteri, & nunquam interitura.

Ut ad Evangelicam legem revertatur oratio; constat illam esse veteri perfectiorem & faciliorem, atque nulla successione temporum interituram. Et quidem ipsius diuturnitatem, nam reliquas dotes satis videor prosecutus, quidam probant ex verbis Mat. xxiv. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo Orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc erit consummatio.* Non enim de solo excidio Jerosolymitano, sed etiam de fine sæculorum loquitur ibidem Evangelista. Sed hoc testimonio prætermisso, certum est permanente Sacerdotio nequaquam legem transferri: Sacerdotium autem Christi sempiternum esse, neque perfectius esse ab hominibus expectandum. Quod in Epistola Pauli ad Hebr. cap. vii. 12. 17. & 24. necnon aliis locis pluribus aperte traditur. Accedit manifesta ratio D. Thomæ q. 106. art. 4. quam ita brevi proponam. Lex vetus pro fine habuit adventum Christi, auctore Apostolo ad Rom. x. 4. *Finis enim Legis Christus;* ideoque post legem Moysi venit lex gratiæ. At ad legem gratiæ sola gloria regnumque sanctorum consequi potest, quoniam testamentum Christi nullum alium, quam sempiternæ hæreditatis, finem habet. Societatem itaque Christianorum sequitur supernorum civium hæreditas: & ideo lex antiqua Christum, lex Christi vitam æternam prænuntiat.

CAPUT XIII.

Pertractatur de lege humana, & primo inquiritur, quid necesse sit, ut valorem habeat, atque vim obligandi.

SUMMARIUM.

1. Quid requiratur, ut lex humana obliget.
2. 3. 4. 5. 6. & 7. Propositio 1ma probatur.
8. 9. 10. & 11. Propositio 2da probatur.
12. Usque 19. Solvuntur Objectiones.

1. Quid requiratur, ut lex humana obliget.

Jam ad Leges humanas, quarum nomine intelligimus Constitutiones Ecclesiasticas & Civiles, nostra convertitur disputatio, Cujus initium faciendum est ab iis, quæ ut lex humana sit valida præter conditiones cap. 2. numeratas dicuntur requiri, ac primo à promulgatione. Hanc necessariam esse satis constat: nam habetur cap. *In istis*, dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur;* nec potest legislator obedientiam exigere à subditis, nisi iis mandata ipsius innotescant. Conveniunt autem DD. minime necessarium esse, ut leges cuique in particulari intimentur; sed satis esse, si in aliquo loco publico fuerint promulgatæ, unde ad singulorum notitiam valeant pervenire. Et quantum ad Civiles attinet, Imperator Justinianus in Authentica, *Ut factæ novæ Constitutiones*, decernit valere tantum, ex quo in commune factæ sunt manifestæ: in provinciis autem ex quo discrete per Metropolitas palam factæ sunt, idque post duos menses. Ex quibus colligitur leges Imperiales non stringere, nisi in singulis provinciis fuerint promulgatæ, nec valere nisi duorum mensium dato tempore. Atque idem quantum saltem ad promulgationem pertinet tenendum esse de legibus Ecclesiasticis: ita ut non obligent nisi in provinciis, in quibus fuerint specialiter promulgatæ, sentiunt complures, inter quos Natalis Alex. lib. 4. de Decalogo Regula 25. Cabassutius lib. 1. Theoriæ Juris Canon. cap. 4. Juenin Dissert. vi. cap. 3. & Girken. de legibus Q. 4. dub. 4. Iis tamen opponitur longe major numerus Theologorum, atque ex nostris Leonardus Vanroy de lege positiva cap. 4. q. 3. Basilius Poncius de Matrim. lib. v. cap. 7. Antonius Guerrerus Tract. vi. §. 11. aliique communiter, asse-

asserentes, ubi in ipsa lege non exprimitur oppositum, sufficere si leges civiles in Civitate primaria, vel Curia Principis publicentur, Ecclesiasticæ autem Romæ, ubi viget Apostolicæ Sedis Primatus.

2. Propositio I. — PROPOSITIO I. A Legislatoris potestate atque arbitrio pendet an in provinciis, an in sola Metropoli lex debeat promulgari, quemadmodum an statim post promulgationem, an vero post certum tempus subditos stringat; ideoque si legislatore mandante lex in Metropoli absque ulla exceptione publicetur, statim obligat omnes subditos, ad quorum notitiam potest pervenire.

3. Probatur de loco. — De loco primum dicam, deinde de tempore. Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 1. scribit Zephyrini Papæ decretum de admittendis ad sacra altaris mysteria pœnitentiâ functis affixum fuisse Ecclesiæ valvis, promulgatumque in provinciarum Ecclesiis. Cyprianus Epist. 74. ad Pompejum affirmat à Stephano Papa literas de non iterando baptismate collato ab hæreticis ad quaslibet Orientis, & Africæ provincias fuisse directas. Testatur Marius Victorinus lib. 2. Nicænos Canones per totum orbem transmissos: idemque Epistola 61. scribit de Decretis Concilii Chalcedonensis Leo Magnus. Id factum & de Canonibus Sardicensibus narrat lib. 1. H. E. cap. 9. Theodoretus. Siricius Papa Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum jussit, decretalem suam de Continentia Diaconorum in Hispaniæ, Galliarumque provinciis publicari. Lateranensis IV. Synodus sancivit Canonem XXII. pœnam infligentem medicis, qui antequam corpori adhibeant medicamenta, ad consulendum animarum suarum saluti non inducunt ægrotos, esse à Diœcesano Episcopo promulgandum. Ipsum denique Tridentinum Concilium Sess. 24. de Reformatione Matrimonii decrevit legem matrimonia clandestina abrogantem, nisi prius in Parochiis promulgetur, neminem obstringere. His itaque, aliisque exemplis compluribus docemur, necessariam esse promulgationem legis humanæ in singulis Provinciis; quando id exprimit legislator, prout ipsi videtur magis expedire.

4. Confirmatur contra aliquos. — Frustra tamen hinc nituntur quidam inferre novas Constitutiones, sive Ecclesiasticæ sint, sive Civiles, nullatenus stringere nisi in Provinciis singulis promulgentur. Possunt enim afferri exempla in contrarium longe plura etiam rationibus confirmata. Innumeræ quippe habentur Pontificum Romanorum Constitutiones, quibus summus Ecclesiæ Pastor declarat ab omnibus inviolabiliter esse observandas, ac si essent singulis exhibitæ vel ostensæ, posteaquam affixæ fuerint tantummodo in Acie Campi Floræ, sive ad Valvas Principis Apostolorum. Exemplo sint Constitutiones Sixti V. de male promotis ad Ordines, Alexandri VII. emanatæ anno 1660. & Innoc. XI. anno 1680. citato loco productæ à P. Vanroy. Deinde plures sunt Ecclesiasticæ leges, quæ servantur etiam ubi publicatæ nequaquam fuerunt, præsertim ex Decretalibus Pontificum, Clementinis, & Extravagantibus. Idem affirmandum est de Bulla Cœnæ Domini. Rescripta etiam Pontificum servanda esse fatentur omnes Jurisperiti, etiamsi in Corpore Juris Canonici non comprehendantur. Præterea in Romana Curia omnes Causæ dirimuntur ex Decretis ibidem affixis, nulla habita ratione, an publicata fuerint per omnes Christiani Orbis provincias. Et quidem jure optimo. Enimvero lex est voluntas Legislatoris, cui semper obtemperandum est. Si ergo Legislatori placeat, ut lata lex in Curia duntaxat promulgetur, dummodo ad subditorum notitiam pervenire valeat, quare necessaria erit tam specialis facta ubique locorum promulgatio? Deinde supremi legislatoris imperium nequit vel privatis institutis, vel subditorum voluntate, vel qualibet ab ipsomet non probata ratione labefactari & infringi. Ab illius ergo nutu, quemadmodum institutio, ita legum promulgatio dependet.

5. Roboratur. — Neque his præcedentia exempla repugnant; siquidem ideo decreta Zephyrini, Stephani, Siricii, & Canones Nicæni, & Sardicenses, & si qui sunt alii, quos fateor esse permultos, extra Urbem Romam discrete per Ecclesias promulgata fuere; quoniam id summis Pastoribus ob temporum circumstantias visum fuit opportunius. Memoratæ quippe Pontificum & Conciliorum Constitutiones aut grassante schismate, aut serpentibus hæresibus, aut fidelibus persecutione dispersis, ut plurimum latæ sunt. Cautum propterea fuit, ut ubique per Ecclesias promulgarentur, ne occultarent illas refractarii, ne pervicaces ignorantiam prætexerent, atque ut fideles prostrati paterna supremi Pastoris voce recrearentur. Quare non ut vim haberent obligandi, sed *ut omnibus excusationibus aditus obseraretur*, discreta promulgatio mandata est, ut legitur in ipsa Epistola Siricii ad Himerium.

Cap.

Cap. quoque, *Cum infirmitas*, ex Synodo Lateranensi depromptum ad pœnam infligendam, non ad stringendum in foro conscientiæ, promulgationem per loca præscribit.

6. Elucidatur ulterius.

Multominus thesi nostræ adversatur Authentica, *Ut factæ novæ constitutiones*, qua Justinianus sancivit, nonnisi post duos menses, ex quo discrete per Metropolitas palam factæ fuerint, novas leges valere. Quam Authenticam urgent Adversarii vehementer, inter Civiles, & Canonicas leges instituendo comparationem; maxime quod Cap. *intelleximus*, definitum est, Canones imitari leges, nisi illis opponantur. Sed huic objectioni respondeo nec authenticam illam de omnibus legibus esse accipiendam, nec promulgationem, ac duorum mensium tempus præscribere, ut subditos obligent, sed ne aliquam in Foro excusationem possint obtendere, si in Testamentis ausi fuerint deficientium infringere voluntates. Nam ibidem absolute hæc etiam pronunciat Imperator: *Sancimus ex illo nostras Constitutiones, quæ pro testamentis sunt, valere, ex quo in commune factæ sunt manifestæ.* Et Baldus quidem l. *Leges sacratissimæ*, Authenticam illam factam declarat, *ad scientiam præsumendam, & ignorantiam non excusandam*: & docet etiam in aliis legibus, præsertim in municipalibus, spatium duorum mensium non esse expectandum. Igitur si attendenda non est temporis definitio, ut mox dicam, neque erit necessaria sancita ab Imperatore promulgatio. Addo prædictam Authenticam spectare ad Jus Cæsareum, non ad Jus Civile commune. Addo insuper ita statutum, quia ita visum est Imperatori; ideoque posse Papam, qui est supra omne Jus positivum, pro suo libitu diversa sancire. Addo item, plures provincias Romani Imperii esse veluti distincta Corpora, suâ quaslibet formâ discretas, Ecclesiam autem universam unum Corpus esse, & unam postulare formam regiminis. Quod si plures provinciæ unum perfectissimum Corpus constituant, nego quod non sufficiat legem etiam sæcularis Principis in Curia promulgari.

7. Probatur de tempore.

Sane, ut à promulgatione ad præscriptum tempus transeamus; quamquam in Authentica duorum mensium datum sit tempus, istud pro legislatoris arbitratu ampliari, aut restringi facile demonstratur. Dixi nuper, legis municipalis tempus arbitrio judicis definiri. Ut proferam de Ecclesiasticis legibus exemplum aliquod: in VI. Decretal. cap. *Statuimus*, impugnantibus electionem unius mensis tempus præscribitur, quo ad Sedem Apostolicam iter arripiant. Cap. *Cum singula*, de Præb. spatium pariter mensis unius limitatum est. Decretum irritans matrimonium Clandestinum stringere post triginta dies ab illius promulgatione, liquet ex Sess. 24. Tridentini. In cap. autem, *Decernimus*, dist. 18. Episcopis post celebratam Synodum præscribitur intervallum sex mensium, ut universæ diœcesis suæ plebi referent, quæ eodem anno in Concilio acta vel definita noscuntur. At Constitutio Sixti V. De malo promovendis, & promotis, existentibus Romæ dies quindecim à promulgatione præscripsit, citra alpes menses quatuor, novem vero ultra alpes. Itaque tam promulgatio, quam temporis definitio est penes voluntatem ac prudentiam legislatoris, cujus præscripta, ubi ad notitiam pervenerunt, subditos quoslibet obstringunt, si pro singulis lata fuerint, tametsi ubique non fuerint specialiter palam facta. Quod si dixeris esse, ubi Pontificiæ Constitutiones vim non habent, nisi Regis placito receptæ fuerint, & promulgatæ; respondeo id evenire aut conventione Pontificis cum Regibus, & Monarchis, aut Apostolicæ Sedis indulgentia & consensu; cum spiritualis potestas à temporali, & Ecclesiastica Monarchia à Sæculari Republica accipere auctoritatem non debeat.

8. Propositio 2.

Propositio II. Neque lex civilis, neque Ecclesiastica à Populi acceptione dependet.

Probatur 1.

Hanc positionem accipiendam constat de lege lata à supremo Domino: nam si dominium sit Aristocraticum, ut apud Italos amplissima Venetorum sive Genuensium, aut Lucensium Respublica, haud dubium quin ad valorem legis probatio requiratur Optimatum, cum penes ipsos sit jura statuendi potestas. Ita populi assensum necessarium minime dubitamus in Democratia, sive populari regimine, quoniam in eo apud populum est principatus. Dicimus ergo ad validitatem legis necessariam non esse acceptationem inferiorum. Quod probatur 1. ex ipsa legis natura: nihil enim aliud, cum legem dico, intelligi volo, quam imperium, præceptum, & vim quamdam, & rationem imperantem honesta, & prohibentem contraria. At præceptum vim obligandi non habet à subditis, sed à voluntate imperantis, ut recte Augustinus scribit in III. de lib. arb. cap. 24. *Præceptum non est ab illo, cui præcipitur, sed ab illo, qui præ-*

præcipit. Igitur subditorum acceptatio legibus à superiore statutis non tribuit vim stringendi, sive validitatem. Deinde Potestas legislativa, quæ proculdubio est in superiore duntaxat, non est solam legem proponere, sed illam observandam præcipere; alioqui etiam Consiliarii, ac Sapientes viri Principibus quid sit constituendum proponentes appellarentur Legislatores. Atqui si à populi acceptatione lex pendeat, Legislator proponet tantum, non obstringet propositione præcepti subjectum sibi populum. Non ergo habebit veram propriamque potestatem legislativam. Rursus, ut Augustinus scribit Ep. 48. *potest Rex convenienti vigore leges sancire;* quod falsum foret, si lex suam mutuaretur validitatem ab acceptatione populorum: tunc enim posset populus legem non acceptare, spretisque Regis statutis vitam agere pro suo libitu. Præterea, quod ex præcedenti consequitur, si in arbitrio populi sit rectissimas leges acceptare, aut eis contradicere; quoniam jure pervicaces, rebelles, & qui jugum dominorum suorum tentant excutere, poterunt coerceri? Audebunt quippe Principum jussa repudiare, dicentes nolle se acceptatione tribuere illis firmitatem. Verum his obviam ivit Alexander VII. damnans tanquam Apostolicæ doctrinæ contrariam, & seditiosam propositionem n. 28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à principe promulgatam.*

9. Probatur 2. Rursus vel quæstio instituitur in communi de lege tam Ecclesiastica quam Civili; vel de Civili, aut de Ecclesiastica sejunctim. Si de utraque simul lege tenent producta hactenus argumenta: quibus accedit quod sequitur ex Juris institutione depromptum. Ut subditi teneantur legum præscriptionibus, sat est quod in Legumlatore sit potestas & voluntas subditos obstringendi, ut habetur cap. *Cum super*, De offic. delegat. Habet autem Legislator hanc potestatem & voluntatem ferendi leges independenter à populorum consensu. Ac de voluntate constat; nam statim ac feruntur leges, verbis præceptivis promulgantur: atque hæc verba sunt prædictæ voluntatis argumentum invictum; ut extat in cap. *Quisquis præceptis*, XIV. q. 1. & colligitur ex ratione superius allata, cum lex, nisi includeret præcipientis voluntatem, esset duntaxat consiliatrix, non præceptiva. De potestate etiam liquet, tum ex L. 1. ff. de Const. Princip. §. *Sed quod Principi:* tum ex ratione, quoniam ludibrio essent leges, non venerationi, nisi emanarent à viro prædito potestate. Si ergo Legislator potestatem, voluntatemque præcipiendi habet independenter à populi acceptatione, atque id sufficit ad inducendam vim obligandi; est proculdubio vis istiusmodi legibus, antequam à subditis præstetur assensus. Accedit, quod potest legislator præscribere subditis observantiam indictis pœnis, ut extat cap. *Non frustra.* XXIII. q. 5. Pœna autem imponitur, ne refractarii possint gloriari de contumacia, juxta cap. *In Ecclesiis*, de Major. obed. Igitur posset civitas universa perduellis & pertinax cogi ad legum observationem, ideoque non habent ipsæ leges à civium consensu vim obligandi. Videatur Prosper Fagnanus in 2. p. Decretal. pag. 526.

10. Probatur 3. Si vero de lege aut civili, aut Ecclesiastica in particulari disceptetur, idem est asserendum; nam quod proprium est legum in genere, id legibus singulis inesse debet. Ac de legibus politicis consentientes habemus etiam Gallos Theologos plurimos, qui tradunt temporalium Principum leges non habere subditos obstringendi vim, ac potestatem ab horum acceptatione: & quamquam id neget Marca lib. 2. Concord. Sacerdot. & Imperii cap. 16. contendit tamen inter Ecclesiasticas & politicas leges magnum versari discrimen, adeo, ut, quantum ad temporales Præfectos attinet, haud multum solicitudinis gerat, ac stylum præsertim exerceat adversus potestatem legum Ecclesiasticarum. Revera leges latæ à Principe sæculari, ut liquet ex Authentica, *Ut factæ novæ Constitutiones*, habent vim statim post intimationem: post hanc igitur nequeunt à populis repudiari. Deinde neminem inferiorem posse reddere invalidam legem Principis aperte colligitur ex L. *Formam.* C. de Off. Præfect. Præt. cap. *Cum inferior.*

11. Probatur 4. At si loquamur de legibus Ecclesiasticis, assertum nostrum peculiaribus quoque rationibus corroboratur. Romani quippe Pontificis auctoritas à Christo immediate descendit, ut colligitur ex Matthæi XVI. 19. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis:* & ex Joannis XXI. 16. 17. *Pasce agnos meos; pasce oves meas.* Auctoritas quoque Episcoporum vel à Christo immediate, vel mediate per ipsum Romanum Pontificem derivatur, absque ulla à populis dependentia. Non ergo ad validitatem Ecclesiasticarum Constitutionum acceptatio populorum exigitur. Sane Romanos Pontifices immediate à Chri-

Christo auctoritatem, potestatemque recipere definitum est cap. *Sacrosancta* d. 22. neque id salva fide, inquit loco citato Fagnanus, negari potest. Addo, quod verbum *ligandi* significat etiam vim coactivam, quam Ecclesiæ Antistites exercent indicta excommunicatione, aliisque censuris, ut ostendam cap. XVI. prop 3. Quare si Pontifici potestas *ligandi* à Domino collata est, etiam illos, qui ejus Constitutiones nolunt acceptare, potest vi, atque auctoritate compellere. Huc pertinent quæ leguntur Lucæ x. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: ex quibus verbis colligitur idem crimen esse non obtemperare Ecclesiæ Pastoribus eorumque leges non acceptare, ac parvipendere Dei mandata; quod animadvertit D. Bernardus cap. 9. de Præcepto & dispens. gravissima hac sententia prolata: *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Sive ergo de politicis, sive de Ecclesiasticis legibus instituatur disputatio; nullatenus ligant ex quo inferioribus sint acceptæ, sed inferiores ipsos, etiam invitos & reluctantes, post promulgationem obstringunt.

12. Oppositio Marcæ. Contendit Marca magnam esse Civilium legum ab Ecclesiasticis discrepantiam. Potestas enim Ecclesiæ data est in ædificationem, non in destructionem, ideoque nihil fidelibus obtrudendum est, quod aliquo pacto possit illos offendere. Deinde hanc discrepantiam satis aperte innuit Christus Dominus Lucæ XXII. 25. contentionem discipulorum his verbis compescens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic.* Præterea imperio regum non solum singulorum civium rationes commissæ sunt, sed etiam salus universæ Reipublicæ: unde fit, ut in cives, licet invitos, ad fovendum totius Reipublicæ corpus, jus illis competat. Aliter autem se habet in Imperio Sacerdotali, quod præcipue singulorum saluti invigilare debet, & Divini Pastoris exemplo nonaginta oves deserere, ut centesimam reportet ad caulas. Hæc Marca.

13. Responsio. Verum jure meritoque Antonius Charlas ex his conjicit sententiam oppositam destitutam esse præsidio veritatis, cum vir clarissimus ac doctissimus, qualis ab omnibus habetur Marca, muniat opinionem suam tam labili fulcimento. Et prima ratio discriminis quantum sit imbecillis & fracta, nullo negotio deprehenditur: nam & politicus Magistratus ad ædificationem, non ad destructionem instituitur; & lex quælibet honesta præcipiens offendere debet improbos, deditosque flagitiis & illicitis oblectamentis, & accepta est probis honestisque quærentibus certam morum suorum regulam, & æquitatis præcepta. Vide hujus voluminis pag. 6. Infirma quoque, & languida est ratio subsequens: nam ex versu proximo 29. ejusdem capitis XXII. eruitur prædictorum verborum sensum esse, quod sublimior in Regno cælorum dignitas, de qua inter Apostolos orta erat contentio, non auctoritati rependitur, sed humilitati, quemadmodum per humilitatem & crucem Pater exaltavit Filium, & dedit illi nomen super omne aliud venerandum atque augustissimum: ideoque Reges gentium exaltat potestas, & magnificentia, Christi autem Apostolos sui abjectio, & humilitas. Confirmant hanc interpretationem Chrysostomus, Cyrillus, Basilius, & Ambrosius laudati à Divo Thoma in Catena aurea pag. 202. 2. Ad hæc non minuitur hoc loco potestas Ecclesiastica, sed docetur exercendam non esse adinstar civilis & regiæ, scilicet cum armis & terrore, atque ostensione potestatis, & adhibito satellitio; ut inquit in hunc locum Guilelmus Estius. Iners pariter est, & futilis postrema ratio; quandoquidem etiam Pastor Ecclesiæ magis commune bonum, quam privatum curare debet, nec pro una ove gregem deserere, si hunc lupi rapaces invadant. Neque oppositum probat parabola de centum ovibus; nam in una ovicula, quæ perierat, intelligitur humanum genus, in ovibus nonaginta novem relictis in montibus Angeli cælorum: aut in nonaginta novem ovibus justorum nunumerus, & in una ovicula peccatorum, secundum quod legitur Lucæ v. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Ita Hieronymus lib. III. Comment. in Matthæum Tom. IV. pag. 83. aliique communiter.

14. Objicitur & Solvitur. Adversus prædicta objiciuntur facillimæ solutionis nonnulla. Opponit Marca auctoritatem Scriptorum illorum, qui tradiderunt ideo leges valere, quia populis sunt acceptæ. In horum numero præter Gratianum, de quo infra, recensentur Covarruvias lib. II. Var. Resolut. cap. 16. Navarrus in Manual. cap. 23. n. 47. Summa Armilla, & Angelica, Sylvester, Gerson lib. de Vita spirituali lect. 4. Joannes Major in IV. dist. XV. q. 4. & Joannes Driedo lib. I. de libert.

libert. Christ. cap. 9. At cedant nobis necessum est adversarii, si auctoritate Scriptorum decertare velint. Primo quia longe plures sententiam nostram propugnant, non tantum Theologi, quos laudat Suaresius lib. IV. de legibus cap. 16. verum etiam Jurisconsulti citati à Fagnano 2. p. decret. cap. *Treguas*, & ipsa decisio Romanæ Rotæ, emanata die 11. Januarii anno 1610. coram Jacobo Cardinali Cavalerio, impressa dec. 85. cui titulus, *Romana concordiæ*. Secundo, quia oppositæ sententiæ inurunt viri docti notam censoriam; & si loquamur de legibus sumi Pontificis, illam Fagnanus ipse, aliique appellant contrariam fidei, & Charlas Theologus Gallus lib. 2. de libert. Eccl. Gallicanæ cap. 4. & 5. demonstrat redolere hæreticam pravitatem, productis Epistolis Ivonis Carnotensis, & S. Anselmi Cantuariensis, verbisque D. Bernardi supra citatis. Tertio quia Sacra Parisiensis Facultas idem judicium protulit, dum anno 1521. damnavit, *tanquam in fide & moribus erroneam*, propositionem illam Lutheranam, *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; & quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.* Quarto quia Mauclerus Doctor Parisiensis ibidem ab Antonio Charlas laudatus, de Ecclesiast. Monarch. P. 2. lib. 4. cap. 3. expresse affirmat summum Pontificem legibus suis *obligationem inferre in conscientia;* leges ab ipso latas servandas esse, dummodo sint *sufficienti promulgatione Orbi Christiano communicatæ:* idem credidisse Alphonsum à Castro, Turrecrematam, *aliosque de meliori nota Doctores:* id adeo judicio suo verum esse, *ut secundum fidem negari non possit;* neque propterea legem Pontificis minori potestate esse præditam, aut minori honore esse dignam, *si justa*, & SUFFICIENTER PROMULGATA NON RECIPIATUR A POPULO. Quinto, quia antiqui Scholastici in contrarium adducti loquuntur in suppositione, *quod Princeps leges ferat ea conditione, ut non aliter obligent, quam si fuerint à Republica receptæ*, quemadmodum inquiunt ibidem Covarruvias, & Navarrus; non de legibus absoluta auctoritate, & absque hujusmodi conditione latis: vel sermonem instituunt de legum desuetudine, quæ inducitur *Papa sciente, & tolerante*, uti legitur in Summa Armilla, & Angelica: vel accipiendi sunt de lege inutili, injusta, nec ad bonum commune directa, de qua Charlas contendit loqui Gersonem: vel saltem excipiunt leges summi Pontificis, *cui omnes Ecclesiæ non possunt auferre auctoritatem*, ut inquit v. *Lex*, num. 6. Sylvester. De Joanne Major non unum est Theologorum judicium, asserentibus aliis illum errasse quod crederet Ecclesiam esse supra Papam, nec posse per illum obligari; aliis illum explicantibus de lege, quæ legi Dei sit contraria, & quæ neque nomen legis promereatur. Certum est & hunc Theologum eadem dist. xv. q. 7. asserere Papam non ab Ecclesia, sed immediate à Christo habere auctoritatem, eamque plenissimam; unde assertionis nostræ veritas roboratur. Atque ex his liquet frustra nobis objici testimonia Veterum, qui alio sensu exponendi sunt, & ampliorem numerum, partemque munitiorem superare non valent.

Deinde objiciuntur proxima argumenta. Primum est, quod d. 4. cap. *In istis*, habetur: *Leges instituuntur cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Nullum ergo firmamentum habebunt, nisi utentium accesserit comprobatio. Alterum est, quod extat D. lege XXXII. *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt.* Proximum argumentum est, quod Principes suam habeant à populo auctoritatem; ideoque Principum leges erunt invalidæ populo renitente. Insuper per contrariam consuetudinem à populo civiles constitutiones abrogantur, & consequenter à populo etiam confirmantur & roborantur. Postremo Ecclesiasticæ leges, nisi pendeant à populi acceptatione, erunt causa subversionis & contumaciæ; neque enim Romanus Pontifex scire potest quid singularum provinciarum fidelibus magis expediat: ideoque necessum est, ut sanior illarum pars canonicas constitutiones expendat, num temporibus, locisque conveniant: quam ob rem nova Ecclesiæ statuta alicubi minime stringunt, quia non fuerunt particularium Ecclesiarum acceptatione, atque consensu firmata. 15. Objicitur 2.

Resp. posse verba Can. *In istis*, contra Adversarios retorqueri; nam si leges instituuntur, cum promulgantur, posita sola promulgatione constitutæ sunt. Sed dist. cum Haberto verba Gratiani: leges firmantur, cum moribus utentium approbantur, id est, observatione atque usu non abeunt in desuetudinem, & contemptum, conc. id est, acquirunt à populo auctoritatem & vim obligandi; nego. Et quidem ipsa verba, quæ opponuntur, satis declarant de *moribus utentium*, non de acceptatione populorũ institui sermonem. 16. Solvitur 1.

Verum

Verum tamen eſt, quod inducta moribus populorum contraria conſuetudine, connivente præſertim Legislatore, nec inſtitutæ legis obſervationem urgente, lex ipſa enervatur, atque progreſſu temporis fieri poteſt, ne amplius ſtringat. Quare ibidem de antiquiore lege Thelesphori, qui decreverat, ut Clerici à quinquageſima abſtinerent à carnibus, quoniam contraria conſuetudine, diſſimulantibus Eccleſiæ Rectoribus, jam fuerat obliterata, inquit Gratianus: *Quia moribus utentium approbatum non eſt, aliter agentes transgreſſionis reos non arguit.* Sed aliud eſt, abrogata per deſuetudinem lege, illius transgreſſores non eſſe arguendos, aliud validitatem legis pendere à populorum acceptatione.

17. Solvitur 2. Quod ſequitur non eſt alicujus momenti: enimvero in digeſtis fit ſermo de Conſtitutionibus, & Legibus latis in Republica Romanorum, abolita jam Monarchia, cum eſſet juris auctoritas apud Populum: quod liquet ex lib. 1. Tit. 2. §. 4. *Lex eſt, quod Populus Romanus, Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat.* Et retorquetur argumentum iſtud in Adverſarios; quandoquidem conſtitutiones Romani populi à comprobatione ſubjectarum provinciarum minime dependebant. Imo Caſpar Juenin Tom. v. Inſt. Theolog. pag. 263. aliique Libertatis Gallicanæ aſſertores docent vim legis civilis non pendere ab acceptatione populi, quod de lege Canonica negat ipſe Juenin pag. 282. Unde hoc monſtrum? Ex eo, inquit, quod vis legis civilis pendeat ex ipſa populi ſubjectione in iis, quæ ad pacem terrenam ſpectant, & ab obedientia, quam jure Divino populi ſuo Principi debent. Bene quidem, ac ſapienter. Atqui etiam Eccleſiarum Paſtoribus obedientia debetur, quibus inquit Dominus Lucæ x. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui ſpernit, me ſpernit*; atque Rectoribus animarum, magis, quam terrenæ Civitatis Præſidibus obtemperare æquum eſt. Cur ergo etiam Canonicæ ſanctiones absque acceptatione populorum non ſtringunt?

18. Solvitur 3. Tertium pariter poſſumus retorquere: quandoquidem ſpiritualem poteſtatem non recipiunt Eccleſiarum Præſules à populorum ſuffragio, ſed Divina electione, & unctione Spiritus ſancti. Si ergo civilis conſtitutio vim non habet, conſenſione Gallici Theologi, à populis, à quibus regia quandoque poteſtas collata eſt, aut confertur: quanto minus pendere debet à populo lex conſtituta ab Eccleſiaſtico Principe ſorte Domini, divinaque, & Apoſtolica ſibi auctoritate præpoſito? Directe autem reſpondeo primo omnem poteſtatem eſſe à Domino juxta illud Rom. XIII. 1. *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* At Deus, inquit ibidem Apoſtolus, ſancivit, *ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Itaque qui reſiſtit poſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Quid eſt autem nolle ſtatuta Principum acceptare, niſi eorum reſiſtere poteſtati? Deinde reſpondendum eſt, quod etiamſi electio Principis vel à multitudine, vel ab Optimatibus pendeat: eo tamen conſtituto & electo, juſtis ipſius mandatis nefas eſt repugnare. Ad quartum vero dictum eſt ſupra poſſe per contrariam conſuetudinem antiquas conſtitutiones excidere, ſi ſubrepat ipſa conſuetudo Legislatoris conniventia & permiſſu: ſecus autem, ſi erumpenti deſuetudini ſeſe opponat, & pro legum, quarum & inſtitutor eſt, & cuſtos ac vindex, ſit obſervatione ſolicitus.

19. Solvitur ultimum. Ad poſtremam objectionem hoc habeto reſponſum. Inepta eſt ratio, quod lex pendere debeat à populorum acceptatione, ne ſit cauſa ſubverſionis & contumaciæ: quandoquidem contumaciter mandatis reſiſtunt improbi, non humiles filii, non obſequentes famuli, non cives ingenui, non ſubjecta ſponte provincia. Parvi pendere autem juſſa Majorum non à ſanctiſſima legum æquitate, ſed à ſuperbiæ vitio incitati audent nonnulli: ob quorum arrogantiam non debet providus Legislator mandatis ſuis cæteros non regere, ſed ipſorum inobedientium refrenare licentiam. Alioqui cur lex naturalis, cur Divina obligant invitos, cum talis obligatio poſſit pariter eſſe occaſio ſubverſionis, & contumaciæ? At neſcit, inquiunt, Romanus Pontifex quid diſperſis per Orbem provinciis magis expediat. Id primum negamus: Paſtor enim univerſalis quid ovibus ſuis regendis opus ſit, Divino imbutus magiſterio minime ignorat. Adhibet deinde in rebus arduis media quotquot exiſtimat neceſſaria, magnorum virorum conſilia, præſcriptiones canonum, Eccleſiaſticam diſciplinam, Congregationum conſultationes. Ab his tamen nullam obligandi vim obtinent leges ab ipſo latæ, ſed habent ab Apoſtolica tantum Sede pleniſſimam auctoritatem. Nam & Rex utitur in rebus ambiguis miniſtrorum conſilio; ſed vis ſtringendi à ſola Regis poteſtate, non à ſubditis pendet. Denique, inquit Gallus Theologus, ſi

Princeps etiam post humillimam majoris & sanioris partis monitionem urgeat executionem legis suæ, populus ei morem gerere tenetur, quia eo in casu judicare debet exigere Reipublicæ bonum, ut nulla antiquæ suæ consuetudinis ratio habeatur. Ergo ne lex civilis etiamsi cum avita consuetudine pugnet, etiamsi sententiâ sanioris partis populi videatur majori Provinciarum bono afferre impedimentum, si à Rege urgeatur, stringit, obligat, & judicari debet Reipublicæ utilior: lex vero lata à Supremo Ecclesiæ Pastore, cui data est ligandi atque solvendi plenaria potestas, atque Patrum traditionis depositum, & universi Christiani populi regimen commissum est, si nolit eam subditorum pars acceptare, erit invalida, neque publico bono promovendo censenda erit idonea? Undenam tam dispar de Civilis, & de Ecclesiasticæ legis auctoritate judicium? Libertates Ecclesiæ Gallicanæ solent deprædicare: sed istas aut Apostolicæ Sedis concessione, aut conniventia tantum consistere, ex hac ipsa dissertatione colligitur.

CAPUT XIV.

Quanta obligandi vis humanis legibus insit?

SUMMARIUM.

1. Quomodo Leges humanæ obligent Proposit. 1.
2. 3. 4. & 5. Probatur diversimodè.
6. 7. & 8. Solvuntur Objectiones.
9. Quid de Lege pœnali sentiendum.
10. Propositio 2. Probatur.
11. Cautela.
12. 13. Objectiones solvuntur.
14. Propositio 3. Probatur.
15. Potest res levis fieri gravis ex circumstantiis.

Quomodo Leges humanæ obligent.

PROXIME sequitur, ut inquiramus quomodo humanæ leges subditos ad observationem obstringant: quæ sane quæstio nonnullas veluti subalternas comprehendit. Sunt vero, quæ subjiciuntur, num obligent etiam in conscientia, num cum propriæ vitæ periculo, num sub gravi pœna & mortalis culpæ reatu, dum rem tenuem parvique momenti imponunt, aut prohibent. Atque in his subjecta theoremata versabuntur.

1. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Humanæ leges, etiam Civiles, obligant in interiori conscientiæ foro.

Est hæc thesis contra Waldenses, cæterosque Refractarios opinantes humanam quamlibet legem absque læsione conscientiæ violari, si absit scandalum; nec non adversus Gersonem; qui tamen in hoc à Sectariis discrepat, quod fatetur Ecclesiæ Antistites posse determinare modum ac tempus, quo jus Divinum subditos stringat, ita ut humanarum legum fractores peccati sese reos constituant non ob violatam hominum præscriptionem, sed ob Divinum præceptum duntaxat. Quod si ita accipiatur, ut leges humanæ participent vim obligandi à Divina & æterna, à qua leges ipsæ derivantur, optimam habebit intelligentiam. Leges itaque humanas etiam coram Deo, atque in foro interiori inferiores obstringere, sacrarum literarum auctoritate, Testimoniis Patrum, aliisque Theologicis argumentis demonstro.

2. Probatur 1. ex Scriptura.

Atque ex Scripturis hæc satis sunt manifesta. Paulus ad Rom. XIII. scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo:* & v. 5. *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quo sane in loco etiam de sæculari potestate sermo instituitur, imo de vectigalibus, ac tributis Romano Cæsari pendendis loquitur Paulus, atque juxta Dominicam sententiam Matt. XXII. 21. *Reddite &c.* Ad Hebræos quoque scribit idem Apostolus cap. XIII. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Petrus pariter priori Epistola cap. II. 13. & 14. inquit: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum:* & v. 18. *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam, dyscolis.*

3. Probatur 2. ex Patribus.

Ex Patribus hæc perpauca proferam. S. P. Augustinus in Epist. ad Bonifacium docet, quod sicuti quicunque legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium; quemadmodum contigit tribus pueris stantibus contra sacrilegam legem Nabuchodonosor; ita, *Quicunque legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.* Atque in eadem Epistola optimam quoque rationem suppeditat non dissimilem ab ea, quam citatis locis insinuat Apostolus: videlicet, quoniam justas leges ferendo serviunt

viunt sæculares principes æterno Regi ad bonum promovendum, ad pœnam impiis irrogandam, ad probis honestisque benefaciendum. Quod commonstrat S. Pater exemplo Ezechiæ, Josiæ, Regis Ninivitarum, aliorumque. Ubi ergo leges principum justæ sint, (nam si injustæ, leges nequaquam sunt appellandæ,) illis obtemperare tenemur; quoniam habent singuli, ut consulant Reipublicæ, à Deo potestatem regni, atque imperii; nec solum Catholici, verum etiam idololatræ & impii, quales fuere Nero, Domitianus, Julianus: de quibus legendum primum ac vicesimum caput libri v. de Civ. Dei. Vide & Tractatum VI. in Joannem prope finem. Præclara est sententia Bernardi lib. de præcepto & dispens. cap. 9. *Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Necesse non est plura afferre, cum Patribus etiam profani Scriptores consentiant, inter quos extat versus Sophoclis: Ἄρχοντες εἰσιν. ὡσθ' ὑπεικτέον. τί μή; *Principes sunt, obsequendum; quippini?*

4. Probatur 3. ratione Theologica.

Veniamus ad rationes Theologorum. Principio adversus rectam rationem nefas est operari. At quisquis humanas leges infringit, agit contra rectam sanamque rationem. Recta quippe ratio suadet, ne facere omittamus quæ ad Reipublicæ commodum, ad religionis incrementum, atque ad æternam beatitudinem plurimum conferunt: cujus generis esse justas Imperatorum, Regumque Constitutiones, sapienter animadvertit Augustinus in V. de C. Dei cap. XIV. Ægidius Romanus de Regimine Principum, Ammianus libro XXXIX. atque ipsi Imperatores Theodosius & Honorius in Epistola ad Marcellinum. Principum itaque statutis humiliter obtemperandum est. Ratio consimilis est, quoniam non potuerunt omnia, quæ pertinent ad vitam recte instituendam, ex sola naturali æternaque lege nobis inscripta dignosci; cum sit hæc communis quædam ratio, & mensura in universum debitæ rectitudinis, singulis speciali aliquo ordine coaptanda. Atque id præstant humanæ leges, quibus ab æterna promanantibus in certis rerum circumstantiis humana vita dirigitur. Ad normam itaque legum istarum se gerere debet, quisquis ipsam æternam legem censet per omnia custodiendam. Deinde hoc utimur epicheremate: Rectori subalternæ communitatis, qualis est domus, familia, cœnobium, tenemur sub peccato obedientiam præstare, propterea quod vicem gerit supremi Domini, ut docet Apostolus ad Ephesios capite quinto, ac sexto. Hoc autem valere etiam de amplioribus communitatibus, cujusmodi est civitas, provincia, regnum, nemo non videt. Imo potiori quodam titulo Dei vicem tenent amplioris multitudinis Præsides ac Magistri, ut per se res ipsa declarat. His ergo parere & obedire sub peccati reatu tenemur.

5. Probatur de lege Ecclesiastica tantum.

Hæc vero argumenta pro lege Ecclesiastica & civili faciunt ex æquo. Verum pro Ecclesiastica militant alia complura. Primum est, quod Dominus de Ecclesiæ Pastoribus inquit, *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Igitur qui transgreditur Ecclesiasticas constitutiones, Divinam simul legem infringit. Alterum, quod proscriptæ sunt hæ propositiones: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter.* Tertium, quoniam præcipit sæpenumero Ecclesia, infligendo etiam pœnas anathematis, plura, quæ non sunt directe juris naturalis & Divini, ut observantiam aliquorum festorum, Communionem in Paschate, cœlibatum ad sacros Ordines promotorum, aliaque innumera, quibus Catholici omnes obtemperandum esse fatentur. Sed pro thesis confirmatione dictum satis.

6. Objicitur 1. ex S. Scriptura & solvitur.

Oppositiones possunt pariter ad tria capita revocari. Etenim ex Scripturis objiciunt verba Deuteronomii IV. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Matth. XXVIII. 20. *Docete servare omnia, quæcunque mandavi vobis,* & XV. 9. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et Apostolus in I. ad Corinthios cap. VII. 23. ait: *Nolite fieri servi hominum.* Hæc tamen contrariæ opinioni nequeunt tantillum probabilitatis afferre. Nam in Deuteronomio præcipitur Hebræis, ne legitimis Domini addant abominationes, cæremonias, & sacrificia Gentilium, neque à Divinis institutis desciscant: quod liquet ex cap. XII. ejusdem libri v. 30. & 31. ubi præcedens sententia repetitur, atque explicatur. Non ergo præceptis humanis legem sepientibus, aut Traditionibus Patrum verba Deuteronomii repugnant. In cap. autem XXVIII. Mat. divinorum præceptorum præscribitur observatio; non tamen humanarum legum inducitur despicientia & contemptio: quam deberi quidem

dem institutionibus Pharisaicis pugnantibus cum Lege naturali, atque æterna, aut fundatis in futili persuasione, recte commonet in quintodecimo capite Evangelista, ubi redarguit Pharisaicum proloquium, *Munus quodcunque est ex me*, superiori capite VI. expositum. Apostolus ad Corinthios hortatur ne quis servus fiat hominum, aut coacte cum infideli conjuge habitans, aut circumcisioni semetipsum subjiciens: quibus in rebus foret humanum præceptum contra Evangelicam libertatem. In hac tamen, cum non sit ab æquitate disjuncta, iis, quæ rectæ rationi conveniunt, est obsequendum: auscultandum Ecclesiæ, Matth. XVIII. 17. pendendum tributum principi, Matth. XXII. 21. & ad Rom. XIII. 7. obediendum Dominis carnalibus, ad Ephes. VI. 5. At inquit Calvinus: Christus est legislator, & judex, & quidem unus, ut habetur in Epist. Jacobi cap. IV. v. 12. Fatemur: legifer est, judex est, & unus etiam; si loquamur de supremo ac summo, aut de illo qui scrutatur renes, & corda: de quo sit sermo in Epistola illa Canonica adversus illos, qui detrahunt proximo, & sinistrum proferunt de ipso judicium.

7. Objicitur 2. ex S. Augustino & solvitur.

Dehinc tria objectant ex Augustino. Primum promunt ex Epistola ad Januarium 119. nunc 55. cap. 19. ubi docet resecanda statuta hominum, quæ Religionem *servilibus oneribus premunt*. Alterum ex Serm. 6. de verbis Domini, nunc. 62. cap. 8. in quo ait posse Imperatorem damnare ad carcerem, non ad gehennam. Tertium ex libro contra Faustum XXII. cap. 27. ubi peccatum per solam oppositionem ad legem æternam definit. Quæ omnia si perlegeris, miraberis Adversariorum oscitantiam. Laudatâ quippe Epistolâ repudiat Augustinus præsumptiones quorumdam, qui saluberrima Divina præcepta infringentes, vana quædam servabant, & gravius arbitrabantur peccare terram per octavas nudo pede calcantes, quam vino fieri languidos ac temulentos. De his num. 35. ait: *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.* Quo in loco Ecclesiasticas leges, vetustas consuetudines & institutiones justa causa formatas comendat ac probat, dum resecanda ait statuta varia ac præsumpta, quæ Religionem servili onere premunt. At quomodo cum legis vinculo stet Christiana libertas, & cum multitudine præceptorum suave jugum, demonstravi cap. XII. In Sermone pariter LV. num. 13. sive cap. 8. statuit Augustinus ex Apostolo omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, & quæstionem instituit, num etiam obediendum sit Imperatori, si injustum aliquid jubeat. Respondet autem, tunc contemnendam esse potestatem, ut serviatur majori, nempe Deo; quemadmodum neque præstatur obedientia Curatori, si contra Proconsulem jubeat, nec Proconsuli, si aliud jubeat Imperator. Tum inquit: *Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Recte, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.* De legibus ergo cum Divina pugnantibus istic pertractatur; & simul ostenditur non pugnantibus esse obtemperandum. In XXII. contra Faustum tradita illa definitione peccati, *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*, statim addit: *Lex vero æterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* At qui humanam legem transgreditur, perturbat naturalem ordinem, simulque æternam legem lædit, saltem, ut inquiunt Scholæ, *remote*. Ergo peccat.

8. Objicitur 3. ex ratione & solvitur.

Tertio loco objiciunt argumenta petita à ratione. Quorum primum est. Nequit inferior ligare in foro superioris. Ergo nequit homo obligare in conscientia, quæ est forum Dei. Alterum: non potest homo inferre pœnam inferni. Igitur nec obligare sub peccato, cui pœna illa respondet. Consimile est, quod sequitur: Nemo mortalium potest ab alio auferre gratiam sanctificantem, ideoque nec legem ferre sub peccati pœna stringentem. Proximum est: Potestas civilis ordinata est ad temporalem civium tranquillitatem; nullam ergo in foro conscientiæ inducit obligationem. Postremum sit: Non omnia præcepta sunt juris Divini; non ergo obligant sub peccato. Respondetur ad 1. posse optime inferiorem ligare in foro superioris, si illius tanquam minister vicem gerat; quales esse omnes Superiores, servato inter illos ordine, dictum su-

supra. Ad 2. & 3. pariter respondeo, posse inferiorem obligare sub pœna inferni, & privationis gratiæ; in quantum præcipit munitus auctoritate supremi Domini utramque pœnam irrogantis. Ad 4. neganda est consequentia, quandoquidem sub peccato servare tenemur illa quoque præcepta, quæ ad temporalem tranquillitatem servandam, & Reipublicæ commodum promovendum sunt instituta, quemadmodum debent filii præstare obedientiam parentibus in iis, quæ ad regimen familiæ conducunt; ideoque humanæ leges sunt temporales quantum attinet ad objectum, non comparate ad debitum, ac vim obligandi, uti se habet etiam in pluribus lex naturalis. Ad ultimum vero jam dixi omnia præcepta esse juris Divini atque æterni *remote*, quamquam non sint immediate ac proxime: quare tertium hujus libri caput iterum legito.

9. Quid de lege pœnali sentiendum?

Si quæras quid sentiendum sit de lege *Pœnali*, id est pœnam minitante; dico, si lex sit pœnalis tantum, in qua nullatenus exprimatur vis obligationis atque præcepti, neque pœnam præscribat, cui suapte natura aliqua culpa respondeat, uti evenit aliquando in Constitutionibus Ecclesiasticis, hanc legem non inducere conscientiæ vinculum, præciso tamen ipsius legis contemptu. Sunt hujusmodi legum plurimæ in Ordinis nostri Constitutionibus, ut legitur in Prologo, atque in Statutis Ordinis Prædicatorum, aliorumque, ut inquit 2. 2. q. 186. Doctor Angelicus. Obligant tamen hujusmodi leges post transgressionem ad pœnam subeundam: idque ante sententiam judicis, si pœna sit latæ sententiæ, nec requirat actionem judicis ut executioni mandetur; post sententiam autem, si fuerit sententiæ ferendæ. Est autem pœna sententiæ jam latæ, quotiescunque in lege apponuntur istiusmodi verba, *Ipso facto, absque alia declaratione, eo ipso excommunicatione innodatus existat*, aut his consimilia. In legibus tamen pure pœnalibus punitio, quam fractores subeunt, mulcta potius, gravamen, atque incommodum appellanda est, quam pœna & supplicium. Pœna enim proprie dicta est sumptum de peccato supplicium: unde in III. de lib. Arb. cap. 18. inquit Augustinus: *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Hactenus de legibus pure pœnalibus. At aliæ sunt, quas Theologi *Pœnales mixtas* appellitant, in quibus legislator, à cujus voluntate pendet num lex ad solum gravamen, num etiam ad opus obliget, simul & præcipit quid fieri oporteat, & præscribit animadversionem in transgressores. Atque istiusmodi leges tam ad opus obligant, quam ad pœnam, si illud sponte fuerit prætermissum. Sed de his plura Vanroy de legibus cap. VII. q. IX. Et Guerrero Tract. VI. §. 7. aliique de Theologia Morali pertractantes.

10. Propositio II. Humanæ leges non semper obligant cum gravi nocumento, & cum periculo vitæ.

Propositio 2.

Communem hanc Assertionem Theologi omnes his momentis communiunt. Neque lex positiva sacrorum librorum auctoritate firmata in vitæ discrimine, atque magna urgente necessitate quemlibet stringit. David enim profugus, & fame impellente sanctificatos panes propositionis comedit 1. Regum cap. XXI. 6. tametsi erant illi cibus Levitarum duntaxat, ut præcipitur 24. Levitici v. 9. Discipuli pariter apud Matth. XII. esurientes sabbato vellebant frumenti spicas, prædicto exemplo Davidis à Domino v. 3. excusati. Etiam Mathathias electique Hebræorum statuerunt in sabbato esse pugnandum, ne universus populus interiret, ut legimus in 1. Machab. cap. II. 41. Si autem non tenent in rerum angustiis positivæ ac Divinæ leges; profecto neque Ecclesiasticæ, neque Civiles. Deinde Ecclesia eximit complures ab audiendo Sacro; servandoque jejunio, demonstrans latas à se leges cum vitæ dispendio nequaquam esse servandas. Latæ sunt insuper humanæ leges pro communi Reipublicæ bono, & Religionis decore promovendo; ubi ergo utrumque illæsum persistit, & gravis causa ad eas non servandas impellit; nulla ipsarum habebitur violatio. Præterea hæ leges circa materiam minime necessariam interdum versantur; in qua legislatoris intentio non est inferiores obstringere in magno vitæ discrimine. Vetustæ denique Etruscorum leges ab Hebræis dubio procul derivatæ, & receptæ à Romanis, erant, festis diebus jurgia, & famularia opera non patranda, & nihilominus ex veteri Romanorum Jure petita sunt, quæ scribit Virgilius Georg. lib. 1. quod necessitati parendum est, in qua

Probatur

. . . . . rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Le-

Legatur in 2. de legibus Cicero, & Servius in hunc locum Virgilii. Igitur humanas leges exceptiones plures habere, præsertim in necessitate, quam appellat Seneca *magnum humanæ imbecillitatis patrocinium*, evincunt sacra, & profana exempla rationibus confirmata.

11. Cautela. Non tamen absolute thesim hanc pronuntiavimus: quippe ubi id postulat publicum bonum, aut Religionis causa, quoniam hæc sunt præponenda privatorum hominum incolumitati, stringunt humanæ leges in extremo quoque periculo; ita ut nefas sit aut militibus imminente patriæ interitu, quam possent defendere, fugam, ne obtruncari valeant, arripere; aut cum pusillorum scandalo, & Religionis contemptu vesci idolothytis, sive carnibus immolatitiis, atque azymophagiis. Ait enim Ecclesiasticus cap. IV. 33. *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia.*

12. Objectiones. At objicies: Pugnat præcedens assertio cum ratione, cum decretis Pontificum, & cum sanctissimarum Religionum Statutis. Cum ratione quidem; nam lex humana ad commune bonum est ordinata, & pro communi bono debet unusquisque vitam profundere. Decretis autem, quoniam Cap. *Sacris*, Innocentius III. sancivit non esse communicandum cum excommunicato per metum. Statutis denique Regularium; etenim nec in extrema valetudine fas est Carthusiano vesci carnibus, aut Moniali egredi è septis Monasterii, ut sanitatem assequatur aeris salubritate.

13. Solutiones. Resp. ad 1. utique si de Reipublicæ incolumitate, aut de Religione agatur, legem humanam esse observandam cum propriæ vitæ dispendio; *Nemo quippe dubitat cavendi majoris damni causa patiendum esse damnum, quod minus est*, inquit S. Pater de Mendac. cap. 18. Diluitur quod sequitur, respondendo loqui Pontificem de metu levi, & de communicatione cum scandalo, & contemptu; cum alias gravissima necessitate impellente non teneamur excommunicatum vitare ex Canone, *Quoniam multos*, caus. 11. q. 3. & ex Cap. *Inter*. De Carthusianis autem non eadem est sententia Doctorum. Nos arbitramur illicitum esse illis carne vesci, si præsto sint alii cibi, cum ob præstantiam voti, quod ne irrepant graves abusus, religiose simul & rigorose servandum est, tum ob sanctissimi instituti consuetudinem, atque qualitatem ipsam piscium & olerum per se servandæ vitæ proficuam. Etenim, ut exempla mittamus antediluvianorum patrum, qui sine carnibus diuturniorem vitam egerunt, necnon Eliæ, Danielis, pueri Amalecitæ, atque Evangelicæ turbæ, producta ab Antonio Guerrero, qui nunc Ordinem utilium librorum editione collustrat, Tract. VI. Th. Mor. §. 6. q. 12. carnibus abstinendum putarunt Sextius Philosophus apud Senecam Epist. 108. Xenocrates & Polemon apud Clem. Alex. VII. Strom. Persarum Magi apud Hieronymum 2. adv. Jovinianum. Quod si mavis exempla Sanctorum, legito quæ de Matthæo Apostolo scribit laudatus Clemens Pædagog. 2. de Jacobo fratre Domini Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 20. & de aliis priscorum temporum fidelibus Tertullianus in libro de cultu fœminarum. Hanc vero abstinentiam à carne, & animalibus esculentis non solum hi laudant tanquam rigidiorem vivendi rationem; verum etiam ut alimentum piscium, & olerum sit minus exercentibus corpus, & ægrotis ac senibus accommodatissimum, quomodo demonstrat Michael Boudewins percelebris Medicus ac Theologus P. 2. Ventilabri quæst. XVIII. Eapropter etiam Quadragesimale jejunium tanta Veteres observatione peregisse, ut potius extremum spiritum agerent, quam carnem degustarent, animadvertit Balsamon in Scholiis ad VI. Canonem Apostolicum, & eximius Magister Lupus ad Concilii Romani octavum. Expresse insuper de voto Carthusianorum pertractarunt Tridentini PP. gravibusque pro illius observantia adductis momentis, noluerunt illud explicatione aliqua mitigare. Hæc nos movent, ut credamus Carthusianis etiam in extremo laborantibus, dummodo alii suppetant cibi, à carnibus esse abstinendum. Quam sententiam propugnant Vasquez, Salmanticenses, Sylvius, Habert, atque ex Nostratibus Vanroy, Piette, Guerrero. Sunt tamen qui putant id licitum esse Carthusianis excluso periculo scandali, ut Gerson, Major, Adrianus: imo qui tenent etiam ad hoc obligari, ut Almainus, Medina, Herminier. Verum hi olus ac pisces existimant nocens obsonium, dum Brunonis discipuli saniori judicio ajunt cum Prudentio in Hymno καθημερινῶν tertio:

Nos oleris coma, nos siliqua
Fota legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.

De moniali pariter, ob monasteriorum fœminarum decus, atque honestatem plu-

pluris sane faciendam, quam morbus unius, censeo non esse permittendum, ut egrediatur è claustro; quod expedit tamen, si epidemia aut pestilentia laboret, aut causa alia intersit ex enarratis in Cap. *Periculoso*, de statu Regularium, & in Bulla Pii V. quæ incipit, *Decori*, & *honestati*. Istud tamen assertioni nostræ nequaquam opponitur. cum fateamur privatam cujusque vitam cedere honori, ac bono Communitatis.

14. Propositio 3. PROPOSITIO III. Non potest Legislator operi, quod tam in se inspectum, quam attentis rerum circumstantiis leve est, parvique momenti, adnectere obligationem sub pœna mortalis culpæ.

Probatur. Hoc assertum inter Scholasticos commune est; ac satis ex eo liquet, quod humanæ leges ab æterna derivatæ debeant ipsi conformari. Lex autem æterna præscribit inter transgressionem ac pœnam debitæ æquitatis comparationem: neque enim justissimus Judex Deus Opt. Max. levissimo furto, aut officioso mendacio, aut prolato per jocum verbo, aut operi consimili veniali reddit sempiternæ damnationis supplicium. Quod si Princeps capitali pœna minimam proximo illatam injuriam puniret; quis eum Tyrannum potius, quam civitatis rectorem non appellaret? quanta inde non provenirent plebis incommoda, ac terrimæ frequentissimæque hominum cædes, atque inde, insidiarum, ac turbulentæ seditionis fomentum? At longe his grave peccatum, & consequens gehennæ supplicium deterius est. Ergo istud transgressioni levissimæ respondere non debet: quin & Jurisconsultis cautum est, ne alicui præter necessitatem grave onus imponant, ne sese subjiciant Domini exprobationi; qua Matth. XXIII. v. 4. novimus vellicari leges Pharisæorum.

15. Potest res levis fieri gravis ex circumstantiis. Fieri tamen potest, ut res per se levis, ob loci, temporis, ac personarum adjuncta, gravis sit reputanda. In exemplo sit facta primis parentibus præscriptio, ne certæ arboris fructus attingerent: quam legem attenta hominis conditione, & præstanda Cratori obedientia, opus non exigui momenti, quod fuisset alias pertenuis, constat inhibuisse. Dictum de hac lege lib. XII. cap. 12. prop. 1. Ad hunc modum se habent quædam Superiorum nostrorum præcepta, quæ tametsi videantur aliquando pertenuem circa materiam versari, considerata regularis observantiæ necessitate, atque intenti finis excellentia, possunt nos gravi obligatioe constringere. Si pariter in parva quoque materia fregeris Quadragesimale jejunium, aut feria sexta vel sabbato carnem gustaveris, quoniam sunt hæc Apostolicæ Traditionis capita, & Romanæ Communionis ab hæreticorum sectis divulsæ singularis character, sceleri obnoxius eris gravissimo. Atque his nullo adhibito studio objecta quæque repelles.

CAPUT XV.

Posse Ecclesiasticis legibus præscribi actus etiam internos.

SUMMARIUM.

1. Aliud est directè, & indirectè præcipere.
2. Actus internus indirectè præcipi potest.
3. An Actus interni per se, directè præcipi possint.
4. 5. & 6. Probatur Propositio.
7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.

Aliud est directè, & indirectè præcipere. ALIUD est, juxta verborum significationem, aliquid *directe* præcipere, aliud vero, *indirecte*. Indirecte præcipitur, quod alterius causa jubetur, propterea quod absque illius adminiculo, aut omnino fieri non potest, aut saltem non fit bene, atque, ut oportet; ita lex præscribens E. G. contractuum obligationem, præcipit quoque assensum liberum voluntatis, sine quo haberi non potest duorum, vel plurium conventus ac stipulatio: & præceptum horas canonicas persolvendi, mandat quoque *indirecte* etiam attentionem ac devotionem, sine quibus fructuosa ac perutilis esse nequit oratio. At *directe* illud præcipitur, quod per se, & absque consideratione alterius proponitur observandum, E. G. opus, quod ipsa lege declaratur esse complendum; ut interesse sacro, servare jejunium, tributum solvere, atque his consimilia.

2. Actus internus indirectè præcipi potest. Præcipi autem humana, & præsertim Ecclesiastica lege actum interiorem *indirecte*, certum est, neque Doctores re ipsa dissentiunt. Enimvero in Conc. Later. IV. cap. *Dolentes*, præcipitur, ut Divinum Officium recitetur *studiose pariter*, & *devote*: atque in Clem. de Celebr. Miss. *ut horæ legantur in puri-*

tate conscientiæ, & animi devotione. S. P. Augustinus in Reg. cap. 2. mandat, ut dum oramus ad Dominum, *hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Et D. Bernardus Serm. 41. de diversis, *Ex voluntate* (inquit) *suscipienda sunt imperia Prælatorum, & ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum,* Quibus accedit manifesta ratio. Voluntas quippe legislatoris hæc est, *ut faciat homines bonos*, auctore in 1. Eth. cap. 14. Philos. idque amplius de legislatore Ecclesiastico asserendum est, qui non mandat opera inutilia, & Pharisaico more externis tantum officiis patrata, optime sciens istiusmodi à Domino Is. cap. XXIX. 13. & Matth. XV. 8. repudiari. Saltem ergo *indirecte* præcipi ab Ecclesia animi intentionem, ac pium voluntatis affectum satis apparet ex Decretalibus, ex Patribus, atque ex ipso fine legislatoris.

3. An actus interni per se, directe præcipi possint.

Controversia itaque eo deducitur, ut inquiratur tantum, num legibus Ecclesiasticis interiores actus præscribi valeant per se, directe, & tanquam proprium ipsarum legum substratum. In qua controversia etsi Doctores quamplurimi negativam partem tutantur, atque oppositis argumentis quodammodo satisfaciunt reponendo his tantum probari Ecclesiam præcipere actus internos indirecte, ne videlicet exteriores aut irriti sint, aut perversi: est nihilominus sententia, quam dirigendis moribus filiorum Ecclesiæ magis commodam arbitramur, interiorem quoque actum cadere ratione sui sub ejusdem Ecclesiæ præcepto. Quam sententiam propugnant Romanus Aegidius, Vanroy, Guerrero, Piette, aliique Nostrates, nec non complures ex exteris, ut Lacroyx, Cardenas, Habertus, & alii, quos commemorare non vacat. Sit igitur

4. Propositio.

PROPOSITIO: Potest Ecclesia interiorem quoque actum per se, ac directe præcipere.

Probatur ex legibus.

Quatuor argumentorum capita proferam: primum ex legibus jam latis depromptum; alterum ex Ecclesiastica Historia: tertium ex Augustino; postremum ex ratione. Ac primum ita se habet: Ecclesia in actus internos, etiam ab omni externo opere sejunctos, suam exercet jurisdictionem, non solum eos dirigendo ut recte fiant, sed etiam puniendo si noverit iniquos ac pravos. Pollet ergo auctoritate illos directe præcipiendi. Comprobant antecedens Clementina 1. de statu Monach. juxta quam excommunicationem incurrit Monachus conferens se ad Curiam animo accusandi Prælatum. Clement. 2. parag. *Verum,* qua eadem pœna inuritur Quæsitoribus Fidei, qui pravâ intentione vel odio contra justitiam & conscientiam se ignaviter gerunt. Etiam dist. XXX. cap. 8. *Si quis.* dicitur anathema iis, qui jejunia Ecclesiæ contemnunt superba Eustathianorum superstitione, id est, opinantes in sua conscientia se esse perfectos. Ad hæc Sess. ultima Concilii Constant. mandat Martinus V. nuntiari singulis diebus Dominicis & singulis festis tanquam Excommunicatos, non solum qui palam professi fuerint hæreses Wicleff, & Husz, verum etiam qui pro defunctis hæresiarchis oraverint, aut illos sanctos esse crediderint, aut existimaverint legitime non fuisse damnotos: idque, etiamsi ipsorum duntaxat confessione interna hæresis innotescat. Damnarunt quoque Alex. VII. & Innoc. XI. opinionem quorumdam affirmantium satisfieri præcepto Ecclesiæ per sacrilegam Communionem. Inter impia asserta Michaëlis de Molinos, & in processu vernacula lingua lecto Romæ die 3. Sept. an. 1687. hæc connumerantur. 1. *A' Superiori si dee ubbidire nell' esteriore; e la latitudine del voto della Ubbidienza, de' Religiosi arriva solamente all'esteriore.* 2. *E'degna di riso una nuova dottrina nella Chiesa di Dio, che l'anima in ordine all'interno si dee governare per il Vescovo; perchè nè la sacra Scrittura, nè Concily, nè Canoni, nè Bolle, nè Santi, nè Autori l'hanno mai detta, nè la possono dire, perchè* Ecclesia non judicat de occultis 3. *Il dire, che si dee manifestare il suo interno al Tribunale esteriore de' Superiori, è ch'è peccato il non farlo, questo è un'inganno manifesto, perchè* Ecclesia non judicat de occultis. In his autem, quamquam primario damnatur abominabilis contemptus erga sanctissimum Tribunal sacræ Inquisitionis, quem inducere moliebatur vir Belial; videtur etiam supponi fallax illorum opinio, qui tenent Ecclesiæ præcepta ideo ad interiores actus non se extendere, eoquod ipsa non potest judicare de occultis. Itaque ex Ecclesiasticis definitionibus compertum est, Ecclesiam etiam internam hæresim excommunicatione ferire, in superstitionem, atque in animo latentem iniquitatem animadvertere, & id faciendi agnoscere in Episcopis & Pastoribus auctoritatem.

Ex

5. Probatur ex Historia Ecclesiastica.

Ex Ecclesiastica Historia singulare exemplum est, quod narrat Hermias Sozomenus lib. VI. cap. 28. de S. Presbytero Eulogio, *Quem ferunt, cum rem Divinam faceret, accedentium cogitationes usque adeo prænovisse, ut delicta eorum certissime argueret, & quæ singuli penitus in mente recondita habebant, percipere ret. Eos igitur qui mali quidpiam perpetrassent, aut patrare decrevissent, aliquamdiu arcebat ab altari delicta eorum in apertum proferens: postea vero pœnitentia purgatos ad mysteria admittebat.* Vide Sozom. ex Interpret. Valesii pag. 679.

6. Probatur ex S. Augustino & ratione.

Sanctus autem Augustinus de Moribus Eccl. Cath. cap. 30. ita Ecclesiam ipsam compellat: *Merito Ecclesia Catholica mater Christianorum verissima non solum ipsum Deum, cujus adoptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum prædicas: sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed & animi ætas est, exerces, & doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem casta, & fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis, &c.* Atque ita per omnia filiorum Ecclesiæ genera gravi oratione descendit. Ex quibus videor mihi haud inepte ratiocinari: Si Ecclesia est mater fidelium, quos spiritualiter parit, quomodo in eorundem spiritum tametsi latentem atque occultum directam ferendi leges jurisdictionem non habet? Si visibilibus sacramentis illos parturit, & impositione manuum cæterisque sensibilibus signis animam nutrit, sanctificat, exornat invisibili gratia, eccur per se lege verbis externis prolata non potest interiores actus præscribere? Ipsius interest morbis animorum mederi; & cur non potest directe imponere actus humilitatis, orationem, quam dicunt *mentalem*, actus fidei & charitatis, quæ videntur opportuniora contra superbiam, torporem, diffidentiam, variasque tentationes remedia? Viris fœminas subjicit casta & fideli obedientia, fœminis autem viros præficit legibus sinceri amoris; quænam est autem obedientia casta, & amor sincerus, nisi intimo ex corde procedens? Hæc denique mater docet filios quibus honorem, quibus affectum, quibus reverentiam, quibus consolationem, quibus disciplinam, quibus objurgationem, quibus denique supplicium exhibere debeant; ut sancta illorum dilectio in incendium consurgat, & Deo, qui ignis consumens est, uniantur; ut docet ibidem S. Doctor. Sua ergo refert filiis præcipere quæcunque ipsos dirigant in hunc finem: inter quæ interni actus omni procul dubio principem habent locum. Atque ex his ratio theologica quarto loco ponenda jam sponte, suaque natura profluxit.

Refelluntur contraria argumenta.

7. Objicitur & Solvitur.

Moventur autem adversarii argumentationibus istiusmodi. Inquiunt 1. Ecclesia non judicat de occultis, ut habetur in Cap. *Sicut tuis*, de Simonia: & Sess. 24. cap. 1. Trid. Respondetur hanc propositionem distinguendam: Ecclesia non judicat de occultis, quantum ad vim directivam; nego: quantum ad vim coactivam, subdistinguo, defectu potestatis, nego: defectu cognitionis, concedo. Et spectare quidem ad Ecclesiam, Rectoresque animarum internos actus dirigere pluribus argumentis probatum est: illos etiam Ecclesiasticis legibus cohiberi, si ad Ecclesiæ notitiam perveniant, producta facta commonstrant. Tridentinum quoque Concilium citata Sess. 24. sententiam nostram confirmat. Loquens enim de malo ex clandestinis conjugiis non semel oborto, ac præsertim de statu damnationis illorum, qui priore uxore cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo vivunt adulterio, inquit, *Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, &c.* Ex quibus habes munus esse Ecclesiæ etiam occultis adhibere remedium, atque prædicti proloquii sensum esse, quod Ecclesia nequit ferre sententiam, & punire peccata *probatione cessante*, ut habetur Can. *Christiana*, Causa 32. q. 5. Imo Tridentina Synodus clandestinos contractus, de quibus ait Ecclesiam judicare non posse, declarat irritos & annullat, cum tamen neque naturali neque Divino jure fuerint prohibiti. Quare etiam de occultis universali lege profert sententiam; etiamsi judicare non possit de hoc vel illo in particulari, nisi notitiam habeat aut per testes, aut per confessionem delinquentium. Atque ex his aliam habes responsionem, Ecclesiam videlicet lege generali & universali

versali actus internos præscribere aut prohibere, tametsi nequeat hunc, aut illum punire, nisi sciat præscriptiones suas violasse. Quare pronunciatum illud, *Ecclesia non judicat de occultis*, non de præscriptione legis accipiendum est, sed de individuæ prolatione sententiæ.

8. Solvitur auctoritas D. Thomæ.

Habes hinc quid reponas ad auctoritatem D. Thomæ scribentis 1. 2. q. 91. art. 4. *De his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare:* atque judicium hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exterioribus actibus qui apparent. Dicimus enim Doctorem Angelicum loqui de vi coactiva, ut colligitur ex verbis sequentibus: *Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus;* aut accipiendum esse de lege non juxta universalem ipsius præscriptionem, sed juxta sententiam in individuo prolatam. Potest enim E. G. Pontifex prohibere ne eadem Missa applicetur pro duobus stipendiis, ut prohibuit Urbanus VIII. atque hæc inhibitio versatur circa applicationem, quæ est actus interior. At hunc numero Sacerdotem consimili applicatione sacrum fecisse Ecclesia ignorat, ideoque in ipsum debita punitione minime animadvertit. Exempla huic similia paulo supra produximus.

9. Objectio 2. cum Solutione.

Arguunt ulterius: De Pœnit. dist. 1. cap. *Cogitationis*, habetur, *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Quem canonem de sola humana lege accipiendum, res per se loquitur. Resp. sensum Canonis esse, neminem puniri sententia judicis, ob cognitionem internam, quæ nullo modo probari potest. Nam si exteriori indicio interior malitia innotescat, etiam cogitationis pœnam patietur iniquus, ut de eo qui armarium aperuit, nec asportare potuit, aut segetum, quas secuerit, partem duntaxat surripuit; explicat ibidem Glossa. Spectat præterea Canon citatus ad jus Civile, non ad Canonicum; ut constat ex Canone 20. ejusdem dist. *Cogitatio non meretur pœnam lege civili, cum suis terminis contenta est.* Audio quid arguteris. Lex civilis, inquis, internum actum non præcipit: ergo neque Ecclesiastica. Sed tene latissimam disparitatem. Lex civilis ad temporalem politiam, atque ad externum regimen directa est, Ecclesiastica ad animarum quoque salutem & ad spiritalem concordiam, ad quam per se, & directe refertur. Deinde in legibus civilibus quædam sunt, quæ suapte natura effectum sortiuntur tantummodo posito externo actu, ut contractus, matrimonium, venditio, locatio: quædam verò, quæ effectum intentant, ut maleficia: unde sequitur citato canone 20. *Discernuntur tamen à maleficiis ea, quæ de jure effectum desiderant: in his enim nonnisi animi judicium consideratur.* Hujus generis leges etiam in interiores actus ferri possunt.

10. Objicitur ultimò & Solvitur.

Insuper objectant: Ecclesia cum sit visibilis, debet humano modo procedere. Resp. id non obstare quin per legem humano modo prolatam ad internos actus obstringat, quemadmodum per visibilia Sacramenta spiritales producit effectus. In cæteris, si quæ sunt alia, diluendis opera studiumque nostrum minime desideratur.

CAPUT XVI.

De iis, quorum interest ferre leges humanas, & eorum legibus obtemperare necessum est.

SUMMARIUM.

1. An potestates sæculares possint statuere leges Ecclesiasticas Propositio 1.
2. & 3. Propositio 2. Probatur.
4. 5. & 6. Propositio 3. Probatur.
7. S. Gregorius VII. defenditur.
8. Quomodo alii in hac materia intelligendi.
9. 10. & 11. Propositio 4. Probatur.
12. Illatum refutatur.
13. 14. 15. Propositio 5. Probatur.
16. Jurisdictio Regni & Imperii est in Summo Pontifice directè per se.
17. 18. 19. & 20. Solvuntur Objectiones.
21. & 22. Propositio 6. Probatur.
23. Propositio 7. Probatur.
24. Propositio 8. Probatur.
25. & 26. Solvuntur Objectiones.

An potestates sæculares possint statuere leges Ecclesiasticas.

NONNULLA quidem de legum Auctoribus supra disserui: unde constat nonnisi ad legitimos Superiores pertinere, ut Legem statuant. Quoniam vero nonnulli falsò scripserunt summas Potestates, quarum nomine designant Imperatores, Reges, & quos appellat vulgus Magistratus, quod tamen nomen potestatem inferiorem designat, imperium tenere in res sacras, cui & Ecclesiastici viri subjecti sint, neque hi quacunque fulgeant in Ecclesia auctoritate, aliud munus jure exercere, quam declarandi ac suadendi, adversus hanc impietatem erroremque execrandum acuam stylum parumper, demonstrans quomodo Eccle-

Eccleſiæ Paſtores imperium teneant, quomodo Poteſtates Sæculares, atque utriusque ſit à ſubditis obſequendum.

I. Propoſitio I. Probatur.

PROPOSITIO I. Poteſtates ſæculares non habent auctoritatem aliquam, aut imperium ſtatuendi leges Eccleſiaſticas.

Demonſtratur I. Petro duntaxat, & Succeſſoribus ejus data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, neque ſuper Imperatorem aut regem, ſed ſuper Principem Apoſtolorum Eccleſia fundata eſt, ut habetur Matth. XVI. 18. atque oſtendam diſſerens de Romani Pontificis auctoritate: ſimiliter ab Epiſcopis regendam Eccleſiam collata ſibi per Spiritum ſanctum poteſtate traditur in Act. Apoſtolorum cap. XX. 28. Atqui Terrenæ poteſtates deſtitutæ jurisdictione, charactere & gratia, quæ confertur per impoſitionem manuum Presbyterii, Pontificali aut Epiſcopali dignitate non fulgent. Non ergo ad eas attinet Eccleſiam regere, atque in hac exercere ligandi, ſolvendique collatam divinitus poteſtatem. II. Quem Eccleſia ejecerit ac damnaverit, nequeunt Poteſtates ſæculares in communionem recipere; ſed debent illum quique fideles habere tanquam Ethnicum & publicanum, juxta Evangelicum præceptum Matth. XVIII. 17. Igitur Poteſtas terrena ferendi in Eccleſia leges, ipſa Eccleſia repugnante, auctoritate non pollet. III. Sæculari Principi nefas eſt in Eccleſia ſacras functiones obire, nam Ozias, cujus pietatem & adverſus Philiſthiim glorioſa certamina comendat liber 2. Paralipp. ibid. cap. XXVI. 21. percuſſus lepra abjectus fuit usque ad mortem, propterea quod repugnante Azaria Sacerdote vellet ſuper altare thimiamatis incenſum adolere. Multo ergo minus fas erit Regi vel Principi res ſacras imperatoria conſtitutione præſcribere. IV. Ut habetur in Can. tit. de Judicib. *Judex ſæcularis in ſpirituali ſe intromittere non poteſt:* quæ etiam extant ff. de iis, qui ſunt ſui, vel alieni juris L. 1. §. *Videmus.* V. Oſius Cordubenſis in Epiſtola laudata ab Athanaſio ad ſolit. vitam agentes, hæc ad Imperatorem conſcribit: *Neque te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium invadit, contradicit ordinationi Divinæ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens magno crimini obnoxius ſias.* Et Hilarius pariter in Epiſt. ad Conſtant. Auguſtum, *Provideat,* inquit, *& decernat Clementia tua, ut omnes ubique Judices, quibus Provinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, à religioſa ſe obſervantia abſtineant, neque poſt hoc præſumant, atque uſurpent ſe cauſas cognoſcere Clericorum.* VI. Poſtremo his accedit, quod fundamentum eſt cæterorum, non eſſe corporis ſpiritum, neque temporalis politiæ Eccleſiaſticam regere communitatem: quod ſubjectis poſitionibus colluſtrabitur.

2. Propoſitio 2.

PROPOSITIO II. Poſſunt tamen Poteſtates terrenæ leges ſtatuere ad Divinas, & Eccleſiaſticas promovendas, non tanquam Eccleſiæ Judices, ſed tanquam defenſores ac vindices.

Probatur 1.

Hoc duntaxat probant argumenta, quæ ad ſtatuendum imperium ſummarum Poteſtatum erga ſacra viri politici & ſæcularium Principum adulatores coacervant. Sunt hæc ex veteri teſtamento deprompta. David I. Paralip. XV. 3. præcipit à Levitis afferri arcam Dei de domo Obededom; ſed jam Dominus Levitas elegerat ad portandam eam, ut ibidem legitur v. 2. Joas lib. II. cap. 24. ſancivit congregandam pecuniam ad ædificium & ornatum templi: ſed ſoli Levitæ arcam pecuniarum deferebant, & lex jam erat conſtituta per Moyſen Exodi XXX. 13. Joſias etiam lib. 4. Regum cap 23. juſſit, ut projicerentur de templo vaſa Baal, delevit aruſpices, evertit ædiculas ſcortatorum, & celebrandum Phaſe conſtituit: ſed *juxta verba libri fœderis,* ut habetur v. 2. nempe ſecundum præceptiones Moſaicas. Huc referenda ſunt exempla Ezechiæ & aliorum apud Auguſtinum in Epiſt. ad Bonifacium. Præterea fecit aliquando conditio temporum, ut pro divinarum & Eccleſiaſticarum legum cuſtodia fideles etiam impiorum & idololatrum Principum imperia arceſſerent. Ita nimirum pro ædificatione ſecundi templi Judæi Perſarum Regum juſſa poſtulaverunt. Ptolomæus litem de Templo Hieroſolymitano, & Garizitano diremit, apud Joſeph. lib. XIII. Antiq. cap. 6. Paulus apud Felicem, & Feſtum judicium ſubiit. Juſtinus Martyr, aliique Apologiſtæ ſanctiſſimi Imperatoribus veritatem Fidei Chriſtianæ comprobandam exhibuere. De Paulo Samoſateno etiam Aurelianus Imperator à fide alienus fertur dixiſſe ſententiam. Athanaſius ante Probum Laodiceæ contra Arium diſputavit, Antiſtites alii apud Jovinianum, Eugenius Epiſcopus ante Hunnericum. Hujusmodi enim Imperatores, etſi infideles aut hæretici, poterant Catholicorum diſſidia legibus Catholicorum componere. Nam

æquum est unumquemque juxta leges, quibus subjicitur, absolvi aut damnari. Quod si de Principibus Christianis sermo instituatur; fateor interdum non solum leges Ecclesiasticas promovisse, sed etiam, Pastoribus Ecclesiæ minime repugnantibus, coegisse Synodos, & sacrorum Antistitum electionibus præfuisse. Sed & ultro concedimus dici Constantinum in Antiqua Inscriptione *Auctorem Religionis, & fidei*, Carolum Magnum *Veræ Religionis rectorem*, Britannum Regem in vetusto Epistolio *Vicarium Dei* : & si quid iis dici potest illustrius.

3. Probatur 2. Verum qui iis adducuntur, ut adstruant imperium sæcularium Potestatum in Ecclesiam, plane decipiuntur. Prioris enim generis exempla, Davidis, Joas, & Josiæ potius demonstrant Reges Israel nullas de Sanctuario tulisse Constitutiones, sed pro servandis iis, quæ statutæ erant à Moyse, sedulo invigilasse. Alia, quæ Augustinus producit, ostendunt, quomodo Reges servire debeant Domino in timore, *ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plectendo.* Iisdem quippe verbis utitur S. Pater. Cumque post jus Divinum locum habeat proximiorem Ecclesiasticum; tenentur Reges hujus quoque disciplinam custodire, quoniam Deo rationem reddere debent *propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt*, ut inquit Isidorus Hispalensis in Sent. III. cap. 51. Quæ de Imperatoribus idololatris fuere subjecta, non ipsorum in res sacras imperium, sed Christianæ fidei triumphum commonstrant quem in majori rerum discrimine patrocinio hostium suorum reportavit. Fuerunt tamen singuli, quos supra commemoravi, Dei ministri, & vindices in iram eis, qui malum egerunt: qualem esse omnem potestatem sublimiorem asseruit in Ep. ad Rom. cap. XIII. v. 4. Apostolus Paulus. Cum autem Principes sint Dei ministri; quid mirum, si suam pro Ecclesiæ incolumitate operam contulere, & honorificis ac splendidissimis titulis fuerunt condecorati, Rectorum quoque Ecclesiæ, Fideique Auctorum ? Quos nisi superbe usurpaverint, non alia ratione dicimus esse collatos, quam vita & anima corporalibus membris exercentibus quidem vitales actus, et non sua illos vi dirigentibus, neque imperantibus.

4. Propositio 3. Propositio III. Competit Ecclesiæ Pastoribus non solum munus suadendi & declarandi, sed etiam auctoritas, & potestas coactiva, qua possunt suarum legum fractores vi, & imposita necessitate compescere.

Probatur 1. Opposita enim assertio, quam protulere Marsilius de Padua in Defensorio Pacis ad Ludovicum Bavarum, nec non Joannes de Janduno, arripuere posthac Protestantes, præsertim Grotius de Imperio summarum Potestatum cap. IV. §. 7. & 8. & M. Antonius de Dominis lib. v. de Republica cap. 2. & 3. damnata est tanquam hæretica à Joanne XXII. Damnationem receperunt cum cæteris etiam Doctores Parisienses solemni congressu die 1. Septemb. an 1330. atque pro hac definita veritate plura scripsere Gerson, Hervæus, Petrus de Alliaco, Franciscus Hallier, aliique. Itaque thesis hisce argumentis probatur. Christus Dominus facto flagello de funiculis vendentes & ementes è templo vi expulit. Contulit quoque Petro potestatem ligandi atque solvendi : ligantur autem non tantum voluntarii, sed etiam inviti. Apostolus Petrus Ananiam & uxorem, quod fraudaverint de pretio agri tali objurgatione reprehendit, ut corruentes protinus expirarent. Paulus etiam Elymam Magum luce privavit, tradiditque Satanæ in carnis interitum Corinthium fornicatorem. Etiam Sacerdotes ac Pharisæi cæcum perhibentem de Christo testimonium, Joannis IX. 34. *ejecerunt foras*, vel è templo, vel, ut aliis placet, è synagoga. Idem feciisse Stephano, Paulo & Barnabæ narrant Acta Apostolica. Fuerunt quidem hæc postremo loco posita per summam injustitiam patrata; sed nihilosecius Sacerdotalem auctoritatem eos, qui habentur impii, per vim expellendi commonstrant.

5. Probatur 2. Exercuerunt præterea Ecclesiæ Pastores jurisdictionem illam coactivam vel excommunicatione, vel potestate miraculorum, vel violenta manuum appositione. Coactivam esse vim Excommunicationis ex eo probatur, quod percussi anathemate inviti à fidelium communione separantur. Quare abscindi dicuntur in Epist. ad Galatas cap. v. 12. atque in Evangelica similitudine Matth. v. 29. & 30. tum abscindi, tum erui, ac projici. Hæc enim de excommunicatione interpretatur Innoc. I. in Epistola ad PP. Milevitanos inter Augustinianas 93. Potestate sibi divinitus tradita miraculorum usos fuisse sanctissimos Ecclesiæ Pastores, etiam vim inferendo, & coercendo, Ananiæ & Elymæ allata exempla declarant. Excommunicatum ab Ambrosio famulum Stiliconis statim ab immundo spiritu discerptum,

ptum, Zozimum Neapolitanæ Ecclesiæ invasorem anathemate percussum protensa tanquam bovi anhelo lingua spectaculum de se exhibuisse miserrimum, & Eudoxiam Imperatricem pariter à Chrysostomo communione privatam infelicem habuisse exitum, Ecclesiastica narrat Historia. Quod ejectis etiam ab Ecclesia Judæorum olim accidisse auctor est Josephus lib. 2. de Bello capite septimo. Ubi de Essenis, *Deprehensos* (inquit) *in peccatis à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus miserabili plerumque morte consumitur. Illis enim sacramentis & ritibus obligatus neque capere ab aliis oblatum cibum potest; herbas vero pecudum more decerpens & fame exesus per membra corrumpitur.*

6. Probatur 3. Deinde vero vim adhibere Ecclesiam liquet ex lib. 11. Constit. Apostol. cap. 57. & lib. VIII. cap. 11. ubi mandatur expelli à Templis infideles, & baptismo nondum initiatos: quod de Excommunicatis antiqua servandum esse disciplina, & ad hoc institutos Ostiarios Ivo Carnotensis, aliique literis mandarunt. Extat in VI. Confess. cap. 2. memoriæ prodita ab Augustino prohibitio per Ostiarios facta iis, qui ad memorias Martyrum pultes, panes, merumque deferebant, & obedientiæ S. M. Monnicæ commendatio. Numerianum Antiochiæ ingressum in Ecclesiam S. Episcopus Babylas magno animo in faciem ejus consistens expulit, ut scribit Nicephorus lib. 6. cap. 33. neque hortatorio sermone, sed auctore Chrysostomo in lib. de S. Babyla, *quasi vile quoddam, ac nullius precii mancipium à Dei templo exegit, tanta adeo cum constantia, atque animi præsentia, cum quanta pastor scabiosam ac morbidam ovem ab ovili excludit, dum prohibet ne laborantis ovis morbus ad reliquum quoque gregem contagione serpat.* Sanctus quoque Ambrosius Theodosium post cædem Thessalonicensem à sacris liminibus prohibuit, non concionis verborumque efficacia tantummodo, sed extra vestibulum procedens, & coram omni multitudine purpura Imperatoris apprehensa. Legite Theodoritum lib. v. H. E. cap. 18. Sozomenum lib. VII. cap. 25. & Nicephorum lib. XII. cap. 41. Neque hæc exempla quis in dubium poterit revocare.

7. S. Gregorius VII. defenditur. Quamobrem assentiri minime possumus iis, qui scribunt primum omnium S. Gregorium VII. vim contra Imperatorem adhibuisse: tametsi hujus viri singularis probitas, & incorrupta justitia sufficeret sola ad positionem nostram firmandam. Neque enim Prædecessores semper, & cum poterant, anathematis fulmina evibrarunt, Ecclesiæ rebus ac temporum angustiis provide consulentes. At Gregorius opportune summi Pastoris jurisdictionem exercuit, impium regno, & communione privando. Nam Simoniacas investituras non dimittentem primo ad obediendum decreto à Romana Synodo lato paterne hortatus est: deinde acriores literas conscripsit; tum post Vormacense Conciliabolum, Epistolamque Henrici injuriis, dicteriisque plenissimam, Synodum Gregorius indixit, in qua definitum est omnibus acclamantibus, ut privaretur honore regio. Et tamen piissimus Pontifex Augustam ad Generale colloquium pergere non recusabat, & jam cum propriæ vitæ periculo arripuerat iter, insidiarum, quas Henricus struebat, admonitus. Aequitatem præterea Pontificiæ sententiæ infelix Henrici exitus comprobavit. Sed legatur Antonius Pagius ad an. Ch. 1076. ubi hæc confirmat testimonio Scriptorum illius ætatis, quibus habenda est magis fides, quam posterioribus, maxime si talia monimenta non legerint.

8. Quomodo alii in hac materia intelligendi. Si quæ sunt autem sanctorum Episcoporum, & præsertim Chrysostomi dicta, non esse Pastoribus Ecclesiæ potestatem cohibendi homines à delictis; sic accipienda sunt, quod vera fides & innocentia, cum animo inhæreat, persuasionibus quidem, non vi coercente promoveatur, & ab Ecclesia alieni trahantur verbo, non compellantur imperio: cum tamen iis, qui sunt de corpore Ecclesiæ possint Pastores leges imponere tam adhortatione, quam auctoritate sententiæ, atque ut Apostolus innuit priori ad Corinth. cap. 4. v. ult. ubi non sufficit charitas & spiritus mansuetudinis, virgam, potestatemque adhibere.

9. Propositio 4. Probatur 1. ex Scriptura. PROPOSITIO IV. Minime pugnat cum spirituali Ecclesiæ regimine temporalis jurisdictionis regnique potestas.

Subjicienda est hæc thesis propter eos, qui asserere audent non posse Pastores Ecclesiæ frui temporali jurisdictione. Quos scriptura redarguit, ratio, omniumque consensus populorum. Et scriptura quidem nos docet, primos Patriarchas, Noemum, Abrahamum, Jacobum, aliosque omnes, priusquam Levitæ loco primogenitorum subrogarentur Num. III. 41. Sacerdotio functos fuisse, victimasque mactasse. Melchisedechum simul fuisse Regem Salem, &

& Sacerdotem Dei Altissimi, habetur in XIV. 18. Geneseos. De Moyse, Eli, Samuele, & glorioſa ſerie Machabæorum liber Exodi, prior Regum, & qui de Machabæis inſcribuntur, idem aperte teſtantur. Chriſtus Dominus, tametſi humilis apparuit, & pro hominum ſalute ſingularem obedientiam exercuit, regio ſimul & ſacerdotali genere ortus, Princeps Regum terræ appellatur cap. 1. Apocal. v. 5. & de ſe inquit Matth. ult. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Regiamque poteſtatem ſe tenere oſtendit, dum à Magis primo annuntiatus eſt in ipſa Herodis Regia his verbis: *Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum?* Mat. cap. 11. 3. Exactoribus etiam didrachma à Petro petentibus, *Quid tibi videtur, Simon?* (inquit Dominus Matth. XVII. 24.) *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis?* Quibus oſtendit ſe Regem eſſe, nec teneri ad ſolvendum didrachma, tametſi ad evitanda ſcandala dari juſſit ſiclum in ore piſcis inventum. Jeroſolymam quoque ingreſſus eſt regio, ſolemnique plauſu exceptus: & Pilato interroganti, num eſſet Rex, Joannis XVIII. 37. reſpondit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Portans denique ſpineam coronam, & regiam cum humilitate præſeferens majeſtatem, conſtitutus eſt, ut David cecinerat Pſ. II. 6. *Rex ſuper Sion.*

10. Probatur 2. ratione.

Porro utramque poteſtatem ſpiritualem ac temporalem poſſe ſimul conſiſtere, humana aſſequitur ratio, ſi utriusque finem, unum alteri ſubordinatum attendit, aut obſervat idem corpus carne ac ſpiritu eſſe conflatum. Quod proxima theſi explicaturus ſum; neque inficias ibit ipſamet perverſa hæreticorum conſcientia, quibus placet temerario auſu in una Angli Regis perſona agnoſcere politicam ſimul, & Eccleſiaſticam poteſtatem.

11. Probatur 3. conſenſu omnium populorum.

Redarguit eos inſuper Gentium univerſarum conſenſio. De populo Dei dixi nuper. Reges Aethiopum fuiſſe Sacerdotes ſcribit Diodorus, idemque narrat de Ægyptiis Plutarchus, de Spartiatis Herodotus, de Athenienſibus Plato, de Romanis Halicarnaſſæus, atque Livius. Pervulgatum illud Virgilianum 3. Aen.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique ſacerdos
Vittis, & ſacra redimitus tempora lauro.

In quem locum Maurus Servius inquit: *Majorum hæc erat conſuetudo, ut Rex eſſet etiam Sacerdos & Pontifex: unde hodieque Imperatores dicimus Pontifices.* Diſtributis poſthac muneribus, diſcretisque Regibus ab Auguribus & ſacrorum miniſtris, & hi Reguli ſunt appellati; quod nomen prima ſui inſtitutione ſignificare ſacrificiorum Magiſtros ſcripſit de Iſ. & Oſir. Plutarchus. Videndus etiam in 1. de Divinat. M. Tullius: ſemper enim apud Ethnicos ad Sacerdotes Augurum munus pertinuit.

12. Illatum refutatur.

Hinc nemo inferet poſſe ſæcularem poteſtatem uſurpare jura Sacerdotum. Nam Sacerdotii noſtri dignitas & auctoritas non à patrum generatione, neque ab imperii hæreditate dimanat: ſed à Divina electione, ſcribente ad Hebræos Paulo cap. v. 4. *Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

13. Propoſitio 5.

PROPOSITIO V. Summo Eccleſiæ Paſtori competit reapſe utraque ſimul poteſtas, Eccleſiaſtica videlicet, & politica.

Probatur 1. variè.

Noſtræ Communionis Theologi, id eſt, Romanenſes atque Catholici, tametſi non conveniant, quomodo hæc duplex poteſtas Romano Pontifici ſit concedenda, num *directe* ſpiritualis, *indirecte* civilis, num vero utraque *directe*, & vi clavium; attamen propoſitionem comprobant multiplici genere argumentorum. Afferunt 1. loca Scripturarum: in quibus de Eccleſiæ Capite pronuntiatum legimus à Jeremia cap. 1. v. 10. *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, &c.* quo teſtimonio uſus eſt Innocentius III. in Epiſt. ad Imp. Conſtantinopolitanum. Accedit facta Petro ampliſſima poteſtas quodcumque ſuper terram ligandi, una cum mandato paſcendi commiſſas oves, in quo comprehenditur auctoritas eas cohibendi, quotieſcumque aberrant ſive ſpiritu, ſive corpore. Addunt quod juxta Apoſtolum ſumus unum corpus, & plura ſub uno Capite membra: atque ad Caput pertinet ſubjecta membra dirigere. II. Producunt canones, ac præſertim Cap. *Poſtulaſti*, in Extrav. & Cap. *Quidem ea*: unde liquet Romanos Pontifices pœna pecuniaria animadvertiſſe in eos, qui injecerant manus violentas in Clericos, & civibus Tuſciæ mandaſſe, ut arma pararent, militibusque decreviſſe ſtipendia. III. Exempla Pontificum, qui Imperatores Regesque depoſuerunt, aut in eos jurisdictionem exercuerunt, quorum exemplorum nonnulla theſis tertia ſuppeditat. IV. Recitant teſtimonia Patrum: inter quos Bernardus in lib. de Conſiderat. apertiſſime duos gladios tri-

tribuit Pontifici, & illum, qui gladius est potestatis civilis, non quidem illius manu evaginandum, sed tamen ad nutum ipsius. Plura de his Bellarminus, Turrecremata, Macedo, alii.

14. Probatur 2. vulgata ratione.

Unam ego, vulgatamque illustrabo rationem, quæ simul discrepantes sententias Patrum conciliabit, & objecta quæque dispunget. Est autem. *Omnis persona, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de iis, quæ sunt ad finem.* Ita S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. Atqui omnis potestas civilis & politica ordinata est ad bonum spirituale, atque ad Religionem, cui præest Romanus Pontifex. Igitur is disponere potest de omni potestate civili, & politica. Dixi vulgatam rationem, qua complures utuntur. Pro cujus fulcimento demostrandam aggredior utramque syllogismi propositionem. Potestatem politicam ad spirituale bonum referendam, solus imprudens, ac stultus pernegabit. Ajebat Theodosius in Epist. ad Cyrillum: *Cæsarei est muneris, ut non solum pacifice, sed pie etiam subditi vivant.* Et Ammianus lib. XXXIX. *Nihil aliud est imperium, ut sapientes definiunt, nisi cura salutis alienæ.* Habeo in hoc consentientes Isidorum Hispalensem, & Augustinum, & quos laudavi cap. præcedenti. *In hoc serviunt* (ait S. Pater lib. 3. contra Cresc. cap. 51.) *Deo reges, in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad Divinam religionem.* Quis præterea ignorat corporalia spiritualibus, & terrena sempiternis bonis subjicienda?

15. Probatur 3.

In Corpore autem Ecclesiæ quæ ad Dei honorem, quæ ad religionem, quæ ad spirituale bonum per se pertinent, Sacerdotali regenda esse auctoritate, & hanc esse veluti in corpore Animam evinco illustribus testimoniis. Auctor Constit. Apostol. lib. 11. cap. 34. de Episcopo ait: *Sacerdotium ad Dei honorem administrat, ut pericula ab anima & corpore propulset. Quanto ergo anima corpore præstantior, tanto est Sacerdotium regno excellentius. Quocirca Episcopum oportet, ut patrem diligere, ut regem metuere.* Nazianzenus Orat. 17. n. 15. ita Principes alloquitur, *Vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subjicit: imperium nos quoque gerimus. Addo etiam præstantius & perfectius; æquum est enim spiritui carnem fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.* Isidorus Pelusiota lib. 3. Epistolarum ep. 249. inquit: *Ex sacerdotio & regno rerum administratio constata est: quamvis permagna utriusque differentia sit; illud enim est velut anima, hoc velut corpus.* Addamus Epist. ad Joannem Papam M. Cassidori Senatoris, & Præf. Prætorio; in qua, *Pascitis quidem* (ait) *spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat dualitate, ita boni patris est utraque re fovere. Sum quidem judex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tunc ista recte gerimus, si à vestris regulis minime discedamus.* Quemadmodum ergo anima, cujus est in homine virtus præstantior, non tantum spiritales actiones regit, sed etiam corporalia membra movet, & si rationi adversentur, coërcere debet ac refrænare: ita in Corpore fidelium Summus Pastor moderatur spiritualia; atque ad ejus nutum diriguntur imperia, quæ si à Dei cultu, ac pietate deflectant, potest, ac debet illa reprimere, & cohibere.

16. Jurisdictio regni & imperii est in Summo Pontifice directè per se.

Ex his consequitur jurisdictionem regni & imperii non esse in Romano Pontifice *indirecte*, sed *directe*, per se, & vi clavium, & tanquam in Christi Vicario, ut docet B. Augustinus Triumphus Q. 1. de Potest. Papæ art. 7. & q. XXXV. art. 4. Nam & animæ, in quantum anima est, competit rebelles carnis motus refrænare; & cuilibet potestati, ad quam pertinet finis, directe, proprioque jure etiam spectat media, quæ sunt ad finem, disponere. Quod ergo præclarissimi quidam Theologi docent, Romanum Pontificem non habere potestatem politicam ac temporalem *directe*, hoc tantum sensu probamus, quod præcipuum Apostolicum munus est regere spiritum; & sicut anima corporales motus perficit ministerio carnis, ita Ecclesiasticus princeps finit temporalia regimina à Potestatibus politicis exerceri, has, si deviant, continendo ac reprimendo. Verum id malo dici ab Ecclesiæ Rectore factum *mediate*, quam *indirecte*.

17. Objicitur 1.

Dissipantur his machinationes, quas contra commoliuntur falsorum dogmatum architecti. Opponunt primo loca quædam Evangelii, unde constat Christum Dominum noluisse inter duos fratres de divisione hæreditatis judicium proferre, Lucæ XII. 14. cum venissent turbæ ut eum raperent & constituerent Regem, in montem fugisse, Jo. VI. 15. atque dixisse Pilato Regem quidem se esse, sed regnum suum non esse de hoc mundo, Jo. XVIII. 36. His accedit moni-

monitum Apostolicum in 2. ad Timoth. cap. 11. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

18. Solvitur. Quibus ex ordine respondemus, noluisse Christum hæreditatem inter fratres dividere, principio quoniam Spiritualis Rex, etsi omnem habeat potestatem in cœlo & in terra, quemadmodum Christus se profitetur habere, eamque exercuit, ut diximus Prop. IV. nihilominus non est constitutus ut immediate & per se vilia quæque, terrenaque moderetur, quorum administrationem mandat sæcularibus, ut spiritus corporales motus brachio, pedibus, membrisque reliquis, & veluti Moyses suadente Jethro constitutis magistratibus minora commisit: Exodi XVIII. 21. 24. Deinde dedecens erat, Deum pacis inter fratres dividere; quod Oseæ XIII. 15. munus dicitur iniqui Regis. Præterea licet Christus Rex foret, nondum Ecclesiam sanguine suo acquisierat, nec Rex super Sion montem sanctum Domini fuerat constitutus. Fugit autem in montem solus, quoniam Rex cœlestis non debebat recipere regiam à terreno populo auctoritatem, nec talia veritati, quam evangelizabat, præsidia quærere, nec demum Redemptionem, quam morte turpissima perficere decreverat, assumpta regia auctoritate impedire, venturus iterum cum majestate magna, nequaquam à populis accepta, Judex universorum. Pilato utique ait Regnum suum non esse de hoc mundo: se tamen regem confessus est. Regnum vero de hoc mundo negavit, & quia auctoritatem regiam non ab homine, sed collatam divinitus obtinuerat; & quia regnum suum dicebat Ecclesiam, populumque fidelem, in quo regnat non hæreditate terrena, sed prædestinatione Divina: & quoniam Regis hujus thronus erat dextera Patris, non solium Israël, ac terrena Jerusalem. *Quod est enim Regnum, nisi credentes in eum, quibus dicit, De mundo non est, sicut & ego non sum de mundo*? inquit Augustinus Tract. 115. in Joan. num. 2. paucisque interjectis: *Non ait Regnum meum non est hic, sed non est hinc. Hic est enim Regnum ejus usque in finem sæculi.* Ergo in hoc Christi regno comprehenduntur etiam Imperatores ac Reges, quotquot ad veritatem Evangelii venerunt, & Christi Vicario subjiciuntur in his omnibus quæ ad hæreditatem æternam conducunt; in quorum genere contineri terrenorum Regnorum administrationem negare non possunt, nisi etiam denegent collatum sibi imperium ad tutelam religionis, & Dei cultum, & corpus animæ, id est, terrenam potestatem spiritualis esse instrumentum. At Apostolus in altera ad Timotheum Epistola utitur comparatione militum, qui debent propriis muniis insudare militiæ, non agrorum cultui, nec custodiæ animalium, vel mercimoniorum quæstui, ut habetur in L. *Milites*, C. de Re militari, & Vegetius scribit libro 11. & Ambrosius pariter in lib. 1. de Officiis; eoquod cum armati sint & stipendium accipiant à republica, solis debent utilitatibus publicis occupari. Ac modo consimili scribit Apostolus ne Domino militantes implicemur ταῖς τοῦ βίε πραγματείαις; nec ullus Clericorum debet idcirco vacare venditioni mercium, negotiis forensibus, usui armorum. His tamen minime obstantibus, ut Dux militum & Imperator præsidet etiam iis, quæ ad bella gerenda parantur, ita spiritualis Princeps jus habet in terrenam Rempublicam ad spiritale bonum directam, neque à Religione divulsam.

19. Objicitur 2. Opponunt ulterius, quod regia, & spiritualis potestas pugnent ad invicem, & à Christo sint propterea separatæ, ut habetur dist. 10. cap. *Quoniam*, & dist. 96. cap. *Eum ad verum*, & in Epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem: ex qua præfata capita sunt exscripta. Quibus accedunt plurimæ sententiæ Patrum affirmantium Ecclesiæ pastoribus interdici imperium, ac temporale dominium.

20. Solvitur. Verum his satisfactum arbitramur allata superius animæ corporisque comparatione. Etsi enim natura spiritus, & natura corporis eatenus pugnant, quatenus diversâ constituuntur essentiâ, & anima caret partibus, quibus corpus coalescit; junguntur tamen in una, eademque persona hominis, & talem ordinem servant, ut habeant quidem sua peculiaria munia, sed anima debeat singula dirigere & coërcere. Atque ita spiritualis potestas, quæ immediate versatur circa salutem animæ, habet diversam quasi naturam à potestate civili, quæ spectat temporalem tranquillitatem; & nihilominus simul consistunt in uno Romano Pontifice, qui per se spiritualia, & per filios suos Imperatores ac Reges terrena ministrat: & si hi non recte incedant, *Gloriosos terræ humiliat, ne adversus petram, Ecclesiamque possint portæ inferi prævalere.* Legite S. Thomæ Cantuariensis Epistolam 97. Hæ duæ potestates spiri-

spiritualis & politica, ut inquit Nicolaus I. fuerunt ante adventum Christi permixtæ, quoniam in sacerdotio Levitico per se & immediate Sacerdotes præerant templo & urbi, immolabant victimas & regebant exercitus; nunc vero post adventum summi Regis ac Pontificis, simul quidem regale genus & sacerdotale subsistunt; sed summus Pastor per se tractat spiritualia, terrena autem Sæcularium Principum ministerio. Monent autem rectè Sancti, ne Ecclesiastici immediate moderentur terrena, nec se rebus inferioribus implicent; at si Potestas civilis contraria sit spirituali, inferior nempe superiori, & corpus animæ, quemadmodum contigit regnante Nicolao in depositione Ignatii Antistitis Constantinopolitani, tenetur Pontifex potestatem ipsam civilem cohibere, quoniam, ut ait citata Epistola Nicolaus, *Pontifices pro temporalium cursu rerum utuntur Imperialibus dispositionibus, & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent.* Ex quibus argumenta Calvini, Grotii, aliorumque Hæreticorum facilem habent, ut arbitror, expeditionem.

21. Propositio 6. PROPOSITIO VI. Quælibet civilis Potestas, quæ in Corpore Ecclesiæ tenet imperium, debet ad nutum Pontificis arma tractare, cæteraque complere suæ auctoritatis officia.

Probatur. Sequitur ex præcedenti, brevique corroboratur. Numerorum quippe Cap. XXVII. 21. legitur, *Si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipse*, (id est Josue) *& omnes filii Israël cum eo, & cætera multitudo.* Quo in loco oscitanter nimis scripsit Abulensis, Eleazaro egrediendum & ingrediendum ad Imperium Josue, quod & repetit q. 2. in cap. XIV. hujus Historiæ. Etenim pronomen *Ipse* ad Josue, non ad Eleazarum referendum constat ex versione Hebraica, *Coram Eleazaro Sacerdote stabit, & poscet ab illo judicium Urim coram Deo: juxta os ejus egredientur, & super os ejus ingredientur ipse & omnes filii Israël cum eo.* Non ergo Eleazar, sed Josue stare debebat, judicium poscere, & juxta Sacerdotis oraculum cum populo egredi, & ingredi. Ideo rectè Innoc. III. cap. *Solitæ*, negat Josue accepisse imperium in Eleazarum. Demonstrat id etiam judicium *Urim*, quod hac occasione explicabo. In rationali, quo pectus sacerdotis ornandum erat, jussus est Moyses ponere Exodi XXVIII. 30. התומים את האורים ואת, *Urim, & Thummim.* Vulgaris opinio est duas gemmas fuisse Ephod intextas, quarum insolito splendore quid agendum foret patescere. Hinc David 1. Regum XXIII. 10. ignorans num descenderet in Ceilam dixit ad Abiathar Sacerdotem; *Applica Ephod:* quod & fecit persecuturus latrunculos, cap. XXX. 7. Tradunt autem hoc genus Oraculi per lapillorum splendorem cessasse in Babylonica Captivitate; quamquam Josephus lib. 3. Originum cap. IX. scribit id contigisse annis antequam illam inchoaret historiam ducentis. Hinc etiam Aegyptii, cæterique idololatræ Sacerdotibus suis torquem collo apponebant, & Ephod pectori, in quo diabolus Dei Simia immutatione gemmarum dedisse responsa colligitur ex Hist. Judic. cap. VIII. atque ex libro 1. Diodori. Sunt tamen qui per Urim & Thummim intelligunt solum judicium Pontificis, nam *Urim* significat illuminationes & manifestationes, *Thummim* integritates ac veritates: & proculdubio recte verterunt Græci δήλωσιν, καὶ ἀλήθειαν, & Latina Vulgata, *Doctrinam & veritatem.* Igitur, ut tatetur etiam in hunc locum hæreticus Munsterus, Josue imperator exercitus debebat consilium & oraculum petere à Sacerdote conscio Divinæ voluntatis: ac propterea de ipsomet Josue scriptum est: ושאל לו במשפט האורים *Et petet ab illo judicium illuminationum.*

22. Confirmatur. Id multo magis à Christianis Principibus servandum est, quod hi potiori jure tenentur pro fide ac religione instituere certamina, aut si pro republica bella gerunt, commoda quæque populorum ad æternam ipsorum salutem tenentur dirigere. Unde S. Thomas citata q. 40. art. 2. ad 3. *Bella carnalia* (inquit) *in populo fideli sunt referenda sicut ad finem ad bonum spirituale Divinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet disponere, & inducere alios ad bellandum bella justa.* Atque si id Principes haberent præ oculis, profecto à plurimis cladibus cædibusque abstinerent, quas deplorant viri quique eruditione, ac pietate præclari, nuperrime vero in Oratione de laudibus strenuissimi Principis Eugenii ad invictissimum, piissimumque Cæsarem Carolum Sextum vir eximius & literarum splendore, infulis Ecclesiasticis, & Vaticana Purpura insignis Dominicus Passionеus.

23. Propositio 7. PROPOSITIO VII. Legislator & ipse aliquo pacto propriis legibus obstringitur.

Probatur. Dixi aliquo pacto: nam certum est Legislatorem suis legibus non teneri, ita ut imperio alicujus positivæ legis subjiciatur, cum imperium stringat duntaxat inferiores; unde extat l. *Princeps*, dig. de legibus lib. 1. tit. 3. *Princeps legibus solutus est.* Atque hinc est, principem suis legibus non subjici quantum ad vim coactivam, cum superiorem non habeat, qui possit in ipsum animadvertere. Sed tenetur propriam legem servare vi superioris legis, æternæ scilicet ac naturalis, quæ rectum postulant ordinem caput inter & membra: ideoque si Princeps pro Republica legem constituat, eaque præcipiat quæ capiti membrisque conveniant, lege naturali jubente ut omnia ordinatissima sint, institutis à se æquitatis regulis devincitur. Quod mihi quidem auctoritas, ratio, exemplaque persuadent. Auctoritas quidem; etenim reprehenduntur Matth. XXIII. 4. qui subditis onera imponunt, illa autem nolunt extremo digito attingere. Innocentius III. cap. *Cum omnes*, de Constit. Canonicis Ecclesiæ Trecensis illud Catonis commendat: *Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Et dist. 9. Cap. *Justum*, dicitur: *Justum est, principem legibus obtemperare suis.* Ambrosius præterea Epistola XXI. 9. Valentinianum alloquitur: *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Habetur denique in C. tit. 14. l. 1. *Digna vox est Majestatis regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* Ad rationem quod spectat; debet omnis pars suo universo congruere, ut S. Pater docet lib. 3. Conf. cap 8. Cum itaque Princeps sit Reipublicæ Caput, necessum est ut se reddat cæteris conformem. Cui accedit, latam esse omnem legem pro bono communitatis. Istud vero bonum pendet potissimum à Principis æquitate; quoniam experimento comprobatum est, & Carmine etiam Homeri Odyss. XIX. confirmatum, talem esse Reipublicæ tranquillitatem,

Qualis Rex culpa vacuus, gnarusque Deorum,
Qui populis multis & fortibus imperat unus,
Tutatur pia jura manu.

Exemplum denique desumptum est à Philemone ex illis Medicis, qui dum morbo cubant, debent eadem usurpare remedia, quæ allis pari infirmitate laborantibus jam præscripserant. Quæ autem contra hanc propositionem objiciunrur, si dixeris obligationem servandi proprias leges oriri in Principe ex ipsa ipsa lege naturæ, non directe ex ipsa lege humana ab illo constituta, uti modo explicabam, absque alia disputatione arbitror esse soluta.

PROPOSITIO VIII. Advenæ ac Peregrini locorum, ad quæ accedunt, tenentur legibus, non proprii, unde abierunt, territorii. 24. Propositio.

Rationem simul ac exemplum affert S. P. Augustinus Epist. ad Januarium XVIII. nunc LIV. cujus verba habentur dist. 12. Can. *Illa.* Ubi distinguit ea, quæ servantur ab universa Ecclesia, & quæ utique necessum est custodiri ubique locorum, ab iis, quæ per loca terrarum, regionesque variantur. De his vero inquit: *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Profert mox exemplum de jejunio, quod in Ecclesia Mediolanensi sabbato non servabatur. Quamobrem Sancta Mater Monica fluctans quid ageret movit Augustinum, ut consuleret Ambrosium. Is autem respondit: *Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo: nec quemquam tibi.* Additque S. Parens non solum Monicam libenter sententiæ Ambrosii auscultasse, verum etiam ipsum Augustinum semper illam tanquam cæleste oraculum habuisse. Ex quo uno loco potest quisque deducere pro firmanda thesi auctoritatem Canonis, testimonium sanctorum, consuetudinem disciplinæ, & depromptam à periculo scandali rationem. Probatur ex S. Augustino.

Ob. 1. At ibidem Augustinus ait de variis locorum statutis, *Totum hoc genus rerum liberas habet observationes.* Resp. post ea verba statim consequi, *Nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam, ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte venerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum est.* Liberam ergo habent observationem, sed extra Ecclesiam, in qua sunt veteri consuetudine comprobata. 25. Objectio. Solutio.

Ob. 2. Episcopus territorii, unde advenæ transeunt, nequit eos matrimonio conjungere, nec ad Ordines promovere; quomodo ergo peregrini illius Episco- 26. Objectio & Responsio.

Episcopi jussis subjiciuntur? Similiter Latinus Sacerdos transiens per regiones Græcorum, aut Græcus per Latinas Ecclesias ritu proprio libere utitur, ac pane azimo, aut fermentato. Respondetur in his, cæterisque similibus ab ipsis Episcopis, ac Synodis statutas esse exceptiones, ne in contrahendo matrimonio, aut Ordinibus suscipiendis fallacias fraudesque improbi molirentur: ideoque in istarum observatione leges Territorii potius impleri, quam frangi. Ut celebrent pariter cum Latini, tum Græci proprio ritu servato, decrevit ad vitandam utriusque Ecclesiæ scissuram Synodus Florentina. Quod autem sancivit saluberrima Ecclesiæ auctoritas, non lex Territorii est appellandum, sed commune statutum, ubique, ut S. Pater docet laudata Epistola, retinendum. De Clericis proximo capite adjiciam quæ adhuc flagitat hujus argumenti dignitas atque amplitudo.

CAPUT XVII.

De Immunitatate, & Asylo.

SUMMARIUM.

1. Notanda circa Immunitatem & Asylum.
2. & 3. Probatur Propositio 1ma.
4. 5. 6. 7. & 8. Probatur Propositio 2da.
9. Usque 15. Solvuntur objectiones.
16. Propositio 3tia.
17. Explicatio illius.
18. & 19. Probatur eadem.
20. Constitutio Juliani Apostatæ, & Regis Gallorum Chilperici nil probant.
21. Propositio 4. de 4 Civitatibus Asyli.
22. Asyla alia sunt sacra, alia profana.
23. Aliqua Baptisteria Privilegiô Asyli gaudant.
24. Cultores Idolorum Asyla sacra æstimant.
25. Varia recensentur Asyla.

Notanda circa Immunitatem & Asylum.

Æquum est, ne quod Jurisconsulti disputant in tit. 49. libri 3. Decretalium Gregorii IX. de Ecclesiarum Immunitate prætermittamus omnino. Immunitatem appello locorum, aut aut personarum à communibus oneribus, muneribusque libertatem, quod nonnulli *Emunitatem* dixere, quasi extra munia, quibus cæteri obligantur. Affine huic est Jus securitatis, sive Asylum, derivatum nomen ab ἀ σεριτιω & verbo συλάω, *rapior, prædor:* & idem est Asylum, ac locus profugii. Circa immunitatem quærendum est, an Clericis fas sit domos, aliaque bona possidere, nam cap. 1. memorati tit. 49. pertractatur de domibus Ecclesiarum. Posthac videndum an Clerici à publicis muneribus collectisque solvendis sint immunes, ut eodem titulo statutum est cap. *Non minus*, & cap. *Adversus Consules*. Deinde de Immunitate locorum, de qua extat cap. *Cum Ecclesia*, & cap. *Ecclesiæ*, agendum breviter, cæteris expositis, quæ ad jus Asylorum magis spectare videntur.

1. Propositio 1.

Propositio I. Clerici legitime bona possident temporalia.

Probatur 1. ex veteri Testamento.

Quod probatur primo ex veteri Testamento. Num. xxxv. v. 2. legitur: *Præcipe filiis Israël, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum:* & Josue xxi. 3. *dederuntque filii Israël de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates, & suburbana earum.* Sunt qui dicunt urbes & agros Levitis accessisse, ut ibi habitarent, non ut haberent concessarum rerum dominium: quod Lyranus probat ex cap. xiv. Josue 13. ubi dicitur traditum Caleb Hebron in possessionem; cum tamen cap. xxi. 11. Levitis assignata fuerit civitas Arbe, quæ vocatur Hebron. At difficultatem dirimit proximus versus 12. *Agros vero, & villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. Dedit ergo filiis Aaron Sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana ejus:* & 1. Paralip. vi. 55. *Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, & suburbana ejus per circuitum: agros autem civitatis & villas Caleb filio Jephone.* Calebus itaque possedit tractum circumjacens, dictum Hebron, quomodo cap. xxiv. 32. ager Sichemo proximus dicitur Sichem, & Jud. xiii. 2. Manue pater Sampsonis appellatur, *vir de Saraa*, cum tamen ruri habitaret. Ita Calebi territorium, Levitarum erat civitas, ac suburbium. Legitur etiam Levit. xxv. 33. *Domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israël*: nec alia profertur causa, cur non possent suburbana venumdari, nisi quia Levitarum possessio perpetua erat ac sempiterna, quomodo nequeunt & modo bona Ecclesiarum alienari.

2. Probatur 2. ex novo Testamento.

In novo pariter Testamento, atque in ipsis Ecclesiæ incunabulis, *Quotquot erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*, ut in Actis legitur Cap. iv. 34.

& 35. Arbitrio ergo Apostolorum subjiciebantur pecuniæ: erantque illi bonorum omnium administratores, & æque, ac laici, possessores. Et quamquam iis licebat prædia non vendere, aut pretium non deferre ad pedes Apostolorum, ut Petrus inquit Ananiæ, cap. v. 4. omnes tamen sua quæque Domino devovebant, nec exinde fas erat de pretio defraudare. Ipsum Dominum ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse, recte colligit ex Evangelio Venerabilis Beda lib. IV. cap. 14. in Lucam.

3. Probatur 3. ex Gregorio magno.

Possessiones Clericorum, privatasque domus Ecclesiarum commemorat etiam magnus Gregorius lib. 3. Epist. ep. 19. in qua sermonem instituit de pensionibus domorum, quas Ecclesiam S. Agathæ habuisse constabat à Gothorum temporibus. Domos Ecclesiarum proprias laudat apud Emmanuelem Gonzales in cap. 1. lib. 3. Decr. tit. 49. Eusebius Cæsariensis H. E. libro VII. Eodem citato cap. *Ut in domibus*, decernit Joannes Papa, neque Missum, neque Comitem, id est Executorem officialem, sive Proconsulem, neque judicem, ministrumque posse in domibus ad Ecclesiam pertinentibus exercere judicia, aut sibi hospitium vindicare. Sacris itaque libris, historicis monimentis, decretisque Pontificum citato titulo, & in Septimo lib. 1. tit. 7. dispositis, docemur licitam esse Clericis domorum, agrorum, prædiorum, nec non civitatum, regnorumque possessionem. Quam cum statu Ecclesiastico non pugnare diximus quarta præcedentis Capitis positione.

4. Propositio.

PROPOSITIO II. Clerici, eorumque bona ab omni civili onere gaudent immunitate, ita ut illi cogi non debeant ad tributa solvenda, neque ad munia laicorum obeunda.

Probatur 1. ex veteri Testamento.

Demonstratur 1. ex veteri Testamento. Gen. XLVII. 22. Joseph emit, subjecitque Pharaoni omnem terram Ægypti, *præter terram sacerdotum;* & v. 26. *Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Ægypti Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit,* Num. III. 49. *Tribum Levi noli numerare* (inter eos, qui debebant ad bella procedere) *neque pones summam eorum cum filiis Israël.* 1. Esdræ VII. 24. extat lex Artaxersis: *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, & Nathinæis, & ministris domus Dei hujus, ut victigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Sacerdotes autem veteris legis figuram fuisse nostrorum, quis ignorat? Aut quis Catholicus princeps erit in Clericos minus propensus Regibus Ægyptiorum, aut Persarum? Apud Matth. XVII. 24. habetur præclara sententia Salvatoris: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? A filiis suis, an ab alienis? . . . . Ergo liberi sunt filii.* In quem locum ait Hieronymus. *Ille pro nobis crucem sustinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filii Regis à vectigalibus immunes sumus.*

5. Probatur 2. ex Conciliis.

Probatur 2. ex Conciliis. Etenim Lateranense IV. Sess. 9. sub excommunicationis pœna prohibet, *ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alii potentatus quicunque collectas, decimas, & alia hujusmodi onera Clericis, Prælatis, & aliis quibuscunque personis Ecclesiasticis imponant, exigantque.* Tridentinum Sess. XXV. de Reformat. cap. 20. docet, *Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum Personarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam esse.* Similia habent Conc. Aurel. 4. cap. 13. Tolet. 3. Can. 21. Tolet. 4. can. 46. Colonienſe p. 9. cap. 20. Atque his accedunt decreta Romanorum Pontificum Adriani VI. Clem. VII. Julii III. Pii IV. quæ accurate collegit Petrus Matthæus Clarissimus Jurisconsultus in Septimo Decretalium, si Constitutionum Apostolicarum lib. 2. tit. 2. in Sexto autem cap. *Quamquam*, IV. de Censibus, sive tit. XX. Bonifacius VIII. declarat Ecclesias, Ecclesiasticasque personas ac res ipsarum *non solum jure humano, quinimo & Divino* à sæcularium personarum exactionibus esse immunes. Atque contra facientibus Bonifacius ipse, Alexander IV. aliique Romani Pontifices ipso facto excommunicationem singularibus personis, interdictum vero universitatibus locisque infligunt. Videatur & Bulla Cœnæ Domini. Idem constat ex Jure Civili, præsertim ex C. de Sacrosanctis Eccl. l. 5. *Placet*, & l. 8. *Sacrosancta:* & C. de Episcop. & Cler. l. 1. *Juxta sanctionem*, & l. 6. *Presbyteros*, nec non in Auth. *Statuimus:* qua Fridericus I. Imperator omnia etiam revocat abrogatque huic immunitati quomodolibet adversantia. Vide & cap. *Secundum Canonicam.* 23. q. 8.

6. Probatur 3. ex SS. Patribus.

Tertio probatur ex PP. *Hoc autem mandatum* (ait Jo. Chrys. hom. 65. in cap.

cap. 47. Gen.) *poſuit eis Joſeph, ut quintam partem darent Pharaoni, excepta ſolum Sacerdotum terra. Audiant qui nunc vivunt, quantam olim* (Ægypti Reges) *Sacerdotum idolorum curam habuerint & diſcant, ut vel ſaltem parem habeant honorem his, quibus omnium Dei miniſterium creditum eſt, & qui ſacerdotio inſigniti ſunt. Si enim errantes illi & tantam idolorum curam habentes, ex hoc putabant idola magis coli, ſi ita eorum miniſtros colerent; quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt quod ad Sacerdotum Dei ſpectat cultum?* His confirmantur, quæ ſupra è ſacris literis prompta ſunt. Hieronymi in cap. XVII. Matth. jam laudavimus illuſtrem, præclariſſimamque ſententiam. S. P. Auguſtini lib. 1. Qq. Evang. q. XXIII. hæc ſunt verba: *In omni regno intelligendum eſt liberos eſſe filios, id eſt, non eſſe vectigales. Multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet Regno terreno filii Regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena.* Quædam alia producam ad ſolutionem prioris argumenti. Beda ad cap. 47. Geneſeos & ipſe docet terram ſacerdotum immunem à vectigalibus ſignificare *Eccleſiam liberam à cenſu mundi.*

7. Probatur 4. ratione.

Collocabo quarto loco petitum aliquod à ratione argumentum. Ac primo Clericus in ſortem & hæreditatem Domini electus eſt. Κλῆρος enim Græce dicitur, Latine ſors, vel hæreditas, ut recte in Pſalmum 67. Auguſtinus, Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. & Grat. diſt. XXI. cap. *Cleros.* Tres iſthinc eruuntur cauſæ, ob quas Clerici ad munia publica, ad vectigalia, atque ad civile forum cogi non debent. Priorem ducit Chryſoſtomus cit. hom. à comparatione planiſſima. Quis enim inferior ad hæc compellat alicujus ſæculari dignitate inſignis filium, hæredem, familiarem? Affert alteram Imperator Conſtantinus in Epiſtola ad Anulinum, quæ extat lib. x. Hiſt. E. Euſebii, cap. 7. & lib. VII. Niceph. cap. 42. ne ſcilicet ipſi Clerici a cultu ſummæ Divinitati debito abſtrahantur, ſed potius absque ulla inquietudine legi propriæ deſerviant. Tertia ſumitur ab ipſa naturali æquitate; magnâ quippe injuriâ ſupremus Dominus afficitur, ſi ejus Sacerdotes minorem, quam olim idolorum Flamines, habeant honorem; & quæ Divino cultui ſunt conſecrata, profanis uſibus deputentur. Subvertuntur pariter omnes leges, ſi inferiores Magiſtratus præſumant jura dare ſuperioribus, & homines Angelis imperare.

8. Probatur 5. ex ratione Politica.

Addam poſtremo loco rationem politicam. Putant ſæculares Principes aliqui à pendendis tributis Eccleſiaſticos non eſſe immunes, quod hæc poſtulet commodum, quam ipſi curant, Reipublicæ, illatum à juſto bello diſpendium, extrema plebis pecunia, atque cauſa iſtiusmodi aliqua. Ubi neceſſitas poſtulat, debent Eccleſiæ Præſules neceſſaria ſubſidia concedere: & pro ſublevandis pauperibus ſunt aliquando etiam ſacra vaſa frangenda. Ad aliud eſt, Clericis habendam eſſe rationem de publica neceſſitate, aliud ſæculares bona invadere Clericorum. Pro bello gerendo ad hæreſes extirpandas Henricus Rex Chriſtianiſſimus ſupplicavit Sixto V. Pontifici Maximo pro facultate Clericis partem oneris imponendi, eamque obtinuit, eo quidem fine, ut Eccleſiaſticus ordo conſervaret poſſeſſa, & recuperaret jam ab hæreticis occupata. Ita quod Gallicani Præſules in difficilibus Regni temporibus Regibus Chriſtianiſſimis pecuniæ ſummam ex Eccleſiaſticis reditibus collectam concedere ſoleant, *ut eâ Cleri ſubventione pauperes iis vectigalibus, quibus ſolvendis impares ſunt, liberentur*, quomodo in peroratione ad Regem poſt Comitia anni 1701. ait Cardinalis de Noailles; id quidem æquum exiſtimamus. Similia dicimus, dum Auguſtiſſimus Imperator præliatur prælia Domini adverſus Turcas. At ſi putant Eccleſiaſticorum bonis propria auctoritate uſurpatis, nec ultro ac ſponte conceſſis, (quod ſane ab ipſorum mente alienum eſt,) majores vires acquirere, & augere theſauros, magno in errore verſantur. Dominus quippe dux exercituum eſt, & Deus virtutum, & ipſe, auctore laudata hom. Chryſoſtomo, reddit non imminuentibus quod ad Clericos ſpectat *è ſupernis retributiones.* Direptis in Anglia Eccleſiaſticis reditibus, dirutisque opulentiſſimis Monaſteriis, quorum cenſus computabatur librarum, quas dicunt ſterlingas, 320180. annis ſingulis; Rex omnium Regum præcedentium pauperrimus factus plura ſolus impoſuit civibus vectigalia, quam omnes ſimul per quingentos annos Anteceſſores. Vide in libro de Schiſmate Anglicano Sanderum. Emmanuelem Luſitaniæ Regem coactum remittere dicimas fructuum Eccleſiæ, quas exigebat conceſſione Leonis Pontificis, propterea quod omnia ſiniſtre ipſi evenirent, nihil feliciter ac proſpere, ſcribit lib. IX. Hiſtoriarum Oroſius. Hujusmodi vero decimationem illegitime factam principibus peſſime

sime semper cessisse, fatetur apud Meyerum libro XVI. Annalium Fland. Carolus VII. Rex Galliarum. Præclarum Clotarii Regis exemplum narrat Gregorius Turonensis lib. 4. Hist. Franc. cap. 2. Igitur ipsa Reipublicæ utilitas, ac rerum Principum vicissitudo petit, ne Clericorum immunitas ratione aliqua violetur.

9. Oppositio 1. cum solutione.

Sed opponunt 1. quod extat Matthæi XVII. v. ult. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens da eis pro me, & pro te.* Christus ergo, & Apostolorum princeps solvere didrachma. Resp. hoc argumentum probare oppositum. Eo enim loci Dominus primum ait se liberum esse à solvendo tributo, vel censu. Deinde profitetur se tantum pati ut solvatur, propter scandalum evitandum. *Ut autem non scandalizemus eos* (inquit) *vade ad mare, &c.* Hinc Augustinus lib. 1. de Conjugiis adult. cap. XIV. n. 15. ait: *Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate; & ea sunt gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Unde prior ipse Dominus, cum se tributum non debere monstrasset, solvit tamen ne scandalizaret eos, quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat.* Habet similia epist. 239. nunc 83. num. 5. Nonnulli sunt, qui respondent sermonem isthic fieri de medio siclo solvendo ad usum ornatumque templi, juxta præceptum Domini XXX. Exodi v. 13. Nam pendebat revera siclus viginti obulis, & quatuor drachmis, unde dimidium sicli idem est, ac didrachma. Principi autem solvebatur denarius, ut habetur Matth. XXII. 19. Ita post Hilarium Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 28. Emanuel Gonzales in tit. 49. lib. 3. Decretalium: sed verior est responsio nostra, primo, quoniam Christus citato loco etiam ab hoc solvendo didrachmate liberum se esse declarat: deinde quia ea data occasione etiam de tributo ac censu loquitur Dominus: præterea quia, etsi didrachma dari solitum pro templo verissimum est, pondere idem erat ac denarius, id est decem obulis, ut liquet ex citato cap. XXX. Exodi. Habent quidem ibi LXX. τὸ ἥμισυ τε διδράχμε, *dimidium didrachmi*, non *didrachmum*; sed drachma Alexandrina duplaris erat; & Matthæus loquitur de communi, & Attica. Jubente demum Vicario Christi in difficillimis Reipublicæ rebus persolvendum Imperatoribus tributum minime denegamus, id exigente pace & quiete, qua nos tueri debent & defensare, ut habetur c. *Tributum in ore piscis*, 2. c. 23. q. 8.

10. Oppositio 2. cum solutione.

Arguunt 2. Ait Dominus Matt. XXII. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Resp. justissimam esse, verissimamque sententiam, sed non sunt Cæsaris, quæ Domino consecrata sunt, atque ministris Sanctuarii deserviunt. Deinde ad confundendam nequitiam Pharisæorum, qui una cum Herodianis ad ipsum accesserant, Christus tale dedit responsum, ex quo nihil adversus Cæsarem, nihil adversus Divina jura possent maligni tentatores deprehendere, ut dum quærebant capere Dominum in sermone, confusi abirent; ut infra dicam ad quartam objectionem.

11. Oppositio 3.

Arguunt 3. Scribit ad Romanos cap. XIII. Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Atque in hunc locum Chrysostomus, *Etiamsi Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta.* Resp. & hanc sententiam Apostoli esse rectissimam, omnis quippe anima tenetur Superioribus obedire, sed juxta Divinam ordinationem, qua, ut ibidem ait Apostolus, omnis potestas est ordinata, & directa. Est autem Divina ordinatio, ut major sit potestas Ecclesiæ quam mundi, & sacrarum legum quam civilium. Quando ergo leges civiles non repugnant Canonicis, tenentur Clerici illas observare, non in quantum leges civiles sunt, sed in quantum jure canonico sunt confirmatæ: ideoque licet mandata Principum legesque ab eis latas Clerici transgrediantur, gaudent immunitate fori, nec à sæculari potestate puniri possunt. Quod confessus est magnus Constantinus apud Sozomenum lib. 1. cap. 17. In his ergo, quæ pugnant cum Ecclesiasticis Sanctionibus, cujusmodi esset Clericus ad pugnam cogere, eisque absque auctoritate Ecclesiæ imponere victigalia, subditi non sunt sæcularibus potestatibus, neque sunt istæ juxta Divinam ordinationem sublimiores.

Solutio.

12. Oppositio 4.

Arguunt 4. C. *Si tributum* 2. p. decreti c. IX. q. 1. *Si tributum petit Imperator, non negamus: agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum.*

Solutio.

Resp. canonem hunc desumptum ex Oratione Ambrosii de non tradendis Basilicis. In ea refert S. Antistes Arianos ipsum circumvenisse, ut olim Judæi Christum, ad hoc ut Basilicas traderet, quod verbis præcedentibus narrat.

Ap-

Apprehendere (inquit) *sermones nostros gestiunt, sicut Judæi, qui Christum versuto sermone tentabant: Magister, licet tributum dare Cæsari, aut non? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, ut imperiale nomen obtendant. Et ipsi possunt dicere, quod eorum non habeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium? Et tamen videte, quanto pejores Ariani sunt, quam Judæi. Illi quærebant utrum solvendum putaret Cæsari jus tributi: isti Imperatori volunt dare jus Ecclesiæ. Sed ut perfidi suum sequuntur auctorem: ita & nos quæ nos Dominus & Auctor noster docuit respondeamus.* Igitur respondet, nullo pacto Ecclesiam tradendam Imperatori, cujus non præfert imaginem: de agris vero, ac tributis, quoniam nimis importunum, ac periculosum erat hæc etiam negare principi, cui persuaserant Aulici omnium habere dominium, (ut scribit idem Ambrosius lib. 2. Epist. epist. 14. nunc xx. class. 1. & habetur in cap. *Convenior* c. XXIII. q. 8.) respondit se ea neque donare neque denegare, *Non faciant*, inquit post verba quæ objiciuntur, *de agris invidiam; tollant eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego.* Igitur in cap. *Si tributum*, affirmatur tantummodo Imperatorem tributa petere, & potestatem habere agrorum vindicandorum, *de facto, non de jure.* Et ita etiam Glossa Decreti.

13. Oppositio 5. & Solutio. Arguunt 5. Cap. *Pervenit*, tit. 49. lib. 3. Decret. statuitur, Clericos non excusari à murorum custodia, sed omnes esse ad hoc generaliter compellendos. Resp. hoc valere in irruptione, & imminenti periculo patriæ, quam defendere magna pietas est: quamquam sunt Jurisconsulti qui cap. *Pervenit*, non de Clericis sed de Clericorum servis censent accipiendum.

14. Oppositio 6. & Solutio. Arguunt 6. in C. tit. de Sacrosanctis Eccl. l. 7. *Ad instructiones*, & l. 11. *Neminem*, habetur ad solvendum pro itinere, & hospitio Imperatorum, etiam Venerabiles Ecclesias teneri. Resp. non agi his locis de tributis & vectigalibus, sed de hospitio, & alimentis exhibendis Regi pro causa publica proficiscenti; quæ si præstare debent Clerici, non obstringuntur his legibus, sed Canonicis, & Decretis Joannis IX. atque hospitii honestate.

15. Opppositio ultima & Solutio. Arguunt ultimo: Si Clerici, eorumque bona fruantur immunitate, deest principibus robur, nervusque ad hostes propulsandos, ad bella pro Reipublicæ salute gerenda, ad levandam ingravescentem annonam, ad ipsam Ecclesiam protegendam. Resp. non talia hauriri ex sacris literis documenta; è quibus illud magis comperimus premente fame universam terram, absque tributis Sacerdotum solam Aegyptum inopiâ rei frumentariæ non laborasse: celebriores Israelitas potius retulisse victorias Levitis circumferentibus arcam, quam militibus arma tractantibus: ædificatum ab illis, atque exhaustis in captivitate thesauris denuo extructum celeberrimum in universo orbe templum, urbemque amplissimam, nullum sumptum Sacerdotibus suppeditantibus: à Domino, in cujus sortem assumuntur Clerici, expectandum belli exitum, & omne bonum in civitate. Accedit etiam Christianorum Principum, quod supra innuimus, experimentum. Cæterum si urgeat necessitas, tributum personis, bonisque Clericorum imponatur, sed non à potestate sæculari; ut postrema argumentatione declaratum est.

16. Propositio 3. Propositio III. Immunitatem Ecclesiasticam, sive Personarum, sive locorum, quocunque jure sit inducta, nequeunt Principes sæculares temerare, aut minuere.

Explicatio 1. Propositionis. Dixi, *Quocunque jure*; sunt enim qui putant immunitatem tam locorum, quam Clericorum institutam fuisse sola liberalitate Imperatorum, ac Principum, eosque posse illam revocare, vel imminuere: quod illegitime inferunt, ut paulo infra demonstrabo. Pluribus Principum Constitutionibus immunitatem Ecclesiis, Clericisque collatam vel confirmatam fuisse, non inficiar. Magnus Constantinus declaravit Clericos immunes à muneribus civilibus, ut liquet ex Cod. Theodosiano XVI. Tit. 2. l. 1. *Clerici*, & l. 2. *Qui Divino*, quam legem confirmat ipse Constantinus in Epist. ad Episcopos Numid. & commemorant Eusebius lib. x. H. E. cap. 7. & S. P. Augustinus in Epist. ad Januarium 68. nunc LXXXVIII. Constantius privilegia, quibus jam Clerici ac Templa fruebantur, confirmavit l. *Juxta sanctionem*, ibi l. 8. exciplens Clericos ab onere *Metati*, id est, à suscipiendis hospitibus transeunte Imperatoris exercitu, aut comitatu. Addidit leges 9. *Curialibus*, & 10. *Ut Ecclesiarum*, quibus Clerici exempti dicuntur ab omni civili functione, *à sordidis muneribus*, qualia sunt viarum instaurationi inservire saxa aut calcem ferendo, & à negotiatorum dispendiis, quæ dici solent *collationes lustrales*. Hujus legis meminit Basilius Ep. 279. ad Modestum Prætectum Præt. Orientis.

Firmavit eandem immunitatem in Epist. ad Taurum post Ariminensem Synodum, & extremo vitæ suæ tempore, id est, anno 361. l. 16. *In qualibet civitate*, ubi constitutionum suarum rationem affert dicendo, *Scientes magis religionibus, quam officiis & labore corporis, vel sudore nostram Rempublicam contineri.* Abrogavit quidem hanc immunitatem Julianus Apostata, sed anno 368. restituit Valentinianus in Epist. ad Claudium Proconsulem Africæ, ut habetur l. 18. *Quam ultimo.* Etiam Gratianus sancivit Clericos personalium munerum expertes esse in Epist. ad Catafronium, & Tuscianum Comitem Orientis. Theodosius, & Justinianus Constantini, & Constantii sanctiones confirmarunt, quod & præstiterunt Imperatores alii. Vide cit. Cod. Theodosianum lib. XVI. Tit. 2. & C. Justin. tit. De Clericis & de sacrosanctis, &c. Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 148. Eædem fuerunt sanctiones Regum Hispaniarum, ut constat ex Canone 47. Concilii Toletani IV. nec non Regum Galliarum, Clodovæi, Clotarii, Childeberti, aliorumque, de quibus Thomassinus de Eccles. disciplina P. III. lib. 1. cap. 34. Idem de Immunitate locorum Imperialibus, Regiisque sanctionibus statutum esse, haut diffiteor.

17. Explanatio ulterior.

Verum etsi inspectis duntaxat his legibus videatur Immunitas collata Principum munificentiâ, originem tamen ducit ex lege superiori, tam Divina, quam Ecclesiastica, ut ex dictis facile evincitur. Etenim, quantum ad personas attinet, propositione 2. producta sunt ex sacris libris levitarum exempla, quibus nec Artaxerses vectigalia, aut civilia munera imposuit; & ex Evangelio probatum est, Ecclesiæ ministros à solvendo censu Salvatoris sententiâ liberos esse, quandoquidem Petrus Christo jubente solvit didrachma ad vitandum duntaxat scandalum, non quod ad solvendum teneretur, ut inquit Hieronymus sup. laudatus, & Ambrosius Epist. 1. nunc VII. num. 17. Immunitas etiam sacrorum locorum colligi potest ex Divino præcepto Exodi XXI. 14. ubi præcipitur evellendum quoque ex altari, *qui per industriam, & per insidias occiderit proximum suum*, cum tamen homicidis aliis altare esset perfugii locus, ut constat ex verborum antithesi, quia superiori versu datur asylum illi, qui non insidiatus occidit. Vide cap. 1. de Homicidio. Nec tenet responsio Alexandri Ambrosini, leges veteris Testamenti fuisse abrogatas; quippe abrogatæ fuerunt ceremoniales, & quæ figuræ erant futurorum, non quæ maxime ad Dei, templique cultum necessariæ videntur. Hinc Tridentina Synodus sess. 25. definit Immunitatem Ecclesiasticam constitutam esse *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus*, & Concilium Lateran. IV. sess. 9. *jure tam Divino, quam humano.* Leges autem Ecclesiasticas spectantes ad immunitatem Ecclesiasticarum Personarum citavimus propositione 11. & quæ pertinent ad immunitatem locorum proferentur propositione sequenti, ubi nonnulla dicam de Asylis. Immunitas ergo tam Divinâ quam Ecclesiastica lege fuit constituta. Imo illam confirmat ipsa lex naturalis singulis hominibus indita. Unde enim Aegyptii Reges didicerunt immunitatem auctore Joseph concessam Sacerdotibus esse æquitati consentaneam, nisi ex rationis præscripto quod Deo militantibus non sunt imponenda vectigalium onera, nec munera laicorum? Quare Orestes interfecta matre Clytæmnestra confugiens ad aram Apollinis liber evasit? quare Pausanias patriæ Athenarum proditionis reus aufugit ad templum Palladis, & à Thucydide redarguuntur Athenienses, quod per vim ab ara proditore extracto auctores fuerint immmissæ in cives pestilentiæ? quare nemo gentilium audebat in mortem rapere confugientes in Templum Dianæ Ephesinæ, ad aram Junonis, aliorumque idolorum? Legite Thucyd. lib. 1. de Bello Pelopponn. Ciceronem Act. 3. in Verrem, & S. P. Augustinum de Civ. D. lib. 1. cap. 4. Id non alia ratione ab Ethnicis observatum, nisi quia naturali lumine percipiebant iniquum esse vim inferre inservientibus in templo Deorum, aut illuc tanquam ad munitissimam arcem confugientibus. Quamobrem assero Imperatores ac Principes, dum Immunitatis leges tulerunt, non tam beneficia contulisse, quam reddidisse debitum, eorumque constitutiones non intulisse liberalem beneficentiam, sed æqui, rectique præscriptionem: Ecclesiasticos autem Pastores constitutiones ipsas probasse, & Politicis Præsidibus nunc gratias, nunc preces exhibuisse, quod Ecclesia diu vexata illorum patrocinio indigeret, ut propria jura tueri posset, atque ab invasoribus facilius defendere.

18. Probatur I. Propositio.

His præmissis propositionem demonstro hoc dilemmate. Immunitas Ecclesiæ aut Dei ordinatione & jure Divino constituta est, ut nos firmissime asserimus, aut liberalitate Imperatorum & Regum, ut opinantur quidam Politici. At

At sive constituta sit Dei ordinatione, sive Imperatorum Regumque liberalitate, nefas est sæculari Principi ipsam immunitatem abrogare, aut circumscribere. Et quod Principes nequeant immunitatem violare, si inducta sit ordinatione Divina, extra controversiam positum est; nemo quippe mortalium facultatem habet aut infringendi, aut coarctandi Divinam constitutionem: neque inferior abrogare potest legem superioris; omnis autem potestas Deo supremo legumlatori subjecta est. Atque hæc ratio efficax esset, etiamsi immunitas esset constituta lege tantum Ecclesiastica, quoniam nulla Potestas Politica superior est potestate Petro, ejusque successoribus Romanis Pontificibus absolute, immediate, plenissimeque concessa. De qua potestate dictum capite præcedenti.

19. Probatur 2. Inviolabilem autem esse Ecclesiasticam Immunitatem, facta etiam hypothesi, quod Principum munificentia & liberalitate sit constituta, sic demonstro. Privilegia, tametsi beneficentia ac liberalitate Regum concedantur, nisi illis certum tempus apponatur, & conferantur absolute, & absque ulla conditione, perpetua sunt, nec aliquo successu temporis temerari possunt, nec revocari, nec circumscribi. Privilegium immunitatis absolute, nullaque conditione apposita, ut liquet ex legibus Imperatorem paulo ante citatis, Ecclesiæ Clericisque concessum fuit. Nullo ergo pacto abrogari potest, restringi, aut ratione aliqua violari. Hujus argumenti minor propositio, ut dixi, ex Imperialibus Constitutionibus manifesta est; ac major pariter est expressa legibus tam civilibus, quam Canonicis, de quibus capite XXI. ubi differam de Privilegiis. Deinde ipsi Imperatores ac Reges testati sunt se immunitatem Templis, personisque Deo sacratis largiri ob utilitatem, quam Reipublicæ afferunt ministrantes in Sanctuario orationibus, sacrificiis, aliisque Ecclesiasticis exercitationibus: ideoque Constantius l. *In qualibet*, confirmans latas à patre constitutiones pro Ecclesiasticorum immunitate, inquit, *Scientes magis religionibus, quam officiis & labore corporum, vel sudore nostram Rempublicam contineri.* Quare immunitas Ecclesiastica, & quidquid Principes Clericis contulere, dici potius debet justa merces, quam liberalis largitio. At privilegia hujus generis absque manifesta violatione æquitatis nequeunt abrogari vel minui ut docent Jurisconsulti omnes, & ratio ipsa suadet. Ergo nec abrogari potest, vel minui Ecclesiastica Immunitas. Denique sit ista donum, sit tantum liberalis munificentia; num propterea fas erit eam temerare? Principio quod donatum est, nequit revocari. Præterea repetere quæ Ecclesiæ donata sunt, est repetere quæ donata sunt ipsi Deo. Repetere quæ donata sunt ipsi Deo sacrilegium est. Igitur sacrilegium est repetere quæ Ecclesiæ donata sunt. Tandem etsi detur immunitatem fuisse liberali Principum largitione concessa, donatione facta transiit in jus, & in potestatem aut Ecclesiarum, quæ supremo omnium Domino sunt consecratæ, aut personarum, quæ in sortem Domini adscitæ Ecclesiis ipsis inserviunt. Si ergo Templa, virique Ecclesiastici Dei sunt; quis poterit illis adimere quidquid aut debitæ retributionis, aut liberalis munificentiæ, aut quovis alio titulo acceptum in proprium jus transtulere? Expende quod beatus Ambrosius de invadentibus Basilicas scribit ad Marcellinam sororem Epistola edit. Parisiensis XX. num. 16. *Mandatum denique, Trade Basilicam. Respondeo nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, Domum Dei existimas auferendam? Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ Divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, & quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.* Profecto quod de sacris ædibus dicitur, idem de viris Ecclesiasticis constat esse affirmandum. Ut planissimum afferatur exemplum; nonne gravi injuria afficeretur sæcularis princeps, si ejus palatium invaderent cives armati, suppellectilem diriperent, & familiares intimosque vi extraherent, etiamsi amplas illas ædes, famulitium, rem domesticam ex libera civium largitate possideret? Id quidem certissime, quoniam Principis jam essent, non civium. Ita Deo gravem afferunt injuriam, qui Domum ejus usurpata jurisdictione gravant, reditus minuunt, tributa extorquent, sacros ministros ad munera, vel onera laicalia compellunt; quamvis ipsorum largitionibus templa constructa essent, locupletata possessionibus, & Clericorum numero ac splendore condecora-

ta: propterea quod hæc, sive jure tributa sint, sive collata dono, jam non Cæsaris sunt, sed Dei. Quocunque ergo jure constituta sit Immunitas Ecclesiastica; sive jure Divino ut nostra fert sententia, sive jure præscriptionis, ac, Imperiali beneficentia à Constantino ad hæc usque tempora in Christianis Principibus permanente, ut politici quidam statuunt: nefas est Immunitatem ipsam quomodolibet violari.

20. Constitutio Juliani Apostatæ, & Regis Gallorum Chilperici nil probant.

Neminem fore arbitror, qui opponat Juliani Apostatæ constitutionem, aut Chilperici Gallorum Regis decreta: quum nullus Christianus Imperator debeat Julianum Constantino, Justiniano, ac Theodosio præferre; neque ullus Regum Clotarium, Theodebertum, Childebertum posthabere Chilperico, cujus mores improbos ac flagitiosissimos narrat lib. VI. cap. 46. Gregorius Turonensis: præsertim cum immunitatem abrogatam à Juliano restituerit Valentinianus, & labefactatam à Chilperico ampliaverit Clodovæus. Nemo etiam objiciet, piissimum Imperatorem Heraclium irruentibus in Imperium Persis ex aureis, argenteisque Ecclesiæ vasis cudisse pecuniam: cum Heraclius non vi, & rapina ab Ecclesiis sacram suppellectilem acceperit, sed mutuam, eamque ampliorem refuderit, & annuis præterea reditibus à fisco solvendis adauxerit Ecclesiasticos census. Vide Baronium ad annum 627. num. XXVII.. Quod si aliquando Pontifices à Principibus immunitatem tanquam beneficium humiliter poposcerunt, aut Principes illam pro libito temerarunt; id, ut diximus, tribuendum est conditioni temporum, Pontificum humilitati, & humanarum Potestatum vicissitudini.

21. Propositio 4.

Propositio IV. Recte in Latina Vulgata Josue XXI. 36. connumerantur quatuor civitates asyli in Tribu Ruben.

De 4. civitatibus Asyli.

De Asylo pauca dicturus præponendam duxi facilem hanc thesim propter integritatem Vulgatæ, quam ubique tentant hæretici dilaniare. Inter civitates ergo refugii nostra Vulgata Josue XXI. 36. quatuor enumerat ultra Jordanem contra Jericho in tribu Ruben, Bosor in solitudine Misor, Jaser, Jethson, & Mephaath. Hæ non habentur in Codicibus Hebræis; neque in conscriptis tempore Thalmud & Masoretharum, unde inquiunt aliqui Etherodoxi illas in nostra Versione redundare. At constat optime appositas. I. quia v. 7. habetur datas filiis Merari urbes duodecim de tribubus Ruben, Gad, & Zabulon: quæ urbes v. 34. & seqq. numerantur. At si non extarent in sacris Bibliis commemoratæ quatuor urbes, civitates refugii non essent duodecim. II. Quia cum recenseantur singulæ urbes Levitarum, cur prætermissas credendum est assignatas in Tribu Ruben? III. Quia hæ quatuor civitates recensentur etiam in primo libro Paralippomenon cap. VI. 78. 79. ubi nota non Misor poni, sed Bosor, ideoque Misor nomen est solitudinis, non urbis; significat enim Misor planitiem, & locum campestrem, in quo conditam civitatem Bosor constat Deut. IV. 43. ideoque in cap. XI. Josue, ubi legitur, *Bosor in solitudine, Misor, &c.* abradenda est virgula. IV. Extant quatuor illæ civitates in vetustissimo Codice Chaldæo Ms. Complutensi, & in edito Regii Operis à Plantino, in Græcis omnibus, in antiqua Itala, cæterisque Latinis, præter nonnullos, quos observarunt Lovanienses, expressos ex aliis Codicibus Hebraicis amanuensium oscitantiâ vitiatis; in quibusdam denique exemplaribus Hebaicis pervetustis additas à correctoribus, & recte appositas testatur R. Kimchi. V. In Bibliis versu isto carentibus desiderari, neque posse alias summam confici, Protestantes complures fatentur, Glassius lib. 1. Tract. de puritate textus Hebræi sect. 2. §. XV. n. 3. & Comment. in Josuam Masius, Amama, & Drusius, qui & laudat Venetam Editionem procuratam à Felice Pratensi, viro nostri Ordinis præclarissimo, & Hebraicorum præsertim Codicum peritia, sacrarumque historiarum scientia ornatissimo.

22. Asyla alia sunt sacra, alia profana.

Ex his colligimus leges Asylorum esse antiquissimas. Dividi autem possunt Asyla, sive loca refugii in sacra, & profana. Sacrorum principem locum tenent Ecclesiæ, in quibus causæ sanguinis agitari non debent, nec inde reus criminis potest extrahi, ut habetur in 3. Decr. tit. 49. cap. *Cum Ecclesia*, & cap. *Inter alia*. Idem extant in C. de his, qui ad Eccles. l. 13. & 14. neque adimitur privilegium immunitatis Ecclesiæ non consecratæ; quia locus Divinis obsequiis dedicatus nullus est temerariis ausibus profanandus. Ita, caput, *Ecclesiæ*, *in qua Divina*, ejusdem tit. 49. Extenditur immunitas ad Cæmeteria, & loca Ecclesiæ adhærentia juxta c. 35. *Difinivit*, Causa XVII. q. 4. Distantia tamen passuum ibidem determinata ad passus triginta, absque domorum extranearum receptaculo, est à locorum consuetudine, usuque petenda. Polluto tamen atrio vel cæmeterio Templum interius minime violatur, quoniam immunitas amplianda est, violatio autem restringenda,

da,

da, juxta regulam XXII. in fine 6. *Non debet*, & juxta Juris axiomata, *Beneficium est interpretandum largissimè; Odia restringi, favores convenit ampliari.* Hoc asyli privilegio minime fruuntur publici latrones, nocturni depopulatores agrorum, & qui obsident publicas stratas aggressionis insidiis; inquit Innoc. III. cit. cap. *Inter alia.* Item nec qui in ipsis Ecclesiis, vel earum cæmeteriis homicidia, & mutilationes membrorum committere non verentur, eo quod *frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem*, ut habetur cap. *Immunitatem Ecclesiasticam*, ejusdem tituli 49. postremo. Adduntur Constitutione Gregorii XIV. *Cum alias*, confirmata & ampliata à Benedicto XIII. & Clemente XII. *qui proditorie proximum suum occiderint, aut assasini, vel hæresis, aut læsæ majestatis in persona ipsiusmet Principis rei.*

23. Aliqua Baptisteria Privilegio Asyli gaudent.

Gaudent eodem asyli privilegio Baptisteria, quæ sunt alicubi à Templis sejuncta, ut Romæ quod appellatur Constantini, Senis constructum ad radices Cathedralis, Pisis elegantissimum extra fores majoris Templi, Florentiæ situm è regione Cathedralis Ecclesiæ, Martis olim fanum. Sacrosancto Baptisterii loco etiam à barbaris, ferocibusque hominibus reverentiam quamdam exhibitam scribit lib. 2. H. E. cap. 8. Evagrius. Ipsummet jus asyli consecuta sunt Episcoporum Palatia ex Conc. Aurelianensi 1. c. 3. & ex Cap. *Id constituimus*, 36. XVII. q. 4. omnibus prorsus Jurisconsultis fatentibus, ut inquit Cardinalis Thuscus v. *Immunitas*, Concl. LIX. n. 24. De Domibus Eminentissimorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium extat Constitutio Leonis Decimi, & omnium pariter DD. consensus. Accedunt Hospitalia auctoritate Episcopi erecta ex definitione Urbani IV. cap. *Ad hæc* 4. de Religiosis domibus, tit. 36. lib. 3. Similiter quælibet virorum, ac mulierum Monasteria; de quorum amplissimis exemptionibus legantur Bulla Pii IV. *Dum ad uberes*, anno 1566. emanata, aliorumque Romanorum Pontificum Constitutiones.

24. Cultores Idolorum Asyla sacra æstimant.

Est autem sacrorum locorum asylum tanta æquitate statutum, ut illius rationem habuerint etiam idolorum cultores. Religio enim erat ad supplicium non trahere confugientes ad templa, arasque Deorum. Memorat S. P. Augustinus in primo de Civit. Dei. cap. IV. Asylum Junonis, demonstrans quanto majoris securitatis illo, quod elegerat Græculorum avaritia & superbia, sint sacra Christianorum Asyla, memoriæ scilicet Apostolorum, quibus etiam Barbari pepercerunt. Magna quippe vis auri è Vaticano surrepta jussu Halarici reddita est, auctore in VII. Histor. Orosio. De asylis Gentilium accipiendum illud Plauti in Most. Act. V. sc. 1. *Ego interim hanc aram occupabo;* festivumque alterum Juvenalis Satyra 14.

Falsus erit testis: vendet perjuria summâ
Exiguâ, Cereris tangens aramque, pedemque.

25. Varia recensentur Asyla.

Verum de his plura Georgius Rittershusius. Hunc morem confugiendi ad aras derivatum ex legibus Hebræorum infertur ex Cap. XXI. Exodi v. 14. & ex cap. 1. libri III. Regum v. 50. Eapropter Græcorum more etiam Rex Demetrius Templo Judæorum jus dedit asyli, lib. 1. Mach. cap. x. v. 43. De Asylo Delubri Hierocæsarienſis videndus Tacitus in tertio Annalium.

His perfugii locis, quæ tam fideles, quam Ethnici habent inviolabilia, & quæ sacra dicuntur, addit asyla propria ac profana jus Romanum, vel Gentium. Romulus asylum constituit inter Palatium & Capitolium, lucum quem veteres appellavere Quercetum: Virgilius VIII. Aeneid.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Retulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Datum olim jus asyli statuis quoque, ac sepulcris Principum, ut Athænis Thesei, Romæ Julii Cæsaris. Est & refugii locus propria domus, præsertim apu Græcos, quorum pervulgatum illud est, Οἶκος φίλος, Οἶκος ἄριστος, *Domus amica, domus optima.* Civem de domo sua extrahi non posse, habetur ff. De in jus vocand. l. 19. quæ tamen lex fallit in criminalibus. Hujus asyli præ cæteris Italis rigidi defensores habendi sunt, quomodo patet ex libro 1. Statuti patria lingua conscripti cap. 217. finitimi nostri Lucenses. Atque de Immunitate, & Asylo.

CAPUT XVIII.

De Collectionibus Canonum, iis maxime, quas adornarunt Isidorus, & Gratianus.

SUMMARIUM.

1. De variis Juris Canonici collectoribus.
2. 3. 4. 5. & 6. Propositio 1ma probatur.
7. Propositio 2da probatur.
8. Notanda de auctoritate & valore variorum canonum, & legum.
9. Corpus Universi Juris Canonici quibus, & quot libris constet.
10. Divisio Decreti Gratiani.
11. Divisio libri 6. Decretalium in alios quinque.
12. Divisio Clementinarum in quinque libros.
13. Divisio Extravagantum.
14. Citatio practica Canonum pro Tyronibus.

De variis Juris Canonici collectoribus.

FUERUNT Canonum, quorum complexio corpus Juris Canonici appellatur, Collectores plurimi, Dionysius cognomento Exiguus Monachus Scyta, Fulgentius Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, Cresconius de quo ad an. 527. Baronius, Anselmus Lucensis Episcopus, Burchardus Monachus, Ivo Carnotensis, Deusdedit Cardinalis, aliique, in Præf. Decretalium, in Apparatu Emmanuelis Gonzalez, & in VII. Annalium Ecclesiasticorum Tomo p. 137. Digni sunt, qui speciatim commemorentur, Isidorus, & Gratianus. Isidori nomen præfert perantiqua Collectio, quæ protenditur à Canonibus Apostolicis ad secundam Synodum Hispalensem, & complectitur etiam veterum ante Siricium Pontificum Decretales. Gravis de harum authenticitate viguit post Joannem Wiclefum controversia; ac permulti suppositas habent, non solum hæretici, verum etiam eruditi Catholici, discreto tamen, & meliori judicio. Cum autem vindicandas susceperit Franciscus Turrianus, hunc acerrime confutavit Blondellus; atque sententia Eruditorum hic meliorem causam hac in parte defendit, quamquam in Ecclesiæ doctrinam Decretalibus illis contentam nimis injuriosus. Aliud est inquirere, an Decretales antiquorum illorum Pontificum ab Isidoro collectæ genuinæ sint, aliud, an erroneis dogmatibus scateant. Et spurias & heterodoxas autumant cum Blondello Novatores alii; autographas, catholicasque cum Turriano nonnulli Nostrates. Viri docti mediam tenent viam: & interpolatas esse concedunt, & sanæ doctrinæ: Ita Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 6. Ant. Augustinus in Notis ad Capitula Adriani, Antonius Pagius ad an. 100. num. 4. & seqq. Franciscus Pagius in Anacleto, Joannes Bortonius V. S. Ref. in Dissert. Isagogica præmissa Decreto Gratiani pag. cx. aliique communiter.

An hujus Collectionis Auctor fuerit Isidorus Hispalensis, an Isidorus Mercator, incertum plures existimant. Hispalensi tribuunt Hincmarus in libro de Synodis, Trithemius, alii: Mercatori autem, vel alteri, qui sub Mercatoris nomine Collectionem illam fabricaverit, Scheleſtratius Tom. 2. Antiq. Eccles. dissert. 3. cap. 5. art. 5. num. 3. Franciscus Pagius ib. n. 3. & alii recentiores. His absque fluctuatione subscribimus: nam in vetusto Codice S. Mariæ supra Minervam legitur Præfationis initio: *Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo;* nec aliter in Vaticanis: quo loco in impressis est, *Isidorus peccator, &c.* In hac præterea Collectione fit mentio Concilii Generalis sexti, aliarumque Synodorum, ac Pontificum Isidoro Hispalensi, demortuo anno 636. posteriorum. Sexta enim Synodus, sive Constantinopolitana III. celebrata est anno salutis DCLXXXI.

Collector alter Canonum, de quo pertractandum est, fuit Gratianus Monachus Cluniacensis. Is Clusis in Etruria natus S. Benedicti Institutum amplexus est Bononiæ in Monasterio S. Proculi; sed inde transiit ad alterum SS. Felicis & Naboris, ibique collectionem Canonum adornasse constat ex lapide Sacrarii inscripto his versibus.

Hanc habe partem Lector, reverenter adito;
Namque loci Monachus Decretum
hic condidit hujus
Divinum Gratianus Opus, &c.

Desiderant quidem omnes in Gratiano methodum; habet enim pleraque involuta, nonnulla præposterè, & multa alieno loco digesta. Quamobrem (inquit Ivo Carnotensis in Præfat.) qui in Gratiani volumine methodum, sine qua διδακτικος esse nemo potest, vestigant, videntur non absimiles iis, qui delphini in sylvis, aut in fluctibus apri vena-

venationem instituunt. Sed barbara, quibus floruit, tempora nævum istum excusant, studiumque ac laborem extollunt. Methodum itaque prætereuntes, exquiremus de hujus collectionis auctoritate, quam aliqui nimis deprimunt, aliqui vero nimis efferunt, cum medium hic quoque teneant viri docti, & ingenui. At à decretalibus Isidorianis initium ducendum est.

1. Propositio I.

PROPOSITIO I. Decretales veterum ante Siricium Epistolæ ab Isidoro collectæ, sunt interpolatæ, & magna ex parte suppositæ, non tamen rejiciendæ tanquam Apostolicæ doctrinæ, fideique adversantes.

2. Probatur 1. pars 1.

Prima pars probatur 1. ex Epistol. Leonis IV. quæ extat Tom. 8. Conc. Labb. p. 32. ubi n. 6. ait Pontifex regulas Decretalium & Canonum tunc temporis apud Sedem Apostolicam extantium, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utebatur judiciis, esse, *Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanenſium, & cum illis regulas Præſulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii, & Gregorii Junioris. Isti omnes sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul, & Clerici judicantur.* Habetur & in cap. *De libellis*, dist. xx. Tempore itaque Leonis IV. an. 847. non extabant in Collectione Canonum Isidorianæ Decretales Anacleti, Evaristi, aliorumque veterum Pontificum ante Siricium. Additionem hic factam non in Epistola Leonis, sed in Codice, qui Romæ servabatur, ante dimidium octavi sæculi opinatur doctissimus P. Coustant. At Baronius hanc suspicionem dirimit; nam Codicis, quo sub Leone IV. Romana Ecclesia utebatur, extant in Vaticana tria antiqua Exemplaria Mss. in quibus omnibus eodem ordine Canones sunt dispositi, deinde decreta Pontificum, quorum seriem inchoat Siricius. Tria alia Mss. his concordantia extare in Monasterio Erbachensi, *suscipienda propter admirandam antiquitatem*, testatur in Præf. Joan. Wendelstinus. Ex his expressa est anno 1525. editio Moguntina, in eadem Bibliotheca Vaticana n. 2338. Addit Pagius Codicem Vigilanum compilatum anno 876. Atque hi omnes Codices sunt ad confirmandam thesim capita argumentorum. Videtur tantum, ut ex Marca adnotavit laudatus Bortonius, superinductum nomen Sylvestri, quod in Codice Canonum minime extat.

Suppositas Decretales illas alia plura momenta commonstrant. Observavit Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis in Notis ad Capitula Adriani in Isidoriana Collectione usurpari eadem verba legum Imperialium, & Scholion appositorum sub Aniani nomine ad Codicem Theodosianum, & Blondellus improbo labore scrutatus est, unde sententias, verbaque ipsa Consarcinator expilaverit. Verum argumentatio ista, quam pluris faciunt, vix à me extorquet assensum; nam si Pseudo-Isidorus compilavit Scholia Aniani, potuit & Auctor τῶν σχολίων è monimentis veteribus plura exscribere. Apocryphæ sunt tamen Epistolæ Isidorianæ: quod præter dicta comprobat stylus, & sparsa per omnes similitudo jejunæ & dissipatæ orationis, quæ nec diversis Auctoribus potest adjudicari, nec ostentat secundi sæculi comptam & elaboratam idoneorum verborum circuitionem. Accedit silentium veterum, quibus fuerunt ignotæ; & frequens citatio textuum juxta Vulgatam, quæ obtinuit post Hieronymi ætatem. Sed de his uterque Pagius. 3. Probatur 2.

Alteram propositionis partem demonstro 1. ex Epistola 42. Nicolai I. citata Tom. VIII Conciliorum p. 799. & cap. *Si Romanorum Pontificum*, dist. 19. In qua summus Pontifex scribit ad Episcopos per Gallias constitutos: *Si ideo non esse decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adscriptæ: ergo nec sancti Gregorii, nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum, vel scriptum recipiendum, eoquod in Codice Canonum non habeatur adscriptum. Ergo doctrinam eorum, & sanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in Codice Canonum non habentur adscriptæ, de codicibus suis eradant.* Quod cum fieri nequeat, jure optimo infert Nicolaus Collectionem Canonum non confirmare, nec imminuere decretalium Pontificum auctoritatem. Cujus rei subinde causam satis congruam producit, quod omnia in uno corpore compaginari non possint. Addo, quod Collectores nequeunt decretis Pontificum aliquam firmitatem tribuere. Rejicere itaque Collectionem Isidorianam, eoquod Decretales plures in vetusto Codice non habeantur, temerarium est & iniquum. 4. Probatur 2. pars 1.

II.

5. Probatur 2. II. Quamquam non sunt Decretales omnes Isidorianæ genuinæ, nec Collectio ipsa autographa; omnes tamen tanquam spurias expungere imperitorum est, atque impudentium. Suppositæ enim sunt tres Decretales Anacleti, duæ Evaristi, tres aliæ Alexandri, quam dist. 1. cap. *Nocte sancta*, 48. de Consecrat. affert Gratianus, Telesphori, duæ Pii successoris Aniceti juxta Optatum & Augustinum, Præcessoris autem juxta Irenæum & Eusebium, aliæ duæ Soteris, suspectæ fidei quatuor Victoris, duæ item affictæ Zephyrino, spuria unica sancti Urbani, suspecta decretalis Anteri, explosæ pariter tres Fabiani, pseudigrapha quæ tribuitur Lucio, item duæ ex adscriptis Stephano, Sixti II. aliæ duæ, altera saltem Dionysii, tres sub nomine S. Felicis, duæ item Marcellini, duæ aliæ Marcelli, tres S. Eusebii, una Melchiadis, Epistola S. Marci, suppositum denique Damaso Decretum de Libris recipiendis. Hi ante Siricium sederunt. De quorum Epistolis legendi eximii viri Lupus, Pagius, Labbeus, Constant. De Epistolis S. Stephani ad Cyprianum erudite pertractat. P. Missorius, qui edendis FF. Minorum Conventualium Annalibus Operam dat egregiam. De ipsius perpolita Dissertatione ambiguum est virorum Doctorum judicium. At plurimas veterum Pontificum Epistolas ab antiquis PP. & Historicis laudatas, uti Julii I. citatam in 2. Apologia S. Athanasii, Liberii commemoratas ab Hilario in fragmentis, Damasi ad Episcopos Illyrici, de qua Theodoretus lib. 2. H. E. cap. 22. aliasque complures in dubium revocare non possumus. Oportet ergo, ut recto criterio genuinæ distinguantur à spuriis, non autem cæco ac præcipiti judicio singulæ repudientur.

6. Probatur 3. III. Illæ etiam Isidorianæ Epistolæ, quæ ad adulterinas amandantur, non sunt temere respuendæ, primo quoniam statim ac prodiere, illas receperunt, probaruntque Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, auctore Marca lib. 3. Conc. cap. 6. Deinde illis tanquam consentientibus Patrum traditioni, & Ecclesiasticæ disciplinæ usi sunt Fideles communiter usque ad tempora Concilii Constantiensis, annum scilicet 1414. Consecratæ etiam fuerunt Scholarum usu, Commentariis interpretum, aliorumque Collectorum usurpatione. Præterea in iis contineri dogmata cum recta fide pugnantia, prætextum hæreticorum mendacium est. Insuper Catholicorum consensio, & usus universalis, sententiarum condecentia, & cum Scripturis, ac Patribus harmonia, illarum orthodoxiam aperte demonstrant. In laudata demum Synodo Sess. VIII. damnata est 38. propositio Witclefi, *Decretales Epistolæ sunt Apocryphæ: seducunt à Christi fide: & Clerici sunt stulti, qui student eis.* Cujus propositionis priorem partem esse universaliter falsam, alteram hæreticam, tertiam scandalosam potest quisque deducere ex hactenus disputatis.

7. Propositio 2. PROPOSITIO II. Canones collecti à Gratiano non aliam habent auctoritatem, quam fontium, locorumque, unde sunt derivati.

Probatur. Ita Auditores Sacræ Rotæ Decis. apud Pen. 480. n. 18. *Nec refert illos Canones recenseri in Decreto à Gratiano compilato, quia cum Gratianus non publica auctoritate infinita quæque illa Canonum Ecclesiasticorum, & legum etiam sæcularium Capitula in suum librum contulerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tanquam authenticus & legalis approbatus fuerit, inde fit, ut quilibet canon inde relatus ex eo tantum quod ibi referatur non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco consistens de sui natura esset habiturus: nec Gregorius Decimustertius Gratiani librum tanquam legalem authenticavit, cum solum emendari jusserit, & emendationes sine additionibus, aut detractionibus mandaverit observari.* Videatur Bulla Gregorii, *Cum pro munere.* Accedit quod adhuc post limam Gregorii extant in Decreto Gratiani errores aliqui, de quibus legendus P. Placidus Bökn ejusdem Benedictini Instituti in Controv. Jurisprud. lib. 1. Tit. 2. p. 1. q. x.

8. Notanda de auctoritate & valore variorum Canonum & legum. Consequitur ex dictis Canones Conciliorum Generalium à Gratiano productos habere auctoritatem plenissimam, quia talem quoque in se habent. Decreta Conciliorum Provincialium inviolabilia tantum esse in diœcesi ac Provincia, pro qua statuta fuerunt, spectatâ approbatione & confirmatione Pontificis; per quam tamen, nisi exprimatur, canon provincialis Synodi non stringit universos, quoniam ut Barbosa docet v. *Confirmatio*, aliique J. CC. approbatio & confirmatio addit quidem canoni robur ac firmamentum, sed minime illum reddit ampliorem. Pari jure sequitur leges Imperatorias, nisi Constitutionibus Pontificum insertæ sint, in foro Canonico non valere, nam insertæ tanquam receptæ censentur. Patribus autem, Historicis, cæterisque Canonum Col-

Collectoribus suam stare singulis auctoritatem; ipsi autem Gratiano, ubi proprio loquitur sensu, non aliam, quam privato Doctori, tametsi ob plurimorum approbationem non humili, atque vulgari. Idem dicendum de *Paleis*. Unde vocabulum istud eruperit, absque utilitate disquirunt. Dictas *Paleas* à quodam discipulo Gratiani Palea, aut Protopalea nuncupato; ego sane non arbitror; & hunc Paleam Cluniacenses, aliique Benedictini prorsus ignorant. Appellari Paleas, quasi τὰ παλαιὰ id est, *antiqua* probabile est, tametsi non reperiantur in vetustis codicibus, auctore Fagnano. Ab adverbio πάλιν, *rursus*, quidam deducunt, eoquod sint additiones factæ Decreto. Solent vocabulis Græcis propria nomina, librorumque tituli passim conflari: vulgavitque paucis abhinc annis vir doctus Philosophicas Institutiones *Neopalæas*.

9. Corpus universi Juris Canonici quibus, & quot libris constet.

Post Gratianum variæ adornatæ sunt Canonum Collectiones; sed prætermittenda silentio non est elaborata anno 1230. à S. Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum. Est hæc, quæ nomen præfert Decretalium Gregorii IX. Accedit ea, quæ dicitur liber Sextus Decretalium, publicata anno 4. Pontificatus Bonifacii VIII. id est anno Domini 1298. Addidit Joannes XXII. Constitutiones Clementis V. quæ vulgo appellantur Clementinæ, atque his accessere ab ipso Joanne editæ, quas appellant Extravagantes. Sequuntur Extravagantes communes, id est à diversis Pontificibus editæ; quibus & addidit celebris Jurisconsultus editas post omnes Extravagantes sub nomine libri Septimi Decretalium. Ita Corpus universi Juris Canonici his libris constat, Decreto Gratiani, Decretalibus Gregorii IX. Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis, Extravagantibus communibus, & Septimo Decretalium. Hic tamen postremus est Corpori superadditus.

10. Divisio Decreti Gratiani.

Dividitur Decretum Gratiani, sive Concordia discordantium Canonum in tres partes. Quarum prima continet Distinctiones CI. & in una quoque distinctione plures sunt Canones. Pars altera complectitur Causas triginta sex, atque in causis singulis est ordo quæstionum, in quæstionibus Canonum: sed Causa XXXIII. quæstionum loco complectitur septem distinctiones. Tertia pars de Consecratione inscribitur, & partitionem habet distinctionum quinque.

Gregorii IX. Decretales quinque libris comprehenduntur distinctis titulis, & Capitibus. Continet liber primus titulos tres & quadraginta: secundus triginta: tertius quinquaginta: quartus viginti unum: quintus unum & quadraginta. Sunt autem in omnibus titulis capita suis numeris distincta.

11. Divisio libri 6. Decretalium in alios quinque.

Sextus Decretalium in alios quinque divisus est. Sunt in primo tituli viginti-duo: in secundo tituli quindecim: in tertio tituli vigintiquatuor: in quarto tres tantummodo: in quinto tituli duodecim. His subjiciuntur Regulæ Juris LXXXVIII.

12. Divisio Clementinarum in quinque libros.

Clementinarum pariter quinque libri extant: in quorum primo connumerantur tituli undecim: in secundo duodecim: in tertio decem ac septem: in quarto unicus extat titulus: in quinto undecim habentur.

13. Divisio Extravagantum.

Extravagantes Joannis titulis quatuordecim unius libri sunt dispositæ. Communes verò continentur libris quinque. Tituli in primo novem: in secundo tres ac decem: in quarto locus est vacuus: in ultimo decem tituli inveniuntur. De septimo extra Corpus, ut vocant, Juris, non opus est plura dicere.

14. Citatio práctica Canonum pro Tyronibus.

Hæc ideo conscripta à me sunt, ut Tirones Canonum citationes non omnibus pervias dignoscerent. Ex Decreto itaque Gratiani hoc pacto Canones laudantur. Ex prima parte: C. *Si Romanorum*, dist. XIX. id est, in Canone, qui incipit, *Si Romanorum*, in distinctione XIX. Ex secunda parte sic proferuntur: *Can. Nulli Episcoporum. III. quæst.* 5. id est, Canone, qui incipit, *Nulli Episcoporum*, Causa tertia, quæstione quinta. Sic ex tertia parte allegantur: *C. Qui manducant.* 58. *dist.* 2. *de Consecratione*, id est, Canone, qui incipit, *Qui manducant*, ordine quinquagesimo octavo, distinctione secunda partis tertiæ Decreti, quæ inscribitur de Consecratione. Contenta in Decretalium Gregorii quinque libris allegantur hoc pacto: *Cap. Recolentes. 3. Extra, de statu Monach.* nempe, Capitulo, quod incipit, *Recolentes*, tertio, quod est Extra Gratiani Decretum, id est in Decretalibus Gregorii IX. Titulo de statu Monachorum. Quæ autem proferuntur ex Decretalium sexto, ita laudantur: *Cap. Si Apostolicæ, de Præbendis in 6.* videlicet in Capite incipiente, *Si Apostolicæ*, quod extat Titulo de Præbendis, in Sexto Decretalium. Proferuntur similiter reliqua. Sit in exemplo: Cap. *Si à Judicibus*, de Appellat. in Clement. scilicet, Capitulo, cujus initium est, *Si à Judicibus*, quod habetur in Clementinis, titulo de Appellationibus. *Cap. Sancta*

Romana, de Religiosis Domibus in Extrav. Joan. XXII. aut *Cap. Vas electionis, de Hæreticis in Extrav. Comm.* Singulorum Canonum definitiones sufficienter explicat Decretum Abbreviatum, quod soluta oratione, & carmine præmittitur Corpori Juris Canonici in editione Coloniæ Munatianæ, id est, Lugduni, cui hoc nomen à L. Munatio Planco, lectu dignum, & quambreviſſimum.

CAPUT XIX.

Quanta sit Apostolicorum Canonum auctoritas.

SUMMARIUM.

1. De Apostolicis Canonibus Propositio 1. 2. 3. & 4. Propositio 2. Probatur.
5. Quinquaginta Canones Apostolici affirmantur.

De Apostolicis Canonibus.

DECRETO Gratiani, & Conciliorum voluminibus addi solent Canones, qui dicuntur Apostolici: de quorum antiquitate ac origine non idem est Scriptorum judicium. Auctoritate Apostolica conditos, & antiqua traditione ad nos derivatos scribunt Severinus Binius, Franciscus Turrianus, Lambertus Gruterus, Lindanus, aliique plures, quorum sententia est fuisse per Clementem in unum congestos. Nonnisi vergente ad finem quinto Christiani nominis sæculo editos arbitratur Dallæus, cui videtur accedere in Vindiciis Epistolarum Ignatii Joannes Pearsonius. Neque digestos ætate Apostolorum, neque tam sero fabricatos, sed editos secundo, aut saltem tertio sæculo ineunte sentiunt Marca, Albaspinæus, & etiam Beveregius, Hammondus, Blondellus, Josephus Scaliger. Plura de his legi possunt apud Antonium Pagium ad an. 100. n. IX. & seqq. Natalem Alexandrum dissert. XVII. I. sæculi, Scheleſtratium 2. p. Antiq. Illustr. & laudatum Beveregium in altero Tomo PP. Apostolicorum Cotelerii. Nos autem nonnulla, quæ ad hanc solvendam quæstionem videntur idonea, subjectis thesibus proferemus.

I. Propositio I.

PROPOSITIO I. Canonum Apostolicorum certus numerus definiri non potest.

Probatur.

Probatur I. Quoniam recepti olim ab Orientalibus, & quos habemus ex interpretatione Gratiani Herveti, sunt numero LXXXIV. & qui obtinuerunt apud Occidentales numero tantum L. Inter istos autem quinquaginta est canon valde ambiguus XLV. de Baptismo Hæreticorum; quem, si anno CCLVI. notus fuisset PP. Occidentalibus, profecto Firmilianus in Epistola ad Cyprianum hoc anno adversus Stephanum scripta, aut Rebaptizantium aliquis laudasset. Est enim ille Canon, *Episcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum baptisma, vel sacrificium admittit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? vel quæ est pars fidelis cum infideli?* Videtur ergo iste Canon à Rebaptizantibus Iconii, aut Synadis congestus, ut Baluzius, & Pagius adverterunt, quo consuetudinem à Stephano laudatam aliquo præsidio repudiarent. II. Cap. *Sexaginta*, d. XVI. numerantur canones Apostolici 60. ex Epist. I. Zephyrini, in cujus tamen textu habetur numerus LXX. Quinquaginta autem numerantur seq. Cap. *Clementis.* At proximo Cap. *Placuit*, dicuntur confirmata & rata cap. 2. VI. Synodi *Canonum Apostolorum* LXXXV. *Capitula.* Verum Sextam Synodum nullos edidisse canones, constat ex Act. 4. & 5. secundæ Nicænæ, inquit Binius Tom. I. pag. 53. Collect. Labbeanæ. III. Etsi non omnes Canones, qui extant in Collectione LXXXIV. Herveti, plures tamen perantiquos esse, etiam præter L. communiter receptos, Eruditi omnes fatentur, & constabit ex subjecta assertione; cum prima ad hunc modum se habeat.

2. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Canones Apostolici etiam primis Ecclesiæ sæculis obtinuerunt.

Probatur I.

Probatur I. Ex Nicæna Synodo celebrata anno CCCXXV. Hæc enim Canone I. de Eunuchis præscribit, quod si aliqui à Dominis vel barbaris castrati sunt, inveniuntur autem alioquin digni, à Clericorum statu non excludantur, *Tales quippe* (inquit) *admittit Canon.* Qualem vero Canonem putas, nisi XXI. Apostolicum prohibentem ne Clericus efficiatur de Eunuchis ille tantum, qui amputaverit sibi ipsi virilia? Definitur etiam 2. ejusdem Synodi Canone, ne statim nuper baptizati ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoveantur, *contra Ecclesiæ Canonem.* At hunc Canonem quis ignorat esse inter Apostolicos LXXIX? Quin-

Quinto insuper canone sancitur, qui ab aliis ejecti sunt, ab aliis non esse admittendos, *juxta veterem Canonem.* Hunc canonem adinvenies inter Apostolicos n. XXXIII. Decimo Nicæno canone citatur *Canon Ecclesiasticus*: atque hunc non alium esse, quam LXI. Apostolicum, eruditi viri observarunt. Synodum ergo Nicænam Apostolici utique Canones præcessere. Adde in hujus argumenti confirmationem, Constantinum in Epistola ad Eusebium & Antiochenos Episcopos citare Canonem Apostolicum XIII. unde constat, inquit Pagius n. x. hos canones ante Synodum Nicænam fuisse cognitos.

3. Probatur 2. Deinde probatur ex Synodo Antiochena celebrata anno CCCXLI. Editi in ea Canones XXV. quos cum Apostolicis convenire, liquet ex illorum collatione Tom. 2. PP. Apost. Cotelerii pag. 17. Appendicis. Me non latet, Cl. nostrum Lupum in Notis ad can. 26. Chalcedonensem ambigere, num canon Apostolicus XLI. de rebus Ecclesiæ per Episcopum, vel Oeconomum ejus curandis sit revera Apostolicus, cum lucidâ mixturâ appareat compositus ex 26. Chalcedonensi, & duobus ultimis Antiochenis. Tanti quidem viri judicium comprobat canonum ipsorum collatio. At neque id hanc prosternit & labefactat positionem, quoniam stat adhuc canonem illum XLI. tametsi ex Antiochenis dicatur consarcinatus, perantiquum esse; idque Lupus ipse fatetur: & reponi potest non ex Antiochenis Apostolicos, sed ex Apostolicis Antiochenos esse conflatos. Enimvero qui singulorum concordantiam perpendunt, vident Apostolicos non tam esse perspicuos & amplos, licet floridæ phraseos priscis sæculis congruentis: ampliores autem esse Antiochenos, ac talis structuræ, ex qua facile conjicias istos illorum esse rivulos potius, quam fontes.

4. Probatur 3. Tertio probatur Assertio Patrum auctoritate, Athanasii, qui Nicænæ Synodo interfuit, & Basilii Cæsareæ in Cappadocia Antistitis jam ab anno 370. Nam Athanasius in Epistola ad Orthodoxos differens adversus Gregorium Cappadocem jussu Præfecti Aegyptiorum intrusum in sedem Alexandrinam, ait: *Non enim nunc dierum Canones & typi Ecclesiis dati sunt, sed à Patribus nostris pulchre firmiterque traditi fuerunt.* De consimili autem controversia nullum invenies canonem Athanasii ætate priorem, nisi sit ille Apostolicorum LXXIII. Item in Apologia de fuga sua conqueritur velle Arsenium se Ecclesiastico Canoni juxta vetus institutum subjici, aperte verba faciens de Apostolico Canone IV. aut XXX. Basilius vero in Epistola ad Amphilochium laudat antiquum canonem, quo deponendus declaratur Diaconus fornicationis convictus: quem porro canonem liquido constat esse Apostolicorum XXV. in Collectione Dionysii, XXIV. in Hervetiana. Adverte nos minime asserere omnes omnino Canones Apostolicos, qui numerantur LXXXIV. vetustos esse & receptos ante exactum sæculum tertium; sed eos tanquam ex Apostolica traditione, aut ex doctrina Apostolorum credimus derivatos, qui cum Ecclesiæ Romanæ inviolata fide per omnia consentiunt. Quare non sunt singuli indiscriminatim firmissimi, sed explodantur aliqui, præsertim LXV. de depositione Clerici, si jejunet die Dominico, vel sabbato, & LXXXIV. de Canone Scripturarum.

5. Quinquaginta Canones Apostolici affirmantur. Ex Apostolicis fontibus fluxisse L. à Dionysio translatos certissime tenent quamplurimi cum Baronio ad Annum CII. num. XII. De his habetur decretum Stephani Papæ IV. in Synodo Lateranensi celebrata contra Iconomachos anno 769. Act. IV. *Non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per sanctum Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Hos ergo & nos recipiamus oportet, sed istos, aliosque juxta approbationem, ac sensum Apostolicæ Sedis. Neque repugnat decretum Gelasii cap. *Sancta Romana* dist. XV. ubi legitur: *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus.* Primo quia Gelasius loquitur de libro Canonum LXXXIV. non de L. Capitulis, ut scribit Binius, & probatur ex Humberto legato Leonis IX. adversus Nicetam, scribente, *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, & Apostolorum Canones numerant PP. inter Apocryphos, exceptis* L. *Capitulis, quæ decreverunt Orthodoxæ fidei adjungenda.* Extat Leonis nomine cap. 3. dist. XV. Deinde, quia verba Gelasii sunt commodo sensu accipienda, quasi liber Apocryphus dicatur qui hos continet canones, eoquod immerito Apostolorum nomen præseferat, & videatur secundo, aut tertio Ecclesiæ sæculo conscriptus, ut nunc tenet sententia eruditorum communior.

CAPUT XX.

Perpauca circa Civiles leges Rudimenta.

SUMMARIUM.

1. Notanda de legibus civilibus.
2. Leges Athenienſes vel Atticæ.
3. Leges pro ſervanda honeſtate Matrimonii.
4. Leges de furto.
5. Leges Romanorum.
6. Leges de Religione & cultu Parentum.
7. Leges de Homicidio.
8. Leges contra libidinem.
9. Leges aliæ de furto.
10. Leges Romanæ convitia, & falſum teſtimonium inhibent.
11. Concordantia Legum Romanarum cum Atticis.
12. Leges Romanæ ab Athenienſibus derivatæ.
13. Cohærentia aliquarum Legum cum libris Geneſis, Exodi, & Levitici.
14. Romanæ & Atticæ leges derivantur ex hebraicis.
15. Præter Leges dantur peculiaria ſtatuta.
16. Juſtiniani ſtatuta.
17. Notæ quædam.
18. Quid contineat Codex.

1. Notanda de legibus civilibus.

QUAMQUAM ad libri hujus inſtitutum Civilium legum diſſertatio non pertinet, neque poteſt illa limitibus hiſce comprehendi propter dignitatem diſciplinæ rerumque amplitudinem: quia tamen ſunt politicæ omnes conſtitutiones imagines quædam divinarum, atque perutile eſt nec injucundum Theologo aliquam illarum notitiam aſſequi; oro ne tibi, Lector, moleſtum ſit poſt alias multas hanc meam excipere lucubrationem.

2. Leges Athenienſes vel atticæ.

Inter civiles leges quarum etiamnum aut tabulæ extant, aut ſparſa ſaltem fragmenta, præter Hebraicas & affines Aegyptiorum, principem ſibi vindicant locum Athenienſes, vel Atticæ, ex quibus originem ducunt Romanæ. Si quis illas intelligendi cupiditate tangitur, adeat percelebres viros, Sigonium in libris de Republica Athenienſium, Thyſium, & Salmaſium de Jure Attico & Romanorum, duosque ſaltem libros Meurſii, quorum unus inſcribitur Themis Attica, & alter Solon. Percipiet ex his, quomodo primus omnium poſt Cererem dicatur Athenienſibus leges tradidiſſe Triptolemus, easque explicaſſe Solon, ut Gellius ſcribit lib. 11. cap. x. *axibus ligneis inciſas.* Generales leges, quas Triptolemus conſtituit, ſunt: *Parentes honorare, Deos fructibus colere, animalia non lædere.* Hoc poſtremum apud Hieronymum adverſus Jovinianum idem eſt, ac animalium carnibus non veſcendum. Speciales leges verſantur circa homicidium, matrimonium, furtum, maledicta, Magiſtratum. De homicidio ſtatutum, nullum prorſus iri impunitum, & exterminandas etiam res inanimatas, cædisque inſtrumenta; ut colligitur ex Oratione Aeſchinis in Cteſiphontem. Statutum tamen præmium occidentibus tyrannum, idemque, ac Olympionicis, ut inquit in Hermogenem Syrianus. Permiſſum juſtum bellum, decretumque præmium inventoribus novorum armorum, ex eodem Auctore ibidem. Prohibitum militare infami, & ægroto: ac ſancitum filiis patrum, qui in bello decumberent, ex ære publico alimentum usque ad pubertatem, ut colligitur ex Ariſtide. Inſidiantem vitæ alienæ tanquam homicidam judicandum, conſtat ex declamatione XIV. Libanii.

3. Leges pro ſervanda honeſtate matrimonii.

Pro matrimonii honeſtate ſervandâ ſtatutas ſequentes leges invenimus. Pauſanias ſcribit vindicandi adulterii legem poſuiſſe Draconem; & Solon, ex Plutarcho in ejus vita, permiſit interfici adulterum: addit Sopater etiam mulctatum dote, quæ cederet viro. Contumeliam illatam ingenuis pueris reprehendit auctoritate legum in Timarchum Aeſchines, ubi etiam de pœna corpora proſtituentium. Nothos inter propinquos habendos non eſſe lege Attica, liquet ex Avibus Ariſtophanis. Nefas erat, ut Marcellinus ſcribit, cum Tutore, aut filio ipſius virginem pupillam inire conjugium. Nupta impotenti poterat ad alium tranſire, lege ſtatutâ à Solone; de qua & Plutarchus in ejus vita, & Terentius in Hecyra Act. 1. Sc. 2. In ſolvendis tamen connubiis literas divortii deferendas ad Archontem, idem Plutarchus ſcribit in Alcibiade.

4. Leges de furto.

De furto has conſtitutiones inter Aticas adinvenio. Quisquis alienam rem furripit, etſi olus tantum, aut fructus hortenſes, lege Solonis morte damnatur. Non poterat publici ærarii defraudator aut debitor aliquod Reipublicæ munus capeſſere, ut inquit Demoſthenes in Theocrinem. Ex Cicerone de Optimo genere Orat. habemus, nihil niſi in concione à populo fuiſſe donandum. A pupillis nil alienandum absque poteſtate Archontis, auctor eſt in Hermogene Marcellinus. Vetitum Mercatoribus alio, quam Athenas vehere frumentum,

mentum, noscitur ex Oratione Demosthenis in Phormionem. Has consequuntur leges in sycophantas, & maledicos. Datam actionem in falsos testes, evincitur ex Oratione ejusdem Demosthenis in Evergum. Prohibitum servo proscindere convitiis liberum, & cuique maledicta jacere in mortuos lege Solonis; de qua in ejus vita Plutarchus. venatoriam in Magistratu dignitatem nullus ante annum tricesimum capessebat, ut inquit Xenophon. Lex scortatores & maleficos à suggesto arcebat: & nova lex centum annorum consuetudinem pro sui inviolabili auctoritate postulabat. Ad hæc capita leges Athenienses, quas præclaris animadversionibus laudati viri illustrarunt, breviter revocare non dubitavi, servata quadam cum Decalogo methodi similitudine.

5. Leges Romanorum.

Post Atticas veniunt commemorandæ leges Romanorum cæteris omnibus, ut Polybius inquit, anteponendæ. Varia his nominibus data; nam aliæ appellatæ sunt *Regiæ*, quæ de imperio Regum latæ sunt: quædam *Tribuniciæ*, constitutæ à Tribunis pl. leges *XII. Tabularum* à Decemviris sanctæ: dicta lex *Curiata*, lata à Magistratibus patriciis jam designatis, vel in provinciam, & ad bellum cum imperio profecturis: *plebiscita* dicebantur decreta populi. Leges præscriptæ de jure triumphandi appellebantur *Triumphales*: *Sacratæ*, quas transgredientes diis sacrabantur: latæ autem de rebus variis ac discrepantibus, quasi à saltatione Satyri, dictæ *Satyræ*. Quamplurimæ tamen à legislatoribus nomen accepere, ut *Aurelia*, *Pedia*, *Clodia*, *Hostilia*, *Ducilia*, *Menenia*, *Cincia*, *Aquilia*, *Cassia*, à L. Aurelio, à Q. Pedio, à P. Clodio, ab Hostilio Mancino, à M. Ducilio, & L. Menenio, à M. Cincio Alimento, ab Aquilio, à L. Cassio. *Julia* dicitur lex promulgata ab Augusto orto quidem ex familia Octavia, sed in Juliam cooptato. At plura de his Ber. Brissonius De Verborum significatione, & Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, qui ordine Alphabeti singulare volumen edidit de legibus Romanis.

6. Leges de Religione & cultu parentum.

Missis autem legum vocabulis, attingam quædam de rebus servato eodem ordine, id est nonnulla primum in genere commemorando spectantia ad religionem, cultumque parentum, post hæc leges aliquas, ad homicidium, ad fornicationem, ad furtum, ad falsos & maledicos pertinentes. Sunt in prima classe leges sacræ, quibus Romulus vetuit Divina tractari à plebeis, ut scribit Cicero in tertio de Natura Deorum, statuit augures ac Sacerdotes, prohibuit nocturna mulierum sacrificia, atque vigilias in templis. At Numa totus in re Divina sexaginta Sacerdotibus electis à Romulo adjecit Flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem, Vestales virgines, Salios Marti Gradivo duodecim, & Pontificem Maximum ex Patriciis. Statuit, inquit Plinius lib. VIII. cap. 2. *Ut Deos fruge colerent, & mola salsa litarent.* Pro familiæ regimine constitutæ leges. Incutit filiis timorem ac reverentiam lex quam recitat Festus: *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit parentes; puer divis parentium sacer esto.* Nulla lex *Silvia*, id est Romuli, contra percussores parentum, *Qui neminem unquam tam ab humanitate aversum, tam naturæ inimicum fore existimavit, ut parentibus, unde vitam ipsum ac lucis usuram accepisset, manus inferret*, ait cap. 26. de legibus Romanis Paulus Manutius. Adoptio in filios lege Curiata fiebat apud Pontifices. Omnes virilis sexus filii ut instituerentur hæredes, erat Junia Velleja. Ad æquitatem juris servandam, Aebutiâ mandatur, ne cognatis, & affinibus detur curatio, Claudia de Tutelis mandat tutelam fœminarum consanguineis. Tutorem dandum à Prætore præscripsit Atilia. Cautum lege Voconia, ne quis filiam hæredem relinquat supra H. S. XXVM. Uxorem cum viro rerum omnium esse sociam, eoque defuncto æqualem cum filiis habere hæreditatem, fuit lex Romuli, ut Dionysius, & Plutarchus prodidere. Hæc perpauca de legibus ad cultum Deorum, & familiæ regimen pertinentibus universim dicta sint.

7. Leges de homicidio.

Ad homicidium attinent quæ sequuntur. Damnandum publico judicio, qui hominem occidit, aut occidendi causa cum telo ambulavit, aut venenum paravit, vel vendidit, lex est Cornelia de Sicariis. Omnibus, qui Cæsarem interfecerant, lege Pedia aqua, ignique interdictum. Parricida, & quisquis filiis, & affinibus præparaverit fata, l. Pompeja de Parricidis, insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia in vicinum mare, vel amnem est projiciendus. Lædentibus alterum vel mutilantibus stat lex Decemviralis: *Si membrum ruperit, ni cum eo pacit, talio esto.*

8. Leges contra libidinem.

Instituta ad coercendam libidinem lex Julia de Adulteriis, & de Pudicitia; atque his etiam divortiis modus impositus. Firmatur ibidem lex Romuli, *Adulterii convictam vir, & cognati, uti*

volent, necanto. Stuprator verberibus necabatur, inquit Festus. Pellex ædem Junonis non poterat tangere. Qui divortium faceret, ei Diis inferis sacrificandum. Puniri probrum Vestalis, illamque ad portam Collinam defodi vivam statuit Numa Pompilius. Propter mundiorem justo cultum suspectam fuisse Minuciam Vestalem, narrat Livius octavo libro. Irrogata pœna vim inferentibus adolescentulis, & alienam pudicitiam sollicitantibus, aut propriam prostituentibus, ad x. millia num. lege Scatinia, aut Scantinia, latâ, ut fertur, ob Scantinium Capitolinum. Ad honestatem connubiorum statutum in XII. Tabulis, ne Patriciis liceret jungi cum plebe, neque libertinam ingenuus, aut ingenuam duceret libertinus; at abrogatum per legem Papiam. Etiam vino nuptæ abstinendum erat lege Romuli.

9. Leges aliæ de furto.

Latæ adversus furtum leges sunt. In XII. Tabulis. *Si quis nocte furtum faxit, & im aliquis occisit, jure cæsus esto,* & *Frugem aratro quæsitam furtim noctu si pavierit, secueritve pubes, suspensus Cereri necator : impubes verberator; noxiamque duplionem præstato.* Furtivarum rerum possessionem inhibet l. Atinia, De usurpatione : Furtum quodlibet l. Hostilia. Plagiariis l. Fabiâ pœna capitis irrogatur, necnon ei, qui liberum sciens emit. Non punitur tamen possidens bona fide mancipium. Puniendus lege Julia de Annona citata ab Ulpiano lib. IX. qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo carior fiat. Extat in l. Aquilia, ut damni injuria lati sit actio : & qui sciens damnum dederit, reddat quadruplum, qui insciens simplum. De repetundis pecuniis extat Acilia, sive *repetundarum :* De pecunia pro frumento contra jus accepta, l. Cassia, sive *Agraria;* de munere illicite accepto l. Cinia *Muneralis.*

10. Leges Romanæ, convitia, & falsum testimonium inhibent.

Convitia, testimonium falsum, calumniam inhibent æque Romanæ leges. In XII. Tabulis extabat: Ut si quis actitavisset, aut carmen condidisset, quod infamiam, flagitiumve alteri inferret, capite puniretur. Fecit L. Sylla Majestatis crimen, ut habemus ex Epistola Ciceronis ad Appium. Pœnam irrogat ei, qui testamentum falsum scripserit, recitaverit, sculpserit dolo malo, l. Cornelia *Testamentaria;* quibusvis calumniatoribus Remnia. Qui duobus diversa testimonia præberent, puniendi l. XII. Tab. I. & quisquis falsum dixisset testimonium è saxo Tarpejo erat dejiciendus. Nec Censoribus in Senatu fas erat ignominia afficere, nisi accusatos jam & damnatos. l. Clodia de Nota Censoria. Leges Romanas alias Sigonius, Manutius, Panvinius, aliique exponunt prioribus Voluminibus Romanarum Antiquitatum.

11. Concordantia legum Romanarum cum atticis.

Facile ex his deprehendes legum Romanarum cum Atticis concordantiam. Quod ut percipias magis, iterum per utrasque tenentes eumdem ordinem discurramus. Spectat ad Religionem lex XII. Tab. *Separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos privatim colunto :* atque eadem est lex Draconis apud Porphyrium. Lex VII. de Festis lata ab Impp. Valentiniano, Theodosio, & Arcadio, consimilis est Athenienſi, quam citat Demosthenes adversus Midiam, *Nemini mysteriorum diebus manum injicito.* Quæ est L. VII. de Off. Proconsulis, derivata à scito Platonis in Phædone, *Nemo occidendus, dum navigatur in Delum.* L. V. §. XIII. D. de cognoscendis & alend. liberis, fuisse Athenienſem constat ex Diogene Laërtio in Solone. Lex Numæ innovata in Cornelia de Sicariis, *Si quis liberum sciens dolo necidit, parricida isto,* extat etiam apud Antiphonem. Attica lex, *Si quis adulterum deprehenderit, de eo statuat quod libitum est,* laudata à Lysia pro Eratosthene, eadem est XII. Tabularum, & Papiniani l. 2. D. ad l. Juliam de Adult. Altera huic affinis lata à Dracone, *Si quis occiderit deprehensum super uxore, vel super filia, vel super sorore, ob hæc qui cædem fecerit ne exulato,* extat in Ulpiano l. 23. ad eandem Juliam. Non discrepant l. Solonis, *Si quis ingenuam mulierem rapiat, vimque inferat, mulctator,* ab ea, quam statuit Justinianus l. un. Cod. De raptu Virg. seu vid. Draconis lex contra furtum, moderata à Solone, & quæ declarat sceleris purum, qui furem noctu ingressum interficiat, habetur in XII. Tab. & apud Ulpianum l. 4. D. ad l. Aquiliam. Cautum legibus Athenarum ne Advocatus extraordinariam pecuniam accipiat litis causa, ut liquet ex Demosthene De Corona; idemque firmatum est l. 11. §. X. & XII. D. de Extraordin. cognit. Irritat contractus repugnantes æquitati l. VII. §. 7. D. de Pact. de qua etiam Aristoteles lib. I. Rhet. cap. XVI. Habetur in Demosthene πρὸς Ἀφοβον, lex, *Qui falsum dixerint testimonium, de bonis & honore periclitantur,* ac repetitur l. XII. de Testib. & l. 14. C. eodem, & l. XXXIII. D. de Re Judic. Objicientibus probrum alicui, quod demonstrare non possint, ut accusationi subjaceant, mandat lex Athe-

Athenienſis apud Dionem Chryſoſtomum Orat. 15. nec non Romana, apud Ulpianum l. 5. §. *Si quis*, lib. D. de injuriis, & famoſis libellis. Sed plura de his in Concordia legum utrarumque, quam Antonius Thuſius elaboravit.

12. Leges Romanæ ab Athenienſibus derivatæ.

Haud dubium ergo, Romanas leges ab Athenienſibus derivatas, præſertim cum circa an. U. C. 300. tres legati Româ adierint Athenas, ut Græcorum leges colligerent atque in Latium deferrent. Quod ubi fecerunt, creati cum aliis ſeptem Decemviri, atque ab his leges in tabulas x. digeſtæ, duabus poſtmodum adjectis. Sed ſuas leges fuiſſe Romæ ante Reges exactos, liquet ex his, quas à Romulo Urbis Conditore, & Numa latas animadvertimus. Si recipimus Vulterrana fragmenta, Romulus primum Volaterris Senator electus, deinde illinc Sacerdotes; & Augures Romam accivit, atque Etruſcas leges populo denuntiavit, lib. 2. p. 86. & 87. atque ita antiquiores leges Romanorum ducunt ab Etruſcis originem. Sed ut videas iſtarum cum illis conſonantiam, proferam in medium aliquas. Pro cultu Deorum leges habentur: *Ut in Templo Eſaris nulla aliorum Deorum, Dearumve ſit imago. Hujus Numinis nulla ſtatua ab artifice fabricetur: In medio ipſius templi altare ſit aureum: Vitulus & agnus ei ſacrificetur: Quater ſingulis annis populus Eſari ſolemniter immolet: Dii peregrini ne colantur.* Pro familiarum regimine autem: *Parentum liberos omnes jus eſto relegandi, vendendi, & occidendi: Parricidæ capite plectantur: Mulier viro legitime conjuncta fortunarum, & ſacrorum ſocia illi eſto: Qui contra patriam libertatem attentaverit, vivus comburatur.* Contra homicidium vero: *Deprehenſi in homicidio ſtatim moriantur: Nullus morte damnetur, niſi Lucumon conſentiat: Si quis civem hoſtibus tradiderit, capite plectatur.* Adverſus autem impudicos: *Si quis virginem vitiaverit, pecuniam, quam viri Capitales judicaverint, mulieris patri ſolvat, & virgo uxor illius ſit, nec eam dimittere poſſit: Qui eodem tempore duas uxores habet, ut adulterus puniatur; Divortium non permittitur, niſi Eſarum conſenſu.* Ad cohibendum furtum: *Fur fuſtibus cædatur: Furti quadrupli pœna ſit: Si quis agrum, domum, aut pecuniam occupaverit, vel dolo obtinuerit, duplicem fructum Domino reddere cogatur: Publicam pecuniam, aut ſacram ſi quis abſtulerit, ſcaragia morte damnabitur: Qui conſulto domos, aut agros incenderit, igne comburatur: Judex ſi pecuniam, aut aliud acceperit, capite ſtatim plectatur.* Adverſus denique calumniatores & falſos: *Qui teſtis falſus fuerit, ignominiam paſſus pereat inhoneſte: Qui concivem prodiderit, fuſtibus cæſus è patria ejiciatur: Judicis fratis ne adhibetor: Si quis in jus vocatus non venerit, reus eſto.* Extant cum aliis pluribus in Etruſcarum Antiq. fragm. libro tertio.

13. Cohærentia aliquarum legum cum libris Geneſis Exodi, & Levitici.

Verumtamen iſtarum omnium Atticarum, Romanarum, Etruſcarum, aliarumque legum optimarum, Præſcriptiones quippe Tyrannorum adverſus Religionem, & æquitatem non ſunt inter leges connumerandæ, fuit origo prima, vel à poſteris Noha, vel à Judæorum Republica. Et leges quidem magni Vandimonis, id eſt, Noha in Fragmentis Etruſcis p. 174. cum Capite VIII. & IX. Geneſeos cohærent. Quæ de cultu Eſaris præſcribuntur, de Altari, de Sacrificiis, Aſperſione olei, & Salis condimento; & aliæ leges quamplurimæ conſentiunt cum libris Exodi, & Levitici, iis exceptis, quæ addiderunt Augures idololatræ. Quamobrem aut ſunt fragmenta illa, ut credimus, pervetuſta, aut ſollerter, & ingenioſe conficta.

14. Romanæ & atticæ leges derivantur ex hebraicis.

Quicquid ſentias tamen de Etruſcis hisce fragmentis, Romanas, Atticasque leges, quarum ſupra vidimus concordantiam, ex Hebraicis natas comonſtrat iſtarum, illarumque collatio. Id arduum non eſt ex latis adverſus homicidas, mœchos, fures, ac falſos teſtes deducere. Moſaicam de homicidio legem cap. XXXV. num. 5. 16. & ſeqq. uſque ad 21. invenies apud Paulum lib. V. Sententiarum ſub titulo Ad Legem Corneliam de Sicariis, & Ulpianum lib. VII. de Officio Proconſulis. Quod Moyſes ſancivit de homicidiis fortuito, & abſque odio patratis eodem cap. V. 22. extat pariter apud Paulum ibidem, & Modeſtinum libro differentiarum VI. Moſaica lex de percuſſione rixantium Exodi XXI. 18. & ſeqq. non differt à Romanis apud Ulpianum libro de Officio Proconſ. VIII. & Gregorianum lib. XVIII. de Accuſat. De adulteris vero eadem lex eſt Levit. XX. 10. atque Romana apud Papinianum lib. XV. Reſponſorum ad L. Juliam de adult. & Marcellum libro XXXI. Digeſtorum. Inceſtæ Nuptiæ, quæ damnantur citato Levitici capite v. 17. & ſeqq. præſcribuntur pariter Edicto Maximiani, & Diocletiani apud Papinianum ibidem, & Ulpianum in libro Regu-

gulari de Nuptiis. Turpiores concubitus, de quibus v. 13. & 15. ejusdem Capitis xx. puniuntur eadem pœna mortis Constitut. Impp. Valentiniani, Theodosii, & Arcadii ad Orientium Urbis Romæ Vicarium. Contra Fures eadem lex est in Exodo xxii. à v. 1. ad 15. atque in Constitutionibus Romanorum apud Ulpianum lib. viii. in Edictum, & Paulum lib. v. Sent. ad L. Corneliam de Sicariis. Quadrant denique cum lege Deuteronomii cap. xix. v. 16. contra falsos testes, decreta producta à Paulo libro singulari de Pœnis, & lib. v. Sent. ad L. Corneliam Testamentariam. Ex his autem constat Romanas leges ab Atticis, Atticas ab Hebraicis derivatas. Nam Moysem cæteros omnes Legumlatores præcessisse demonstrat Huetius de Demonst. Evang. cap. viii. & dissertatio nostra cap. i. libri xi.

15. Præter leges dantur peculiaria statuta.

Rerum quidem atque Regnorum vicissitudines legibus hactenus enumeratis, quæ fere omnes pertinent ad Jus primarium, peculiaria statuta addiderunt: creveruntque tanto numero, ut ante Justiniani tempora septem, ac triginta Juris Conditores, sive legum Compilatores extiterint, enumerati ab Angelo Politiano in Epistola ad Jacobum Modestum Pratensem. Inter illos xxxvii. celebriores videntur Papinianus, quem historiæ appellant *Juris Asylum, & legis civilis thesaurum*, & à quo olim studiosi legum dicti fuerunt *Papinianistæ:* Ulpianus plurium librorum ad Edictum, ad Sabinum, ad Leges, Pro Tribunali, aliisque titulis inscriptorum auctor clarissimus: Paulus, quem Politianus appellat πολυγραφώτερον, quod etiam Ulpianum superaverit copiâ scriptorum: Gregorius, & Hermogenes, qui tempore Diocletiani duos legum Codices ediderunt, quibus tertium adjecit Theodosius comprehendentem Imperatorias Constitutiones à Constantino ad se ipsum.

16. Justiniani statuta.

Itaque Justinianus ad certum ordinem tanam Legum multitudinem redigens ex tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano unum proprio nomine inscriptum edi curavit, perfectumque anno DXXIX. auctoritate sua confirmavit. Veteres deinde leges amplo opere complexus est sub nomine Digestorum, seu Pandectarum. Addidit Juris Civilis Institutiones. Collegit etiam, quæ in priori Codice fuerant ommissa, aut errata, ediditque accuratiorem *Repititæ prælectionis*: atque hic est Codex Justinianeus, quo modo utuntur Jurisconsulti. Huic additæ sunt *Novellæ*, id est, novæ Constitutiones, quæ Codicis editionem sunt consecutæ. Novellis accessere *Authenticæ*, sive breves sententiæ, quibus novellæ, quasi auctoritate Imperatoria fulciuntur. Ita Corpus universi Juris Civilis constat Institutionibus, Digestis, seu Pandectis, Codice, Novellis, & Authenticis. Institutionum libri sunt quatuor continentes universi Juris Epitomen. Digestorum, seu Pandectarum libri quinquaginta tribus voluminibus distincti: quorum primum appellatur Digestum vetus, alterum Infortiatum, tertium Digestum novum; ac sunt in primo volumine libri xxiv. in secundo xiv. in tertio xii. suis titulis, ac legibus dispositi. Codex complectitur libros ix. Constitutionum Imperatorum usque ad Justinianum. Quintum volumen continet alios tres libros Constitutionum, id est x. xi. xii. Novellas cum subjectis Authenticis, clxviii.

17. Notæ quædam.

Dum textus aliquis hinc profertur, laudatur hoc pacto. D. significat Collectionem Digestorum, seu Pandectarum. ff. nota est ejusdem librorum Pandectarum voluminis; nam librarii substituerunt ff. pro litera Greca π L. denotat legem. Codicem Constitutionum innuimus litera C. Novellas, & Authenticas prima voce, & numeris allegamus. Sit in exemplo: *L. 8. parag. 4. D. seu ff. de liber. & posth. hæred.* id est, lege octava, paragrapho quarto in Digestis, seu Pandectis, Titulo de liberis, & posthumis hæredibus. *L. Addictos 29. Cod. de Apellat.* hoc est, lege, quæ incipit *Addictos*, quæ est vicesima nona in Codice, titulo de Appellationibus.

18. Quid contineat Codex.

Præter Corpus Juris Civilis, de quo hactenus, alter est Codex legum Antiquarum. Comprehendit autem legum Wisigothorum libros xii. Edictum Theodorici in cap. 154. distributum: Leges Burgundiorum capitibus 89. cum additamentis: Legem Salicam: legem Alamannorum constitutam tempore Clotarii Regis: legem Baivvariorum statutam sub Rege Dagoberto: Ripuariorum: Saxonum: Anglorum, & Werinorum: leges Longobardorum tribus libris expositas: Constitutiones Siculas, sive Neapolitanas sub Imperatore Friderico II. Capitula Caroli Magni, & Ludovici Pii; quibus adde Regnorum omnium, ac Provinciarum statuta. At in his si versetur oratio nostra, erit multa nimis, circumfluens, & dissipata.

CA-

CAPUT XXI.

Ob quæ integrum sit à legum obsservantia discedere.

SUMMARIUM.

1. Definitio, & divisio Privilegii.
2. Quid privilegium Canonis.
3. Quid privilegium Fori.
4. Novem capita faciunt irritum privilegium.
5. Dispensatio definitur, & à quibus petenda.
6. Sunt aliqua Juris Pontificii, in quibus dispensare possunt Episcopi.
7. Quando dispensatio illicita.
8. Dispensatio sine gravi causa petita, & concessa videtur subreptitia.
9. Oppositio & Solutio.
10. In periculo gravi dispensationes sine causa concessæ, & executioni mandatæ non sunt rescindendæ.
11. Consuetudinis definitio, & divisio.
12. Conditio 1. ut consuetudo vim legis acquirat.
13. Conditio 2.
14. Conditio 3.
15. Conditio 4.
16. Conditio 5.
17. Non omnis consuetudo habet vim abrogandi Legem.

POstremo tandem loco dicendum est de iis, quæ nos ab obsservatione legum humanarum faciunt exemptos, nimirum privilegio, dispensatione, consuetudine.

De Privilegio.

1. Definitio & divisio Privilegii.

Privilegium est *privata lex speciali favore homini irrogata*, ut definitur à Cicerone. In qua tamen definitione legis vocabulum late accipitur, eoquod lex pro communitate constituatur, privilegia autem privatis hominibus irrogentur; atque per legem imponatur onus, privilegio levetur. Dicas, si mavis, constitutionem, aut exemptionem. Est autem privilegium aliud *locale*, aliud *personale*. Primum illud est, quod ratione loci conceditur, ut immunitas, qua gaudet confugiens ad Ecclesiam, aut septa Monasteriorum. Atque privilegium istud perpetuum est, nisi princeps certum tempus constituat. De locis quidem sacris statutum jam est privilegia esse perpetua à Chalcedonensi Concilio c. 24. & Urbano II. cap. *Quæ semel dedicata sunt*, XIX. q. 3. Act. 6. Synodi VI. & can. 15. Synodi VIII. à Marciano etiam in lege ad Palladium Prætorii Præfectum. Privilegium autem *personale* illud est, quod alicui propriis expressis nominibus conceditur, v. g. quod Gregorius anno 600. largitus est Maximo gerendi vices Sedis Apostolicæ in administrandis cunctis Ecclesiis Siciliæ, cap. *Mandata Cælestia.* Extra de Præsumptionibus. De hoc privilegiorum genere habetur Regula VII. Juris in Sexto: *Privilegium Personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Si privilegio gaudeat aliquis non speciali titulo, sed communi, ut Ordinis, Civitatis, Collegii; nequit is privilegio renuntiare, v. g. Clericus privilegio fori, vel canonis, ne Clericali ordini inferatur injuria, ut recte Barbosa lib. 1. Jur. Eccl. cap. XXXIX. §. 2. cum cætera privilegia cessare valeant, aut per revocationem concedentis, aut per spontaneam renunciationem. Quod privilegiorum genus dixere nonnulli Corporalium.

2. Quid Privilegium Canonis.

Canonis privilegium nuper commemoratum est, quod habetur c. *Si quis suadente*, XVIII. q. 4. nempe ut qui in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, subjaceat anathematis vinculo: quo privilegio fruuntur & Novitii, Moniales, Equites Jerosolymitani, & aliorum Ordinum Apostolicæ Sedis auctoritate ejusdem participum. Privilegio tamen Canonis excidunt habitum, ac tonsuram dimittentes, degradati, hæretici, bigami, aggressores, immiscentes se præliis, ac seditionibus, exercentes officium lanionis, & pandochæi, & qui egerint per annum artem histrionis, joculatoris, circulatoris, & mimi, Quæ dedecent Clericos cap. *Cum decorem*, & cap. *Clerici officia*, de vita, & honest. Cleric. in VI. connumerantur.

3. Quid Privilegium Fori.

Fori autem privilegium est, ut Clericus non nisi ad Episcoporum judicium provocetur, ut habetur in cap. *Sylvester*, c. XI. quæst. 1. & cap. *Christianis. Relatum est. Clericum:* Eadem Causa, eademque quæstione. Gaudent fori Privilegio Beneficiati, initiati tonsura, constituti in minoribus ordinibus, Clerici conjugati, Subdiaconi qui dispensatione Apostolica contrahunt cum vidua matrimonium, retinentque pensiones Ecclesiasticas, Regulares omnes, ac Moniales, Tertiarii S. Francisci, dummodo collegialiter vivant, Domus mulierum simul commorantium ad pœnitentiam agendam, aut orationi vacantium, Eremitæ probatæ Regulæ addicti, atque Superiori Ecclesiastico subjecti. Quantum ad Clericos conjugatos attinet, ut hi gaudeant privilegio Fori, & Cano-

nis, requiritur, ut habitum, ac tonsuram deferant, ut alicujus Ecclesiæ servitio sint ab Episcopo deputati, ut cum unica, eaque virgine matrimonium contraxerint; ac præterea nonnisi in criminalibus privilegio isto fruuntur, ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii die 13. Febr. an. 1610. Cæterorum autem Clericorum privilegia quot exigant conditiones, disjunctive tamen, ut inquiunt Jurisconsulti, id est, ut una saltem reperiatur in singulis, declarat Tridentinum Concilium sess. 23. cap. 6. his verbis: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus Fori privilegio gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines, versetur.*

4. Novem capita faciunt irritum Privilegium.

Irritum ac nullum redditur privilegium ob novem capita. 1. ob subreptionem, vel obreptionem. Est autem obreptio illorum, qui in supplicibus libellis enarrant falsa: subreptio, si taceant necessario exponenda. Ex cap. tamen, *Super literis*, Extra, de Rescriptis, habemus, eos quidem qui per fraudem, vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex literis privilegiorum consequi commodum: at qui per simplicitatem, vel ignorantiam literas impetrant suppressa veritate, aut falsitate expressa, gaudent nihilominus impetratis, dummado talis falsitas sit expressa, aut veritas occultata, quæ licet fuisset tacita, vel expressa, adhuc privilegia impetrasset: secus si veritate tacita, aut falsitate suggesta nihil supplex fuisset impetraturus. II. Irritum est privilegium quod alicui constitutioni contrarium est, nisi huic expresse derogetur: aut si consuetudinem tollat, nisi expresse caveatur in ipsa, ut habetur Cap. *Licet Romanus Pontifex*, de Consuetudinbus in VI. III. Nullum præterea est, si adversus sententiam jam latam sit, eamque non exprimat, ex Cap. *Inter dilectos*, Extra, de Fide Instrument. IV. Excidit privilegium, quod ab Excommunicato, super alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo, fuerit impetratum, Cap. *Ipso Jure*, de Rescriptis in VI. V. Privilegium cessat cessante causa, ex cap. *Cum cessante*, Extra, de Apellat. VI. Amittuntur privilegia, quando iis abutimur, & contingit tali abusu nimium canones vilipendi, ut dicitur Cap. *Ut privilegia*, Extra, de privilegiis; atque id præsertim, nisi metas, qui consecuti sunt, transgredi videantur, cap. *Porro*, ibi. VII. Cessant præterea, si afferant incommodum ac detrimentum, juxta regulam Juris LXI. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* VIII. Privilegia desinunt per eorum, ad quos spectant, resignationem, sive renunciationem, quam supra diximus fieri non posse in Ordinis, Corporisve derimentum. IX. Tolluntur tandem per revocationem concedentis, per temporis, ad quod restringuntur, decursum, & per eam, quæ omnia dissolvit, id est, mortem: quamquam impetrata à Principe, ordinarie ipso quoque defuncto persistunt; nam juxta Regulam Juris 16. in VI. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Sat de Privilegiis.

De Dispensatione.

5. Dispensatio definitur, & à quibus petenda.

Differt à privilegio dispensatio, quod privilegium si causa perseveret, nec irritum reddatur, perpetuum est; dispensatio autem certo tempore definitur. Nihil aliud est dispensatio, præterquam remissio, aut relaxatio communis juris, facta ab eo qui jurisdictione pollet, quibusdam in casibus, lege adhuc in suo robore permanente. Nam si penitus tollatur lex, non dispensationem dixeris, sed antiquationem potius, sive abrogationem. Oportet ergo, ut dispensatio fiat ab ipso legislatore, aut ab illo, in quem translata est auctoritas, & facultas jurisdicendi. Quare in legibus Canonicis dispensatio ab Ecclesiæ Pastoribus petenda est, in civilibus ab ordinata Potestate: neque potest inferior dispensare in lege Superioris, nisi hujus consensu accedente. Pontifex itaque in omni jure Ecclesiastico dispensare potest, & sententia aliquorum in jure etiam Divino, seclusis fidei articulis, si tamen ea dispensatione majus Deo exhibeatur obsequium; quod tamen valde ambiguum est, si non falsum. Quis enim facile sibi persuadeat, posse, urgente etiam necessitate, dispensare ut sine aqua naturali conferatur baptismus, perficiatur Eucharistia pane hordeaceo, pro vino sicera consecratione offeratur, laicus impertiatur sacramentalem absolutionem, atque in his, cæterisque ad Jus Divinum pertinentibus aliud ab eo, quod Christus posuit, fundamenum constituere? Episcopi in iis dispensare possunt, quæ ab ipso, vel à diœcesana Synodo fuerunt præscripta, nam quanquam huic Synodo Parochi singuli intersint, solus Episco-

Episcopus tanquam legislator in ea sedet, gerentibus aliis vicem tantummodo Consultorum. Ita in his, quæ statuta sunt in Provinciali Concilio, dispensare possunt cum Metropolitanus Antistes, tum Episcopi alii, in suis quique diœcesibus; non tamen si Concilium dispensationem sibimet reservavit. Idem dicendum est de Superioribus Regularium comparate ad sibi legitime subjectos.

6. Sunt aliqua Juris Pontificii, in quibus dispensare possunt Episcopi.

Sunt tamen nonnulla Pontificii Juris, à quibus dispensare Episcopos permittit praxis, rerum conditio, & perantiqua consuetudo. Hujusmodi sunt vota simplicia, casus vel parvi momenti, vel frequentissime occurrentes: & in impedimentis supervenientibus, non tamen præcedentibus Matrimonium, si non est facilis recursus ad Apostolicam Sedem, neque possint absque gravi scandalo, & dedecore conjuges separari, solent pariter Episcopi dispensare.

7. Quando dispensatio illicita.

Cum autem dispensatio æquitatem postulet, sitque potius, quam beneficium, justum prementis legis levamen; quotiescunque deest dispensationis urgens, justaque ratio, censenda erit illicita. Quod definit Tridentina Synodus sess. xxv. cap. 18. de Reformat. demonstrat Bernardus lib. 3. de Consid. cap. 4. de Statutis Monach. cap. 4. & de Præcepto, & disp. cap. 2. consentiunt Theologi, & evincit ratio ex ipsa natura dispensationis, quæ est quoddam debitum levamentum, petita. Atque hinc sequitur graviter Pastores delinquere, dum absque gravi causa dispensant; quoniam eo in casu sunt fractores, non custodes sacrorum canonum, acceptatores personarum, non administratores fideles; ut recte Augustinus libro 2. contra Advers. legis cap. 11. Martinus I. Epist. 5. & D. Thomas q. 197. art. 4. Sequitur præterea non esse tam frequenter cum inferioribus dispensandum, ne, ut Tridentinum admonet cit. loco, aperiatur aditus ad leges transgrediendas. Id vero maxime circa matrimonia contrahenda servandum esse merito præcipit sancta Synodus sess. xxiv. cap. 5. Quanta enim ex tali dispensatione oriri possint incitamenta incestuosæ libidinis, res est in propatulo. Dispensari propterea nequit in secundo gradu, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam, ejusdem Sacrosancti Concilii Decreto: cujus inviolabilem æquitatem commonstrat Scholion eximii Lupi ad Canonem xi. Concilii Remensis sub Leone IX. quemadmodum incestuosi conjugii fructus quod narrat Scriptor ipse clarissimus in Actis circa matrimonium Guilelmi Ducis Normandiæ cum Mathilde Flandrensi. Sequitur tertio illicitum esse petere dispensationem, si nulla causa interveniat; quoniam nefas est legislatorem ad peccandum inducere; ideoque si quis Superiorem ad illicitam dispensationem trahere curavit, tenetur illum hortari, ut eam dissolvat, atque rescindat.

8. Dispensatio sine gravi causa petita & concessa videtur subreptitia.

Quæri solet, num tali stante dispensatione sine urgente, gravique causa petita & concessa, fas sit illâ uti: & respondent DD. perplexe admodum, & ambigue. Videtur mihi primo talem dispensationem subreptitiam esse, uti censendam declarat aperte Tridentina Synodus sess. 25. de Reform. cap. 18. his verbis: *Si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum est: . . . . aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Si autem est subreptitia, aut nulla; suo carere debet effectu. Deinde in his subreptitiis dispensationibus servandum censeo, quod supra dixi de priori causa irritante privilegium; scilicet inspiciendum, num dispensationem petens suppresserit veritatem, qua cognita nequaquam fuisset cum eo dispensatum. Affirmo insuper non peccare, qui bona fide aut putat justæ dispensationis causam idoneam habere, aut ignorans, an causa quam allegat sufficiens sit, proponit rem superiori discutiendam. Affirmo præterea valere dispensationes, quæ Expeditionarii Romæ appellitant sine causa, pro quibus obtinendis solvitur Cameræ Apostolicæ summa quædam pecuniæ: nam hæc ipsa pecuniæ exactio deserviens Romanæ curiæ honestati, oneribusque gravissimis, justa est, ac rationabilis causa; ideoque dispensationes istiusmodi dicuntur absque causa rei intrinsecâ, non tamen absque omni prorsus causâ exteriori, premente etiam & gravi.

9. Oppositio & Solutio.

Obloquuntur quidem nonnulli aut ignari, aut iniqui, quod istiusmodi dispensationes (sint in exemplo quæ concedi solent ut matrimonium contrahatur cum fœmina consanguinea) in Romana Curia non obtineantur, nisi soluta pecunia, nec eadem habeatur ratio privatorum hominum ac principum, pauperum ac divitum, vulgarium atque nobilium. Sed revera obloquium est, & expostulatio iniquorum; quoniam, ut scribit Cardinalis de Luca in Relat. Curiæ Roman. Disc. x. num 22. *ejusmodi emolumenta pro laudabili stylo, nunquam vel nimium raro violari solito,*

solito, in privatam alicujus auctoritatem non cedunt, sed applicantur piis operibus, illis præsertim, quæ Fidei catholicæ, & Ecclesiæ universalis conservationem, vel servitium concernunt, adversus infideles, hæreticos, aut schismaticos, ita id exigendo, tanquam speciem mulctæ, seu pœnæ delicti à potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur pœna luitionis in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali, etiam sordido, ac mechanico servitio in fabrica sancti Petri, vel in servili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo mulctæ personalis, vel pecuniariæ, respective, alios terrendo, vel coercendo, ut abista consuetudine contrahendi matrimonia cum conjunctis abstineant, ideoque revera injusta oblocutio est. Mitto quod, tanquam laborum merces, Datariæ amanuensibus, cæterisque Fori, Curiæque ministris debetur.

10. In periculo gravi dispensationes sine causa concessæ & executioni mandatæ non sunt rescindendæ.

Tandem dico, aliquando dispensationes sine causa concessas, posteaquam executioni fuerint mandatæ, si effecta alioquî gravissima consequantur, minime esse rescindendas, ne oriantur scandala, & pax Ecclesiæ turbetur; quamquam monitum unumquemque volumus, plura valere in foro fori, quæ in foro conscientiæ non tenent; quod præsertim de Dispensationibus sine causa petitis & concessis est asserendum. Plura de Dispensatione ex Nostris Basilius Poncius libro VIII. de Matrimonio, Leonardus Vantoy P. I. Theologiæ Moralis Tract. 3. cap. X. Antonius Guerrero Tract. VI. §. XXII. De lege, & Præcepto, & alii, quos perlegas: nam plura gustare cogimur primoribus tantum labris, digitisque, ut dicunt, extremis attingere.

De Consuetudine.

11. Consuetudinis definitio & divisio.

Consuetudinem, seu communem usum atque institutionem, non accipimus hoc loco pro sola actuum frequentia, quæ plerumque mala est, & ab Augustino lib. I. Confess. cap. 16. tartareo flumini comparatur; sed pro jure ipsâ actuum frequentatione constituto, & perinde, ac lex esset, observando. Idem Augustinus lib. 83. qq. Q. 31. ita Consuetudinem describit: *Consuetudo est jus, quod aut leviter natura tractum aluit, & majus fecit usus, & religio; aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit;* & Gratianus cap. *Consuetudo*, dist. I. ex lib. V. Etymolog. Isidori, *Consuetudo*, inquit, *est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Alia est autem consuetudo præter legem, alia juxta legem, alia adversus legem. Dicitur consuetudo præter legem, quæ nec lege præscripta est, neque ipsi repugnat; ut consuetudo jejunandi certis diebus, aut Sanctorum festivitates servandi, quarum non extet præceptum Ecclesiasticum. Juxta legem consuetudo est, quæ legi jam constitutæ collineat; ut consuetudo annuæ Confessionis & Communionis in Paschate, jejunandi diebus Quadragesimæ, decimas persolvendi. At consuetudo dicitur adversus legem, cum legi adversatur humanæ; nam contra legem naturæ ac Divinam nequeunt mores populorum prævalere: hujus generis est consuetudo, quæ viget per Belgium vescendi carnibus singulis sabbatis à Nativitate Domini ad Festum Purificationis B. M. V. in Castella comedendi his, cæterisque sabbatis extrema animalium, Mediolani carnes edendi feria quarta Cinerum, & quinta proximâ. Atque harum consuetudinem quælibet vim habet, si necessariæ interfint conditiones.

12. Conditio I. ut consuetudo vim legis acquirat.

Requiruntur ut consuetudo vim legis acquirat conditiones jam subjiciendæ. Oportet primum, ut rationabilis sit, & propter publicam commoditatem inducta: atque hujus conditionis defectu remittendæ sunt consuetudines, quæ pugnant cum lege naturali, & Divina, & quæ gravamen inducunt Ecclesiis; cap. *Consuetudines*, & cap. *Cum tanto*, Extra, de consuetud. Justinianus pariter in Novella 134. *Quæ improbe*, inquit, *excogitata sunt, ea nec longa consuetudine confirmari volumus.* Et Augustinus in Epist. ad Casulanum, *Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur.* Tolerandæ tamen consuetudines, quæ licet non rationi, sed voluptati deserviant; si tamen ab iis populi averterentur, pejores evaderent, quomodo de consuetudine Bacchanalium habetur in Canone *Denique*, dist. VIII. C. *Mala consuetudo;* quoniam pernicioſas corruptelas pro legibus venerari non decet. Omnis quippe lex constituitur ratione recta, atque ad æquitatem, honestatemque refertur.

13. Conditio 2.

Altera conditio est temporis, per quod corroborari debet nova quælibet consuetudo. Hujus temporis præscriptio in civilibus extenditur ad decennium, ex l. ult. Cod. de Præscriptionibus, §. I. At ad inducendam consuetudinem contra legem Ecclesiasticam requiritur præscriptio quadragenalis ex cap.

Ad

Aa aures, Extra, de Præscript. & cap. *Quia indicante*, ibi; quo in loco Alexander Tertius decernit contentionem circa fines prædiorum Ecclesiasticorum terminandam quadraginta annorum præscriptione utrique parti servata. Quando autem consuetudo derogat Juri communi, non personali duntaxat, JCC. docent necessariam esse præscriptionem temporis immemorabilis, qualis censetur si centenaria est: ac præterea requiritur, ut repetito judicio constet consuetudinem istiusmodi revera persistere. Videatur Cardinalis Tuschus Concl. DCCXCVI.

14. Conditio 3. Conditio tertia est, ut consuetudo inducatur actibus externis, non necessitate patratis, sed libere, pluries etiam repetitis, neque ab uno, vel altero tantum, sed à majori ac saniori populi parte: unde errant, qui cum Diana, & Lessio putant ad consuetudinem satis esse, si actus bis, aut ter repetantur. Consuetudinem quippe, ut liquet ex allata definitione, usus & vetustas in morem perducit. Dicitur quidem cap. *Ita nos*, causa xxv. q. 2. geminata cædes Pontificum, usus & consuetudo sacrilega; sed ut principio animadvertimus, aliud est consuetudo graviorem culpam constituens, & majori punitione plectenda, aliud jus consuetudinis induens ipsius legis naturam. Quapropter laudato capite, *Ita nos*, appellatur juremerito sacrilega consuetudo, funesta pernicies, dirumque contagium geminata cædes Scyllacænorum Antistitum, quoniam horrendi criminis atrocitate viam sternebat parricidalibus exemplis, & nefarium crimen erat severiori ultione plectendum. Imo ex his infertur, in levioribus criminibus, in quæ magis humana infirmitas labitur, dicendam non esse consuetudinem unam & alteram ejusdem culpæ perpetrationem, sed actuum frequentatione inolitam.

15. Conditio 4. Accedit conditio quarta, ut consuetudo inducatur intentione obligandi; nam hujusmodi intentio etiam ad constituendam legem est necessaria, Quamobrem si aliqua consuetudo inducta fuerit causa devotionis tantummodo, ut sub vesperam ac meridie salutare Deiparam, cineres sumere die post Quinquagesimam quarta, festum aliquod ex devotione celebrare, aliosque usus plurimos, non peccat consueta prætermittens, præciso scandalo, divorumque contemptu. Similiter si recepta sit consuetudo ad oneris legis levamentum, ut quam diximus de observatione sabbati in provinciis Castellæ & Belgii, aut consuetudo parvæ refectionis in diebus consecrandis jejunio; potest quis à consuetudine recedere, necnon observatione legis sibi meritum comparare. Inductam consuetudinem cum intentione obligandi censendum est, quando transgressores puniuntur, aut apud viros probos ac pios male audiunt, necnon si plebi, ut dictum supra, scandalum præbeatur. Quod si incertum est, an causâ devotionis, an obligandi animo inducta fuerit consuetudo; judicandum est ex devotione fuisse introductam; nam lex non præsumitur, nisi probetur.

16. Conditio ultima. Ultima conditio est, ut consuetudo inducatur Legislatoris concessu. Non requiritur tamen consensus explicitus, sed sufficit tacitus, quem JCC. appellant consensum legalem. Habetur consensus istiusmodi, quando legislator consuetudini, quæ contra legem inducitur, sciens ac lubens non repugnat, nec urget legis observationem, neque in transgressores animadvertit. Dicitur enim in hac hypothesi legem cessare *via conniventiæ*. Si autem invaluit consuetudo inscio legislatore; ut vim habeat prærequiritur præscriptio temporis, de qua supra. Tanto enim spatio poterat legislator de observatione legum suarum inquirere, atque id facere tenebatur; ideoque intervenit consensus legalis, etiam dum lex præscriptione abrogatur. Si tamen legislator consuetudini repugnat, eamque nova lege rescindit, nullam consuetudo vim habet, quia voluntas Principis voluntati populorum est præferenda.

17. Non omnis consuetudo habet vim abrogandi legem. His conditionibus explicatis, constat non omnem consuetudinem habere vim abrogandi legem. Si enim sit consuetudo adversus legem naturalem, aut Divinam, irrationalis est, & caret conditione priori. E. gratia consuetudo inferens gravamen Ecclesiæ, & quæ inducitur ad peccandum, & ad propria bona dissipandum patrimonium, ut habetur cap. *Ex parte*, Extra, de consuetud. Atque idem dicendum est, si aliqua ex cæteris conditionibus desideretur. In quibus explanandis omnes circa consuetudinem quæstiones, ut librum tandem absolveremus, curavimus extricare. Absolutum tibi, benevolentissime Lector, libens propono: iis, qui aliena carpunt & rodunt, non profero: Ecclesiæ primum, tum Theologis & Jurisconsultis subjicio: Summo Deo, per quem Principes justa decernunt, dico & consecro. IpsI CVLtVM, Vt Leges IVbent, stVDeas eXhIbere.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS PRIMUS,

Qui pertractat de humanis Officiis, indagatque in genere illorum, sive salutaria sint, sive conscelerata, naturam.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.

1. Ratio Ordinis.

LEGUM, quas natura singulorum animo inscripsit, quas oblivione deletas tabulis lapideis supremus mundi Rector insculpsit, & quas humani Generis Reparator Apostolis tradidit, hi vero per universum terrarum orbem promulgaverunt, unus est finis maximus ac præstantissimus; creaturarum scilicet rationalium mores formare, vitia cohibere, promovere virtutes, agendarum rerum normam, rationemque proponere, improbosque à pravis, flexisque semitis revocare. Ad sublimem hunc, perfectissimumque σκόπον diriguntur etiam humana Jura, tam Ecclesiastica, quam Politica: & licet hæc spectare videantur temporale commodum Reipublicæ, Regnorumque mortalium tranquillitatem; in his tamen finis illorum præcipuus minime constituitur: sed, quemadmodum Legumlator sempiternus, hujusque Universi supernus Artifex condidit terram pro filiis hominum, & in gratiam immortalis animi corpus plasmavit de limo; ita Ecclesiæ Antistites, ita Imperatores, ac Reges, aliique humanarum legum Conditores, qui ipsius Dei vices gerunt, atque per illum, ut inquit omnium hominum Sapientissimus, regnant, & justa decernunt, res terrenas, corporeasque hominis causâ moderantur; ut homo ipse facilius possit Creatori suo obtemperare, rectissimoque ordine militantis Ecclesiæ, ac terrestris civitatis perfecto regimine, assequi cælestis urbis Jerusalem, sanctorumque civium plenissimam felicitatem. Qui enim solam politiam, & consuetudinem, secundum quam vivere unumquemque, & inter homines conversari decet, statutis suis nititur confirmare, neque illam referre studet ad spiritalem principatum; aut Legumlatoribus, Virisque principibus non est accensendus, quoniam non curat, quod in legibus præcipuum est, ut omnia sint ordinatissima: aut si placet illum dicere præscriptorem juris, populique Rectorem, haud nobilior erit principibus Babylonis, id est, perturbatæ civitatis, & redactæ in confusionem multitudinis. Cum itaque civibus Jerusalem, non Babylonis unusquisque nostrum percupiat adnumerari; ego autem superiori libro præscriptiones legum, quantum suscepti Operis patiebantur angustiæ, tradiderim, non ut instruerem politicos, sed ut Augustinensibus discipulis inconcussa sancti Parentis dogmata, & probitatis regulas commonstrarem; æquum est, ut absoluta de Legibus dissertatione, humanorum officiorum naturam, genera, & canones exponere non prætermittam: quod proximo libro primo ac vicesimo, si mihi aderit propitium Numen, non absque ulla legentium utilitate persolvam.

CA

CAPUT I.

Quid sit humanum officium, de quo pertractandum est, & quo pacto cum metu, concupiscentia, & ignorantia meritum comparetur.

SUMMARIUM.

1. Humanum officium definitur.
2. Latius est voluntarium, quàm liberum.
3. Quomodo se habeat ad voluntatem coactio.
4. An metus gravis faciat non voluntarium.
5. Oppositio, & solutio.
6. An concupiscentia tollat rationem voluntarii.
7. An consistat cum ignorantia libertas, & ejus divisio.
8. Ignorantia invincibilis excludit voluntarium, ac liberum.
9. De bonitate, & malitia humanis Officiis indita.

1. Humanum officium definitur.

NON aliud humanorum Officiorum nomine intelligo, quam opera, in quorum exercitatione sita est vitæ honestas, vel turpitudo, sive ut in consuetudine sermonis habemus, humanus actus. Placuit autem illo potius nomine uti, quod agere dicantur mortua quoque elementa, bruta, & ipse homo operans absque deliberatione, & consilio, sed persolvere, aut servare officium nemo jure dicetur, qui implenda munera inspectione, & libertate non suscipit. Neque nova intrudo vocabula, sed quæ cum Tullio omnes Latini probarunt, cum Ambrosio autem, cæterisque Patribus Augustinus. Est itaque humanum officium, *Actio ex deliberata voluntate procedens*: qua definitione describunt Theologi humanum actum. Qui ut humanus dicatur, sitque sub dominio, ac potestate rationalis creaturæ, requirit motum liberum voluntatis, ideoque deliberationem proficiscentem ex advertentia rationis; hoc est, debet esse voluntarius, ac liber.

2. Latius est voluntarium quàm liberum.

Et *voluntarium* quidem habet quamdam mjorem, quam habeat *liberum*, latitudinem. Nam *voluntarium* dicimus intrinsecum motum voluntatis erga objectum lumine rationis propositum, sive spontaneus sit ille motus, nec possit illum voluntas refugere, qualis est propensio ad bonum in communi, & inflexibilis beatarum mentium erga summum, & incommutabile bonum amor: sive perseveret in voluntate optionis potestas, & facultas reluctandi, cujusmodi est boni mutabilis delectatio, & ipse amor Dei in tenebrosa hac mortalitate, ubi nondum quid Deus sit mentibus humanis apparuit. Quando autem hæc optio, & reluctandi potestas viget in voluntate, ejus motum non solum voluntarium appellamus, sed etiam liberum: & ideo voluntarium tollit externa vis, & coactio, liberum vero necessitas ineluctabilis, quanquam adjuncta sit plenissimæ spontaneitati, ac lubentiæ. Verum hæc omnia tam aperte explicavi lib. de Divina Scientia cap. 13. Regula v. lib. de Angelis cap. XIII. de primo Homine cap. x. de Hæresi Pelag. cap. pariter decimo, de Hæresi Luthero-Calviniana cap. 2. & 3. & de Jansseniana cap. 1. ut certa mihi hæreat animo persuasio, superfluum esse quidquam addere, vel ad percipiendam libertatis naturam, vel ad removendam ab Augustiniana doctrina suspicionem quamlibet Jansenianæ.

3. Quomodo se habeat ad voluntatem coactio.

Postquam ergo ideam voluntatis, ac libertatis præformavimus, atque dissipare studuimus densam, & circumfluentem caliginem, respondendum breviter variis quæstionibus à Scholasticis in limine hujus Tractatus propositis. Ac primo inquirunt quomodo se habeat ad voluntatem coactio, per quam homo aliquid facit invitus, ut dum trahitur ad carcerem, projicit in tempestatibus merces, atque aggressoribus pecunias tradit, aliaque facit gravi metu coactus. Ad quam disquisitionem una est omnium responsio, nunquam voluntatem cogi quoad actus elicitos, propriam scilicet inclinationem, amorem, odium, delectationem; cogi tamen quantum spectat ad actus imperatos, eos scilicet, qui diversis à voluntate facultatibus perficiuntur: cujusmodi sunt cernere, loqui, scribere, ambulare, quæ peraguntur oculi, oris, manus, & pedum ministerio. Quod alibi notatum est, & hac ratione apertissime demonstratur. Ut impossibile est idem esse, & non esse, ita fieri nequit, ut voluntas simul velit, & non velit. Cogi ergo invita non potest, alioqui vellet nolendo, & fugiendo diligeret, sive vellet & non vellet, diligeret & non diligeret: quod diximus repugnare. At corporis instrumenta, per quæ conceptam exi let in-

inclinationem, possunt optime ab exterioribus causis impediri, vel retardari: ideoque accidit sæpenumero, ut quod cupimus, non valeamus complere causis aliquibus adversantibus. Atque hoc est voluntatem cogi in actibus imperatis, id est plura facere, aut prætermittere, invitam licet, ac repugnantem. Per quæ priori quæstioni breviter satisfactum est.

4. An metus gravis faciat non voluntarium.

Affinis est altera, an metus gravis efficiat, ut opus quod patratur, dici voluntarium non debeat. Cui sane quæstioni obvia est responsio, si distinguamus duplex voluntarii genus. Aliud quippe est quod ita efficaciter volumus illius honestate, aut utilitate allecti, ut nequaquam ad illud omittendum opere animoque inducamur, quarumque rerum circumstantia accedente. Atque istud appellant scholæ *voluntarium simpliciter*: & locum habet in omnibus quæ à voluntate eliguntur circumstantiis singulis spectatis; sit in exemplo confessio martyrum Christum etiam laniato corpore profitentium. Voluntarium est aliud, quod per se quidem voluptatem, & amorem sui ingenerat, atque voluntas illud lubentissime amplecteretur, sed adversantibus causis majus pondus habentibus deseritur, ac projicitur. Istud vero appellant Scholastici *involuntarium secundum quid*, absolute autem secundum se voluntarium; cujusmodi est in mercatore voluntas projiciendi merces, dum imminet naufragium. Hac vero distinctione præmissa dicimus in iis, quæ fiunt ex metu haberi duntaxat rationem involuntarii *secundum quid*, fieri tamen actionem lubenter, voluntarie, ac libere. Et ratio est; quoniam dum homo metu operatur, v. g. projicit merces in mare, aut porrigit aggressori crumenam, non operatur absque advertentia rationis, sed judicat propriæ vitæ conservationi cum merces, tum pecunias esse postponendas; ideoque operatur cum advertentia, & optione: quæ duo sunt cardines voluntatis, ac libertatis. Quoniam vero tenetur adhuc mercium, & pecuniarum amore, neque illas amitteret in discrimine periculoque vitæ minime constitutus; hinc est, quod invicem conflictant amores duo, unus vitæ, alter nummorum, & ille istum superat animum dissipando, ideoque non sine reluctantia, vehementique pugna privat se homo bonis cæteris pro vita servanda: quod diximus communiter appellari involuntarium *secundum quid*. Atque ex his liquet non eo sensu metum reddere involuntarium *secundum quid*, quasi reluctantia illa, & minor propensio voluntatis efficiatur à metu, cum oriatur aliunde, scilicet ab affectu repugnante actioni, ad quam metus impellit: sed idcirco dicitur, inducit metu involuntarium *secundum quid*, quoniam trahitur voluntas ad illam actionem, à qua procul dubio abstineret, si metus non adesset. Nec aliud principium habet metus ipse, quam amorem boni alicujus, quo affecti metuimus, quicquid potest nos eodem bono privare.

5: Oppositio & solutio.

Pugnat adversus dicta, quod leges rescindant contractus, ac vota, quæ fiunt gravi metu impellente: cujus rei nulla alia causa videtur proferenda, nisi quia carent voluntatis consensu. Sed respondemus, contractibus, qui ad humanam societatem, ac mutuam benevolentiam sunt instituti, hanc à legibus appositam conditionem, ut non sola libertate statuantur, verum etiam careant iis adjunctis, quæ societatem ipsam humanam lædunt, ac scindunt: cujusmodi est uti minis, ac violentia in celebrandis contractibus. In votis pariter respicit Deus non voluntatem duntaxat, sed voluntatem, libertatemque plenissimam, utpote qui non indiget rerum nostrarum oblatione, sed attendit voluntatis fervorem. Cæterum si metu quantumvis gravi, proximæ etiam, ac truculentissimæ mortis, tentaret quispiam nos ad peccatum inducere; si præbeamus assensum, nequaquam dicemur sine culpa peccasse. quod satis est ad probandum ea, quæ metu patrantur, non esse absolute, & simpliciter involuntaria.

6. An concupiscentia tollat rationem voluntarii.

Quæstio proxima est de concupiscentia, num ipsa saltem tollat ab humano opere rationem voluntarii. Cui respondendum est negative. Cum enim in voluntario attendi debeat advertentia rationis, & amor, seu propensio voluntatis, atque dum fervet concupiscentia, cupidius mutabilia bona appetantur; consequens est concupiscentia voluntarium non minui, sed augeri, in quantum voluntas fertur ad bona fluxa, & commutabilia, quorum voluptatem ad distinctionem sanctæ delectationis appellamus concupiscentiam. Quod si loquamur de inclinatione voluntatis ad bonum, cui contranititur inseminata cupiditas, dico concupiscentiam minuere voluntarium, propterea quod lucta, ac pugna cupiditatis animum diverberando, efficit ne bonum prosequatur vehementiori nisu, & charitatis ardore: atque ita concupiscentia extincta, & sum-

summo bono apertissime revelato, necessum est, ut illi voluntas adhæreat, nulla permanente optione, vel indifferentia libertatis. Quid autem si concupiscentia adeo vehemens sit, & robusta, ut omnem rationem perturbet, nec supernæ gratiæ lumen affulgeat? Foret in eo casu extenuata quidem vis voluntatis in ordine ad bonum, & perturbata sensibilium rerum permixtione acies mentis; sed perseveraret adhuc liberi arbitrii sub morali quadam necessitate facultas; quoniam nullum bonum sensibile potest rationalis creaturæ animum insuperabili necessitate compellere.

7. An constat cum ignorantia libertas & ejus divisio.

Proxima est quæstio, an constat cum ignorantia libertas. Quam breviter resolventes (nam de ignorantia agendum est specialiter) dicimus, aliam esse ignorantiam invincibilem, aliam vincibilem. Invincibilis ignorantia est illarum rerum, quas aliquis etiam omni adhibita diligentia scire non potest, ut ignorantia mysteriorum fidei in his, quibus nondum annuntiatum est Evangelium. Ignorantia autem vincibilis ea est, quam aliquis superare potest, ut ignorantia nostra de plurimis veritatibus in sacris canonibus, & decretis Romanorum Pontificum expressis. Hæc autem ignorantia, vel est eorum, quæ quis scire tenetur, & potest, negligit tamen illa addiscere, vel etiam affectat ignorantiam, quo liberius peccare possit; vel est ignorantia illarum rerum, quas potest quidem aliquis scire, sed nullatenus scire tenetur. Versatur autem omnis ignorantia, vel circa jus, vel circa factum. Dicitur ignorantia juris, quæ circa legem versatur, ut si ignoret aliquis hunc contractum esse illicitum, hunc consanguinitatis gradum dirimere matrimonium. Ignorantia facti ea est, qua sciens legem ignorat num opus, quod exercet, sit ejusdem legis substratum: ut Abimelech sciens tangendam non esse alienam uxorem concupivit Saram, quam ignorabat nuptam Abrahamo, & Jacob sciens non esse comprimendam virginem, nisi connubium præcesserit, dormivit cum Lia quam opinabatur esse desponsatam sibi Rachelem.

8. Ignorantia invincibilis excludit voluntarium, ac liberum

His itaque constitutis, dicimus ignorantiam invincibilem, sive juris sit, sive facti, excludere penitus voluntarium, ac liberum, ideoque & actuale peccatum; quod nullum profecto est, nisi ab eo liberum sit abstinere, ut multis argumentis evicimus de H. Calviniana cap. 2. & 3. solutis iis, quæ ex adverso objectant heterodoxi. Tolli autem per ignorantiam invincibilem voluntarium constat ex allata superius voluntarii definitione. Ac propterea rectissime damnata fuerunt illa asserta: *Infidelitas negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est:* &, *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Ignorantia autem vincibilis, si ob solam negligentiam ea quispiam laboret, quam ignorantiam *Crassam* dicimus sermonis usu, minuit quidem voluntarium, & qui ex tali ignorantia operatur, *vapulabit paucis*, ut habetur in Evang. Lucæ XII. 48. sed cum volita sit indirecte, eoquod ignorans, ut necessaria sciret diligentiam debitam non adhibuit, non efficit, quin opus ex tali ignorantia patratum censendum sit liberum, ac voluntarium. At si quis magis amat laborare ignorantia, ut peccare possit liberius, quemadmodum ille, de quo scriptum est: *Noluit intelligere, ut bene ageret;* adaugetur in eo ratio voluntarii, & peccati; quoniam, ut scribit Doctor Angelicus 1. 2. q. 76. art. 4. *Vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi.*

9. De bonitate & malitia humanis officiis indita.

Vidimus hactenus quid sit humanum Officium, & quando sit cum voluntate, ac libertate conjunctum. Restat ut breviter dicamus de bonitate, ac malitia humanis officiis insita. Nihil aliud ea est, quam cum recta ratione, & immutabili lege veritatis, & æquitatis omnium animis indita, ipsoque Divino lumine creaturæ rationali affulgente, convenientia, vel dissonantia. Quidquid ergo regulæ illi consentaneum est, in genere morum est optimum; quidquid à regula illa deflectit, malum, ac indirectum. Explicavi hæc omnia lib. XVIII. id est in Comment. ad Epigrammata Prosperi cap. III. Qualem vero ordinem regula illa præscribat, dixi superiori libro de legibus cap. IV. ex quo etiam capite, aliisque locis dissertationum nostrarum plurimis facillimum erit percipere summum, atque incommutabile bonum illud esse, ad quod omne opus creaturæ rationalis est dirigendum, reliqua creata bona nonnisi illius gratiâ esse expetenda. Atque ex his infertur nullum alium finem admittendum esse humanorum officiorum ultimum ac principem, præter Deum summum bonum; cætera media esse, quibus fas est pro illius consecutione uti, non autem frui. Quæ omnia satis explicata me impulerunt, ut quæ Theologi alii disputant stylo ampliori de voluntario, de libero, de moralitate, ac fine actuum humanorum

manorum, nunc ego cæterarum lucubrationum mearum synopsi ob oculos lectoris ponerem: quod capite hoc primo complevi.

CAPUT II.

An detur humanum aliquod opus indifferens, expers scilicet tam nequitiæ, quam probitatis.

SUMMARIUM.

1. An detur opus humanum indifferens.
2. Dantur aliqua ex sua natura indifferentia.
3. An teneamur in Deum referre actiones omnes deliberatas. Proponitur sententia affirmans.
4. Probatur ab aliis, neminem teneri omnia opera in Deum referre.
5. Via media statuitur.
6. 7. 8. & 9. Solutio Objectionum.

1. An detur opus humanum indifferens.

QUÆSTIO instituitur de operibus cum deliberatione ac libertate patratis: nam indeliberatis, ac necessariis nullam meriti, laudisque inesse rationem, quemadmodum nec vituperii, atque malitiæ, satis liquet ex disputatis. Est autem omne opus deliberatum cum fine operantis conjunctum, atque ad objectum aliquod cum advertentia directum: atque hinc, ex objecto scilicet, ac fine suam desumit bonitatem, sive malitiam. Nam quod docet Schola humanorum officiorum qualitatem petendam esse ab objecto verum est, scribente Augustino Epist. 155. *Mores nostri, non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod quisque diligit, dijudicari solent;* atque omnibus fatentibus rationi esse conforme Deum colere, atque diligere, dissonum vero amare turpe lucrum, & illicitam voluptatem. Sed fieri tamen potest, ut operemur erga objectum honestum, & dilectione dignum, & tamen pravus finis vitiet opera, ut si largiamur eleemosynam ad inanem gloriam captandam, aut Deo præstemus obsequium pro temporalibus bonis unice comparandis. Quamquam contingere nunquam potest, ut si objectum malum sit ac prohibitum, operationem rectus finis honestet: propterea fert commune proloquium oriri malum *ex quocunque defectu.* Quare non à solo objecto pensanda est humani officii natura, sed etiam à circumstantiis reliquis, & præsertim à fine, quo allicimur, ac movemur, sive ne penitus abjiciamus orationem scholasticam, *à tendentia in objectum.* Hinc dictum alibi cum Augustino, non externo officio, sed fine, vitium, ac virtutem discerni: quod est in hac præsertim quæstione attendendum.

2. Dantur aliqua ex sua natura indifferentia.

Si ergo humanum aliquod opus consideretur comparate duntaxat ad objectum, conveniunt omnes, plura esse humana officia suapte natura indifferentia, ut ambulare, levare festucam, ludere pila, aut latrunculis, aliaque facere nullis legibus vetita: atque schola appellat hæc opera indifferentia *specie.* At si humana actio consideretur *in individuo*, nimirum, ut hic, & nunc ponitur, tali fine, ac tali rerum circumstantia, probabilior est sententia Thomistarum ac omnium Nostratium semper actionem illam esse in genere morum rectam, aut pravam.

3. An teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas, Defenditur ab aliquibus quadruplici argumento.

Plura differui præcedenti libro XVIII. cap. 3. de operibus moraliter bonis, unde pendet hujus quæstionis solutio. Dixi defendere complures, quod teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas, quorum sententia proximis argumentis fulcitur. I. Est præceptum (inquiunt) charitatis, ut diligamus Deum ex toto corde: quæ dilectio nequaquam haberi potest, nisi referamus in Deum *omnes cogitationes, omnem vitam, & omnem intellectum*, juxta doctrinam Augustini lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. Cui argumento si respondeas præceptum diligendi Deum, cum sit affirmativum, non semper obstringere, inquiunt illius sententiæ Patroni verum id quidem esse, sed cavendum tamen dum actu opera deliberata exercemus, ne in re creata sistat animus, ac fruatur bono aliquo commutabili: quod sane foret ordinem pervertere dilectionis. At nisi referas actiones deliberatas in summum bonum, hæres animo bonis commutabilibus, ordine sanctæ dilectionis turpiter permutato. II. Proferunt testimonium Pauli 1. ad Corinth. x. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod si dixeris consilium esse non præceptum; reponent eadem ratione præceptum esse ne fruamur creaturis, quibus uti debemus; iis neminem bene uti absque amore Creatoris, ut docet S. Pater lib. IV. contra Julianum cap. 3. Cum ergo non consilium, sed præceptum sit ordine dilectionis frui solo incommutabili bono, est etiam præceptum non consilium, ut omnia fiantin charitate, sive cum relatione in Deum.

III. Pro-

III. Producunt testimonia Patrum innumera, ac præsertim Augustini scribentis loco nuper laudato: *Quidquid boni ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Similia docent Ambrosius serm. in Malach. Bernardus Tract. de charitate cap. 1. Basilius Magnus libro regularum responsione 5. & S. Thomas, qui de charitate art. 2. ad 3. ait: *Virtualiter omnia referre in Deum, cadit sub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.* IV. Afferunt argumenta plura omnia tamen hoc fundamento stabilita, quod homo creatus ad imaginem Dei nequeat in aliquo creato bono finem ultimum constituere: habeatque rationem finis ultimi quidquid saltem virtualiter in alterum non refertur. Quod si plura de hac sententia cupias legere, adito Vanroy Tom. 1. Theologiæ moralis, Tract. 2. cap. 1. Aurelium Pietre Tom. 2. quæst. 1. Antonium Guerrero Tom. 1. Tract. v. §. 2. Gavardi Tom. IV. q. 5. Nicolaum L' Herminier Tom. v. pag. 361. Nat. Alexandrum lib. 3. de peccatis Regula LVII. &c.

4. Probatur ab aliis neminem teneri omnia opera in Deum referre.

Est tamen plurimorum apud Suaresium lib. 1. de Grat. cap. 6. opposita præcedenti sententia, quod omnia opera in Deum minime teneamur referre: eamque his communiunt argumentationibus. I. Cum absque fide, & charitate impossibile sit in Deum opera deliberata referre, si absque tali relatione vitiata forent atque perversa, sequeretur veram esse, & immerito damnatam illam propositionem Baji: *Omnia opera infidelium sunt peccata*, & alteram Quenelli: *Sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum.* Quam tamen argumentationem facile elides respondendo dari cum in infidelibus, tum in peccatoribus opera indeliberata, quæ carent omni vitio & peccato, necnon plura, quæ non sine gratia etiam ab infidelibus fiunt, & multa pariter facta à peccatore cum sola gratia actuali, & absque gratia sanctificante: quæ si fatearis, nullam pertimesces ex Ecclesiasticis censuris latis in eos, qui etiam in motibus indeliberatis ac necessariis nequitiæ & culpæ labem excogitarunt, neque ullam gratiam admiserunt vel ante habitum fidei, vel ante remissionem peccatorum: quæ Baji, & Quenelli dogmata sunt capitalia, nullatenus præcedentis doctrinæ consectanea: quod alibi demonstratum est. II. Stant pro hac secunda sententia etiam Augustini aliorumque Sanctorum testimonia. Nam S. Pater lib. de Bono Conjugali cap. 6. ait: *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam.* Serm. 159. *Delectat gustum cibus non prohibitus; delectant gustum etiam epulæ sacrilegorum sacrificiorum: istud licite, istud illicite. Videtis ergo charissimi etiam in istis corporis sensibus licitas esse, & illicitas delectationes.* Sed respondent Nostrates, permitti ab Augustino voluptatem, atque delectationem, quæ cibo, potu, aliisque sensuum actibus percipitur, in quantum concomitans est, & actus ipsos consequitur: non autem affirmari, quod fas sit illius delectationis causa operari, ita ut in voluptate tanquam in fine sistat ipsorum actuum exercitatio. Etenim Augustinus Tract. 2. in 1. Joannis Epistolam apertissime allata loca exponit, suamque mentem manifestat, scribens: *Quando dicitur, Nolite ista diligere, hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis? Non hoc dicitur: sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione, ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis.* Cohærenter ad hanc Augustini doctrinam proscripta fuit ab Innocentio XI. ea propositio: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* III. Habent præterea hujus sententiæ defensores suas, & ipsi ratiocinationes. Quarum prima est præceptum referendi omnia in Deum opera esse affirmativum, ideoque non semper obstringere operantem. Proxima est, quod impossibile sit tanta in hominibus attentio, ut quidquid efficiunt, referant in Dei gloriam. Tertia, quod nimium est arduum existimare quod prava sint, quæ fiunt motivo honestatis, puta eleemosynam pauperi distributam ex commiserationis affectu. Verum & his occurrunt reponendo præceptum illud, etsi non obliget semper, obstringere in hypothesi, quod homo operetur deliberate, atque ex consilio, cum nullum alium finem ultimum possit sibi præfigere præter bonum incommutabile: non esse impossibile omnia in Dei gloriam referre virtualiter, tametsi arduum est id semper actualiter præstare; difficultatem, si qua est, ipsa charitate complanari: ac tantam esse infirmitatem naturæ humanæ, ut sine gratiæ adjutorio non valeat quodlibet peccatum vitare. Ad ultimum inquiunt opus ex motivo hone-

honestatis patratum in se, & officio ipso spectato, bonum esse, & rationi consentaneum, sed defectum esse in fine operantis, qui illud ad debitum finem non refert.

5. Via media statuitur.

His præsidiis poteris priorem illam Augustinensium sententiam sartam tectamque tenere, aut, si mavis, amplecti postremam. Memineris tamen me elegisse mediam viam, de qua plura memorato capite tertio libri XVIII. dixi omnium menti ineſſe regulam quamdam incommutabilem æquitatis, sed hominem lapsum magis movere, atque ad agendum trahere imagines rerum sensibilium, & inseminatam peccato primi hominis noxiam cupiditatem: ad hanc comprimendam divinitus nobis inspirari gratiam sanctæ delectationis. Ad propositam ergo quæstionem ex hac mea opinatione consequens habetur responsum. Vel humanus actus dirigitur per charitatem, & gratiam sanctæ delectationis in Deum, & est bonus undequaque: vel per ideam illam incommutabilis æquitatis rectæ rationi deprehenditur convenire, & est bonus moraliter: vel peragitur ob inanem gloriam, & est inflatum typho superbiæ; vel propter res sensibiles, & creatas, & cupiditate marcescit. Igitur in individuo nullus datur humanus actus indifferens. Addo quod nisi adsit charitas, per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, sed aut sibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum, atque perversum. Atque hæc assertio ex præcitato capite sua veluti sponte dimanat. Neque ab Augustino aliena est, qui libro 2. de peccatorum meritis cap. 18. docet non posse in medio quodam humanam voluntatem consistere, *Ut nec bona sit, nec mala*; & in libro de utilitate credendi cap. 12. ait: *Omne factum si recte factum non est, peccatum non est; nec recte factum ullo modo esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur.* Hinc Vasquesiusius, pugnet licet pro sententia contraria, fatetur nihilominus 3. p. disp. 25. cap. 6. S. P. Augustinum nullum indifferentem actum admittere.

6. Objectio 1. & Solutio.

Objiciunt Adversarii 1. locum Hieronymi ex Epistola 89. inter Augustinianas XI. vel LXXV. *Bonum est continentia, malum est luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere. Hoc nec bonum, nec malum est. Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Respondetur Hieronymum loqui de operibus consideratis in specie, sive spectato duntaxat eorum objecto, non autem in individuo, prout hic, & nunc exercentur, & quatenus cum intentione, ac fine operantis sunt conjuncta. Hoc autem pacto nemo denegat esse indifferentia; cum versentur circa objectum, quod nec prohibitum est, nec præceptum. Nemo pariter affirmat exercitamento illorum operum justitiam comparari, vel injustitiam, cum hæc duo non opere, atque officio pensentur, sed fine, qui in operante est, non in opere. Hanc esse mentem Hieronymi constat ex verbis nuper recitatis, atque ex ipso Epistolæ argumento. Ait enim principio *bonam esse continentiam*, in se utique spectatam, & ratione objecti: nam si continens sis avaritiæ gratia, aut philaucia quadam, & inani jactantia, quis dubitat continentiam tuam non esse bonam, atque vinci à te vitium vitio? Addit posthac indifferens esse *ambulare, sputa jacere, naribus purgamenta projicere:* quæ si præstes, ut amasiam videas, hostem contemnas, procum accersas, quis negat à te indifferens opus vitiari? Ergo Hieronymus in operibus, quæ indifferentia appellat, officium spectat, non finem. Idque ut probet observationem legalium non esse natura indifferentem, ut potuerit ab Apostolis pro temporum oportunitate exercere, vel prætermitti, sed malam fuisse, ac prohibitam, ideoque non sincere, sed quadam dispensatione usurpatam. Qua in re non solum Hieronymus fatetur finem operum esse attendendum, sed etiam tenet reprobatam ab Augustino sententiam, in observatione legalium mala per se ac prohibita magnam apparere, ac novam *clementiam Apostoli, dum Judæos Christianos volens facere, ipse Judæus factus est.* Eapropter Hieronymus plus, quam dicamus nos, dicit: quoniam arbitratur opus *in specie* malum, esse bonum *in individuo*, & provide ab Apostolis servata legalia, & simulata præcepta, etiamsi existimet legalia ipsa mortifera. *Sed cavendum est*, ut S. P. Augustinus respondet Hieronymo Ep. XIX. nunc LXXXII. *ne sicut Philosophi quædam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur,* spectans *in individuo* opera, quæ Hieronymus dixerat *in specie* tantum indifferentia.

Dein-

7. Objectio 2. & ſolutio.

Deinde objiciunt Adverſarii, quod loqui, ambulare, ludere ob ſolum libertatis exercitium non ſit opus bonum, neque malum: non bonum, ut per ſe patet; non malum, quoniam ad pravum finem nequaquam refertur. At conſtat ex dictis reſponſio: hi enim, & conſimiles actus ſunt ſecundum ſe indifferentes, in individuo autem, & ſpectato fine operantis, omni malitia non carent, non quia ex fine pravo ponantur, ſed quia recto fine deſtituuntur. Et revera Matthæi XII. 36. legitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Porro, ut animadvertit Gonet Tract. de Moral. Act. Hum. diſp. 5. actio non dicitur otioſa, quod ad finem malum ordinata ſit, ſed quod careat fine debito: & conſequenter loqui, ambulare, ludere exercitationis causâ, quamvis turpitudinem finis non habeant, otioſa ſunt & inania, quia carent fine debito ac recto. Atque hinc depromit hujus aſſerti rationem validiſſimam magnus Thomas Aquinas ſcribens I. 2. q. 18. art. 9. *Sed contra eſt, quod Gregorius dicit in quadam Homilia, Otioſum verbum eſt, quod utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret. Sed verbum otioſum eſt malum, quia de eo reddent homines rationem in die Judicii, ut dicitur Matth.* XII. *Si autem non caret ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis eſt bonum. Pari ergo ratione & quilibet alius actus vel eſt bonus, vel malus. Nullus ergo individualis actus eſt indifferens.* Hactenus S. Thomas. Ex Angelico autem Præceptore infertur neceſſariam non eſſe ſupernaturalem charitatem ut opus humanum non ſit perverſum ac malum; ſed ſufficere, ſi ponatur ex fine juſtæ neceſſitatis ac piæ utilitatis, qui finis conformis ſit rectæ rationi, & ideæ ac regulæ æquitatis incommutabilis: quamquam in praxi perdifficile eſt ita hanc regulam tenere, ut non prævaleant rationi ſenſuum illecebræ, quando iſtas Gratia Dei non coercet.

8. Objectio 3. & ſolutio.

Tertio objiciunt, damnatum eſſe à Concilio Conſtantienſi articulum Joannis Hus: *Quod nulla ſint opera indifferentia.* Sed legendus integer articulus ad hunc modum ſe habens: *Quod nulla ſint opera indifferentia, ſed hæc ſit diviſio immediata humanorum operum, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa. Quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitioſe: & ſi eſt virtuoſus & agit quicquam, tunc agit virtuoſe; quia ſicut peccatum inficit univerſaliter omnes actus hominis vitioſi; ſic virtus vivificat omnes actus virtuoſi.* Itaque articulus iſte non agit de indifferentia operum ſecundum ſe, ſed comparate ad juſtum vel impium, quos Joannes Us aſſerebat neceſſario bene vel male operari; bene ſi gratia ſanctificante ſint exornati, male ſi coinquinati ſint culpa. Quod hæreticum eſt aſſerere; nam nec ſemper Juſtus operatur ex charitate, nec ſemper impius ex cupiditate; non enim ſemper in corde peccatorum regnat carnalis cupiditas, neque omnes actiones corrumpit, ut demonſtravimus alio in loco adverſus Quenellum ac Bajum, quorum perverſa dogmata magnam habent cum Huſſitis affinitatem.

9. Objectio ultima cum ſolutione.

Opponunt denique præceptum omnia referendi in Deum, ſive in finem ultimum eſſe affirmativum, nec ſemper obligans: nullam dari ſpeciem absque Individuis, ideoque ſi dantur actus ſecundum ſpeciem indifferentes, admiti quoque debent in individuo; poſtremo dari omiſſionem indifferentem, E. G. non audire ſacrum die feriali, & conſequenter etiam actum. Sed hæc non moror. Nam de primo argumento dictum ſupra ſervandum eſſe præceptum illud quotieſcumque deliberate operemur; imo ſententia noſtra ſufficere, ſi opus à regula incommutabili, quæ Deus ipſe eſt, non deflectat. Ad alterum dicimus in individuo determinatum eſſe certis circumſtantiis, quod in ſpecie eſt indifferens; & argumentationem tenuiſſimam retorquemus. Atque ad ultimum reſpondemus, omiſſionem, de qua ſupra, in ſe ſpectatam indifferentem utique eſſe, quia nullum præceptum transgreditur: ſed conſideratam in deliberatione non audientis ſacrum vel à recto fine cohoneſtari, vel infici à pravo.

CAPUT III.

Num Actus exterior addat interiori bonitatem aliquam, vel malitiam.

SUMMARIUM.

1. Explicatur status Quæstionis.
2. Dantur externa peccata, & externa virtutum officia.
3. Actus boni vel mali reddunt opus majus extensivè.
4. Propositio.
5. & 6. Probatur.
7. Externa actio per accidens est nequitiæ augmentum.
8. 9. 10. & 11. Respondetur Objectionibus.

1. Explicatur status quæstionis.

PERTRACTATA à veteribus Scholasticis cum Magistro in 2. Sent. dist. 42. illa quæstio, *An voluntas, & actio mala in eodem homine, & circa eandem rem sint unum peccatum, vel plura*, sensum patitur multiplicem: quem si scite distinguas, plenissimam hujus dubitationis consequeris intelligentiam. Vel enim inquiritur, sitne exterior operatio peccatum: vel num peccatum operationis externum sit numero diversum à pravo desiderio illud perpetrandi: vel denique, an, dum reapse committitur, quamdam induat malitiam vel turpitudinem, qua carebat præconceptum, & adhuc latitans in voluntate. Atque idem per antithesim de recta intentione, & consequente bono opere inquiritur.

2. Dantur externa peccata, & externa virtutum officia.

Externam itaque operationem Divina lege prohibitam, ut furtum, homicidium, fornicationem, crimen esse, atque externum opus Divinis mandatis præceptum, ut Dei cultum, observantiam festorum, honoremque parentibus exhibitum, habere ex ipso officio laudis decorisque splendorem, non est in disputationem trahendum. Nam peccatum illud est, quod legi adversatur æternæ: & opus virtutis, quod ipsa lege præscribitur. At plures externas actiones prohiberi, ac præcipi plures alias, non est qui compertum non habeat, atque exploratum. Perspicuum est ergo dari cum externa peccata, tum pariter externa virtutum officia.

3. Actus boni vel mali reddunt opus majus extensivè.

Actus istiusmodi externos reddere bonum, aut malum opus majus *extensive*, atque illud quasi explicare, res per se loquitur. In actuali enim opere peccatum ex intimo corde foras ministerio sensuum erumpit, veluti dum mortuum cadaver è domo effertur ad tumulum. Quare externum opus etiam diuturnioris voluntatis indicium est, & animi pravitatem vel rectitudinem demonstrat esse ampliorem. Et quidem retrahente se animo quiescunt corporei motus, veluti inferiores rotæ, dum prima consistit, neque dari potest externum liberum opus, si repugnet voluntas. At fieri tamen potest, ut animi intentio, sive improba sit, sive recta, vigeat ac perseveret, etiamsi opus non perficiatur exterius, cohibente illud causa aliqua ab intima voluntate animoque diversa. Hoc pacto qui exardescit concupiscentia oculorum, *jam mœchatus est*, ut habetur in Evangelio Matth. v. 28. & cum possit voluntas ab opere separari, & ad opus procedere; multiplicata sunt præcepta, E. G. *Non furtum facies*, & *Non concupisces rem alienam:* in quorum uno prohibetur opus, quod voluntate mala peragitur; in altero damnatur ipsa mala voluntas. Ex quibus infertur malitiam, quæ deprehenditur in furto, esse amplificationem quamdam pravitatis præexistentis in animo furis; & quasi progressionem concepti partus ex utero ad lucem: nec esse diversum omnino peccatum quod uno, & peccatum quod altero præcepto est prohibitum; quemadmodum idem est quod concipitur, & quod nascitur, idem cadaver latens domi, & funere elatum, idem quod facere cupio, & quod facio. Atque hæc aperte dirimunt positam secundo loco dubitationem.

Videndum ergo supereſt, an hæc major explicatio peccati, quemadmodum certissimum est argumentum diuturnioris malitiæ, animique in malo perseverantis; ita peccatum ipsum adaugeat, adeo ut plus habeat meriti, vel dedecoris operatio cum interno affectu conjuncta, quam ipse intimus affectus absque operis executione.

4. Propositio.

PROPOSITIO: Externum opus nihil per se addit decoris, aut turpitudinis interiori voluntati in rem honestam, iniquamve deliberate vergenti: nec pensatur apud Deum ex officio, sed ex animo præmii dignitas, vel supplicii.

Probatur 1. ex S. Scriptura actum externum non superaddere bonitatem aut malitiam actui voluntatis interiori.

Demonstratur autem: Si externum opus bonitatem, aut malitiam superaddaret actui voluntatis interiori, non ean-

eandem promereretur retributionem, aut pœnam, qui habet æque efficacem voluntatem opus rectum, perversumve patrandi, sed vel viribus destitutus est, vel occasionem nequit nanciſci, vel externis adminiculis caret; ac debeatur ei, qui potestate, cæterisque adjumentis præditus opus intentum exequitur. At Scripturarum sanctarum oraculis, testimoniis sanctorum Patrum, aliorum Scriptorum sententiis, necnon humanæ rationis lumine constat eandem ab utroque referendam esse mercedem, vel pœnam. Operis ergo exterioris impendium nullam per se facit bonitatis, aut malitiæ accessionem. Minorem 1. sacræ literæ comprobant. Abrahamo enim propter sinceram animi voluntatem, acsi actu immolasset filium, à Domino dictum est Gen. XXII. 16. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me:* quæ verba expendens Chrysostomus hom. 47. in Genesim, *Quantum ad voluntatem attinet*, inquit, *cruentaverat dexteram Patriarcha, & per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium: & idcirco Dominus quasi sacrificio re ipsa consummato laudat justum.* De muliere etiam paupercula, quæ in Gazophylacium, sive ærarium Ecclesiasticum, miserat duo tantum æra minuta, ait Dominus Lucæ XXI. 30. *Vidua hæc pauper plus quam omnes misit*, magis animum profecto pensitans, quam censum. Petrus pariter posteaquam retia, tenuissimumque patrimonium reliquerat, quasi dimissis prædiis multis, amplissimisque divitiis, inquit Matth. XIX. 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* Apostolus quoque Paulus in 2. ad Corinth. cap. VIII. 12. ait: *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id, quod non habet;* demonstrans nullam Deo acceptam esse oblationem, quæ ex corde non sit, neque aliam promereri mercedem præter eam, quam postulat æqui rectique animi intentio. Atque idem de malis operibus asserendum est. Etenim, ut paulo supra dicebam, si quis mulierem aspiciens intemperanter concupiscentiæ illius animum mancipaverit, jam ex Dominica apud Mat. cap. v. sententia, *mœchatus est eam in corde suo.* Et Jacobus cap. 1. 15. solam concupiscentiam esse quasi matrem peccati declarat, scribens: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Opus itaque externum à nobis supra comparatum concepti partus nativitati trahit à proposito pravæ intentionis, veluti à materno utero, quidquid habet fœditatis, atque dedecoris.

5. Probatur 2. ex SS. Patribus.

Hanc esse sanctorum Patrum sententiam liquet ex productis verbis Chrysostomi. Augustini autem perspicua sunt, quæ habentur lib. 1. de lib. arbitr. cap 3. *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit eum cupere, & si potestas detur esse facturum, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Et in serm. XVIII. alias 220. de temp. *Si forte* (inquit) *conversus ad Deum statim morieris, opera tua nulla invenientur in illo thesauro? Plane ibi invenies opera tua, quia scriptum est, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem. Scit quia voluisti, & non potuisti, sic te annotat quasi feceris, quod voluisti.* Et in Epist. ad Deogratias XLIX. nunc CII. q. 4. probat solum voluntatis affectum esse omnium factorum, meritorumque mensuram, quoniam *ex qualitatibus voluntatum, non ex temporum spatiis, sive recte facta, sive peccata metimur. Alioquin majus peccatum haberetur arborem dejicere, quam hominem occidere: illud enim fit longa mora, ictibus multis, hoc uno ictu, brevissimo tempore.* Ex quo loco peracutas argumentationes depromit Ariminensis in 2. sent. dist. 42. & 43. concl. VII. S. martyr Cyprianus in Epist. ad Lucium scribit dilata martyria non minuere *meritum confessionis.* Bernardus Epist. LXXXVII. docet voluntatem reputari pro facto, *ubi factum excludit necessitas.* Idem præcedentibus Ecclesiæ sæculis tradiderant Actor Quæst. ad Orthodoxos, Tertullianus de Pœnitentia, aliique permulti.

6. Probatur 3. ex aliis Scriptoribus & ratione.

Perceperunt vero manifestam hanc veritatem Scriptores alii, sive literis sacris imbuti, sive naturali tantum Philosophia. Differens quippe Philo Judæus de lege Moysis, ait: *Par judicari crimen hoc aliquem egisse, ut occideret, & occidisse* Seneca, *Latro est* (inquit) *etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit.* Ex Aristophane desumptum est Græcorum illud effatum, Δυναται γὰρ ἴσα τῶ δρᾶν τὸ νοεῖν, quod latine sonat, *Par est facere, & voluisse malum.* Juvenalis post Herodotum narrat de Glauco Historiam cum illo Epiphonemate,

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Et jure meritoque. Externa enim operatio in tantum contaminatur, & reddi-

ditur flagitiosa, in quantum procedit à libera voluntate. Homicidium quippe per industriam, insidiisque patratum ob pertinaciam inveterati odii gravius est, quam si à rixantibus fiat, ut colligitur ex cap. 21. Exodi. Si telum manu effugiat, vix reputatur in culpam; si autem penitus involuntarium sit, nulla dignum est animadversione. Quod si animo obversetur, & adeo hominem odio habeas, ut facta potestate illud morte afficeres; jam censendus eris homicida, juxta Joannis sententiam 1. Epist. III. 15. Ipsa ergo cædes, & alienæ vitæ violatio gravior est duntaxat ob intimam, & corde conceptam acerbitatem. Insuper si duo in occisionem alterius conspirantes consimili odio tabescant, unus autem robustior pluribus vulneribus hostem confodiat, alius debilior viribus plagas inurat leviores; si uterque ense aggrediatur inimicum, etiamsi is unius ictu de medio tollatur, declinato, aut forte fracto pugione alterius, eadem punitione plectendi sunt, quamvis in externo opere se gesserint inæqualiter. Præterea, ut ratiocinatur Hugo lib. 21. de Sacram. p. 14. ubi plus datur, & ubi minus, differens meritum non est, si æqualis voluntas habeatur: & ubi aliquid datur, & ubi nihil datur, differens meritum esse non potest, si æqualis sit utriusque voluntas, ideoque totum meritum in voluntate est. Tandem ne apologum prætermittam, de quo legendus S. Pater in Ps. XCIII. lupus tantum cupiens nocere, quantum leo, perterritus canum latratu fugit ab ovium caula, dum leo animosior neque canum rabiem pertimescens agnum unum carpit, & dilaniat: & nihilominus *nunquid lupus innocentior remeavit?* Itaque exterior actio per se peccatum, aut meritum non adauget: & à sola voluntate pensandam esse operum qualitatem moralem commonstrat Divina Scriptura, docent Patres, affirmant Scriptores alii, & ratio evincit humana; quod erat demonstrandum.

7. **Externa actio per accidens est nequitiæ augmentum.**

Animadvertas tamen consulto fuisse à me appositam particulam *Per se*, cum *per accidens* externa actio sit proculdubio nequitiæ scelerisque augmentum. Nam primum apparet, ut diximus, in opere interior animi pravitas diuturnior, & perseverans. Deinde actionis exercitamento magis præconcepta delectatio titillat, inhiatque animus, dum explet, quod concupierat, fluxis voluptatibus vehementius. Quare Hugo Victorinus loco citato, objicienti cur post voluntatem opus requiratur, si per ipsum nihil additur meriti; respondet requiri, *Ut opere voluntas augeatur: tale etenim est cor hominis, ut opere suo amplius inardescat, sive ad bonitatem amandam, si rectum, sive ad malitiam, si pravum est.* Et addit: *Si forte contigerit tantam esse voluntatem in eo, qui non operatur, quanta est in illo, qui opus exercet, ubi voluntas eadem est, meritum dissimile esse non potest.* Aperta tamen ratio suadet, cur bona opera, dum possumus, actu peragere teneamur, nec sufficiat semper intentio: quoniam, scilicet, voluntas non est efficax, si non operetur, dum potest. Postremo oriuntur ex bono opere commoda plurima, maxime ædificatio proximorum, & mutuæ necessitudinis vinculum: quemadmodum pariunt ex adverso operationes nequitiæ subversionem, scandalum, aliaque detrimenta.

Objectorum resolutio.

Ad revincendam thesim superiorem proferri possunt quædam ab auctoritate, & à ratione argumenta. Quæ petuntur ab auctoritate sunt. I. Concilium Neocæsariense mandat, ut Deo gratiæ agantur, si peccandi cupiditatem foventibus subtraxerit occasionem. II. Augustinus in 3. de Trinit. cap. 5. ait: *Miser est, qui malum vult, sed miserior, qui malam voluntatem adimplet.* Ex Tract. LVIII. in Joan. de lotione pedum inquit; *Multo autem est melius, & sine controversia verius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus.* Ubi opus externum magis deprædicat, & commendat, quam solam eorum voluntatem, qui recipientes hospitio Sanctorum pedes non lavant, tametsi quod manu non faciunt, corde faciant. III. Inter errores Petri Abaelardi proscriptus est tertius decimus: *Nos vero dicimus, quod sola voluntas à Deo æternaliter remuneretur, sive ad bonum, sive ad malum: nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, nisi forte dum operatur in aliquo, voluntas ejus augmentatur.* Videtur autem hic articulus in positionem nostram per omnia collineare. IV. Ecclesia percutientem, vel occidentem Clericos punit excommunicatione, & irregularitate, neque his pœnis in Clericum odio habentes animadvertit. Contra censet deberi martyrii aureolam iis, qui fuderunt pro Christo sanguinem; non autem si solo animo perpessi fuerint tormenta. Actus itaque externus supplicii, ac præmii dignitatem adauget.

8. Objicitur 1. ab auctoritate.

Resp.

9. Reſpondetur.

Reſp. his omnibus demonſtrari tantummodo, quod in actione externa appareat voluntas efficacior, diuturnior, vehementior; & idcirco opus etiamſi præcipiatur, & magnopere commendetur, non per ſe, ſed ratione ardentioris illius voluntatis adauget meritum. Igitur Concilium Neocæſarienſe præcipit, ut Deo gratiæ referantur, ſi Clericis in fornicationis crimen propenſis ſubtrahatur occaſio; quoniam ſine operis complemento vitantur ſcandala, & ferveſcens libido tepeſcit. Canone tamen quarto declarat eadem Synodus ſcelere ipſo fornicationis Clericum inquinari, ἐαν προθηται ἐπιθύμησαι γυναικὸς, *ſi propoſuerit ſolicitare fœminam.* Rectiſſime pariter Auguſtinus miſerabiliorem appellat, qui pravam intentionem opere explet, quoniam is habet mali voluntatem non ſolum deliberatam, ſed & robuſtiorem, forasque inſtar putreſcentis maciei erumpentem. Hortatur etiam juremerito, ut factis Chriſti compleantur exempla, quoniam prompta efficaxque voluntas operari non renuit: atque ut idem Auguſtinus è veſtigio addit, *Cum ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo excitatur, vel ſi jam inerat, confirmatur humilitatis affectus.* Abaelardi damnatus articulus eſt: *Propter opera nec melior, nec pejor efficitur homo*, absque aliis verbis ſupra recitatis. Quod Abaelardus aſſeruit, propterea quod exiſtimavit nullum opus eſſe peccatum, ut conſtat ex illius art. XIX. Merito proinde damnatus fuit, quoniam inutiles putavit actiones; à quibus iniquum eſt, dum illas complere tenemur & poſſumus, abſtinere. Excommunicatio, & aliæ cenſuræ interdum pro levioribus erratis infliguntur. Gravius enim peccat, qui laicum interimit, quam qui ſanabili vulnere offendit Clericum; nec ille tamen incurrit excommunicationem: & inhoneſtum, ac turpe eſt magis furari, & fornicari, quam veſci carnibus die Veneris, & nihilominus excommunicatione plectitur peccatum iſtud, non illud. Et optimo quidem jure. Enimvero cum delicta à legibus damnentur, & à cuſtodibus ipſarum legum puniantur; cenſuris Eccleſia in illos animadvertit, qui parvipendunt religionem Chriſtianam, contumelioſe ſe gerunt in Eccleſiaſticam Hierarchiam, & fidelium communionem moribus hæreticorum commaculant. Ad martyrium, quod attinet; vix fieri poteſt, ut in ſolo patiendi deſiderio tanta ſit charitas, ac tolerantia, quanta eſt in ipſa ſanguinis profuſione: atque ſi tanta ſit, non deeſt martyrii palma, quomodo de D. Martino teſtatur Eccleſia. Ac præterea martyrium uberiorem gratiam confert ob ſtigmata Chriſti, quæ martyr portat in corpore, & quibus ſententia plurimorum reſpondet glorificatio illa, quam appellitant *Aureolam.*

10. Objicitur 2. à ratione.

A ratione argumentantur primo. Opus externum eſt peccatum diverſum ab opere interno; cum utrumque diſtinctis prohibeatur præceptis. Duplici autem peccato gravior pœna debetur, quam uni. Ulterius in Confeſſione peccatum externum aperiri debet, nec ſufficit exprimere voluntatem. Addit ergo operatio voluntati pravæ peccati pondus, & gravitatem. Tandem externus actus eſt per ſe ſatisfactorius. Ergo & per ſe habet rationem meriti.

11. Reſpondetur.

R. ad 1. peccatum externum unum eſſe cum interno, & tamen multiplicari mandata, ne quod latet in corde ulterius progrediatur, ut explicavi in Prænotatione theſis. Aut reſpondetur cum Gregorio Ariminenſi diſt. 42. concl. VII. ad 5. multiplicari numerum peccatorum per actus, malitiam vero per voluntatem: ideoque opus externum, atque internum eſſe duo peccata, & habere eandem malitiam: duo peccata, quoniam actus duo ſunt; unam vero malitiam, quia eſt una in utrisque voluntas. Ad 2. dicimus actum externum eſſe revera peccatum, & lege prohibitum, licet malitiam habeat à deliberatione voluntatis derivatam: dicimus in ipſo opere magis cupiditatem ferveſcere: dicimus poſſe inde oriri ſcandala, debitum reſtitutionis, impedimenta matrimoniorum, cenſurarum vincula, & incommoda alia complura. Debet ergo omnino patefieri Eccleſiaſtico Judici, ut ab exterioribus indiciis percipiat ægritudinem animorum, & ubi detexerit peſtiferi vulneris qualitatem adhibere valeat medicamenta. Ad ultimum facilis eſt reſponſio; nam ſicut externa opera, quæ afferunt afflictationem, & pœnam, non ſunt ſatisfactoria, niſi electione ſuſcipiantur; aut ſi aliquid neceſſario patimur, illud æquo animo toleremus: ita non ſunt meritoria, niſi ratione voluntatis, ac libertatis; & ideo omne meritum operibus ipſis ſatisfactoriis comparatum debet à voluntate libera proficiſci.

CAPUT IV.

Quid juxta Augustinum sit virtus, & quomodo à Theologis dividatur?

SUMMARIUM.

1. Quid designet hoc vocabulum virtus.
2. Discernitur natura virtutis à vitiis.
3. Propositio 1. Probatur.
4. Notanda quædam.
5. Propositio 2. Probatur.
6. 7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.

1. Quid designet hoc vocabulum virtus.

SUNT hactenus dicta virtuti, vitioque communia. Ad virtutis naturam indagandam nunc disputatio nostra progreditur. Oportet autem primo, ut exponamus, quid designet hoc virtutis vocabulum: quo interdum utimur ad demonstrandam fortitudinem, ac potentiam, ut copiæ militum Holofernis Jud III. 15. dicuntur *Exercitus virtutis*, & de Lysia in 1. Machab. VI. 6. legitur: *Abiit cum virtute forti.* Aliquando vocabulum illud usurpamus ad exprimendam naturalem vim atque energiam causarum efficientium, quo sensu Sap. VII. 17. legitur: *Ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum*: quandoque ad demonstrandam gratiam miraculorum, ut Matth. VII. 22. *In nomine tuo virtutes multas fecimus*, & Act. III. 12. *quasi nostra virtute fecerimus hunc ambulare:* non raro ad designandum quemdam ordinem Angelorum, ut in Epistola Pauli ad Ephesios cap. 1. 21. *Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, &c.* de quo Angelorum ordine scripsi lib. x. cap. 18. Verum his significationibus prætermissis, & si quæ sunt aliæ consimiles, *Virtutis* nomine intelligimus rectam animi affectionem, laudabiles efficientem eos, in quibus est: & à qua, maxime si constans sit, & conveniens, *Vir* appellatur; aut ipsa virtus, ut Tullio placuit, à viro nomen est mutuata. Atque hanc virtutem definiunt Theologi cum Augustino, & D. Th. quod sit *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur.* Quamquam enim homo virtute ornatus sæpenumero labitur in vitia; non id provenit ex recta illa affectione mentis, & animi, sed ex contraria cupiditate, uti non à radice arboris bonæ, neque ab insito surculo melioris germinis producitur fructus malus, ut alio in loco explicavimus.

2. Discernitur natura virtutis à vitiis.

Cum itaque virtus sit bona illa qualitas, & recta, & conveniens affectio, qua recte vivimus, recte agimus, recte utimur; facile erit virtutis naturam à vitiis discernere; si animadvertamus cum Augustino lib. x. de Trinit. cap. 10. & 1. de Doctr. Christiana cap. 34. duos esse actus rationalis creaturæ ad quos cæteri reducuntur, *uti*, & *frui*. Nihil aliud est *uti*, quam aliquid in facultatem voluntatis assumere; quod fit in iis rebus, quæ non propter se, sed ratione ultimi finis assumuntur in usum. *Frui* autem dicimur, dum inhæremus alicui rei propter se, ut dum summum bonum amore casto diligimus, & illius causa utimur creaturis. Ex qua dilectione gaudium aliquod resultat, vel spei in hac vita, vel rei, ut explicat dist. 1. Magister, atque in eadem distinctione Gregorius noster, Estius, aliique Doctores Scholastici. Et quoniam non possumus inhærere amore, & dilectione alicui creaturæ propter se, atque omni re mutabili uti debemus propter finem ultimum; consequens est, nos recte vivere, dum fruimur Deo, & utimur creaturis; & vitiosos fieri, dum fruimur creaturis, atque utimur Deo.

3. Propositio.

PROPOSITIO: Nihil est aliud juxta Augustinum virtus, quam ordo amoris, quo servato, vel fruimur Deo, vel utimur creaturis.

Probatur.

Traditur hæc propositio apertissime à D. Parente Augustino lib. XV. de Civ. D. cap. 22. his verbis: *Unde mihi videtur, quod definitio brevis, & vera virtutis, ordo est amoris.* Et de moribus Eccl. Cath. cap. XV. *Nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Defenditur autem hæc propositio ab Augustinianis Theologis, ut constat ex Nicolao Gircken Tom. 2. Summæ Q. 1. dub. 1. & Fulgentio Bellelli in postremo Opere *Mens Augustini* inscripto P. 1. cap. 24. & P. 2. cap. 54. §. 3. Probatur autem his Augustinianis argumentis 1. nihil aliud est virtus, quam recta & conveniens ratio vivendi, ut supra explicavimus; & Augustinus ipse scribit in IV. de Civ. D. cap. 21. *Ars ipsa bene recteque vivendi virtus à veteribus definita est. Unde ab eo quod Græce ἀρετὴ dicitur virtus, nomen Artis Latinos traduxisse putaverunt.* Id est, per syncopem, quomodo vult Donatus in Andriam Terentii.

Atqui

Atqui non recte vivitur, nisi servato ordine charitatis fruamur summo bono, bonisque utamur commutabilibus. In hoc igitur quod est *frui*, & *uti* charitatis ordine non neglecto, sita est natura virtutis. II. Aversio à bono incommutabili ad bona commutabilia est vitium, & conversio à bonis commutabilibus ad incommutabile bonum est virtus. Atqui avertimur à summo bono, quotiescunque utimur Deo ad fruendum creaturis, & avertimur à creaturis, dum iis utimur ad fruendum Deo. Igitur in *frui* & *uti* non perturbato amoris ordine sita est virtus: *Proinde rationalis creatura, sive in Angelico spiritu, sive in anima humana ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata fiat, esse non possit, sed mutabilitas ejus si convertatur ad incommutabile bonum fiat beata, unde si avertatur misera est. Aversio ejus vitium est, conversio ejus virtus est.* Ait S. Pater lib. ad Honoratum, sive Epist. CXL. n. 56. & lib. LXXXIII. Quæst. q. 30. *Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.* III. Nulla animi qualitas censenda virtus est, nisi hominem reddat quodammodo meliorem. Atqui melior rationalis creatura reddi non potest, nisi amore hæreat summo bono, eoque aut spe, aut re fruatur. Igitur sine hujusmodi amore virtus vera non datur. *Quemadmodum in ipsis corporibus* (inquit S. P. citata ad Honoratum Epistola) *quæ inferiora sunt, sicut terra, aqua, & ipse aer meliora fiunt participatione melioris, id est cum luce illuminantur, & fervore vegetantur: sic incorporeæ creaturæ rationales ipsius Creatoris fiunt participatione meliores, cum ei cohærent purissima, & sanctissima charitate; qua omni modo si caruerint, tenebrescunt, & obdurescunt quodammodo.* IV. Non semel affirmavimus non dari veram virtutem ad vitam perducentem æternam, nisi per sanctam dilectionem referatur in Deum, neque virtutem moralem, si non exerceatur motivo honesti boni, quod nobis proponit idea incommutabilis veritatis. Atqui talis relatio haberi nequit sine aliquo ordine amoris tendentis in finem ultimum, neque permanentis in bono aliquo commutabili. Ergo &c. *Absit autem*, (inquit S. P. in IV. contra Julian. n. XXI.) *ut veræ virtutes cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusdam commodis, & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei serviunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus à quo donantur hominibus. Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Ex hoc Augustinianæ doctrinæ capite, primo intelligitur, cur Christus Dominus Mat. XXII. 40. docuerit in duobus mandatis dilectionis universam legem pendere, & Apostolus I. ad Corinth. XIII. scripserit sine charitate officia quælibet virtutum nihil prodesse. Quod non ideo traditum est, quasi omnis virtus sit charitas, & sola remuneretur à Deo, ut asseruit Quenellus damnatis propositionibus 52. & seqq. sed quoniam omnis virtutis actus ex aliquo amore boni debet procedere non justificante, & perfecto, sed saltem inchoato, ac tendente in bonum, quod amandum est. Deinde percipitur quomodo virtus in solo Deo sit naturaliter immutabilis, atque in beatis constans, ac perpetua per participationem beatitudinis, quoniam ille se ipso fruitur, omniaque operatur in sui gloriam; ac beatorum animæ fruuntur Deo, eique adhærent firmissima charitate. Facile demum ex hac doctrina colligitur non esse veram virtutem Stoicam illam, cui studuerunt aliqui propter ipsius virtutis ornamentum, atque decorem, neque Epicureorum operantium propter voluptatem, neque Romanorum honesta officia exercentium propter sui nominis celebritatem; cum in his omnibus sit amoris perversitas, & *frui* bonis commutabilibus. 4. Notanda quædam.

PROPOSITIO II. Cum omnis virtus sit ordinata ad fruendum summo bono, & utendum bonis commutabilibus, virtutes omnes, vel ad tres Theologales, vel ad quatuor Cardinales reducuntur. 5. Propositio.

Vel enim immediate virtus fertur in finem, quo frui debemus, vel in media, quibus utendum est. Si virtus immediate fertur in finem, debet reduci ad unam ex tribus Theologalibus; si in media, ad unam ex quatuor Cardinalibus. Ergo ad istas reliquæ omnes reducuntur. Prob. minor. In Deum immediate tendimus, vel cognitione supernaturalium bonorum, vel cordis motione ac desiderio, vel unione amoris. Quo- Probatur.

rum primum præstat fides, alterum spes, tertium charitas; quæ ideo evacuata fide, atque spe, manet in patria: unde Apostolus in I. ad Cor. XIII. 8. ait: *Charitas nunquam excidit.* Si vero virtus tendat in media, quibus servato ordine charitatis uti debemus, vel exercetur seligendo sagaciter media, quæ ad finem conducunt ab iis, quæ illius consecutionem impedire possunt; & in hoc sita est virtus prudentiæ, cujus partes juxta Angelicum Doctorem sunt solicitudo, vigilantia, memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, & cautio. Vel exercetur virtus unicuique suum tribuendo, Deo scilicet cultum, honorem parentibus, proximo depositum, mutuum, & quidquid ei aliquo debetur titulo; atque id ad justitiam pertinet, vel ad ipsius partes, nimirum Religionem, pœnitentiam, pietatem, humilitatem, observantiam, gratitudinem, vindicationem, veracitatem, amicitiam, & magnificentiam. Vel exercetur virtus integrum se præbendo ei quod amatur: atque hæc est virtus temperantiæ, sub qua, veluti sub genere comprehenduntur abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia. Vel denique exercetur virtus adversa omnia patientissime tolerando: in quo sita est fortitudo, vel ad fortitudinem pertinentes magnanimitas, patientia, perseverantia. Audiendus de quatuor his virtutibus differens Augustinus lib. I. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. XV. num. 25. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem; ut temperantia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur. Justitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans. Prudentia amor ea quibus adjuvatur ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens, &c.*

Ad quædam in contrarium argumenta.

6. Objicitur I. Sed objicies. Si nulla absque ordine amoris daretur virtus, sequeretur primo fidem non operari nisi per charitatem, & ab amore sejunctam non virtutem esse, sed vitium. Id vero damnatum est in Bulla *Unigenitus*, prop. LI. & LII. II. Sequeretur solam charitatem facere actiones christianas, inter opera virtutum connumerandas, solam charitatem honorare Deum, solam remunerari: quod est proscriptum prop. LIII. LIV. LV. LVI. eadem Bulla. III. Sequeretur non esse sine amore virtutem spei, imo nec religionis, quod damnatur proximis propositionibus LVII. LVIII. IV. Sequeretur timorem supplicii, nec virtutem constituere, nec donum Dei esse, nec peccatum cohibere saltem in corde: quod pariter damnatum est, ne vetustiores hæreses commemoremus, eadem Clementina Constitutione à propositione LX. ad LXVIII. Tradita ergo virtutis idea non alia est, quam à Lutheranis primum, deinde à Bajo, & Quenello præformata.

7. Notanda ante Solutionem. Resp. plures utique dari virtutes, quæ non sunt *formaliter* amor, sed nulla virtus ab ordine amoris divellitur, id est, nulla virtute recte utimur, nisi ordinate amando; fieri enim non potest, ut sine aliquo affectu, aut credamus, aut speremus, aut timeamus, cum semper primus voluntatis motus sit amor. Quare plures dantur virtutum supernaturalium *habitus* absque charitate, sed nulla virtus suos actus absque vitio penitus exerit, nisi rectus aliquis amor voluntatem moveat, ac trahat. At necesse non est, ut talis amor, quo duce virtutibus bene utimur, sit *habitualis*, justificans, & tam vehemens, ut secum trahat remissionem peccatorum; alioqui nunquam peccator posset credere, aut sperare, aut timore concuti salutari. Sufficit si fuerit actualis aliqua, sed tenens ordinem, id est non directa ad fruendum bonis commutabilibus, cupiditas boni. Merito ergo damnatæ fuerunt omnes propositiones Quenelli, quoniam asseruit prop. 28. *Primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse remissionem peccatorum:* prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante necesse esse, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Ex quibus sequitur peccatorem nullum, priusquam ei remittantur peccata, posse exercere virtutem: quod impium est, hæreticum, & blasphemum.

8. Solutio. Ad singula tamen respondemus, dicentes fidem operari sine charitate, quæ dat remissionem peccatorum, quam solam charitatem novi Dogmatistæ agnoverunt: operari tamen per dilectionem, & amorem inchoatum, quando est justificationis initium, & cætera impetrat, quibus ad æternam vitam per-

perducimur. Quod si ab omni prorsus dilectione, & pio affectu divulsa sit; erit quidem fidei *habitus*, & per se bona mentis qualitas; sed hoc *habitu* nemo bene utetur ad beatitudinem capessendam, non deficientia fidei, sed dilectionis, sive inspirationis charitatis, aut gratiæ actualis, per quam fidem operari scribit Apostolus ad Galatas v. 6. & Augustinus de Gratia, & lib. arb. cap. 7. Ad 2. dicimus non charitatem solam, sed etiam spem, timorem Domini, cæterasque virtutes facere actiones Christianas, cum sint omnes *habitus*, ac bonæ affectiones animi, ac propriarum operationum principia: sed ut hujusmodi operationes veram virtutem redoleant, id est, rectæ sint non solum officio, verum etiam fine, & coronam, ac remunerationem promereantur, necesse est, ad finem ultimum tendant, & auxiliatricem habeant charitatem, non *habitualem*, quæ non est sine remissione peccatorum, & quæ necessaria tantum est ad perfectam unionem cum Christo, qualem novi hæretici perperam ad omne opus bonum requirunt, sed actualem, inchoatam, sive gratiam sanctæ inspirationis, sine qua nihil fieri posse, quod ad pietatem pertineat, veramque justitiam, decretum est Augustini de Gratia Christi cap. 26. Ad 3. asserimus, spem pariter cum merito futuræ beatitudinis conjunctam, ex sententia Augustini cap. 8. Enchiridii, sine amore non esse: sed non ad sensum Quenelli; nam ut actus spei non sit à virtute divulsus, sufficit si procedat à recto impulsu voluntatis in bonum: nemo quippe sperare potest, nisi amet bona illa, quæ sperat. Ad ultimum respondeo nullam aliam esse causam timoris, nisi amorem; nam timemus mala, quoniam nos ab aliquo bono divellunt: unde Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. art. 3. *Timor*, inquit, *ex amore nascitur*. Vel ergo timemus, quod amore hæreamus mundo, temporali vitæ, fluxisque voluptatibus, & hic est timor mundanus proculdubio vitiosus: vel timemus sempiternam pœnam, quoniam nobis timorem incutit summa Dei potestas, & vindex justitia; & est timor servilis, substantiâ quidem bonus, cum sit donum Dei, & à malo coerceat, sternatque viam dilectioni, sed nondum habet perfectionem virtutis, non defectu hujus timoris, sed timentis. Præterea damnata est 67. propositio Quenelliana; *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Timor enim qui virtus est, oritur ex consideratione incorruptæ justitiæ, ac supremi imperii illius Dei, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam; quæ consideratio non est absque implicito amore justitiæ, & reverentia Divinæ majestatis, licet non sit cum actu explicito charitatis. Vel denique timemus propter horrorem culpæ; atque timor iste filialis appellatus, propterea quod filiorum est timere offensam patris, est rectus, castus, atque in serie virtutum constituendus; sed oritur ex ordinata dilectione, & ex amore honestatis.

Posset quis opponere sententiam illo- 9.
rum, qui constituunt naturam virtutis Objectio 2.
in recto ordine amoris adversari decretis Alexandri VIII. & cohærere propositionibus anno 1690. ab eodem confixis. In septima enim: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, id est mala;* proscribitur etiam eorum opinio, qui non virtutem, sed vitium esse contendunt quidquid ex amore, & dilectione Dei non procedit. In nona vero propositione: *Revera, peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu*, latere videtur eadem opinio, quod absque dilectione peccatorum detestatio nequaquam habeat decorem, atque honestatem virtutis. Idem de propositione x. xi. xii. ac xiii. est asserendum; istiusmodi enim propositiones continent pravam doctrinam illorum, qui negarunt virtutem esse Christianam fidem, quæ per dilectionem non operatur, deficere ipsam fidem deficiente amore, neque carere vitio, quod caret amore ipso: quæ omnia tam videntur assertioni nostræ similia, quam simile est ovum ovo.

Sed hæc iisdem responsionibus di- 10.
luuntur; non enim à nobis denegantur Soluitur.
alii virtutum *habitus* à charitate distincti, cujusmodi est fides, spes, timor; neque recensetur inter vitia, aut detestatio peccatorum excitata ex illorum turpitudine, aut bonum opus patratum intuitu mercedis æternæ, aut fides, quæ à charitate disjungitur; quemadmodum autumabant illarum propositionum assertores: sed cum hæc omnia virtutum *habitus*, & in se inspecta esse bona profiteamur contendimus habere à charitate, & ab amore virtutis formam, ac perfectionem; quamquam iis *habitibus*, ac virtutibus recte utamur, etiam destituti charitate *habituali*, dummodo aliquo amore dirigantur in Deum ultimum

finem, aut saltem conformentur communi, & incommutabili regulæ rectitudinis. Septima ergo propositio ab Alexandro VIII. proscripta surculus est Bajani articuli 38. ut animadvertit etiam Dominicus Viva in Trutina damnatarum thesium Volumine III. pag. 98. & merito damnata est, quoniam multa opera deliberata recte fiunt absque charitate *habituali*, & sine gratia Spiritus sancti inhabitantis; multa etiam spectato officio, & secundum operis substantiam recta sunt, neque à noxia cupiditate proficiscuntur, etsi virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum est præcedenti volumine pag. 390. & 415. ex quo nempe recto ordine relationis sint destituta. At propositio IX. non tantum ob hanc rationem proscripta est, verum etiam quia adstruere videtur peccatum philosophicum, eadem Alex. VIII. constitutione damnatum, de quo proximo cap. 9. quamquam etiam in hoc falsa est, quod supponit detestationem peccati ob ejus turpitudinem non exoriri ex amore honestatis, quem rectum esse, & ad virtutem constituendam idoneum non denego, servatis tamen iis, quæ de virtutis norma differui eodem volumine pag. 393. & p. 401. Ita qui intuitu cælestis beatitudinis operatur, tenet amoris ordinem, quoniam æternam vitam diligere directum est: neque admittitur à nobis necessarius ille amor purus, quem nonnulli adstruere conati sunt, proximo libro refutandi. Cæteræ propositiones merito fuerunt damnatæ, cum rejiciant apertissime doctrinam Catholicam, quod etiam sine charitate permaneant *habitus* fidei, aliarumque virtutum, & harum actus ex se labefactatos vitio pronuntient; cum recti sint juxta doctrinam alibi expositam.

CAPUT V.

In quo rationalis Creaturæ actu constituenda sit æterna felicitas, quæ est merces, ac præmium virtutis.

SUMMARIUM.

1. Non datur vera in hac temporali vita Beatitudo.
2. Sanitas, pulchritudo, & voluptas non constituunt beatitudinem.
3. Nec divitiæ, fama, nobilitas.
4. Nec in virtute, & sapientia.
5. Variæ aliæ opiniones circa Beatitudinem.
6. 7. 8. & 9. Propositio 1. Probatur variè.
10. Propositio 2. Probatur.
11. & 12. Solutio objectionum.

INDUBITATUM est virtutis, de qua capite præcedenti differui, condignam mercedem esse perfrui summo, & incommutabili bono. Explosa est enim, atque à fidelium mente prorsus eliminata quælibet opinio antiquorum hominis felicitatem in aliqua fluxi boni participatione constituentium. De quo errore, cum satis multa differant Philosophi in ea parte, quam Ethicen vocant, perpauca subjiciam loco prænotationis ad propositam disquisitionem.

1. Non datur vera in hac temporali vita beatitudo.

Nullus itaque ratione præditus statuet veram in hac temporali vita beatitudinem. Enimvero quemadmodum ratiocinatur magnus Augustinus in XIV. de Civ. Dei cap. 25. in facultate hominis positum minime est vivere quamdiu, & quomodo ipsi libuerit; nam anni nostri sicut aranea meditabuntur: vix erit, qui integra valetudine attingat annum septuagesimum; & si numerentur in robustioribus anni octoginta, amplius eorum labor, & dolor. Legito Psalmum Davidis LXXXIX. 10. Aut ergo qui moritur vult vivere, & moriendo nequit habere quod vellet; aut mavult mori, ut melius vivat post mortem, & hac vita tanquam meliori bono non fruitur. *Nunc vero* (inquit S. Pater) *quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit, ut vult, qui non vivit quamdiu vult? Quod si mori voluerit, quomodo potest, ut vult vivere, qui non vult vivere, etsi ideo mori velit, non quo nolit vivere, sed ut post mortem melius possit vivere?*

2. Sanitas, pulchritudo, & voluptas non constituunt beatitudinem.

Facile pariter demonstrare possumus non consistere beatitatem in bonis corporis, quæ tria recenseri solent, sanitas pulchritudo, & voluptas. Enimvero hæc, quomodo bona reliqua mutabilia, possunt amitti; ideoque necessum est, ut cum timore possideantur: *Qui timet* (ait S. Doctor lib. de Beata Vit. num XI.) *videturne tibi beatus esse? Non videtur. Ergo quod amat quisque, si amittere potest, potestne non timere? Non potest. Amitti autem possunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat, & possidet, potest ullo*

ullo modo beatus esse. Accedit eum qui beatus est, meliorem utique esse, quam dum est miser; fieri autem non potest, ut res deterior, cujusmodi sunt bona corporis, rationalem mentem reddere possint meliorem. Turpe præterea est felicitatem hominis collocare in corporis sanitate paucis annis, nobisque invitis, dilabescente: & in qua, sive sensuum acumen spectes, sive membrorum valetudinem, sæpenumero hominem bruta superant animalia. Hæc valent de vultus decore, & formæ venustate; ac multo magis de voluptaria vita, quibus pecoribus æquiparamur. *Membrorum certe amputatio, vel debilitas hominis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas sanitatem, vires lassitudo, mobilitatem torpor, aut tarditas. Ecquid horum est, quod nequeat in carnem sapientis irruere?* Verba sunt Augustini cap. 4. libri XVIII. de Civitate Dei.

3. Nec divitiæ, fama, nobilitas.

Idem dicendum est de bonis externis, quæ sunt divitiæ, fama, nobilitas. Nam divitiarum copia, præterquam quod & ipsa amitti potest, & possidetur cum magno angore animi, & excruciante solicitudine, explere non potest insatiabilem hominis cupiditatem. Quod si quis modum sibi statuat, & præsenti substantia contentus decenter perfruatur; id non rebus ipsis tribuendum esse, sed moderationi animorum, præclare animadvertit S. Pater libro de Beata vita numero paulo supra citato. Quapropter & Seneca Epist. 45. docet, *Beatum non eum esse, quem vulgus appellat; ad quem pecunia magna confluxit.* Compertum est etiam ex Romanis Historiis auro, & opibus florentissimam Rempublicam fuisse labefactatam, & nihil aliud esse divitias, quam cupiditatum incitamenta. Fama autem, & honores perperam Boni nomen sibi vindicant, quod ludibrio fortunæ sint expositæ, ut vel unum Sejani commonstrat exemplum; & aliena potius sint, quam nostra, cum Majorum fasces, & sceptra, tum aratra, & ligones.

4. Nec in virtute & sapientia.

Nec tamen cum Stoicis beatitatem in virtute, & sapientia constituendam esse arbitrabimur. Primo enim Stoicorum virtutes inflatas typho superbiæ nec virtutum laudes promereri liquet ex præcedenti capite quarto, & ex libris Augustini contra Julianum. Deinde nec sapientia humana, licet aliorum bonorum comparatione æstimabilis, bonum est perpetuum, atque jucundum. Nam ut Augustinus acute disputat laudato cap. IV. lib. XVIII. de Civ. Dei, quò recedit, si aliquo morbo efficiamur insani? *Phrænetici multa absurda cum dicunt, & faciunt, plerumque à bono suo proposito, & moribus aliena, imo suo bono proposito moribusque contraria, sive illa cogitemus, sive videamus, si digne consideremus, lacrymas tenere vix possumus, aut forte nec possumus.* Addit S. Pater exempla eorum, qui dæmonum patiuntur incursus: quod malum quis confidit evenire non posse in hac mortali vita sapientibus? Probat deinde quam miser censendus sit sapiens, dum corpus corruptibile aggravat animam, & sensum multa cogitantem deprimit terrena habitatio, ob motus, quibus pervertitur sensus, sopitur ratio, aut saltem habet virtus cum vitio continuum, acerbissimumque conflictum. Quod late confirmat per omnia genera virtutum discurrens. Nec prætermittendum est, quod S. Pater probat serm. CLI. de verbis Ap. cap. 8. omnem virtutem, ac sapientiam nobis donari à summo Deo, in quem oportet vehementius homo inardescat, fontemque quærat, quo magis dulces veritatis rivulos in hac vita degustat. Atque ex his constat nullam aliam esse hominis beatitudinem, nisi consecutionem summi, & incommutabilis boni: quæ doctrina, ut in fine ejusdem sermonis ait præclarissimus Doctor, *Non plane conferenda, sed incomparabiliter præferenda est doctrinis philosophorum, immunditiæ Epicureorum, superbiæ Stoicorum.*

5. Variæ aliæ opiniones circa beatitudinem.

His itaque prænotatis, inquirunt Theologi, in quo sita sit hæc summi boni possessio, quam dicimus veram hominis beatitatem, virtutisque mercedem. Prætermitto autem opinionem aliquorum illam constituentium in actione aliqua increata, intimoque illapsu divinitatis, non quod falsa sit undequaque, sed quia videtur potius considerare beatitudinem ratione objecti, quam rationalis creaturæ ea perenniter perfruentis. Quare in eam stylum acuunt præclari Theologi Ægidius noster Lusitanus lib. IV. de Beatit. &, ne singulos commemorem, Nicolaus L'Herminier Tom. V. pag. 20. & seq. Verum validior, qua impugnatur, est ratio à nobis brevissime exposita. Thomistæ ergo docent constituendam beatitudinem in actu intellectus, Scotistæ in actu voluntatis, complures alii in utroque, quidam in gaudio, ac delectatione actus hujusmodi consequente. Sed gaudium nihil aliud esse puto, quam affectionem quamdam amoris: nam si amor in bonum, quod abest, feratur, dicitur desi-de-

siderium, si in bonum, quod possimus assequi, spes; si in bonum, quo jam fruamur, gaudium, & delectatio: & ideo accedit hæc opinio postrema ad Scoti sententiam. In quam lubentius me trahi sentio, ratus nullam hinc oriri à nostratibus discrepantiam. Nam Paludanus in IV. dist. 49. q. 3. art. 2. Thomistarum sententiam propugnat, Gerardus Senensis in I. dist. I. ad Scotistas accedit, & in utroque actu consistere beatitatem censent Romanus Ægidius Quod. III. q. 23. Lusitanus citato libro IV. q. XII. & Argentinas in IV. Sent. dist. XLIX. q. 3. Concl. III. & IV. Ex quorum omnium placitis lubet proximas positiones conflare.

6. Propositio I. tam intellectus, quam voluntatis constituenda est perfectio Beatitudinis.

PROPOSITIO I. In utroque actu

Probatur I. ex Scriptura.

Debemus quippe de Beatitudine judicium illud proferre, quod sacræ literæ, Traditio Patrum, & ratio ipsa pronuntiandum esse declarant. Sacræ autem literæ, Patres, rationisque lumen ostendunt, tam in visione summi veri, quam in amore summi boni consistere animorum perpetuam beatitatem: in utroque igitur actu constituendam recte à nobis pronuntiatum est. Probatur minor primo quantum ad literas Divinas attinet. Apertæ namque videntur loca, quæ ad sententiæ suæ fulcimentum proferunt docti Thomistæ, eorumque signa sequentes. Ea sunt: Psal. XVI. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua:* Psal. LXXIX. 20. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Matth. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Joan. XVII. 3. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti JEsum Christum* Et Epist. I. cap. III. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus.* Sed non minus perspicua sunt, quæ pro sententia Scotistarum in medium adducuntur; cujus generis sunt ista: Ps. XXXV. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Matth. XXV. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Joan. XVI. 22. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ep. ad Rom. XIV. 17. *Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*

7. Probatur 2. ex Patribus.

Præterea stant pro sententia Thomistica Patrum testimonia; ait enim Ambrosius lib. IV. de Officiis cap. 2. *Scriptura Divina vitam æternam in cognitione posuit divinitatis.* Chrysostomus Hom. 81. in Joannem: *Omnis requies est filium Dei videre.* S. P. Augustinus lib. de Trinit. num. 28. *Ipsa visio est facie ad faciem, quæ summum præmium promittitur justis.* Lib. de Spir. & lit. cap. XXXIII. *Illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium.* Sed stant pro sententia Scoti loca pariter exquisita. Nam S. Pater lib. X. Confess. cap. 22. ait: *Et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non est altera.* Et cap. proximo: *Beata quippe vita est gaudium de veritate.* In I. de Doctrina Christ. cap. 29. *Deo perfrui beate vivere est;* & XIV. de Civit. Dei cap. 25. *Beata quippe vita si non amatur, non habetur: porro si amatur, & habetur.* Ambrosius autem citato loco præter cognitionem divinitatis ad beatitudinem requirit etiam fructum operationis: & potius describit duo, quæ ad æternam vitam perducunt, fidem, & opera, quam vitam ipsam æternam, inferens hanc sitam esse in perfectione virtutis. Quæ sane perfectio est amor, per quem fruimur summo bono; ideoque Ambrosius etiam in amore locat beatitudinem. Et Chrysostomus hom. 46. in Matth. aperte docet voluntatem à Deo remunerari *sempiterna delectatione.*

8. Probatur 3. ex aliis.

Itaque cum Scripturæ, tum Patres utramque simul sententiam comprobant, Thomistarum, & Scotistarum; neque utra verior sit, laborandum est operosa inquisitione, sed firmiter est asserendum beatitatem utrumque complecti. Ita docent aliis in locis Patres. Nam Ambrosius in libro de Jacob, & Beata vita cap. VII. num. 32. inquit: *Hoc solum in existimatione beatæ vitæ est requirendum, ut non in aliis, sed in possessione veri, & boni ejus definitio teneatur.* D. Bernardus Ep. 18. *Quia non possumus* (inquit) *contemplari per speciem, nec plene complecti per amorem, dedit nobis interim & sapere per fidem, & quærere per desiderium. Si enim adhuc absentes initiat fides, & desiderium; præsentes profecto consummat visio, & amor.* S. Thomas de Villanova Concione de S. Maria Magdalena ait: *Felicitas enim, & beatitudo nostra, aut in utroque, visione scilicet, & amore Dei consistit, aut saltem utrumque ad complementum perfectæ beatitudinis necessarium est.* Hugo Victorinus laudatus ab Ægidio nostro Lusitano: *In his* (ait) *beatitudo consistit, cognoscere, & amare bonum;* pro qua sententia Ægidius ipse laudat antiquiores Scholasticos singillatim, articulo I. citatæ Quæstionis XI. Atque hoc idem memoratus Ægidius, aliique Theologi de-

demonſtrare nituntur ex definitione Benedicti XII. & ex Clementina, *Ad noſtrum.* Benedictus enim definiens Sanctorum animas Deum videre, eoque perenniter frui addit, *quod ex tali viſione, & fruitione ſunt vere beatæ:* & in Clementina ſtatuitur, *Animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoque beate perfruendum.* Quamquam nulla alia mens fuit Romanorum Antiſtitum, quam priori Conſtitutione damnare errorem Millenariorum, altera autem Beguardorum. Ideoque ad dirimendam Scholaſticam de natura beatitatis quæſtionem parum hæ videntur idoneæ.

9. Probatur 4. ratione. Accedunt autem ſententiæ noſtræ deprompta à ratione argumenta. Cum enim rationalis creatura prædita ſit facultate intelligendi, & volendi, & in Deo ſummi veri, ſummique boni, in quod fertur utraque illa facultas, reperiatur plenitudo; ſit autem beatitas perfecta rationalis creaturæ ſatietas, plenaque finis ſui conſecutio; neceſſum eſt, ut ajebat Ambroſius, teneri in poſſeſſione veri, & boni beatitudinis definitionem. Deinde liberum arbitrium, ac meritum utraque rationalis animæ facultate comparatur; & conſequenter in utraque præmium meritorum videtur conſtituendum. Præterea ita connectuntur viſio, & amor, ut nequeant ab invicem in patria divelli, & ſi unum eſſet ſine alio, tolleretur penitus beatitudo: *Quoniam qui videt ſolum, non fruitur optimo quod videt: & qui diligit duntaxat, non quietatur, donec lucide videat, quod tam ardenter amat;* inquit S. Thomas Archiepiſcopus Valentinus laudato ſermone. Utrumque igitur per ſe ad conſtituendam beatitudinem proculdubio requiritur.

10. Propoſitio 2. Probatur. PROPOSITIO II. Etiamſi beatitudo ex viſione, & amore Dei coaleſcat, perfectior tamen actus, quo potiſſimum Deo fruimur, eſt amor.

Hæc propoſitio facile demonſtratur ex dictis, novaque ſtabilitur argumentationum acceſſione. Principio enim diximus cum Auguſtino beatam vitam eſſe perfrui Deo, id non haberi niſi amando, bonum incommutabile illud eſſe, quod unice poteſt deſiderium humanæ mentis explere. Quis autem ignorat perfrui, amare, & bono adhærere, animi diligentis opus eſſe? Deinde cognitio nihil aliud eſt, quam boni notitia per ſe ad excitandum amorem ordinata; ideoque eſt aliquid ad fruitionem præcedens, quoniam voluntas nequit diligere incognita, & conditio potius prævia, & ſummum bonum proponens, quam ipſius boni poſſeſſio. Ad hæc: cum in via extet fides, & charitas, etſi fides neceſſaria ſit ad vitam ſpiritualem animarum, quoniam juſtus ex fide vivit, non eſt tamen ipſa vita, & ſanctitas animæ, ſed in amore hæc potiſſimum ſita eſt, & per dilectionem Deus in nobis habitat, ut Divina teſtantur eloquia. Ita ergo in Patria eſt viſio ad faciem, & conſummatus, ut vocant, amor, & licet viſio ad vitam ſempiternam prærequiratur, conſtituit hanc vitam ille amor, & charitas. Expreſſe inſuper traditur hæc ſententia à D. Patre Auguſtino in 1. de libero arbitrio cap. XIII. ubi ait: *Atqui hoc ipſum gaudium, quod hujus boni adeptione gignitur, cum tranquille, quiete, atque conſtanter erigit animum, beata vita dicitur, niſi tu putes aliud eſſe beate vivere, quam veris bonis, certisque gaudere.* Mitto loca ſuperius pro ſententia Scoti producta. Poſtremo falluntur Thomiſtæ dum putant viſionem eſſe actum rationalis animæ perfectiorem: nam argumenta quamplura evincunt amorem eſſe eidem viſioni præponendum. Primum autem argumentum eſt, quod in donis Dei *nullum majus eſt charitate,* quomodo Auguſtinus docet lib. xv. de Trinit. cap. 19. liquet ex Apoſtolo in 1. ad Corinth. cap. XIII. & demonſtratur ex præcedenti cap. ubi diximus amorem eſſe formam omnium plane virtutum. Alterum eſt, quod viſio ordinatur ad amorem, ut ſcribit Anſelmus lib. *Cur Deus homo* cap. 3. *Perverſus ordo eſt amare ad intelligendum, rectiſſimus vero intelligere ad amandum.* Proximum eſt argumentum S. Thomæ de Villanova Conc. ſuperius laudata; nam ſi de abſoluta potentia Dei viſio, & fruitio beatifica ſeparentur ab invicem, ita ut unus videat Deum, nec tamen diligat, alius autem diligat quidem, ſed non videat, cognoſcat autem, quia amor non poteſt ferri in incognitum; licet neuter illorum perfecte beatus ſit, *Ego ſi mihi daretur optio* (inquit ſanctiſſimus Archiepiſcopus) *potius eligerem amare non videndo, quam videre non amando. Quid enim ſi videro, & non amavero? Per hoc nec Deo gratus aut amicus exiſto. Eſt enim gratia charitas, aut non ſine charitate. Si autem amo, etiamſi non videam, Dei amicus ſum.* Affines ſunt argumentationes Scotiſtarum, atque ea præſertim palmaris & obvia: Pejus eſt odiſſe Deum, quam Deum ignorare. Ergo melius eſt diligere Deum, quam Deum videre.

Argumentum Thomiſtarum.

11. Solutiones.

Respondemus itaque argumentis Thomistarum priori propositione productis, neminem denegare, quin ex contemplatione divinitatis, atque intuitiva visione satietur rationalis animæ desiderium, & promanet gaudium perennis felicitatis, ut evincunt locupletissima testimonia sacrarum literarum, ac Patrum: sed ideo istud evenit, quod clara Dei visio totum amoris pondus attrahit in summum bonum, & istud voluntas arripit, complectitur, & perpetua fruitione comprehendit. Visio itaque beatitudinis causa efficiens est, non *formalis;* quemadmodum notitia desiderium parit, fides justitiam, intuitus amorem. Neque alium habere sensum allatos textus, vel sola lectio commonstrat. Quid est enim, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua, Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est,* & alia id genus plura? nisi forte, Orietur ex apparitione satietas, & ex visione similitudo? Illud vero, quod Joannes ait, *Hæc est vita æterna, &c.* aut de fide in Deum & Christum accipitur, aut de contemplatione beatorum; utrumque enim sensum exhibent nobis cum verba ipsa, tum Patres. Ut ergo usurpatis his verbis de fide nihil aliud significatur, nisi quod credere divinarum Personarum Trinitatem, & Verbi Incarnationem est fides illa vera, per quam ad æternam vitam perducimur: ita si accipiantur de beatarum animarum contemplatione, demonstrant duntaxat, quod videre Deum facie ad faciem est illa summa cognitio, unde consequitur beatitudo, amor scilicet, & gaudium perenne. Atque eadem ratione expedientur sententiæ Patrum adminiculo, præsidioque cæterarum, quarum supra nonnullas produximus.

12. Instantiæ cum Solutionibus.

Si autem institerint Thomistæ contendentes intellectionem esse opus rationalium præstantissimum, nos contra affirmabimus nobiliorem esse charitatem, & amorem, quamvis ex ipsa intellectione dirigatur, ut cor præstat oculis, fideique dilectio. Si denique asserant per cognitionem fieri objectum præsens, ac possideri; respondebimus fieri præsens præsentia *objectiva*, non *fruitiva*, nec possideri in ratione boni, sed in ratione veri tantummodo. Præsentia vero objectiva per se gaudium felicitatemque non affert; imo parit aliquando anxietatem, animique mœrorem. At gaudium, inquis, ab ipso amore distinguitur? Ab amore utentis, concedo: ab amore fruentis, nego. Sæpe enim dictum est duos amoris dari actus uti, & frui: *Nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quomodo diligat*, ait S. Pater in 1. de Doctrina Christiana cap. 31.

CAPUT VI.

Quid sit peccatum, quid peccati nequitia, quid peccati macula?

SUMMARIUM.

1. Quomodo vitium, & peccatum definiendum.
2. Definitio peccati ex perverso ordine dilectionis.
3. An nequitia & inhonestas peccati sit quid positivum.
4. Probatur consistere in positivo.
5. Probatur, nequitiam peccati consistere in privatione
6. usque ad 12. Solutio Objectionum.
13. Quid sit peccati macula.
14. Labem peccati esse privationem decoris animæ comparatione deducitur.

1. Quomodo vitium & peccatum definiendum.

A VIRTUTE ad vitium disputatio nostra progreditur, non quidem ad illud, quod est defectus naturæ, vel artis, cujusmodi est deformitas corporis, vel ædificii, sed ad illud, quod est pravitas animi, & officiorum humanorum turpitudo: & quod vulgari sermone appellatur Peccatum. Vitium tamen frequentioris sermonis consuetudine, non pro solo peccati actu, sed pro peccandi habitu, veterique instituto usurpamus. Quærentibus itaque quid peccatum sit, repeto non semel explicata, extare in nobis à creatore inditam, & immutabilem regulam æquitatis, à qua voluntas humana deflectendo vitiosa redditur ac perversa, dum ea facit, quæ æquissima illa ratio condemnat, aut omittit, quæ docet esse complenda: nec non voluntatem suos actus exerere, aut imperare sive utendo, sive fruendo. Ex his puto manifestam esse definitionem vitii, & peccati. Vel enim illud describere volumus comparate ad legem communem æquitatis ac rectitudinis, vel ad ipsam voluntatis inordinate diligentis nequitiam & pravitatem. Si regulam illam, rationemque spectemus; liquet optimam esse definitionem peccati traditam ab Augustino lib. 1. de duabus Animabus cap. XI. *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod Justitia vetat, & unde liberum est abstinere:*

vel

vel alteram lib. XXII. contra Faustum cap. 27. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra æternam Dei legem.* In quarum definitionum primâ exprimitur sola voluntas, quoniam hæc tantum actus liberos elicit, aut imperat: in altera etiam opera commemorantur, sed quæ nonnisi à voluntate peccati mutuantur nequitiam. Quomodo autem tenendæ sint allatæ definitiones circa originale peccatum, dictum in libro de Hæresi Calviniana, nec non in altero de ipso peccato originali. Nec aliam circa has peccati definitiones arbitror supereſſe difficultatem. Nam quod opponunt non quadrare illas peccato omissionis, cassum nimis est, & pertenue: ad unum quippe genus pertinere affirmationes & negationes, antiquum est vulgatumque pronuntiatum Dialecticorum.

2. Definitio peccati ex perverso ordine dilectionis.

Definitio peccati deprompta ex perverso ordine dilectionis, talis esse potest: *Peccatum est inordinatio amoris, quo avertimur à bono incommutabili, & convertimur ad bona commutabilia, sive, est perversio voluntatis, quæ utitur fruendis, & fruitur utendis.* Atque hanc definitionem traditam pariter ab Augustino constat ex superiori capite quarto. Et quæcunque ibidem de natura virtutis differui, has vitii descriptiones luculenter confirmant: quoniam virtutum, & vitiorum debemus oppositas constituere rationes, & si illas perficit ordo amoris, hæc sita profecto erunt in ejusdem amoris perversitate.

3. An nequitia, & inhonestas peccati sit quid positivum.

Quantum vero ad Peccati nequitiam & inhonestatem, quam malitiam appellitant, licet sit malitia certi vitii nomen, id est, calliditatis vel fraudis, non virtuti contraria vitiositas, ut scribit Tullius in Tusculanis; sophistice magis, quam Theologice inquirunt an positivum sit aliquid, an privativum. Et qui priorem sententiam propugnant eam nituntur stabilire sequentibus argumentis. Principio, inquiunt, traditæ nuper peccatorum definitiones hanc opinionem communiunt. Voluntas enim, ejusque motus deliberatus erga aliquid æterna lege prohibitum, nihil profecto non sunt. Si ergo peccatum est prava voluntas, & inordinatus amoris cum deliberatione impetus, aliquid erit, non privatio duntaxat. Multo magis ad essendi naturam accedunt quæ aut dicuntur, aut fiunt, aut desiderantur adversus æternam Dei legem: ideoque si peccatum est aliquid *factum*, &c. sua natura, atque *entitate* non caret. Similiter nonne positivum aliquid exprimit definitio

Probatur esse quid positivum.

postrema, qua diximus nihil aliud esse peccati perversitatem, nisi frui utendis, & converti ad bona commutabilia? Itaque videtur dictis cohærere opinio illorum, qui culpæ pravitatem *in positivo* constituunt.

4. Probatur 2.

Proferuntur pro hac assertione argumenta alia à ratione petita: Quarum primum est: Dantur duo vitia eidem virtuti opposita. At opponi nequeunt ob privationem, quoniam uni, ut inquiunt, formæ nonnisi una privatio respondet. Opponuntur itaque per *entitatem* aliquam ipsorum vitiorum pravitates constituentem. Sequitur argumentum alterum: Sunt peccata quædam per se mala, ut odium Dei, mendacium, blasphemia. Horum autem peccatorum nequitia non desumitur ex aliqua deficientia à lege malum prohibente, quia suapte natura, & præcisa quacunque lege sunt flagitiosa: neque à privatione rectitudinis, quia privatio non datur nisi in subjecto recipiendi *formam* privationi contrariam capaci; qua capacitate liquet hujusmodi peccata carere. Ista igitur consistere nequeunt in sola privatione & defectu. Proximum est argumentum ex absurdis à contraria sententia fluentibus. In illa quippe nihil erit peccatum, nihilum remittet Sacerdos, pro nihilo damnabitur transgressor legis, in nihilo peccatum commissionis discrepabit à peccato omissionis. Postrema argumentatio sit: Unum peccatum est gravius altero. Nulla privatio altera privatione gravior est. Nullum ergo peccatum est privatio.

5. Probatur nequitiam peccati consistere in privatione.

Longe tamen probabilior est eorum sententia, qui peccatorum nequitiam in privatione constituendam esse contendunt. Pro hac enim sententia faciunt argumenta omnia, quæ vel ab auctoritate, vel à ratione mutuatus sum differens de natura mali adversus Manichæos lib. I. cap. 8. Non arbitror ea repetere necessarium. Huc pariter collineant, quæ scripsi libro XVIII. cap. 3. de vitiorum origine: ubi ex Augustino demonstravi idcirco fruitionem mutabilium bonorum & deliberatum quodcunque malum opus esse peccatum, quoniam deflectit ab æterna lege æquitatis cordi singulorum inscripta. In his ergo duobus locis invenies argumenta hujus assertionis præcipua. Quibus accedit testimonium Augustini Tract. I. in Joannem scribentis: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim multi male intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse*

nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Atque missa interim hac ingeniosa expositione Augustini, inde depromo validissimum ratiocinium. Si enim omnia per ipsum facta sunt: per ipsum autem non est facta nequitia ac turpitudo peccati; consequens est nequitiam istam non comprehendi rerum omnium universitate, & nihilum esse reputandam. Superioribus ergo argumentis, atque his perpaucis redditur postrema sententia validior.

6. Notandum pro Solutionibus de complexè & incomplexè significabilibus.

Ut facile solvas allata in oppositum argumenta, memineris quæ scripsimus IX. libro cap. 2. & 5. distinguenda esse in enunciationibus ea, quæ *incomplexe* significabilia sunt ab iis, quæ significari tantum valent *complexe*. Quidquid igitur significabile est *incomplexe*, uno scilicet propositionis vocabulo etiam ab aliis sejuncto, est res aliqua, ut si dixeris, *Deus est substantia*, Deus res est, quoniam hoc nomen *Deus* incomplexe significat rem, id est, divinitatem. At si dixeris, *Relatio illud est, quo Pater refertur ad Filium;* relatio non est *entitas* aliqua à Patre, vel à Filio distincta, quoniam significari non potest nisi *complexe*, id est Patris Filiique vocabulis. Peccatum igitur definiamus cum Augustino aut *Factum, dictum, vel concupitum contra Dei legem*, aut *Conversio ad bonum fluxum & commutabile*, aut quomodocunque illud definire lubeat; non adinvenies in aliqua ex iis definitionibus vocabulum unum, quod *incomplexe* acceptum, id est solitarie ac ab aliis divulsum, valeat designare peccatum: ideoque peccatum est *complexe* tantum significabile, & nihil.

7. Responsio ad 1.

Itaque respondemus ad primum argumentum recte traditas ab Augustino prædictas omnes definitiones, peccare enim est agere contra æternam Dei legem, sese ad creata bona convertere, frui utendis, & si quid est hujusmodi: at non sequitur peccatorum nequitiam esse aliquid *positivum*, cum nullo *incomplexe* definitionum illarum vocabulo possit significari. Ita si dixeris, *Qui claudicat altero pede nutat, nec recte incedit;* bene describis claudicationem per actum pedis nutantis, & non recte incedentis: nec tamen claudicationis deformitas est aliquid *positivum*, sed rectitudinis deficientia, quam designare termino *incomplexo* illius enunciationis non possumus.

8. Responsio ad 2.

Ad argumenta secundo loco proposita hoc habeto responsum. Potest eadem privatio in pluribus subjectis reperiri, ut carentia rectitudinis in virga ferrea, vel lignea: potest etiam illa privatio terminum oppositum connotare, ut si virga ferrea dextrorsum, lignea sinistrorsum flectatur. Hoc pacto dantur duo vitia eidem virtuti contraria, v. g. effusa prodigalitas, & parca tenacitas. Utraque enim à temperantia deflectit, hinc illa profundendo, istinc illa avidius restringendo, nec tamen illarum nequitia est aliquid, sed ut virgarum duarum curvitas, opposita à recta æquitate deflexio. Brevi dicam: Est eadem privatio *connotative* diversa. Ad alterum dico, mendacium, & Dei odium ideo esse intrinsece mala, quia suapte natura æternæ legi repugnant; & ex quo nequeant habere cum ipsa lege conformationem infertur tantum, quod sint semper, & essentialiter peccata. Sive autem appellaveris hujus conformationis defectum privationem, sive negationem, mea nihil refert. Quamquam scio respondere Scholasticos argumento Vasquesii, etiam mendacium, & odium Dei habere illam rectitudinis capacitatem, non quidem considerata secundum peculiarem rationem mendacii, vel odii, sed secundum communem, & universalem actus humani. Ad tertium primùm dico argumentum, si quid probat, concludere etiam de peccato omissionis, quod tametsi remittitur à Sacerdote Dei ministro, & plectitur punitione, consistat nihilominus sententia Adversariorum *in privativo*. Deinde respondeo nequitiam peccati remitti, ut tenebræ fugantur à sole, id est, lucem sanctificantis gratiæ diffundendo, non destruendo *entitatem* aliquam; & peccatorem puniri, non quia operatur, sed quia aut non operatur, aut male operatur, quomodo servus vapulat, dum jussa negligit, aut illa incommode exequitur. Præterea peccatum non *privationem* tantummodo importat, sed etiam maculam animæ, quæ, ut infra dicam, est privatio nitoris, ac pulchritudinis, sine qua merito à Deo repudiatur, atque contemnitur. Peccatum autem commissionis differt à peccato omissionis ratione actus: sed *materialis* differentia hæc est, ut Scholastici appellitant, non *formalis*. Denique una *privatio*, licet non sit major altera in se considerata, quia nihil est; est tamen major altera *connotative*, id est comparate ad bonum, cujus est privatio, sive ad regulam summæ æquitatis, à qua deflectit: unde ad postremum argumentum nego minorem.

Con-

9. Obiectio ex Augustino.

Contra allatum Augustini testimonium ex Tract. 1. in Joannem posset quis objicere. Protulit Augustinus eam sententiam: *Peccatum nihil est*, quod in 1. cap. Evang. Joannis legendum putaverit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* At frustra ex hoc loco Augustinus sententiam illam derivat. Primo quia Græci textus ubique habent: Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* II. Joannes Chrysostomus hom. IV. in Joannem scribit esse hæreticum, uti ea lectione, quam usurpat Augustinus: *Neque enim*, inquit, *cum dixerimus, sine ipso factum est nihil, id puncto notabimus, ut hæretici opinantur.* Addit ineptam esse hanc legendi rationem: *Nulla profecto ratione hæc intelligi potest oratio.* III. Cornelius à Lapide Comment. in cap. 1. Joann. recitata expositione Augustini ait: *Verum hoc subtilius est, quam solidius, ac coactius, quam germanius, teste S. Hieronymo in cap. 2. Michææ.* Plura autem Valla, Erasmus, & alii, qui communiter Augustinianam lectionem rejiciunt.

10. Solutio.

Resp. 1. Optimam, ac probandam esse interpretationem Augustini, posita ubivis interpunctione. Nam si omnia per verbum facta sunt, proculdubio peccatum, quod non est factum per Verbum, est nihil. Deinde respondeo frustra rejici Augustinianam lectionem Græci textus auctoritate. Nam in aliquibus Codicibus talis est distinctio, ᾧ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν. ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat.* Liquet ita legi apud Cyrillum Alex. cap. 5. & 6. in Joannem, & videtur interpunctio abrasa ad revincendum pravum sensum Macedonianorum. Isti enim in verbis Joannis hunc pravum, & contortum sensum contineri jactabant: *Sine ipso factum est nihil: & Spiritus sanctus, qui in ipso vita erat, factus est.* Recte itaque Chrysostomus scribit hæreticum esse Evangelica verba tali puncto notare, ut illud, *Quod factum est*, nonnisi Spiritui sancto conveniat. Addit quoque nulla ratione intelligi posse illam Macedonianorum orationem; & bene profecto. Sequitur enim directe ex hæreticorum istorum interpretatione non Verbum, sed Spiritum sanctum hominem factum. Etenim scribit Joannes v. 4. *Et vita erat lux hominum.* v. 9. *Erat lux vera*, & v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Si ergo de Spiritu sancto accipiendum esset: *Quod factum est in ipso vita erat*, ipse Spiritus esset lux vera, quæ in mundum venit. Nequit ergo in sensu Macedoniano orationis complexio intelligi, ut recte Chrysostomus. Hinc nonnulli freti ejus auctoritate scripsere interpunctionem ab hæreticis affictam; quod tamen valde incertum est. Diximus enim sanctum quoque Cyrillum Evangelica verba eodem puncto disjungere. Unde Zegerus, quem oppono Laurentio Vallæ, *Utraque distinctio*, inquit, *apud Orthodoxos reperitur Scriptores.* Erasmo opponam Brianum Waltonum laudantem in variis lection. Bibliorum verba Lucæ Brugensis: *Consulto, prudenterque usi sunt correctores Sixtini ambiguo hoc distinguendi modo, quo illud*, Quod factum est, *& præcedentibus jungi potest, & subsequentibus: eo quod diversi auctores diversimode distinguant, atque intelligant, Chrysostomus priori modo, Augustinus posteriori.*

11. Confirmatio solutionis.

Legens Hieronymi Commentaria in Michæam Cornelius à Lapide dormitavit. Ad hunc plane modum Hieronymus loquitur: *Scio me in cujusdam Commentariis legisse exponentis Joannis Evangelistæ principium, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, hoc quod dicitur, nihil, ad malitiam retulisse; rursumque ipsam malitiam interpretatum esse diabolum, & isto quasi gradu ipsum, quod factum est sine Christo, nihil, diabolum intellexisse. Si igitur malitia, & Diabolus nihil est, & fugerunt qui corruptione corrupti sunt; nullo, id est, nihil persequente, Diabolus eos est persecutus in nihil. Quod si cui videtur nimis coactum, & contra scripturæ simplicitatem artificio potius eloquii, quam vera interpretatione dissertum; vel priorem, vel quam ipse reperit expositionem sequatur.* Ex quibus constat interpretationem Augustini etiam antiquorum Commentariis esse probatam, à Hieronymo adhiberi, & commendari, non rejici; neque coactam absolute dici, sed relinqui arbitrio lectoris, si forte ipsi talis videatur, qualem Hieronymus non existimat. Quamquam si coactam, & nimis artificiosam ipse quoque putaret, id accipiendum esset non de nihilo peccati, sed de nihilo Diaboli; nam hunc esse *nihil* difficilius est intellectu, vel subobscurum saltem, atque involutum.

12. Instantia & Solutio.

Si dixeris Augustinum appellare peccatum *nihil* adversus Manichæos opinantes malum quamdam esse substantiam, & consequenter propugnari posse, quod saltem ut accidens; respondendum

dum est accidens quidem esse, & qualitatem substantiæ adventitiam, sed non *entitatem* illam parvam, quam vulgus Philosophorum invexit, sed malam perversamque animi affectionem ortam ex recti ordinis deficientia, cujusmodi est aeris tenebricosi obscuratio per lucis privationem inducta; ut late adversus Manichæos in primo libro differui.

13. Quid sit peccati macula.

Tandem videndum est quid sit peccati macula, permanensque in anima reatus, nam actu malo, & ab æquitate devio transeunte, insidet adhuc, donec expietur, labes, & culpa. Certum porro est maculam illam esse actum ipsum peccati, cum is, ut dicebam modo, prætereat, macula autem remaneat; neque esse *habitum*, sive inhærentem ad malum vehementem inclinationem, quoniam hæc repetitis actibus inducitur, culpæ autem macula uno tantum. Videtur etiam non esse privationem gratiæ tantummodo, cum hæc peccati sit pœna, atque eadem in peccatoribus omnibus mortaliter delinquentibus. Dum vero reatum dicimus, explicatur culpa tantum per comparationem ad pœnam, & ad justitiam punientem; ideoque reatus nomine non satis culpæ inquinamentum exprimitur. Esse peccati labem privationem decoris, nitorisque animæ, dictum paulo supra, & asseritur à D. Thoma 1. 2. q. 86. art. 1. sed nondum videtur rem assequi ingenii nostri tarditas & infirmitas.

14. Labem peccati esse privationem decoris animæ comparatione deducitur.

Brevi conabor tenebras discutere manifesta comparatione. Rectum teneo bacillum, sed flexile, cujus pulchritudo est rectissimum esse. Illud inflecto, ut à recto declinet; atque flexione ista quamdam contrahit deformitatem ipsi inhærentem, etiam dum flectentem manum retraxero. Possum illud facile ad priorem rectitudinem flexione oppositа revocare. Si tamen semel, atque iterum detorqueam, efficitur in bacillo pronitas quædam ad curvitatem, ut vix in rectum dirigi valeat, & si dirigatur, jam summa facilitate denuo contorquetur. In quo exemplo laboriosum non est deprehendere quale discrimen intersit inter flexionem manuum mearum, virgæ curvitatem, & facilem ad obliquum regressionem: flexio enim illa præteriens actus est; curvitas persistens in bacillo deformitas: illa denique facilitas vitium actibus repetitis productum.

Humana itaque voluntas potest ad bonum, atque ad malum à libero arbitrio inclinari. Ejus honestas, & decor est rectam esse, scilicet à lege æterna nullatenus detorqueri. Dum pravo motu liberi arbitrii avertitur à summo bono, & ad fluxa bona convertitur, contorta redditur, & difformis. Nequit ad formam, nitoremque pristinum reduci, nisi sancta dilectione recta iterum fiat, & aversa à bonis commutabilibus, conversa ad bonum incommutabile. Si tamen cupiditati obsequens frequenter à summa æquitate declinet fruendo utendis, & creatis bonis amore inhærendo, induit quamdam perversitatis proclivitatem, ut facile in nequitiam recidat postquam pio animi conatu iterum recta evaserat. Atque hæc Augustinianæ doctrinæ penitus cohærere, arbitror ex dictis manifestissimum. Motus ergo ille liberi arbitrii inclinans voluntatem ad malum, est actus peccati: deformitas permanens in voluntate, quoadusque iterum convertatur in summum bonum, est peccati macula, & labes: facilitas illa magna, & ad iniquitatem propensio est peccati *habitus*, sive peccandi consuetudo. Ita fit, ut prætereunte peccati actu persistat macula, & perseveret deleta macula *habitus*. Vide, quæ differuimus libro XIII. de peccato originali.

CAPUT VII.

Num dentur peccata natura sua venialia?

SUMMARIUM.

1. An detur peccatum sua natura veniale.
2. Unum peccatum est gravius altero contra Stoicos.
3. Sententia Calvini.
4. Peccatum duplici sensu veniale.
5. Propositio.
6. & 7. Probatur.
8. & 9. Responsio Hæreticorum cum solutione.
10. Probatur Propositio ultimò.
11. Usque 18. Solutio Objectionum

1. An detur peccatum sua natura veniale.

AVERSIONEM ab incommutabili bono spiritualis mors animæ, privatio sanctificantis gratiæ, sempiterni supplicii meritum, atque Dei consequitur inimicitia. Sicut enim gratia, vita, & Dei inhabitatio castum charitatis amorem, ita crimen, interitus, Deique odium comitatur deliberatum motum

tum voluptuosæ cupiditatis. Nam apud eum, qui Christum diligit, ipsum cum Patre manere, in eo autem qui diligit mundum, & quæ in mundo sunt, charitatem Patris non esse, diserte in priori Epistola cap. 2. & 3. declarat Joannes. Oritur hinc quæstio, num peccatum aliquod detur natura sua veniale: quoniam si omne peccatum pervertit amoris ordinem, videtur expellere charitatem, & trahere ad mortem, ideoque crimen esse mortiferum. Est itaque hæc non levis quæstio adversus hæreticos dirimenda.

2. Unum peccatum est gravius altero contra Stoicos,

Illud autem principio statuendum est dari aliquod inter peccata discrimen, & unum esse gravius altero. Paria utique peccata quæque fecerunt Stoici, ut scribit Cicero in Paradoxis, Stoicisque adhæsit Jovinianus; de quo S. P. Augustinus H. LXXXII. *Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto.* Sed hæreticum hominem refutat D. Hieronymus lib. II. his verbis. *Audebisne dicere, sic negasse Petrum & cæteros Apostolos, qui fugerunt, quomodo Caiphas, & Pharisæos, & clamantem populum, Crucifige, crucifige talem? Et ut de Apostolis taceam; ejusdemne tibi sceleris videbitur reus Annas, & Caiphas, & Judas proditor, cujus & Pilatus, qui nolens compulsus est contra Dominum ferre sententiam? Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis est: & quanto majoris criminis, tanto majoris & pœnæ. Potentes enim potenter tormenta patientur.* Joviniani argumenta petuntur ex æqualitate, quam improbe statuebat, retributionis, ac meritorum, & refutata à nobis sunt capite duodecimo libri III.

3. Sententia Calvini.

Major Hæreticorum recentiorum numerus ex perversa sententia, quod semel justificati ex gratia, & possessione Spiritus sancti nunquam possint excidere, & quamvis in mortalia peccata labantur, non tamen iram Dei sibi arcessere, in alteram impiissimam opinionem desciverunt, omnia peccata etiam justorum hominum esse natura sua damnabilia, & lethalia, quamvis Divina misericordia credentibus, ac prædestinatis non imputentur. Ita sentiunt Calvinus lib. 2. Instit. cap. 8. & lib. 3. cap. 4. & cum cæteris Calvinistis Vermilius, Beza, Marloratus; à quibus non videtur dissentire Lutherus serm. de Piscatura Petri, & expressius in articulo XXXII. Philippus tamen Melanchthon, etsi citetur pro hac sententia à Coccio, & aliis, saltem ut procedit ex eo principio, quòd renati dum ruunt in scelera non amittant gratiam, appellat errorem fanaticorum hominum, ut demonstrat in discussione Rivetiani Apologetici pag. 732. H. Grotius. Is vero cum hoc loco, tum in Comment. ad cap. 2. Jacobi, & in voto contra Examen Riveti prope finem, nec non in Annotatis ad Consult. Cassandri dari venialia peccata propugnat: nec dissentit Lambertus Danæus apud Fevardentium lib. XII. cap. 12. Theomachiæ. Quare nec Novatores omnes probant Hæresiarcharum suorum errorem.

4. Peccatum duplici sensu veniale.

Hoc etiam prænotandum est peccatum duplici sensu veniale appellari: primo quidem quatenus per pœnitentiam deletur, & veniam consequitur; atque hoc sensu certum est omnia peccata prædestinatorum, ac resipiscentium esse venialia, non quod ipsis minime imputentur, sed quia pœnitentibus condonantur. Altero sensu veniale peccatum dicitur, quod in se inspectum non promeretur Divinam omnem indignationem, neque sempiterno supplicio punitur: & in hoc sensu præsens quæstio agitatur, quam nemine Catholicorum dissentiente resolvam.

5. Propositio.

PROPOSITIO. Admittenda sunt peccata genere suo venialia.

Probatur 1.

Probatur Scripturarum, ac Patrum simul auctoritate. Quidam enim sunt quotidiani defectus, in quos Dei non dissoluta amicitia, justi frequentissimè prolabuntur. Hinc est, quod orant quotidie: *Dimitte nobis debita nostra*: & omnium ore Jacobus Apostolus cap. III. 2. ait, *In multis offendimus omnes*: atque in priori Ep. cap. 1. 8. Joannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* At peccata quotidiana, singulisque etiam justis communia, quibus Dei amicitia penitus non disrumpitur, levia & venialia sunt. Dari igitur venialia peccata ex sacris literis demonstratur. Atque hæc prior argumentatio Patrum auctoritati etiam innixa est. Etenim de quotidiana Justorum oratione ait Chrysostomus in Orat. de Divite & Lazaro: *Etiamsi justus quis sit, etiamsi millies sit justus, & ad summum pervenerit culmen, ut liberatus sit à peccato; non tamen quit ab omni nævo esse purus; etiamsi millies justus sit, homo est. Quis enim jactabit mundum omnino sibi esse cor? Quis gloriabitur ab omni culpa se esse immunem? Ideo jubemur in precatione dicere, Dimitte nobis debita nostra.* Augustinus pariter de

de Fide & operibus inquit: *Nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam proponeret in oratione, quam docuit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra.* Similia habet Cyprianus de Oratione, & de Opere & Eleemosina, Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. & PP. cæteri. Quare ex horum traditione Tridentina Synodus sess. VI. can. XI. definivit, quod: *licet in hac mortali vita quantumvis sancti & justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.* Vide & librum Augustini de Natura & Gratia cap. 35. & 36. unde deprompta est tota Tridentini Concilii circa veniale peccatum doctrina. Atque hoc loco S. Pater etiam verba Joannis appositè proferens de justis inquit: *Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* At de priori argumento satis.

6. Probatur 2. Alterum promitur ex Evangelio Matthæi, ubi cap. v. 22. legimus: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Capite autem VII. 3. proferuntur verba Christi, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ex quorum locorum primo liquet plura dari convitiorum genera, & uni temporale supplicium respondere, alteri sempiternum. Quod vero temporali duntaxat mulcta punitur ex ipsius reatus natura, proculdubio est per se veniale. Rectè Chrysostomus Homilia XVI. in Matth. *Eum, qui sine causa irascitur judicio condemnat, & idcirco dicit, Qui irascitur fratri suo sine causa. Eum vero, qui dixerit, Raca, reum pronunciat esse concilio. Sed adhuc ista non magna sunt; hujus enim sæculi sunt pœnæ. Quocirca eum, qui fratri Fatue dixisset, gehennæ ignibus deputat, modo certe primum gehennæ nomen commemorans.* Quod si petas cur dicentes fratri suo *Raca* ad consessum Judicum puniendi deferrentur? Dico, quod, tametsi vox illa levem & contemnendum hominem significet, ut alibi demonstravi; sedentes tamen ad Synedrium, legisque observationem affectantes illam proferentes vocem judicio damnabant; propterea quod Judicum IX. 4. *Recbim* appellentur viri inopes & vagi, quorum opera Abimelech LXX. fratres trucidavit. At si dixeris: Cur gehennæ deputatur qui fatuum dicit fratrem suum? Nonne crimen istud censendum est veniale, & pertenue? Eritne ergo quælibet culpa suppliciis æternis punienda? Respondeo in Evangelio sermonem fieri de iis, qui iram non cohibentes convitiis fovent inimicitias, ideoque spectato animo, & circumstantiis rerum, quod leve videtur, crimen fieri mortiferum. *Noli igitur adspicere* (inquit ibidem Chrysostomus) *quod unum hic verbum sit: sed quantum periculi habeat expende. An ignoras inimicitiarum tempore, incandescente ira, animoque prorsus ardente etiam minimum aliquid magnum videri? Tunc quippe & quod non valde injuriosum est, nimis tamen putatur oneroſum. Nam hæc ipsa parvula & homicidia sæpe pepererunt, & urbes crebro integras subruerunt.* Ex altero autem Matthæi loco satis constat dari peccata quæ festucis comparantur, & alia quæ trabi. Et eximius Ecclesiæ Doctor Hieronymus hujus argumenti demonstrat firmitatem, scribens in Comment. ad locum eundem: *De his loquitur, qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, & camelum glutientes.*

7. Probatur 3. Tertium argumentum petitur ex verbis Apostoli in 1. ad Corinth. cap. III. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit, &c.* Atqui aurum, argentum, & lapides pretiosos non solum Latini, verum etiam Græci PP. bona opera interpretantur, præsertim Chrysostomus, & Theodoretus laudati ab Estio Comment. in hunc Pauli locum, & Augustinus De Fide & Operibus cap. XVII. in Enchiridio cap. LXVIII. & in Ps. XXXVII. & LXXVIII. ut mittam vulgo citatum, sed apochryphum, aut saltem dubium Sermonem. CIV. alias XLI. de Tempore. Igitur fœnum, lignum, & stipula mala quidem opera, sed levia, & venialia commonstrant.

8. Responsio hæreticorum cum solutione. Vulgatæ huic apud Scholasticos argumentationi video posse versutos hæreticos respondere cum Erasmo super Paulum, coactam esse Augustini, & Magni Gregorii expositionem; nam Græci quemadmodum interpretantur aurum, argentum, & lapides pretiosos bona opera æternis præmiis coronanda, ita lignum, stipulam, & fœnum docent esse

esse mala opera punienda ignibus sempiternis. Corruit ergo petitum inde pro veniali culpa argumentum. Accedit quod Ambrosiaster interpretatur, lignum, fœnum, & stipulam doctrinas falsas, & errores hæreticorum, non utique inter peccata venialia connumerandos. Atque hæc magis videntur comprobare judicium Erasmi, quam illud confirment ipsius Erasmi animadversiones. Is enim, ut coactam priorem interpretationem demonstret, ait, quod plumbum minus est grave, quam aurum, & tamen æque atque aurum purgatur igni: Addit nemini persuasum, culmum esse leviorem fœno; & inepte in malorum ordine poni extremo loco quod minime malum est, cum in bonorum ordine quod optimum est primum obtineat locum.

9. Confirmatio solutionis.

At quamquam verum est per aurum, & argentum, pretiososque lapides bona opera designari, atque per lignum, fœnum, & stipulam opera mala, qua in re Græci, Latinique Patres consentiunt; attamen non mala quælibet, sed venialia postremis verbis denotari longe melius docuerunt Gregorius & Augustinus. Quis enim peccata mortifera nunquam per gehennam delenda minimis rebus, fœno scilicet, ac stipulæ comparabit? Deinde non super fundamentum Christi, sed *super arenam* ædificare fractores legis & lethalium criminum reos, constat ex cap. VII. 26. Matthæi. Præterea docet Apostolus, eum, qui superædificat lignum, fœnum, & stipulam, etiam si arserit opus ejus, salvum futurum esse, *sic tamen quasi per ignem.* Quis autem detrusis impiis in tartara, gravia illarum facinora crediderit igni purganda, ita ut salvi fiant? Nonne si hæc opinemur inconsulto probare videbimur damnata dogmata Origenis, ex quo fortassis acceperunt quidam Græcorum falsam illam expositionem? Tandem, *Ignis, de quo eo loco est locutus Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, & qui ædificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, & qui ædificat ligna, fœnum, & stipulam: cum enim hoc dixisset, adjunxit: Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit:* ait Augustinus cap. 68. Ench. Atqui superædificantes aurum, argentum, ac pretiosos lapides igni sempiterno non sunt deputandi. Non ergo de tali igne, sed de igne aut Purgatorii, aut temporalis tribulationis, quo leves culpæ expiantur, est locutus Apostolus. Porro errores hæreticorum laudatis verbis expressi nequaquam fuerunt, cum non sint ædificia quædam supra fidei fundamentum constructa, sed fundamentum ipsum evertant. Cavilli autem Erasmi satis hisce responsionibus exploduntur; sunt namque & ipsi fœnum, & stipula, levissimi scilicet & inepti.

10. Probatur ultimo.

Prædictis argumentis accedunt ea, quæ ratiocinationes dicuntur. Est autem primum, quod vera amicitia lædi quidem levissimis offensionibus, aut minime frangitur: & communia filiorum vitia displicent parenti optimo, sed facillime condonantur. Ergo justus Dei amicus & filius ob parvas transgressiones non subjicitur damnationi, neque penitus stola sanctitatis, & filiorum jure expoliatur. Non enim statuit nobiscum Deus legem amicitiæ durissimam, neque regeneravit nos, ut levi contingente causa desereret. Proximum est argumentum, quod percipi prorsus nequeat velle Deum tanto à se pretio redemptos ob verbum otiosum, officiosum mendacium, vel aliud peccatum simile perpetuis gehennæ flammis addicere. Ultimum erit à comparatione peccati cum infirmitatibus corporalibus. Peccatum enim est quædam infirmitas, de qua Regius Psaltes ajebat: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ut ergo in morbis carnis sunt leves alii, alii vehementiores, alii ancipites: ita putandum est dari pertenues, & dari graviores ægritudines animorum. Sacris ergo literis, testimoniis Patrum, & ratiocinatione concluditur, *singula peccata non lethali vulnere ferire,* ut scribit Augustinus Serm. CCCLI. sive L. ex libro L. Homil. necnon justos plura peccata infirmitatis committere, *sine crimine vastante conscientiam,* ut inquit idem S. Doctor lib. XI. De Civit. Dei, capite duodecimo. Atque ex his constat jure, ac merito fuisse damnatum XX. articulum Baji: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Ad argumenta Hæreticorum responsio.

11. Objicitur 1.

Urgent adversus Catholicam veritatem heterodoxi quædam loca Scripturæ: ac primum verba Christi apud Matth. v. 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Esse, & vocari minimum in Regno cælorum, nihil est aliud, quam, ubi Regni cœlestis consummatio advenerit post corporum resurrectionem, nullum existimari, atque cum maledictis in gehennam detrudi, ut explicat Scriptor Responsionum

num ad Orthodoxos inter Opera Justini, & Hom. 16. in Matth. Joannes Chrysostomus. Igitur, qui minimum quoque mandatum solvit, reus erit gehennæ ignis. Præterea in eodem Evangelio Matthæi cap. XII. 36. legitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* At verbum otiosum peccatum minimum est. Ergo de omni peccato, quantumvis minimo, tenemur rationem reddere. Tertio: Joannis XIII. 8. Christus ait Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum;* lotio autem pedum juxta Augustinum significat emundationem à venialibus, præsertim cum Petrus ibidem v. 10. dicatur lotus, ac mundus. Insuper in Epistola Jacobi c. 2. v. 10. habetur: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Universæ itaque legis censendus est reus, quisquis unum, vel minimum peccatum patraverit. Denique de peccato indefinite pronuntiatur in Scripturæ locis permultis, quod mortem inferat animæ. Si ergo peccata, quæ levia appellamus, revera peccata sunt, lethalia erunt quoque & mortifera.

12. Solutio I. Respondetur ad 1. distinguo priorem propositionem, & Evangelii verba simul explico: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*, id est, quæ minima putantur à Pharisæis, gravia sunt tamen in se, aut ob rerum circumstantias, cujusmodi est incandescente ira jacere in fratrem convicia, concedo. Quæ minima sunt reapse, nego. Perstringit Christus cap. v. Matth. hypocrisim, & fallacem Pharisæorum justitiam; jactabant enim servari legem non occidendo, non mœchando, non jurando per terribile Dei nomen; fas tamen esse irasci, conviciari, concupiscere, & jurare per cœlum, per Jerusalem, per caput suum. Id sola lectione citati quinti capitis manifestum fit. Hæc autem, quæ Pharisæi minima arbitrabantur, quis ignorat revera esse gravia, & mortifera? Hanc esse interpretationem Chrysostomi verba ipsius paulo supra recitata commonstrant. Negat quippe S. Doctor indignationem & probra, unde oriri queant homicidia, esse inter leves culpas connumeranda. Vide & S. P. Augustini librum 1. de Serm. Domini in Monte cap. 17. Addamus confessionem Glassii scribentis lib. v. Tract. 2. cap. 3. *Prior vox, Minimis, sententiam Pharisæorum exprimit, qui quædam præcepta Dei vocabant Minima*: & in Logica sacra cap. 2. de Ὁμοφωνία, *Vocula, Minimus, alludit ad opinionem Rabbinorum, quædam præcepta dicentium esse minima.* Responderi etiam potest eo loci minimum appellari illum, *qui fecerit, & docuerit*, docere autem aliquid adversus Divinam legem, ac Dei verbum corrumpere, aut Scripturarum sanctarum oracula alicujus falsitatis arguere, crimen est gravissimum; quoniam debent in Lege, ut scribit citato Serm. Augustinus, *ad effectum etiam minima quæque perduci.*

Quod objiciunt ex cap. XII. Matth. 13. nil prorsus concludit; nam utique de Solutio 2. culpis minimis ratio reddenda est, debitumque usque ad ultimum quadrantem est persolvendum: sed aliud est ad calculum vocari, aliud pro minimo debito extremo plecti supplicio. Refutantur præterea hæretici suorum Commentatorum observationibus. Clarius enim profert in hunc locum verba D. Basilii, *Verbum otiosum est, quod etiamsi bonum sit, ad ædificationem tamen fidei non aptatur. Et ejusmodi verba in celeberrimo illo totius orbis terræ conventu examinabuntur. Quid scurrilibus & detrahentibus & obscœnis verbis fiet?* Evangelica itaque verba sunt quædam à minori ad majus argumentatio, qua suademur gravius supplicium deberi verbis maledicis, blasphemisque Pharisæorum adversus filium hominis, cum examen quoque de otiosis verbis sit subeundum. Zegerus otiosum verbum interpretatur quod proferentem coinquinat mendacio, & dicitur ad calumniam; alioqui non cohærent, inquit, cum præcedentibus proxima verba, *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* At Salomon Glassius De Pronomine Can. cap. XXV. contendit hic relativum postponi, & significari tantum, quod impii in die judicii nec habebunt in reddenda ratione, quo verbum otiosum excusent. Verum hos flexiloquos & dolosos parvifacimus.

Majori brevitate reliqua expedio, enim- 14. vero peccata venialia excludunt à regno, Solutio 3. ubi nihil inquinatum est, vel immundum, sed non exilio sempiterno, ac perpetuo. Augustinus Tractatu LVI. in Joannem pedum lotione indigentium nomine intelligit *humanos affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur.* Et postquam inde ostendit etiam justos istam terram calcantes habere opus ut pedes lavent, de Ecclesia non habente rugam, neque maculam ita concludit: *In his autem, qui hic demorantur, etiamsi munda sit, quoniam juste vivunt, opus tamen habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique non sunt.*

Dan-

Dantur peccata levia abstergenda, & purganda, quibus inquinati censentur mundi, id est, justi sunt; ac de unoquoque illorum proximo versu 10. dicitur: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* De laudato Jacobi loco vide Augustinianam Epistolam XXIX. nunc CLXVII. in qua S. Pater demonstrat, quod cum plenitudo legis sit dilectio, qua Deus, proximusque diligitur, atque in præceptis charitatis tota lex pendeat *Merito sit reus omnium; qui contra illam facit, in qua pendent omnia.* Quod ex præcedenti capite manifesta illatione consequitur. At quemadmodum rectus amor nunc vehemens est, nunc tepescens, nec semper charitas quæque justificat: ita perversus amor quosdam, quasi ardoris, gradus habet, nec semper sanctificantem gratiam absumit. Ideo post pauca ait S. Pater: *Omnes enim offendimus, sed unus gravius, alius levius. Quanto quisque gravius, leviusque peccaverit, tanto erit in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo, & proximo minor.* Grotius, quem propter heterodoxos profero, explicat locum Jacobi, *Quicunque offendat ino uno, nempe eorum, quibus pœna capitalis constituta est, non minus morte punitur, quam si omnia præcepta violasset;* ac si scriptum esset ὡς πάντων ἔνοχος, *quasi omnium reus.* Neque nos uni tantum lethali peccato sempiternam deberi punitionem negamus. In postremo non immoror: ubicunque enim Scriptura affirmat peccatum in damnationem nos trahere, dicimus sermonem fieri de mortali peccato, quod peccatum appellatur antonomastice; eo pacto, quo ubi charitati tribuitur vita, & Dei inhabitatio, certum est designari charitatem *habitualem*, aut saltem vehementem. Ita dicimus mori hominem febre, veneno, vulnere; quamquam mortem non inferat quæcunque febris, quodcunque vulnus. Sed possumus etiam respondere, veniale peccatum animæ vitam adimere dispositive: nam, ut est in Proverbio: *Qui minora spernit, paullatim decidit.*

15. Objicitur 2. Objiciunt præterea quædam Patrum testimonia affirmantium divinæ tribuendum misericordiæ, si nos crimina illa minuta non obruant; in Evangelio nequaquam reperiri istud inter venialia, & mortifera peccata discrimen, sed omnia nobis fugienda proponi; levi quoque flagitio Divinæ majestati irrogari injuriam. ac propterea non esse minimi faciendum. Insignis est Declamatio Magni Basilii adversus contemnentes peccata minima in Regulis brevioribus.

16. Solutio. Respondemus consulto PP. commonere, ne peccata quælibet, etiam minima, foveamus, atque parvi momenti illa esse arbitremur. Etenim hæc ipsa despicientia, & neglectus majorem arguit erga illicita propensionem, & culpam quodammodo adauget: nam quæ magis diligimus minus insectamur, quæ autem odio habemus vituperamus, & redarguimus. Ipsa insuper negligentia, & contemptio ad irreparabilem lapsum sæpe trahit infirmam, atque in scelera facile prolabentem hominum voluntatem. Præter levia hæc, & quotidiana peccata sunt fere innumera; & licet se ipsis non perdant, trahantque ad sempiterna supplicia; tamen ut aqua paullatim subrepens navem implet ac mergit, peccata illa parva crebro commissa gravant, atque opprimunt peccatorem. Legatur Augustini ad Seluc. Epistola CVIII. nunc CCLXV. Sancta quippe dilectio nos retrahit à noxiis cupiditatibus; & leves culpæ, quæ sunt istarum cupiditatum fomenta, faciunt ut fervens charitatis amor tepescat. ac tandem robustior facta cupiditas sanctam illam dilectionem extinguat; presumque hominem, & compluribus stimulis concitatum cor derelinquat, ut ait S. David Ps. XXXIX. 13. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Atque hinc est, quod tribuere debemus Divinæ misericordiæ, si ob venialia peccata non perimus, in quantum in graviora prolabimur, nisi gratiarum supernarum Auctor sanctam nobis delectationem inspiret, & arescentem terram nostram copioso benedictionis rore perfundat. His Basilii, aliorumque Patrum sententiæ faciles sunt intellectu: nam quod aliqui aiunt laudatum Regularum librum non esse Basilii, inane videtur refugium. Redolet Basilii stylum, Asceticam præceptionem, atque pietatem: eique tribuitur à Photio Cod. CXCI. At licet adscribas Eustachio Sebasteno, aut cuivis scriptori, eadem adversus levia peccata Patres alii scripsere: ideoque responsa nostra teneto.

17. Objicitur 3. Argumentantur postremo loco à ratione. Principio, inquiunt, primum, ac maximum præceptum est Deum ex toto corde diligere. Qui minimum peccatum patrat, transgreditur primum præceptum. Ergo peccat contra præceptum summum, ac maximum. Præterea nonne quisquis peccat avertitur à Deo, & convertitur ad creaturas? Igi-

tur quisquis peccat, fruitur utendis, ultimumque finem constituit in re creata; quod profecto est nefarium crimen contrahere. Insuper qualecunque peccatum est offensa facta Deo summe bono: itaque qualecunque peccatum summum malum est. Deinde nefas est propter quodcunque bonum comparandum, aut propter evitandum quodcunque malum minimam culpam committere. Culpa ergo minima superat omne malum. Tandem quidquid boni facit justus promeretur æternam vitam: ergo quamcunque noxam admittit impius, subjicitur æternæ morti, perpetuoque supplicio.

18. Solutio. Resp. ad 1. dist. minorem. Minimis peccatis transgredimur primum maximumque præceptum transgressione minima & levi; co. gravi & mortifera; nego. Quemadmodum enim non semper summum bonum diligimus charitate adeo flagranti, ut nostrorum peccatorum labes abstergatur; ita non semper fluxa bona amamus tam vehementi cupiditate, ut justitiam penitus amittamus. Vide & quæ de Amicitia Dei supra diximus. Ad 2. dist. conseq. Qui venialiter peccat constituit finem amoris in re creata, & huic adhæret parva cupiditate, per quam ab amore boni increati nequaquam divellitur, conc. Adhæret rei creatæ cupiditate perversa, ac defixa, per quam increatum bonum despiciat, eique subtrahat amorem vehementiorem, nego. Atque hic nota distingui peccatum mortale à veniali; quod per illud consensu, & delectatione adeo hæremus rei creatæ, ut hanc summo bono præponamus: per istud vero languida quadam dilectione flectimur in bona creata, ut voluntatis deliberatione his minime fervidus amor hærescat. Quapropter in re etiam parva admittimus mortiferum scelus, si spreta Divina lege frena cupiditatis laxentur. Perdifficile est tamen distinguere inter peccatum mortale, & veniale, ut Augustinus scribit lib. XXI. de C. D. cap. 27. quamquam mortalia censenda sunt, quæ aut materiam habent in se, vel spectatis circumstantiis ponderosam, magnique momenti; aut si levis materia, ferveseit noxia cupiditas. Solvitur ex his argumentum tertium, quoniam veniale peccatum est offensa quidem illata Deo, sed leviſſima in re; neque lege charitatis penitus violata. Diluitur proxima objectio distinguendo duplex malum, morale unum quod opponitur Divinæ legi, physicum alterum, quod legi ipsi non adversatur. Profecto minimum malum morale majus est quocunque malo physico, ideoque nefas est vel leviter mentiri, abiret licet universum in nihilum. Hinc tamen non infertur, quod veniale peccatum puniri debeat privatione cujusque boni, ac sempiterno gehennæ supplicio; cum in punitione attendi debeat ratio demeriti, & lex justitiæ, æquitasque vindictæ. Quod aliqui demonstrant comparatione animalis, v. g. ovis, vel agni; cujus pretium existimatur unius aurei, quamquam res animata sit physice omni auro præstantior. Ita minor culpa censetur digna minori supplicio, quamquam aliquo in genere levis culpa excedat malum cujusque pœnæ. Enimvero nequit eodem pretio venundari agnus, & equus, eademque animadversione puniri convicium, atque homicidium, cum idem non sit valor omnium rerum, neque idem singulorum delictorum demeritum. Ad ultimum neganda est consequentia; nam minimum opus bonum à justo patratum promeretur vitam æternam non per se, sed propter charitatem *habitualem*, ex qua elicitur: quo pacto etiam minimum peccatum ex vehementi cupiditate commissum pœnam meretur sempiternam. Differt præterea in hoc meritum à demerito, quod illud pendet à Dei voluntate, istud vero ex ipsa operis conditione. At Deus cum sit misericors coronat in miserationibus, & ultra condignum, cum sit justissimus punit servata æquitate, & juxta demeritum.

CAPUT VIII.

Quam gravis sit mortalis peccati nequitia?

SUMMARIUM.

1. De peccato mortali.
2. An peccatum sit finitum.
3. Dicitur peccatum esse infinitæ nequitiæ.
4. & 5. Probatur.
6. & 7. Objectiones solvuntur.

1. De Peccato mortali.

AVeniali ad mortale peccatum ordo disputationis progreditur, Est autem mortiferum peccatum, si à Spiritu sancto inhabitante, & à charitate *habituali* distrahat animam, ita ut divinitatis consortio privetur, & affecta spirituali turpitudine veniat in odium Creatoris, atque perpetuæ damnationis pœnam commereatur. Quod evenire diximus quotiescunque humana voluntas ita avertitur à summo bono, ut huic præferat creaturas, eisque tali cupiditate adhæreat, ut vehementius appetat frui bonis commutabilibus, quam ipso Deo, neque parata sit potius mori, & amittere bona quæque creata, quam Divina gratia expoliari. De hoc itaque peccato inquirunt Scholastici Doctores, an adeo censendum sit grave, ut dici debeat aliqua ratione infinitum.

2. An peccatum sit finitum.

Communior opinio est, peccatum esse finitum si accipiatur, vel pro ipsa physica actione, vel pro privatione gratiæ aliorumque spiritualium donorum, quibus justorum animæ sunt exornatæ. Atque de actione est adeo manifestum, atque compertum, ut nulla exoriri possit dubitatio, cum à nulla finita causa possit infinitus actus prodire. Sed quantum spectat ad privationem, quidam sunt, numero licet perpauci, quibus placet mortale peccatum censendum esse infinitum. Privat enim, inquiunt, Spiritu sancto inhabitante, atque sempiterna etiam beatitudine; ideoque aufert infinitum bonum, & infinitum infert nocumentum. Ratiocinatur hoc pacto eximius Theologus Leonardus Vanroy De peccatis cap. v. q. 2. & qui ejus vestigia ubique premit Aurelius Piette q. 6. Verum cum privatio sit amissio boni, non quatenus in se est, sed quatenus participiatur, & possidetur, etsi tam in gratia sanctificante, quam in Sanctorum beatitudine haberi bonum infinitum concedamus, dicimus tamen utrumque coarctatione quadam participari, ideoque illorum privationem esse finitam. Quidquid tamen asserendum arbitreris, pro libitu affirma.

3. Dicitur peccatum esse infinitæ nequitiæ.

At si accipias peccatum in quantum est offensa Dei, omnes Instituti nostri, aliorumque Theologorum pars major, tenent peccatum nequitiæ esse infinitæ. Ad quod confirmandum diversa proferunt argumenta, quamquam non omnia firma admodum, atque invicta. Primum est illud, quod peccator aufert à Deo rationem ultimi finis, eamque tribuit bono creato: quod perinde est, ac Dei loco habere rem vilissimam, & honorem soli Deo debitum impendere creaturis: hac autem injuria cogitari nequit atrocior. De quo argumento plura Habert de Vitiis, & peccatis cap. 6. q. 1. Sed huic argumentationi video plures respondere, quod per actum charitatis Deo omne creatum bonum postponitur, illique ratio finis ultimi tribuitur, neque tamen charitas dicitur infinita: & consequenter infinita non erit culpa, quæ Deo aufert rationem ultimi finis, illique præfert quamlibet creaturam. Affinis est argumentatio quod peccatum, quantum in se est, Deum interimit, ut scribit Serm. 3. S. Bernardus: & consimilis pariter responsio, quod eo sensu peccatum interimit, quo charitas vivificat; atque tam hanc vitam, quam illam mortem constat finitam esse, quoniam neque Deus ab homine infinita charitate diligitur, neque bonum creatum infinita cupiditate. Legito Joannem Baptistam Gonet disp. IX. de Peccat. art. 6. Non dissimile est tertium argumentum, quod per mortale peccatum crucifigitur Christus in nobismetipsis, desinit in nobis vivere per gratiam sanctificantem: quod eadem ratione diluitur, propterea quod illiusmodi vita finita est, & alterius generis ab ea, quam habet Christus redivivus, atque immortalis. Argumentatio quarta in hoc sita est, quod mortale peccatum punitur æterna morte, summoque supplicio. Sed respondet cum Scotistis Nicolaus L'Herminier Tom. VI. pag. 539. atrocissimum quidem esse tormentum gehennæ, & perpetuo duraturum, quoniam peccatum damnatorum irremissibile est, eorum-

Probatur & respondetur.

que voluntas inflexibilis & obdurata; cruciatus tamen ipsorum esse definitos, ac pro delictorum mensura minus, magisque vehementes.

4. Probatur efficaciter.

Missis itaque præfatis argumentationibus, placet nobis trita illa, & pervulgata, quod qualitas offensæ commensuratur dignitati personæ, quæ afficitur injuriâ; amplitudo autem honoris à conditione & honestate illius, qui honorem præstat, æstimatur. Id vero liquet ex communi proloquio, *Honor est in honorante, offensio in persona offensa.* Liquet etiam ex auctoritate, & opinione prudentum: qui injuriam illatam præclaro viro, eâ, quæ infertur alicui plebicolæ, putant insigniorem; honorem autem exhibitum à viro principe præferunt illi, quem recipiunt à populari. Cum ergo peccatum mortale sit offensa Dei, cujus majestas, dignitas, magnificentia, nec non in conferendo hominibus beneficia liberalitas infinita est; oportet ut ipsum peccatum induat rationem maximæ ac infinitæ iniquitatis. Quam argumentationem confirmant summi Dei imperium, æquitas, providentia, amor, atque cætera omnia attributa. Nam si gravissimum crimen est offendere parentem optimum, aut justissimum principem; quale flagitium putas injuriam facere Creatori qui nos produxit ex nihilo, & Domino, cui omni juris titulo universa subjiciuntur?

5. Probatur contra Scotum aliósque.

Respondent Scotus, Vasquez, Suarefius, L'Herminier, & alii quidam defumi gravitatem offensæ à dignitate personæ injuriis affectæ, non *simpliciter*, sed proportione servata, & *secundum quid*, eoquod nulla res finita possit fieri particeps infinitatis. At ex idea, quam exhibent menti meæ subobscura illa vocabula, *simpliciter*, &, *secundum quid*, in priori sententia confirmor. Perceptione mea aliquid esse infinitum *simpliciter*, nihil est aliud quam infinitum esse per se, sive naturâ suâ, nulla facta comparatione termini alicujus, vel objecti: & infinitum esse duntaxat *secundum quid* idem est, ac esse infinitum tantummodo *connotative*, sive comparate ad objectum, vel terminum. Dum vero concipio peccatum tanquam Dei optimi offensam, illud non considero in se, quatenus est opus aut figmentum humanum, sed illud specto *connotative*, atque in ordine ad infinitam Dei bonitatem. Si ergo dignitas personæ adauget *secundum quid* gravitatem peccati; erit peccatum in ratione offensæ infinitum, id est, spectatum ratione objecti, nempe ipsius Dei. Nec repugnat humanam actionem in se finitam esse infinitam *connotative*, & comparate ad Deum; quoniam & actio Dei infinita & æterna, dicitur ratione *connotatorum*, sive creaturarum, suum terminum, ac tempus habere.

6. Objectiones.

Opponunt: Si hæc ita sint, infinita erit visio beatorum spirituum, infinitus actus charitatis, infinita pœna privatio beatitudinis; quoniam hæc omnia connotant terminum infinitum. Rursus nullum erit discrimen inter veniale ac mortale peccatum, cum illud etiam sit injuria illata Deo, ideoque infinitum. Nullum ob eandem rationem discrimen erit inter peccata mortalia, quia fieri non potest, ut unum infinitum sit majus altero.

7. Solutiones.

Sed respondemus ad primam objectionem, Adversarios nostros ideam visionis, ac privationis pervertere. Visio enim est intelligentis animæ actus; & actus percipitur comparate ad potentiam, sive ad modum quo elicitur, non respectu objecti in quod fertur. Tam vero operatio animæ, quam operationis modus finitatem habet, & ideo non satis apte dicimus animæ actionem infinitam. Econtra dicimus infinitam operationem Dei etiam in productione rei finitæ & creatæ, quoniam & potentia ipsius infinita est, & infinitus pariter modus rem ex nihilo producendi. Ergo in iis, quæ ad actiones pertinent, necesse non est objectorum attendere perfectionem. De privatione dictum supra, non esse percipiendam comparate ad bonum ut est in se, sed ad bonum, ut possidetur, vel potest possideri. Quod si velis etiam privationem peccato inductam appellare infinitam, parum, ut præmonui, mea interest. Actum charitatis, si spectes quatenus est opus voluntatis humanæ, esse finitum modo affirmavi. Si illum actum attendas, in quantum est Dei cultus, & honor, finitus adhuc est, quoniam honor, æstimatione prudentum, ratione personæ honorantis, non ratione objecti minuitur, vel augetur. Quamobrem in Christo ob Divinæ personæ dignitatem actus charitatis habuit infinitum meritum, quamvis physice fuerit finitus. Atque hoc exemplo magis liquet, posse unum actum esse physice finitum, infinitum vero moraliter. Peccatum veniale non destruit charitatem, non constituit absolute finem ultimum in creatura, neque procedit usque ad contemptum Dei. Offensa autem, quam dicimus commensurari cum dignitate personæ, est illa, per quam persona afficitur injuria, id est, quæ conjungitur cum

cum despicientia, & contemptione. Nam si quempiam offendas inconsiderate vel oscitanter, non tamen odio vel contumacia, offensor quidem es, at non contumelioše contemptor. Fateor itaque veniale peccatum esse Dei offensam, quia est Divinæ legis transgressio: nego esse offensam, quæ perveniat ad Dei contemptum, atque injuriam. In mortali peccato utique Deo infertur injuria, & quia charitas penitus violatur, omne peccatum mortale est moraliter infinitum. Esse tamen unum peccatum altero gravius, recte adversus Stoicos, & Jovinianum Capite superiori affirmavimus: quod nunc, quomodo possit consistere, breviter explanabo. Cum una sit æquitatis regula summa & immutabilis, quam non semel dixi esse Deum ipsum, & participationem Divini luminis humanam mentem irradiantis, illa quidem prohibet omne malum, & bonum omne præscribit. Inter mala autem pejora censentur, quæ ab illa magis distant, atque inter bona meliora sunt, quæ illi magis approximantur. Ita summa illa regula præcipit ut Deum, ac proximum diligas, & idololatria majus crimen est, quam Divini Nominis profanatio, homicidium gravius, quam convicium, quoniam dilectioni Dei magis opponitur cultus idolorum, quam irreverentia; & amori proximorum plus homicidium, quam contumelia. Duo ergo peccata mortalia V. G. superstitio, ac perjurium, infinita sunt, neque unum est gravius altero comparate ad legem æternam, ut universaliter præscribit Dei cultum & dilectionem; nam utroque peccato Deum contemnis & afficis injuria. Est autem superstitionis scelus gravius perjurio, comparate ad eandem æternam legem, ut in particulari prohibet utrumque crimen, quorum unum dilectioni Dei magis repugnat quam alterum; plus enim recedit ab ipso Deo, qui illum præfracte negat, quam qui ejus nomen pronuntiat temere & irreverenter.

CAPUT IX.

Nonnullæ Quæstiones circa Peccata breviter expediuntur.

SUMMARIUM.

1. Quomodo peccata specie differant.
2. Quomodo peccata numero differant.
3. Divisio peccatorum.
4. Aliud est peccatum ratione objecti.
5. Aliud est peccatum ratione impellentis causæ.
6. An detur pura omissio libera.
7. De imputatione peccati.
8. Probatur posse aliquem absque actuali sancta cogitatione vel excitatione peccatis subjacere.
9. Objectionibus prævenitur.
10. De peccato Philosophico.
11. Probatur peccatum Philosophicum esse fictitium.
12. Argumenta tria, quòd possit dari peccatum philosophicum
13. 14. & 15. Solutio Argumentorum.

1. Quomodo peccata specie, differant.

CUM ad pertractandum de peccatis dissertationes nostræ processerint, occurrunt dubia quædam haud difficilia unico capite dissolvenda. Horum primum est, quomodo peccata *specie*, numeroque differant. Differre *specie* aliqui putant per ordinem ad objecta, aliqui per ordinem ad virtutes quibus opponuntur, alii denique per ordinem ad diversas regulas incommutabilis legis, de qua paulo supra. Potest hæc postrema sententia cum præcedentibus conciliari: etenim virtus est quidquid illius legis æquitati ac rationi conformatur, & in ipsa lege diversæ extant regulæ, in quantum præscribit erga diversa objecta ordinem rectum amoris, & dilectionis. Quare si velis peccata distinguere per ordinem ad objecta; non hæc accipies ut sunt res aliqua, sive, ut dicimus in Scholis, *materialiter*, sed in quantum diversa ratione possunt diligi, vel odio haberi, violatis æternæ legis præscriptionibus. Rem ita declaro: deficit perverso amore humana voluntas, dum flectitur *contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad id quod minus est*, inquit S. Doctor lib. XII. de Civ. Dei cap. 8. id est, à bono incommutabili ad fluxa & commutabilia. His præscripto æternæ legis *frui* non debemus, sed *uti*. Eligas nunc bonum aliquod commutabile, E. Gr. aurum. Si auro fine ultimo adhæreas, id est, propter illud des operam literis, aut exercitamentis aliis, *frueris* auro, & primam præceptionem sempiternæ legis violasti. Peccatum istud dicimus *avaritiam*. Fieri potest ut non fruaris auro, sed utaris: uti autem debes, ut nosti,

sti, propter bonum incommutabile, quoniam utimur ea re, quam in usum assumimus propter finem. Si ergo utaris auro ad epulas, ad venerem, ad ludos, ad ambitionem fovendam, male uteris, ac violatum est præceptum alterum incommutabilis legis. Erit peccatum hoc *specie* diversum à primo, & appellabitur *prodigalitas*.

2. Quomodo peccata numero differunt.

In ipso usu malo bonorum cummutabilium possunt diversæ æquitatis regulæ violari juxta diversitatem aut finis, aut objecti. Si enim pecuniam erogaveris ambitiosa prodigalitate, finem habes tui ipsius existimationem, & conjungis cum prodigalitate *superbiam*, quæ proinde permixta est omni operationi, quam exerceas cum ambitiosa inflatione. Si profundis aurum ad muliebrem animum captivandum, accedit vitiosæ profusioni finis turpis voluptatis, quam appellitant *luxuriam*. Ita de finibus aliis ratiocinare. Potest tamen idem finis ad diversa objecta referri, ut si concupiscas nuptam, virginem, Deo mancipatam, &c. atque in hoc etiam casu violantur diversæ regulæ immutabilis æquitatis, & consurgit *species* peccatorum diversa. Idem affirmo de personæ, loci, ac temporis circumstantia. Quod si peccata plura sint actus diversi, & eidem regulæ oppositi, tunc multiplicata erunt non *specie*, sed numero. Prior itaque quæstio ad hunc modum se habet.

3. Divisio peccatorum.

Quæstio proxima est, quænam sit apta peccatorum divisio. Ad hanc autem quæstionem respondeo, quod cum peccatum omne voluntarium sit, aliud est voluntarium originaliter, hoc est voluntate primi parentis, qui communem universorum hominum naturam prima transgressione vitiavit; & istud peccatum est *originale*, de quo lib. XIII. quoniam ad percipiendam Augustinianam de Gratia doctrinam apprime conducit, præmisi dissertationem. Aliud autem voluntarium est actualiter, id est propria & expressa cujusque hominis voluntate, & istud appellamus *actuale* peccatum. Hoc autem dividi solet aut ratione majoris, aut minoris nequitiæ, aut ratione termini vel objecti, aut ratione impellentis causæ, aut ratione affectionis, quam imprimit animo. Spectata gravitate & nequitia aliud est peccatum *veniale*, aliud *mortale*: quorum primo, ut diximus, convertitur animus ad creaturas absque totali à Deo aversione, & absque eo, quod summum bonum postponatur bono mutabili; ut curiosus intuitus, verbum otiosum, officiosum mendacium: altero violatur lex dilectionis, Deus contemnitur, & commutabile bonum ipsi præfertur; ut ebrietas, fornicatio, homicidium. Si autem quæras quomodo possimus distinguere, quando conjuncta sit peccato Dei injuria, & contemptio; dico id posse à nobis hac animadversione deprehendi. Contemnitur Dei bonitas, cùm magis diligitur creatura: contemnitur Dei justitia, quando magis timetur temporalis pœna, quam æterna; contemnitur Dei veracitas, quando ea abutimur ut testimonium perhibeatur falsitati; contemnitur Dei sanctitas, cum in ejus conspectu fiunt, aut proferuntur obscœna: contemnitur dominium Dei, quotiescunque grave infertur creaturis ejus nocumentum. Hoc pacto circa alia Dei attributa discurras. Ergo si opere aut desiderio quæris creatum bonum, etiamsi scias te amittere æternum: si minitatur Deus suam indignationem & gehennam, & facis tamen quod prohibet; si falsum confirmes Divini nominis obtestatione: si non veritus Dei præsentiam facis quæ offendunt honestissimorum hominum oculos; si proximo manu aut linguâ affers notabile incommodum; contemnis aperte bonitatem Dei, justitiam, veritatem, sanctitatem, dominium, & te lethali crimine obstringis.

4. Aliud est peccatum ratione objecti.

Ratione autem objecti, aliud est peccatum, quod homo committit immediate adversus Deum, ut hæresis, idololatria, blasphemia; aliud quod committit contra seipsum, ut intemperantia, & aliqua luxuriæ *species*; aliud quod committit adversus proximum, ut furtum, homicidium, detractio. Contra hoc triplex peccati genus optime interpretantur Scholastici cum D. Thoma 1. 2. q. 72. art. 4. Apostoli verba ad Titum II. 12. *Sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo*, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. Est enim σωφροσύνη, *sobrietas*, auctore Philone in libro, quo demonstrat virum bonum esse liberum, sanitas quædam mentis vel temperantia, qua homines *pecunias, honores, voluptatesque contemnunt fortiter, vivuntque continenter, in laboribus complexi frugalitatem, simplicitatem, facilitatem, modestiam, constantiam, & id genus cætera.* Δικαιοσύνη, *justitia, charitatem exercet, quam indicat erga homines benevolentia, mira æquabilitas, rerumque omnium societas.* Εὐσέβεια, *pietas, argumenta observantiæ erga Deum præsefert plurima, à jurejurando, mendacioque abstinentiam, & ad Deum auctorem bona omnia, malum vero nullum refert.* Talibus itaque Apostolicis verbis omnes offi-

officiorum nostrorum partes concluduntur, & peccata omnia damnantur.

5. Aliud est peccatum ratione impellentis causæ.

Porro ratione impellentis causæ alia sunt peccata *ignorantiæ*, alia *infirmitatis*, alia *malitiæ*. Vel enim peccamus ob vincibilem ignorantiam, vel ob luctam concupiscentiæ, cui libere succumbimus, vel studiosa malitia, qua in rebus quoque turpissimis apprehendimus bonum aliquod aptum & congruens. Hæc adeo sunt manifesta, ut necessarium non sit ea exemplis appositis complanare. Sunt quoque peccatorum causæ facultates animæ & sensuum; unde peccata dividi solent in *spiritualia*, & *carnalia*: quorum illa internis potentiis patrantur, ut superbia, & invidia, hæc sensuum illecebris; & ministerio, ut gula & luxuria. At causæ exteriores ad peccatum allicientes, cujusmodi sunt diabolus, & mundus, non videntur mihi divisionem facere peccatorum, nam omnis illorum tentatio, ut scribit Magnus Gregorius Hom. 16. in Evangelia, *tribus modis agitur, suggestione, delectatione, & consensu:* id est causas priori loco commemoratas solicitando. Denique ratione affectionis animorum aliud est peccatum *habituale*, quod ita appellatur ratione maculæ & reatus animo inhærentis, aliud est vitium, sive peccandi *habitus* permanens etiam maculâ illâ deletâ: de quibus dictum est præcedenti Capite 6.

6. An detur pura omissio libera.

Tertia est quæstio, an possit dari pura omissio libera, sive peccatum omissionis absque ullo actu voluntatis: sed hæc quæstio nullo pacto animum meum pulsat si mentem converto ad ea, quæ primo Capite hujus libri prænonui de ignorantia & libertate necessaria ad peccatum. Dicimur enim interpretative velle nescire, quæ cum debeamus, ac possimus, scire negligimus. Eadem ratione dicimur velle committere, vel omittere, quæ cum possimus aut vitare, aut efficere, non facimus. Quotiescunque ergo omittimus facere quæ ignoramus esse præcepta, scire tamen possumus ac debemus, aut ad id oscitantia nostra culpabili minime advertimus, quoniam præcipimur operari, & cur non operemur causa in nobis est, datur peccatum liberæ omissionis absque explicito voluntatis actu, qui tamen censetur adesse interpretative & moraliter.

7. De Imputatione peccati.

Affinis est quæstio quarta, an, ut imputetur peccatum, debeat animum subire sancta cogitatio & delectatio, per quam advertat ad peccati malitiam, aut excitetur ad desiderium virtutis. Id necessarium non esse, dummodo aliunde salvetur libertas indifferentiæ, consequitur ex iis, quæ disputata sunt lib. XVIII. de Gratia sufficiente. Nam definivimus non requiri ad imputationem peccati, quod non denegetur homini actualis gratiæ adjutorium; & aliquos reperiri obduratos interiori gratia destitutos, & nihilominus peccare indifferenter ac libere. At sancta cogitatio, & delectatio munus est gratiæ. Si ergo gratia necessaria non est ad imputationem peccati, neque erit necessarium ad peccati malitiam advertere, aut pulsari delectatione virtutis.

8. Probatur posse aliquem absque actuali sancta cogitatione vel excitatione peccatis subjacere.

Quoniam vero largi quidam gratiarum divinarum dispensatores huic nostræ assertioni reluctantur, illam proximis munimentis confirmamus. I. In Diospolitana Synodo anathemate proscriptum est illud Pelagianorum paradoxum, *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato.* At qui obliviscitur, vel ignorat actu non cogitat, nec delectatione pulsatur. Ergo potest quis absque actuali sancta congitatione vel excitatione peccatis subjacere. II. Nihil occurrit in libris Augustini frequentius, quam plures peccare nescientes. Legitote Epistolam CLIV. nunc XLVII. De Sp. & lit. cap. 36. lib. 1. Retract. cap. 15. Assentiuntur Augustino Hieronymus in 1. adv. Pelagianos, & Bern. in Epistola ad Hugonem. III. Si quilibet peccator superna quadam dum peccat illustraretur cogitatione, nullum daretur peccatum ignorantiæ. At si non datur; cur legitur cap. v. Levitici v. 17. *Anima, quæ peccaverit per ignorantiam?* Cur ajebat David Ps. XXIV. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine?* IV. Laborarunt ignorantia Judæi conspirantes in Christi mortem, quos alloquitur Petrus Act. III. 17. *Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam feciſtis, sicut & principes vestri.* Laboravit ignorantia & Paulus quando persequebatur Ecclesiam, ut ipsemet scribit in priori Epistola ad Timoth. 1. 13. *Ignorans feci in incredulitate.* Laborarunt ignorantia occisores Martyrum, de quibus prædixerat Salvator Joan. XVI. 2. *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Hi ergo quo pacto, dum tam immania patrabant, virtutis luce, & jucunditate perfundebantur? V. Auctore Petro Damiani in vita S. Romualdi cap. 35. & Opusc. VII. cap. 21. clerici Vallis de Castro simoniæ crimen esse rem licitam arbitrabantur; & quidam Monachus Felix nomine

ad sedandam libidinem fas opinabatur rem turpem peragere; & nihilosecius hi tanquam impiissimi damnati sunt, ac reprehensi. VI. Parisienses Theologi anno 1641. proscripserunt hanc propositionem, *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur.* Lovanienses an. 1657. confixere alteram: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine, qui novit & percipit quid boni, malive in ea sit.* Rursus Clerus Gallicanus anno 1700. damnavit sequentem assertionem: *Si peccatores consummatæ malitiæ cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hisce actionibus non peccare*, damnavit, inquam, & declaravit falsam, temere pronuntiatam, pernicioſam, & quæ bonos mores corrumpit, & blasphemias, aliaque peccata excusat. Lege Historiam de Auxiliis lib. III. cap. 48. VII. Si peccatorum malitiam non adverteret redderet hominem immunem à culpa; potior esset ac melior conditio ignorantis, quam sapientis, neque hujus notitia adauger et tantum culpæ nequitiam, dum peccat, sed ulterius necessaria esset, ut posset peccare; quod puto perpaucos esse dicturos, etiamsi affirmetur in Nodo prædest. P. I. §. 2. n. 11. à Cardinale Sfondrato.

9. Objectionibus prævenitur.

In solutione quorundam adversus superiorem assertionem argumentorum non immorabor. Quippe ea petuntur vel à communi Philosophorum proloquio, *Nihil est volitum, quin præcognitum*, vel à sufficienti Gratia, quæ nunquam desit alicui. At hæc postrema, id est, à gratiæ communione deprompta toties recocta sunt, ut nimium futurus sim, si iterum ea proferam, garrulus & verbosus. Quamquam si gratia foret, ut plures docent, aut qualitas, aut motio, aut res alia sanctæ cogitationis effectrix, posset singulis adesse, tametsi hominis culpa non produceret sanctæ inspirationis effectum. Nam & nos pariter Divinam omnipotentiam ac misericordiam paratam omnibus opitulari, & adjuvantem non reluctantes, adesse universis ac singulis non diffitemur. Ad argumenta autem deducta à communi pronuntiato philosophorum non semel dictum est, illud liberrima voluntate fieri, quod eligitur cum indifferentia judicii; quod quisque facit, dum peccat, etiamsi actu non cogitet esse peccatum. Ut vero quod libere perpetratur sit re ipsa peccatum, sufficit quod possit ac debeat advertere ad nequitiam illius, nec laboret legis peccatum illud prohibentis ignorantia invincibili. Etenim, ut Augustinus ait in III. de libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.*

10. De peccato Philosophico.

Ultima quæstio est, Quid sit, & an detur peccatum philosophicum? de quo mentionem fecimus lib. I. cap. 4. prop. 2. Dictum est ibidem peccatum philosophicum esse actum humanum disconvenientem rectæ rationi, absque eo quod sit transgressio Divinæ legis. Hujus peccati commentum derivatum est ab opinione illa quorumdam Scholasticorum, quod possit Deus invincibiliter ignorari. Si enim quis Deum ignoraret invincibiliter: & patraret homicidium, adulterium, aut crimen aliud pervertens hominum mores, ordinemque universi, & repugnans naturæ lumini; peccatum illud cum Dei ignoratione conjunctum adversaretur rectæ rationi, at non esset transgressio legis Divinæ, quoniam peccator percipere non posset esse Deum, atque æternam Dei legem, cujus rationis lumen est quædam participatio.

11. Probatur peccatum Philosophicum esse fictitium.

Hoc peccatum fictitium esse demonstratur ex eo quod Alex. VIII. an. 1690. tanquam scandalosam, temerariam, erroneam, piarumque aurium offensivam confixit proximam assertionem: *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Deinde peccatum illud commentitium esse declarat certa nobis, ac longe probabilior sententia, neminem esse, qui Deum ignoret invincibiliter. Insuper ex constitutis doctrinæ nostræ principiis manifestum est rectam rationem nihil aliud esse, quam uniformitatem perceptionis humanæ cum regula immutabilis æquitatis, sive participatione Divini luminis. Nequit ergo deprehendi opus aliquod esse rectæ consentaneum rationi, nisi etiam percipiatur rationem ipsam à summa veritate, quæ Deus est, non deflectere, ideoque ipsa summa veritas latere omnino non potest.

P. Isaa-

12. Argumentatria, quod possit dari peccatum Philosophicum.

P. Isaacus Bruyn in Collegio Lovaniensi Societatis Jesu, aliique viri docti, quamquam dari peccatum Philosophicum non affirment, nihilominus posse hypothetice propugnari contendunt. Nam primo affirmant peccati philosophici nomenclaturam non à posterioris ævi Scholasticis, sed jam ab Angelico præceptore traditam 1. 2. q. 71. art. 6. ubi ait: *A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum: à Philosopho morali, secundum quod contrariatur rationi.* Peccatum ergo Philosophicum illud est, (inquit Pater Bruyn) quod si daretur, fieret contra rectam rationem cum invincibili ignoratione Dei, adeoque legis Divinæ illud prohibentis. Secundo inquiunt, in eo qui laboraret invincibili Dei ignoratione, peccatum rectum ordinem pervertens, ut adulterium, vel homicidium, futurum Dei offensam, quoniam Deus non tantum creaturæ rationalis conditor est, verum etiam vindex, quamvis contra illum perpetratum non agnoscatur: quod necessarium non est, cum etiam homines inter, optimo cuique displiceant peccata, non contra se modo, verum etiam contra alios commissa. Tertio asserunt, quod peccatum illud non esset mortale, neque gratiam excluderet sanctificantem, neque hominem pœnis sempiternis subjiceret; nam S. Thomas 2. 2. q. 20. art. 3. ait: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo:* (quod fieret utique, si vincibiliter Deus ignoraretur) *quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.*

13. Solutio 1.

Respondeo ad 1. neque hypothetice peccatum philosophicum posse defendi, hypothesi quæ perceptibilis sit, & sese non evertat: quamquam data invincibili Dei ignoratione, non hypothetice tantum, sed reapse, opinione nostra, admitteretur peccatum philosophicum. Posset enim ignorans Deum adversus rectam rationem delinquere. Cur, quæso, non? Si legem Dei non transgrederetur, Deum non offenderet. En peccatum philosophicum ex hypothesi proficiscens ad actum. Ex verbis S. Thomæ insulse, inepte, imperite confictam hypothesim stabiliunt. Potest V. G. corpus considerari à Physico ut constat materia & forma, & Metaphysico ut ens est, à Mathematico ut trinam habet dimensionem. Ergone potest percipi corpus quod conflatum sit ex materia & forma, & tamen non sit ens, nec possit habere extensionem? Id quidem nullo pacto, quia si physicam materiam ac formam percipis, *entitatem* aliquam capacem dimensionis, necesse est, ut percipias. Consideratur peccatum à Philosopho, ut adversatur rationi, à Theologo, ut est Dei offensa. Verum est: ita S. Thomas. At quænam est extorta illa consecutio, Ergo potest excogitari peccatum repugnans rectæ rationi, quod non sit Dei offensa? Ego rectam rationem nego, quæ non sit cum participatione legis æternæ: & cum participatione legis æternæ nego posse dari invincibilem Dei ignorationem.

14. Solutio 2.

Ad 2. respondeo falsum esse, quod peccatum illud philosophicum foret Dei offensa. Non enim est offensa Dei, si non est transgressio Divinæ legis. Non esset transgressio Divinæ legis, quoniam lex invincibiliter ignoraretur. Quomodo ergo esset Dei offensa? At vindex, inquiunt, est Deus peccati, etsi non cognoscatur contra legem Dei perpetratum. Quid inde? Vindex erit, sed non offensus. Etiam inter homines, ajunt, optimo cuique displiceat peccatum, etiamsi commissum adversus alios. Fateor, displicet: sed optimo illi, quem ignoras, nulla affertur injuria, nulla offensa. Peccatum vero, quod non sit offensa Dei, & libera Divinæ legis transgressio, admittere temerarium est, & erroneum.

15. Solutio 3.

Ad tertium dico, quod peccatum illud, dummodo esset in materia gravi, esset mortale; nam dissolveret amicitiam Dei, & æternam pœnam promereretur, ut constat ex damnata propositione. Atque hoc idem infertur ex verbis S. Thomæ, quæ opponit P. Bruyn. Angelicus enim Doctor 2. 2. q. 20. art. 3. probat desperationem esse quidem mortale, gravissimumque peccatum, quoniam est contra virtutem Theologicam, cujus objectum est Deus, ideoque importat ab ipso Deo aversionem, in qua sita est principalis ratio peccati, propterea quod sine aversione à Deo mortale peccatum non datur. Sed addit S. Thomas desperationem non esse peccatum adeo grave, ut est infidelitas, vel odium Dei, *Quia infidelitas & odium Dei sunt contra Deum secundum quod in se est: desperatio autem secundum quod ejus bonum participatur à nobis.* Igitur per D. Thomam sat est ad mortale peccatum, quod sit aversio à Deo in quantum à nobis participatur. Atqui peccatum philosophicum esset aversio à recta ratione, quæ est participatio æternæ legis, & consequenter esset aversio à Deo in quantum participatur à nobis, ergo peccatum philosophicum esset æterna pœna dignum,

gnum, atque mortiferum. Sed inquit P. Bruyn, nostro in cerebro hæc primum nata non est, quam ab Augustino accepimus, opinio. Tractatu CVI. in Joannem, *Hæc est enim*, (inquit ille) *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Grandiusculis literis PP. Benedictini hanc præclaram Augustini Sententiam, ne inconsiderate illam prætermitteret, lector, typis ediderunt. Si vis veræ divinitatis non potest creaturæ ratione utenti penitus abscondi, & Deum negant tantum perpauci, in quibus natura nimium depravata est, & affectiones, quæ corrumpunt animam, distrahunt mentem à veritate, quæ nunquam omnino absconditur; nullus profecto Deum ignorat invincibiliter, & peccatum philosophicum in solo hominum cerebro fictum est.

CAPUT X.

An ad culpam imputetur malum opus ex invincibili ignorantia patratum?

SUMMARIUM.

1. De ignorantia invincibili Propositio 1.
2. 3. & 4. Probatur.
5. Propositio 2. Probatur.
6. Notanda aliqua.
7. Probatur 2.
8. Opposita sententia verissima declaratur.
9. Respondetur argumentis à Genetto productis.
10. usque 19. Solvuntur Objectiones.

De ignorantia invincibili.

QUÆ de ignorantia disserui revocant me ad infectanda dogmata Jansenianorum adversum nos jam fractis extremisque viribus velitantium. Censent enim ignorantiam juris naturæ invincibilem, eoquod pœna sit originalis peccati, neminem à culpa excusare, perperam in patrocinium mendacii pluribus Augustini testimoniis consarcinatis. Quod ante Jansenium scripserat cum aliis Calvini gregalibus Hieronymus Zanchius citatus à Stephano Descamps lib. III. H. Jans. Disp. V. cap. 1. Licet autem hæc hæretica assertio refutata sit una cum proscriptis circa libertatem Novatorum articulis, eam rursus hic loci, ne magis necessaria præterire videamur, directe oppugnabimus.

I. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Ignoratio juris naturalis, si invincibilis sit, à peccato excusat.

Probatur 1.

Prob. 1. ex damnata ab Alex. VIII. positione: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Huc etiam spectant proscripti articuli Baji negantis necessarium esse ad imputationem peccati quod sit voluntarium. Dictum de his lib. XVI. cap. 2. & 3. Deinde probatur ex Augustino; qui non solum expressissimis testimoniis à me eodem loco productis affirmat nullum dari absque propria voluntate actuale peccatum, sed etiam hanc de ignorantia quæstionem aperte definit lib. III. de lib. arbitr. cap. 19. his verbis: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Rursus probatur demonstrando Adversariorum in perscrutando Augustini mentem halucinationem, atque oscitantiam. Affirmantibus siquidem Pelagianis nullum hominem nasci obnoxium originali peccato, ideoque concupiscentiam atque ignorantiam spectare ad naturam instituti hominis, non esse pœnam damnati, ut ait S. P. August. cap. XI. de Dono Perseverantiæ, & nos lib. XII. XIII. & XVI. demonstravimus, sanctissimus Doctor contendit utrumque, tam concupiscentiam, quam ignorantiam malum esse, & posse dici peccatum, in quantum peccato inductæ sunt, atque ad peccatum pertrahunt utentes libero voluntatis arbitrio. Cæterum ait neminem ob ignorantiam illam damnari, nisi propria negligentia quis tenebras sibi arcessat. Qui autem hæc docet, neque affirmat ignorantiam invincibilem esse actuale peccatum, neque opus ex illa patratum deberi ad culpam imputari. Perperam igitur obstrepunt Adversarii contra inconcussam, firmissimamque S. P. Augustini auctoritatem.

2. Probatur 2.

Sane Augustini scopum esse demonstrare ignorantiam non esse naturam hominis instituti, sed pœnam damnati, ut inde originariam labem, & specialis gratiæ inferat necessitatem, liquet ex ejus adversus Pelagianos disputationibus, ac præsertim ex libro contra Jul. VI. Ibi enim cap. 16. demonstrat ignorantiam malum

malum esse, *per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala, & per quod homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei.* Nec tamen sequitur quod perpetrentur mala per ignorantiam invincibilem, sed tantum quod ignorantia vitio primi peccati inseminata sit complurium scelerum radix, quemadmodum & concupiscentia; quæ, etsi pejor est ignorantia, ut eo loci S. P. demonstrat, nihilo tamen minus nonnisi consentientibus nocet. Malum est ergo per Augustinum ignorantia, quoniam ex peccato est, trahitque ad peccatum, licet nullus peccet, nisi ignorantiam ipsam affectet, vel quærere negligat quod ignorat. Producit autem S. Pater eodem Opere lib. 111. cap. 19. ad comprobandum ignorantiæ malum, exemplum Abimelech, qui ignorans Saram esse uxorem Abrahami illam rapuit, & in 1. Retract. cap. 9. exemplum Davidis & Pauli; quorum alter ait, *Ignorantias meas ne memineris*, alter vero, *Ignorans feci in incredulitate.* Profecto ignorantia Abimelech, Pauli, & Davidis ex originali labe traxit originem, sed hi non laborarunt ignorantia invincibili legis naturæ. Si ergo peccaverunt, fuit ipsorum ignorantia vincibilis, propterea quod neglexerint quærere quæ ignorabant. Nam ignorantiam facti, si nequeat superari, excusare à peccato fatetur Jansenius, probatque ex Augustino lib. 2. cap. 26. adversus Crescon ium. Cum igitur S. Pater ad probandum ignorantiæ malum hunc sibi scopum præfixerit, ut ex illa commonstret vitiatam esse peccato originali naturam, atque ad evincendum non esse ignorantiam ipsam conditionem naturæ perfectam proferat exempla eorum, qui peccaverunt ignorantia facti, vel juris positivi; consequens est nihil aliud Augustinum contra Pelagianos intendere, nisi ignorantiam esse vitium derivatum à peccato, & in iis, qui cum possint, illam dispellere negligunt, peccati causam. Vide etiam librum 1. de peccat. meritis, & remiss. cap. 36.

3. Probatur 3. Alterum ex Augustino depromptum argumentum est; quod si ignorantia invincibilis juris naturæ non excusaret à culpa, quia peccati originalis pœna est; nec etiam excusaret infidelitas *negativa*, eorum scilicet, quibus annuntiatum non fuit Christi Evangelium. Cur enim pluribus annuntiatum non sit, venit de occulto judicio, ut S. Pater demonstrat lib. de Dono persev. cap. 9. & seq. Atqui infidelitas *negativa* non imputatur in culpam, quidquid novi obganniant Dogmatistæ post Bajum, cujus assertio damnata est art. 67. Igitur neque imputari potest ad culpam invincibilis ignorantia, propterea quod pœna sit originalis peccati. Minorem propositionem, quam ad fidem spectare constat ex damnatione citati articuli 67. his verbis expressi, *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, etiam Augustinus commonstrat Tract. 89. in Joann. & Epist. 194. olim 105. ex illa Christi sententia, *Si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum non haberent.* Quibus in locis mirum est quærere Jansenianos præsidium erroris sui, cum Augustinus in Epist. ad Sixtum scribat: *Hoc peccatum Judæos non habituros fuisse, si non venisset, quo cum audissent eum, non crediderunt in eum:* & cit. Tract. in Joan. *habere excusationem de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.*

4. Probatur 4. Hujus firmissimæ veritatis possumus rationes multas proferre. Prima est, quod pœna consequens ex originali peccato, nisi accedat liberi arbitrii consensus, nequeat nocere, remaneatque etiam in renatis, in quibus originariæ culpæ labes abstergitur. Altera huic affinis, quod nullum est, nisi sit voluntarium, actuale peccatum. Tertia parum absimilis, quod si ad imputationem peccati sufficeret ignorantiam contrahi ob culpam Adæ, peccatum esset dementia quoque, furor, ac phrenesis, quibus in pœnam primi peccati complures subjiciuntur. Quarta ex his profluens, quod plures ratione utentes, & qui non repugnarent veritati, si eis affulgeret, in damnationem protraherentur inviti.

5. Propositio 2. Propositio II. Nullus hominum compos sui laborat ignorantia juris naturæ invincibili.

Probatur 1. Demonstratur 1. S. P. auctoritate. Scribit enim Augustinus in Psal. 116. *Nullus est, qui faciat injuriam alteri, nisi qui sibi fieri nolit: etenim in hoc transgreditur naturæ legem, quam non finitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati.* Et in 11. Conf. cap. 4. *Furtum punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* II. Demonstratur ratione, quæ ex Apostolo, & eodem Augustino deprompta est. Tametsi per originale peccatum ignorantia & difficultas in singulos Adæ posteros promanavit; nihilo tamen minus etiam Gentes nullis legalibus præceptis

imbutæ, *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*, ut Apostolus docet ad Rom. 11. 15. ideoque nulla est anima quamvis perversa, *quæ tamen ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus;* quemadmodum ex verbis Apostoli infert S. Pater lib. 2. serm. Dom. in M. cap. 9. Atqui vis illa ratiocinandi, illa intima ad singulorum conscientiam supremi Numinis allocutio, testimonium illud animi, & reprehendens aut defendens propria singulorum cognitio nihil sunt aliud, quam Divini luminis irradiatio, & indita universis regula immutabilis æquitatis, seu lex naturæ. Ergo hanc legem nemo eorum, qui ratiocinari possint, & peccandi libertate, intimaque conscientia prædíti sint, ignorat invincibiliter.

6. Notanda aliqua.

Advertendum tamen, spectari posse naturalem legem & quoad universalia principia, & consecutiones proxime inde illatas, cujusmodi sunt, *Quod tibi non vis, alteri non feceris, Diligendus est Deus, Parentes honorandi sunt, &c.* & quoad consequentias, ut inquiunt, remotas, quæ ex iisdem principiis nonnisi difficulter à sapientibus deducuntur; cujus generis sunt complura ad legitimos contractus pertinentia. Est ergo sententia aliquorum dari non posse legis naturæ invincibilem ignorationem, nec etiam quantum attinet ad remotissimas consecutiones; pro qua sententia plura erudite conscripsit Presbyter Ballerinius Veronensis in Conf. Epistolæ Pauli Segneri cap. v. & in Epistola 1. adversus Anonymum Dissertatorem. Fulcitur autem hæc sententia proximis argumentationibus.

7. Probatur 2.

Videtur principio valde conformis Sanctorum Patrum auctoritati. Etenim Ambrosius citatus in C. *Turbatur* dist. 1. 4. ait: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Augustinus de Grat. & lib. arb. cap. 3. *Ignorantia neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Epist. 47. alias 154. *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, hoc putans utique peccat.* Similia habet Bernardus de præcepto & dispensat. cap. 14. S. Thomas Quodl. VIII. art. 13. *Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Idem docet Quodlib. III. Q. IV. art. 2. Gerson denique De vita spirituali lect. IV. *Concors est sententia, nullam in iis, quæ legis Divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem.* His accedit ratio, quoniam ut ignorantia reputanda sit invincibilis, requiritur, quod superari nequeat viribus naturæ, vel gratiæ. Nam gratiæ munus est facere ut innotescat quod ante latebat. Quamvis ergo darentur aliqui tali ignorantia laborantes, ut naturalis intelligentiæ lumine non possent illam dispellere; nemo est mortalium, qui id nequeat superna suffultus illustratione. Hac vero non nisi justo judicio, & in pœnam peccati privabitur; quod sane nullam peccato afferre potest excusationem, neque ignorantiam, per quam aliquis errat invitus, reddere simpliciter involuntariam.

7. Opposita sententia verissima declaratur.

Verissimam tamen puto sententiam oppositam; & circa consequentias juris naturæ remotissimas censeo ignorantiam invincibilem esse admittendam, minus sollicitus an talis ignoratio ratione adjunctorum, sive circumstantium rerum, à quibus universalis legis præscriptio longe distrahitur, appellanda sit potius facti, quam juris. Huc enim videtur tandem descendere Cl. Theologus Veronensis. Et quidem sententia illa non solum traditur à Theologis laudatis ab Auctore Epistolæ vernacula lingua adversus Ballerinium conscriptæ pag. 86. & seq. sed etiam illam tenent omnes fere Ægidiani, ac Thomistæ, nec non Sylvius in 1. 2. q. 76. q. 2. concl. 4. Ludovicus Habert de Actib. Humanis cap. 1. §. 3. q. 10. L'Herminier Tom. v. pag. 254. aliique communiter. Cujus assertionis hæc videtur ratio apertissima, quod conclusiones juris naturæ remotiores deducuntur ex principiis longiori, implexoque discursu, quem rudes quamplurimi etiam ordinariis gratiæ adjumentis non destituti efformare nequaquam valent, ut in multis ad usuram, & matrimonii impedimenta spectantibus non perraro contingit.

9. Respondetur argumentis à Genetto productis.

Superiora autem argumenta producta etiam à Genetto Tract. 1. de Morali cap. 2. non admodum videntur valida. Omnia quippe allata testimonia de jure naturæ spectato quantum ad universalia principia, proximasque conclusiones, & quantum ad ignorantiam homini propria culpa, ac negligentia insidentem, possunt, ac debent intelligi. Deinde, ut brevi singula expediamus: Ambrosius quo loco ea scripsit? Laudatur utique Ambrosius in C. *Turbatur;* & citatur S. Doctoris serm. XI. & lib. v. in Lucam: sed ibidem hoc tantum Ambrosius docuit, quomodo cavere debeamus proditores, ne per eos plurimi fluctuentur, nam, *Licet Petrus esset firmus suis meritis, perturbatur tamen crimi-*

ni-

nibus proditoris. Non extat eo loci, quod de ignorantia addiderunt Collectores Canonum, quamquam & hi loquantur de Jure naturæ primario, & de honore à libertis exhibendo dominis, ut observat Glossator. Prætermitto sermonem XI. nunc XXXVII. esse Ambrosio suppositum.

10. Solvuntur argumenta Augustini.

Augustinus de Grat. & lib. arbitr. cap. 3. hoc tantum docet, ignorantiam eorum, qui non crediderunt in Christum, nequaquam ipsis infidelibus præstituram, ut non ardeant igne sempiterno, non quia non crediderunt, id enim ipsis non imputatur ad culpam, dummodo nescire noluerint; sed quia legem naturæ inscriptam cordibus suis libere transgressi sunt. Mitius tamen ardebunt, quoniam fidelium graviora sunt ob fidei, & vocationis beneficium peccata. *Aliud est enim* (inquit S. Pater) *nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet; sed fortassis ut mitius ardeat: non enim sine causa dictum, Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* Ubi, quoniam hunc Augustini locum objectat etiam Jansenius, duo animadverto; primum ignorantiam eorum, qui non audierunt omnino Evangelium, de quibus loquitur S. Pater, esse ignorantiam juris positivi, quæ ipsorum Jansenianorum confessione excusat à culpa: alterum proferri ab Augustino verba Psalmistæ adversus Gentes idololatras, quarum ignorantia de Deo Auctore naturæ fuit proculdubio vincibilis. Sensus ergo est, infideles non ideo evasuros sempiternum gehennæ supplicium, quia non crediderunt in Christum; sed licet ob hanc causam mitius fortassis ardebunt, in perpetuum tamen excruciandos, quia non servarunt legem naturæ cordi singulorum inscriptam, quantum ad Dei cultum, & naturalia præcepta omnibus manifesta. Epistola autem XLVII. distinguit Augustinus ignorantiam eorum, qui putant cibum, quo vescuntur non esse idolothytum, ab ignorantia eorum, qui idolis immolant sacrificia: quarum prima est ignorantia facti, altera juris, & veritatis ex universali principio proxima consecutione deductæ, ideoque recte docet consistere cum hac ignorantia peccatum.

11. Solvuntur argumenta D. Thomæ.

S. Thomas Aquinas in 1. 2. q. 100. art. 1. disputans an præcepta omnia moralia ad naturalem legem pertineant, communem sententiam his verbis illustrat: *Quædam enim sunt in humanis actibus adeo explicita, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. Quædam vero sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos philosophos. Quædam vero sunt ad quæ dijudicanda indiget homo adjuvari per institutionem Divinam, sicut est circa credenda. Sic igitur patet quod cum moralia præcepta sint de his, quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem sunt, quæ rationi conveniunt, omne autem rationis humanæ judicium naturali ratione derivatur, necesse est quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimode. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda, sicut, Honora patrem tuum, & matrem, & non occides, non furtum facies, & hujusmodi sunt absolute de lege naturæ. Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à sapientibus judicantur esse observanda; & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientioribus instruantur, sicut illud, Coram cano capite consurge, &c.* Si ergo nequeat rudis homo institui disciplina sapientium, eamque requirere, & adipisci non negligat; quis ambigit ejus ignorationem juxta Doctorem Angelicum esse invincibilem? At non affirmat S. Doctor, inquit Theologus Veronensis, errorem, si quis interveniat, omni, vel levi culpa vacare. Id suapte natura consequitur. Nam si culpa vacat ignorantia rerum credendarum, ubi nequeat haberi Divina institutio; cur delicto non caret ignoratio remotissimarum veritatum, si inculpate desit institutio, ac disciplina Doctorum? Liquet enim S. Thomam de una, ac de altera ignorantia simili modo ratiocinari. Ad hoc igitur Angelici D. documentum si cætera revocentur, constat ab illo culpam adnecti duntaxat errori vincibili, ut eodem quodlib. III. aperte declarat Q. XII. art. 2. ad 2. *Ignorantia juris non excusat à peccato, nisi forte sit ignorantia invincibilis.*

12. Solvuntur argumenta Gersonis.

Traduntur similia à Gersone in lib. de Potest Eccl. Cons. XIII. Tom. 2. edit. Dupinii pag. 252. atque in Compendio Theologiæ (si tamen illud Gersoni tribuen-

buendum est) Tom. 1. pag. 412. In libro autem de vita spirituali lect. IV. Coroll. 3. post ea verba: *Concors est sententia, nullam in his, quæ legis Divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem*, statim profert hanc suæ assertionis rationem: *Quoniam facienti quod in se est Deus semper assistit, paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitationem.* In illorum itaque sententia, qui propugnant dari infideles quosdam omni gratiæ lumine destitutos, quemadmodum falsa est ratio allata Gersonis, ita & præcedens assertio. Quamquam certissimum est infideles illos damnari non propter id, quod ignorant invincibiliter, sed propter id quod libera voluntate committunt, aut dignoscere negligunt. Nam si aliqui sunt ob originale peccatum *negative* reprobati, justoque judicio derelicti, nil eis præter originalem labem, quam contrahunt generatione, imputari potest ad culpam, nisi quod libera voluntate patraverint. Atque his diluitur argumentum postremo loco productum.

13. De eo, qui omninò ignorat, quod scire tenetur.

Quod si quis in profundum peccatorum demersus talem mentis caliginem contrahat, ut omnino ignoret quod scire tenetur, is laborabit ignorantia aliquo sensu invincibili, & necessaria quadam infirmitate tabescet: sed quoniam ignorantia illa pœna peccati est, non originalis, sed actualis; nullam excusationem habebit peccatorum illorum, quæ aut à se committenda prævíderat, aut committit indifferentia judicii, & cum optione malorum. De his tenebrionibus, & lucifugis loquitur D. Bernardus de disp. cap. XIV. *Obscuratum quippe* (ait) *insipiens cor eorum, qui istiusmodi sunt, & quasi jam traditi in reprobum sensum, bonum omnino nec diligere, nec dignoscere queunt. De quibus scriptum est: Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Solvuntur ex dictis argumenta Jansenii, quæ tamen breviter dirimenda proponam.

Ad ea quæ objiciunt Jansenistæ.

14. Objectiones Jansenistarum.

Adversarii itaque plura opponunt. Primo, inquiunt, definitum est in Palæstina Synodo: *Oblivionem, & ignorantiam subjacere peccato.* Deinde Augustinus innumeris locis Jansenii assertum expressit. Et libro de Grat. & lib. arbit. cap. 3. nonnulla jam delibavimus: attulimus & quædam ex epistola XLVII. Ad Sixtum epist. CV. nunc 194. ait: *Inexcusabilis est omnis peccator, vel vitio originis, vel additamento propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat.* Causam subinde profert, quoniam, *in iis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in iis autem, qui non potuerunt pœna peccati.* Eadem repetit in omni fere adversus Pelagianos disputatione. Sæpissime etiam appellantur ab ipso Augustino peccata, quæ per ignorantiam etiam invincibilem perpetrantur, ut in III. de lib. arbitrio cap. 19. Pluribus demonstrat omnem ignorantiam esse damnabilem disputans adversus Julianum lib. VI. cap. 16. & de Nat. & Grat. cap. 17. In libro etiam I. Confess. cap. 7. plura deflet peccata infantiæ, quæ *nec mos reprehendi nec ratio finebat.* Accedit S. Hieronymus, qui lib. I. adv. Pelagianos peragrans latissima Scripturam spatia demonstrat errorem omnem, atque ignorantiam esse peccatum. His & consimilibus documentis veritatis errorem suum incrustant Jansenïani.

15. Responsio.

Respond. Palæstinam Synodum proscribendo septimum illud Capitulum Cælestii: *Oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato*, damnare duplex Pelagianum paradoxum: unum quod ignorantia non subjacet peccato originali, sed est conditio naturæ, eoquod non secundum voluntatem eveniat, sed secundum necessitatem: alterum quod ignorantia sive juris sit, sive facti possit quandoque appellari perfecta justitia. Rejici definitione Synodi Palæstinæ duplex illud Pelagianorum assertum constat ex libro Augustini de Gestis Pelagii cap. XVIII. n. 42. Ibi enim ad revincendum Cælestium, & illius damnationem comprobandam profert S. Pater verba Davidis: *Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ, ne memineris*, & sacrificia, quæ in libro Levit. pro peccatis ignorantiæ præcipiuntur. Hæc autem de ignorantia juris naturalis nequeunt intelligi. Frustra itaque ad hanc ignorantiam proscriptio Cælestiani capituli detorquetur. Sane Pelagianos affirmasse ignorantiam non esse malum ex peccati propagine inseminatum, nemo unus ignorat. Protulisse paradoxum alterum, quod ignorantia pertineat ad perfectionem, constat ex lib. III. contra Jul. cap. 19. num. 36. ubi S. Augustinus refert Juliani verba: *Perfectam ignorantiam justitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara fuerat concubiturus ignorans, quod uxor esset aliena, Et ego sciebam, quia in corde mun-*

mundo feciſti hoc. Unde magis apparet quod ſupra aſſeruimus, Auguſtinum non de ſola ignorantia juris naturæ contra Pelagianos diſputaſſe, ſed de omni prorſus etiam juris poſitivi, atque facti, ut ipſius ignorantiæ non Deum auctorem, ſed originale peccatum fuiſſe cauſam evinceret.

16. In Epiſtola ad Sixtum affert primum
Reſponſio 2. S. P. verba Jo. xv. 22. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Ex quo infert non imputari ad culpam peccatum infidelitatis iis, qui Evangelium non audierunt. *Hoc peccatum* (inquit) *non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet, qui cum audiſſent eum, non crediderunt in eum.* Excuſatur ergo à peccato infidelitas *negativa* ignorantiæ conjuncta invincibili. Deinde inſtituit quæſtionem, num excuſabiles ſint, qui non audierunt, ac reſpondet, eſſe quidem excuſabiles in eo quod non crediderunt, at non eſſe excuſabiles ob alia peccata. Enimvero vel damnantur propter originale peccatum, & hoc illis juſto Dei judicio imputatur, quoniam per unum hominem introivit in mundum, in quo omnes peccaverunt ideoque non admittit de hoc peccato excuſationem Deus, qui creavit hominem rectum: vel damnantur peccatis propria voluntate patratis, & de his proculdubio nullam habent excuſationem, ſive ii, qui legem naturalem cordibus inſcriptam infringunt, nec Evangelium audierunt, ſive ii, qui audierunt, & additamento propriæ voluntatis in Judæorum infidelitate perſtiterunt. Proferamus non mutilata, ſed integra verba Auguſtini: *Secundum hanc excuſationem inexcuſabiles dicit Scriptura Divina quoscunque ſcientes peccare convincit. Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt. Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quamvis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, qui male uſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros, manaſſe peccatum. Neque enim damnantur qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibusque peccata, omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat; quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Eſto itaque Auguſtinianæ diſputationis ſumma. Excuſantur qui non audierunt Evangelium, nec audire potuerunt de peccato infidelitatis; non excuſantur quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & ſervierint creaturæ potius, quam Creatori. Derelicti in tenebris, & in maſſa perditionis propter originale peccatum, cui propria ſuperaddiderunt, nequeunt excuſare ipſum peccatum originale, quoniam illud contraxerunt in Adam, & quod Chriſti fidem non acceperint, & ſine lege perierint, pœna eſt transgreſſionis Adæ in quo omnes peccaverunt: nequeunt excuſare actualia peccata, & ipſam infidelitatem, ſi intelligere noluerunt, quoniam in his, quæ propria culpa neglexerunt, ipſa ignorantia peccatum eſt. Peccatum ergo inexcuſabile non eſt ignorantia invincibilis juris naturæ, ſed peccatum originale cujus pœna eſt, ſi quis non eſt prædeſtinatus ad fidem, & infidelitas ipſa vincibilis, nempe illorum, *qui intelligere noluerunt.*

Ubi vero Auguſtinus appellat pecca- 17.
ta, quæ per ignorantiam invincibilem Reſponſio 3.
perpetrantur, peccatum dicit, quod peccato factum eſt, *ſicut linguam dicimus non ſolum membrum quod movemus in ore, dum loquimur, ſed etiam illud quod hujus membri motum conſequitur, id eſt formam tenoremque verborum*, inquit eodem libro III. de lib. arbitrio cap. 19. Hoc ſane pacto diximus lib. XIII. cap. 5. concupiſcentiam appellari peccatum, qui ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut poſt Auguſtinum Tridentina Synodus declaravit.

In libro VI. contra Julianum demon- 18.
ſtrat S. Pater concupiſcentiam, & igno- Reſponſio 4.
rantiam eſſe intrinſece malas, ut inde evincat peccatum originale, & gratiæ neceſſitatem. Objicienti autem hæretico, cur hoc malo non careat qui baptizatur, reſpondet: *Horum malorum omnis reatus ſacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renaſcentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, concupiſcentia minuitur charitate magis magisque fervente.* Ita eodem cap. XVI. num. 50. En aperte Auguſtinus concupiſcentiam, & ignorantiam malas eſſe pronuntiat, ſed in baptizatis utrique malo non aſſentientibus ſejungit à peccati reatu, probans, ex quo remaneant ad luctam neceſſariam eſſe gra-

gratiam sanctæ inspirationis, & dilectionis. At de nat. & gratia cap. XVII. num. 19. solam ignorantiam vincibilem culpandam affirmat: *Quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset, dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret, & dicat, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* In libro denique Confessionum primo cap. VII. opera, quæ comitantur infantiam appellat peccata, in quantum revera naturali legi, ac lumini rationis repugnant, & sunt consectaria miserrimæ originis, de qua David Ps. L. ait: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Verum negat esse peccata, quæ imputari valeant ad culpam: ita ut reprehenda quidem fuerint in se inspecta, sed nullam promeruerint reprehensionem, quatenus facta à puerulo absque rationis usu operante. *Tunc ergo* (inquit) *reprehendenda faciebam: sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio finebat.*

19. Responsio 5. Hieronymus adversus Pelagianos demonstrat plura peccata à nobis per ignorantiam committi, ideoque hoc malum esse nobis insitum vitiatæ generationis origine, neque vitari posse peccatum sine gratia Reparatoris. At frustra Jansenisti de sola ignorantia invincibili, & juris naturæ Sanctum Doctorem interpretantur: frustra inferunt per Hieronymum ignorantiam illam non excusare à peccato. Nam ut Pelagianos revincat per Scripturarum spatia discurrens probat dari ignorantiæ peccata ex cap. XXI. Exodi v. 13. ubi mulctatur exilio, qui occiderit aliquem per ignorantiam absque voluntate, & insidiis. Ex cap. v. Levitici v. 17. ubi præcipitur offerendum esse arietem pro anima, quæ per ignorantiam aliquid immundum tetigerit, & legis cæremonias fuerit prævaricata. Ex cap. XXII. ejusdem libri v. 14. ubi ei, qui per ignorantiam comederit de sanctificatis, mandatur, ut deferat ad Sanctuarium, & det Sacerdoti certam partem ejus, quem ederit cibi. Ex cap. XXXV. num. v. 11. ubi decernuntur civitates refugii pro iis, qui nolentes sanguinem fuderint. Ex I. Regum cap. XIV. 43. ubi Jonathas damnatur à patre, quod gustaverit in summitate virgæ paullulum mellis, quamquam paternum mandatum, ac juramentum nesciret. Hæc omnia exempla sunt juris positivi, vel facti, in quibus ignorantia, fatentibus Jansenistis, excusat à culpa: ideoque certissimum est beatum Hieronymum Pelagianos refellentem universe ignorantiæ malum describere, ut commonstret in nobis proclivitatem ad vitia, & supernorum auxiliorum necessitatem. Vide quæ scripsimus lib. XII. cap. 10. & lib. XVI. cap. 2. & seqq.

CAPUT XI.

Traduntur nonnulli Canones ad dignoscendum quando ignorantia, vel delectatio culpabilis censenda sit, quando verò excusanda.

SUMMARIUM.

1. usque ad 10. Canones pro dignoscenda ignorantia.

Canones pro dignoscenda ignorantia. QUAMQUAM facile ex dictis infertur quænam officia delectatione, vel ignorantia labefactentur; placet tamen regulas quasdam subjicere, quarum lumine dubia quæque moralia circa hanc materiam exorta absque ulla hæsitatione solvantur. Ergo cum ignorantia nihil sit aliud, quam scientiæ & cognitionis defectus, scire autem quis possit aut veritatem quæ nulla ratione ad sempiternam salutem ex se conducit, aut veritatem quæ perutilis quidem est, ut salutem consequamur, sed minime est necessaria; ut denique veritatem, sine cujus notitia æterna salus est impossibilis; consequitur ignorantiam esse vel rerum ad salutem non pertinentium, vel utilium, vel præscriptarum.

CANON I.

I. Canon I. Christus nequaquam mortuus est, ut simus philosophi, vel mathematici, neque naturalium scientiarum ornamenta suapte natura ad pietatem religionemque disponunt: quapropter naturalium disciplinarum ignorantia, sive voluntaria sit, sive involuntaria, per se ad culpam non est imputabilis. Quoniam tamen

tamen acceptis facultatibus bene uti tenemur, ad Dei gloriam & honorem debent perspicaciores ingenio literis, scientiisque navare operam, & in humanam sapientiam animum intendere, non quod ista ædificet, & cuique sit necessaria, sed quia virtus in otio torpescit, neque reponendus est acceptus denarius, contra Commonitionem Evangelicam, in sudario.

Canon II.

2. Canon 2. Ad capessendam salutis viam perutilis est scientia sacrarum literarum; quippe *instruunt ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu*, ut Apostolus scribit in secunda ad Timotheum. Ignorantia itaque vel sacrarum Scripturarum, vel doctrinæ Patrum, vel Theologicarum disciplinarum non est per se in unoquoque culpanda, quoniam non omnes tenentur, vel possunt media quæque utilia adhibere. At hanc scientiam contemnere, & velle perutilem doctrinam ignorare, non est absque peccandi periculo, cum abjiciens utilia minus sit prudens, atque solicitus. Quod si de his loquimur, qui ministerium Ecclesiasticum, & opus Evangelistarum debent implere, quoniam iis sacra doctrina non tam est utilis, quam necessaria, si illam addiscere negligant, habent perversam, culpandam, & damnabilem ignorantiam.

Canon III.

3. Canon 3. Sunt vero aliqua scitu singulis necessaria, ut legis præcepta, Symbolum Apostolicum, præcipua fidei mysteria, & communia Catholicorum rudimenta. Horum ignorantia potest in triplici hominum genere reperiri. Quidam ea scire nullatenus possunt, ut infantes ante usum rationis, & infideles, quibus Christus nondum est annuntiatus: atque in his ignorantia peccatum non est, sed pœna peccati originalis. Quidam alii scire possunt, sed nolunt, subeuntes, ut diximus cap. 1. cum D. Thoma, *ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi;* & in his ignorantia peccatum est, atque gravitatem peccati, quam minuit ex una parte ignorantia, adauget ex altera perversitas voluntatis. Quidam scire possunt, & volunt quodammodo, scire tamen negligunt: in quibus ignorantia partim voluntaria est, partim involuntaria, simulque peccatum & pœna peccati; peccatum ob voluntariam negligentiam, pœna autem peccati, quoniam aliquatenus displicet: atque hæc ignorantia minuit, sed culpam non tollit, sive, ut Schola loquitur, *excusat à tanto, sed non à toto.*

Canon IV.

4. Canon 4. Dupliciter contingere potest facti ignoratio, vel adhibita diligentia, aut non iis inspectis, quæ considerari nec debebant, nec poterant, ut dum Jacob ingressus est ad Liam loco Rachaelis à Labano introductam: vel non adhibita diligentia, nec rebus, quæ attendi poterant, animadversis, ut dum Lamech inter venandum pro fera occidit hominem. Prima igitur ignorantia, cum involuntaria omnino sit, non est aliqua ratione damnabilis; sed altera; quoniam ex parte voluntaria est ob culpabilem indiligentiam, ut liquet ex superiori canone, minuit peccatum, non tollit.

Canon V.

5. Canon. 5. Ignorantia autem invincibilis, sive juris naturæ sit, sive positivi, vel innata est, vel casu superinducta. Prior, qualis est in puero ante usum rationis, in infideli *negative*, aut in homine nato cum necessariis liberi arbitrii impedimentis, ut dementia & furore, pœna peccati est, non peccatum, & à peccato excusat, ut diximus canone III. Superinduci autem potest adulto jam, & utenti ratione, vel dum dat operam rei licitæ, ut si insaniat studendo; vel dum invitus patitur infirmitatem, ut si febre deliret; vel libere peccatum patrando, ut si vinosus inebrietur. Ac in primo & secundo casu, cum ignorantia involuntaria sit, excusat à culpa. In tertio non una est Doctorum sententia: sed arbitramur hanc ignorantiam, cum sit per liberam voluntatem superinducta, peccatum esse, nec excusare à peccato quod prævideri debebat, & poterat, excusare tamen ab illo, ad quod tali ignorantia laborans non potuit animadvertere; nam erga istud nullum libertatis intervenit exercitium.

Canon VI.

6. Canon 6. Inter pernicioſas delectationes connumerandi non sunt motus *naturalis appetitus*, quos non imaginatio gignit, sed ipsa naturalium qualitatum dispositio cujusmodi sunt fames, sitis, somnum. Cum enim hi motus apprehensionem, rationisque deliberationem præcedant, nullo pacto induere possunt moralis actus, &

humani officii naturam, neque inter operationes liberas debent computari. Consequitur autem ut plurimum ad motus naturales alius, quem appellant, *sensitivum*, qui secundum impulsum fomitis tendit in bonum delectabile: atque hunc motum appellitant cupiditatem, cujus comes esse potest delectatio pernicioſa, si liberum arbitrium insurgentem cupiditatis motum non reprimat.

Canon VII.

7. Canon 7. Motus ergo ille pernicioſæ cupiditatis, in quantum homine invito consurgit, & rationem præcedit, est illa lex membrorum repugnans legi mentis, de qua Apostolus; peccatum etiam aliqua ratione apppellatur, in quantum est radix mala, insita originali peccato, & ad peccatum alliciens. Verum cum non sit in libera potestate eundem motum non experiri, nequit reputari illud peccatum, quod est *legis inobedientia, & transgressio*; quidquid commentus est Bajus merito ob Apostolica Sede proscriptus.

Canon VIII.

8. Canon 8. Ubi vero ad motum *sensitivum* accesserit *rationalis*, id est, consequens ad mentis apprehensionem, ac deliberationem rationis, quoniam homo jam non patitur invitus, sed libere delectatur, potest duplici ratione peccare. Vel enim cum advertere possit ejusdem motus pravitatem, illumque refrænare, illi delectatione inhæret suspendendo consensum; & tunc est delectatio, quam dicunt *morosam;* utique mala & culpabilis, quia libere adhæret bono commutabili: vel accedit etiam deliberatus assensus, & tunc peccatum non solum inest, sed etiam regnat, ut scribit Augustinus in Psalmnm L. *Inest peccatum, cum delectaris, regnat si consenseris.*

Canon IX.

9. Canon 9. Delectari de re licita nullum pecatum est. At curandum sedulo, ne etiam licita delectatio in pravam degeneret; nam, ut idem Augustinus ait lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 20. *Cum non reguntur motus animi nostri, erumpunt & pergunt in fœdissimas consuetudines.* Accidit autem nonnunquam, ut immutatis rerum circumstantiis fiat quod licitum erat, illicitum; ut virilis complexus licitus nuptæ, viro defuncto redditur illicitus viduæ. Peccat ergo ipsa, si de actu præterito Matrimonii delectationem percipiat. Quamquam enim præteritus ille actus fuerit aliquando licitus, delectationem non excitat, ut præteritus est; res enim amissa, ut amissa, non delectat, sed cruciat: ideoque oblectationem parit in quantum menti obversatur, & præsens est; quod servata proportione tenendum esse arbitramur, de sponsa oblectamentum percipiente de futuro maritali complexu.

Canon X.

10. Canon 10. Liquet ex supra disputatis nulli bono commutabili tanquam ultimo fini esse inhærendum, sed rebus creatis utendum esse, fruendum autem Creatore. Delectatio ergo, quam creaturis utendo experimur, dum intendimus præstantioris finis consecutionem, censenda est inculpabilis. Contra si delectamentum rerum creatarum sit nobis ultimus finis, eique inhæreamus animo & voluptate, quemadmodum contingit in iis, qui in temporalibus oblectamentis modum non tenent, quælibet delectatio erit pernicioſa. Ideo culpa non caret ipse actus conjugii ob solam voluptatem peracti, & comessatio, epulumque propter luxum, vel satietatem; quomodo rectissime Romani Pontifices declararunt. Atque hæ Regulæ ad ignorantiam, & delectationem pertinentes ex præmissis dissertationibus videntur nobis certissimæ.

CAPUT XII.

Via sternitur ad gravissimam de Opinione probabili quæstionem præmissis iis, quæ pertinent ad humanam conscientiam discernendam.

SUMMARIUM.

1. Conscientia probabilis quid sit.
2. Quid sit conscientia comparatè ad opera facienda.
3. Divisio in conscientiam rectam, & erroneam.
4. Ulterior divisio conscientiæ in scrupulosam, laxam, Pharisaicam, & cauteriatam.
5. Quotuplex conscientia spectato ipsius Judicii motivo.

In

1. Conſcientia probabilis quid ſit.

IN bonis, pravisque operibus attendenda præſertim eſt interior regula morum, quam *Conſcientiam* conſuetum eſt appellare: de qua cum plura tradant Moralium inſtitutionum Auctores, nos paucis exponentes ea, in quibus conveniunt ſinguli, inquiremus ſpeciatim de Conſcientia probabili, de qua diſceptatio perutilis, gravisque inſtituitur. Eſt itaque *Conſcientia*, ut hoc loco accipitur, non ſimplex rerum notitia per ideam aut ſenſum comparata, neque communis pluribus ſcientia, aut conſpiratio, quo ſenſu ait Cicero in Catilinam: *Conſtrictam horum conſcientia conjurationem;* ac Tacitus in 1. Hiſt. *In conſcientiam facinoris pauci admiſſi:* ſed eſt eorum quæ facimus interius judicium animi, per quod aut redargui poſſit, aut probari. Comparatur autem conſcientia vel cum operibus faciendis, vel cum iis, quæ jam facta fuerunt. Reſpectu operum patratorum eſt conſcientia teſtimonium illud, quo juſti eriguntur, improbique timore proſtrantur, quam Græci dicunt συνειδησιν. De hac inquit Apoſtolus ad Rom. IX. 1. *Teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea.* Dicuntur ob illam & impii,

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

2. Quid ſit conſcientia comparatè ad opera facienda.

Comparate autem ad opera facienda, conſcientia eſt intima perſuaſio per quam judicamus ea, quæ agenda ſunt, eſſe bona vel mala. Hæc, de qua pertractamus, definitur in Scholis, *Actus mentis, quo de iis, quæ hic & nunc agenda ſunt, judicamus an omittenda ſint, an executioni mandanda.* Tam aperta eſt hæc definitio, ut poſtulare non videatur aliquam expoſitionem. Sunt quidem è Schola complures, quibus magis placet Conſcientiam dicere *habitum*, quam actum, propterea quod conſcientia etiam in dormientibus permaneat; ſed aliud eſt vis ac facultas judicii, aliud judicium ipſum; atque aliud bona mentis affectio, aliud intima perſuaſio. Dum itaque Scotus, Gabriel, Durandus aliique contendunt conſcientiam dicendam eſſe *habitum*, accipiunt illam aut pro facultate mentis humanæ, aut pro ejus habitudine atque affectione: quo ſenſu dicimus peccantium perverſam eſſe conſcientiam, aut cum Apoſtolo ad Heb. IX. 14. Deum emundare *conſcientiam* noſtram, nimirum mentem ac voluntatem purgare ab erroribus, noxiisque cupiditatibus, ut Deo viventi ſedulam ſervitutem exhibeamus. At nos *conſcientiam* illam dicimus, per quam in operando dirigimur; aut firma ſit hæc directio, aut anceps & dubia, aut æquitati conſentanea, aut fallax atque perverſa, ideoque actum illum mentis, quem alii appellarunt intimam regulam moralitatis, alii judicium practicum, alii βαρβαικῶς *dictamen* rationis: quæ nomina in idem prorſus collineant.

3. Diviſio conſcientiæ in rectam, & erroneam.

Juxta varias judicii noſtri conditiones etiam Conſcientia ſolet à Theologis dividi: nam, quemadmodum judicium verum eſt, aut falſum, ita conſcientia alia *recta* eſt, alia *erronea*. Rectam conſcientiam dicimus, quæ veritati & æquitati conformis eſt; nimirum, qua judicamus bonum eſſe, ac faciendum quod revera eſt hujusmodi, aut è contra eſſe malum ac fugiendum quod revera malum eſt: talis eſt conſcientia, quæ nobis proponit cultum Deo exhibendum, honorem præſtandum parentibus, eleemoſynam pauperibus elargiendam. Quod ſi conſcientia proponat ut bonum quod malum eſt, aut ex adverſo tanquam malum, id, quod eſt bonum, non rectam conſcientiam dicimus, ſed erroneam: ſit in exemplo conſcientia eorum, qui ſimplicem fornicationem, furtum, aliaque probra eſſe licita cenſuerunt. Sunt vero rectæ conſcientiæ dijudicandæ certi canones; quorum primus eſt indita ſingulis æternæ legis participatio, ſive lex naturæ, quæ non ſinit rationabiles creaturas univerſalia ſaltem & communia ignorare, & à qua ſi opus aliquod diſcordet, illud ſit turpe atque inhoneſtum neceſſum eſt. Quare beatus Proſper his verbis alloquitur ſceleroſos:

Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis,
& intus
Inciſos apices, & ſcripta volumina legis
Aſpicite, & natam vobiſcum aſpicite legem.

In iis vero quæ naturæ lumini non ſunt obvia, rectam conſcientiam dicimus, quæ Divinæ auctoritati, & voluntati morigeratur: cujus voluntatis ſeptem habere poſſumus argumenta, ut erudite animadvertit PaulusComitolus in Reſp. Moralib. lib. v. q. xv. Sunt autem ſacra Volumina, Concilia Oecumenica, Chriſti & Apoſtolorum traditiones, Eccleſiæ conſuetudo, juſſa Romanorum Pontificum, Patrum & Eccleſiæ Doctorum una vox & concordia, & denique Theologorum in Scholis diſceptantium conſpiratio & conſenſio. At ſi rationi, vel

auctoritati Divinæ, quam nobis hæc septem argumenta enuntiant, repugnet conscientia, pravam illam, erroneamque æstimamus.

4. Ulterior divisio conscientiæ in scrupulosam laxam, Pharisaicam, cauteriatam.

Verum cum pœnalis cæcitas, atque diverberantes animum imagines rerum sensibilium sæpenumero caliginem offundant inditæ nobis rationi, atque lubentius attendantur prava hominum instituta, impiorum colloquia, indulgentia mortalium ingenio rudimenta, & ad malum allicientes illecebræ, quam perspicuæ veritatis lumen, documenta bonorum, severiorisque disciplinæ præcepta; contingit eapropter, ut pluribus è causis animorum labefactetur judicium: atque inde plures etiam conscientiæ erroneæ genera emanant. Etenim vel animus aliquo ex iis ad veritatem obstaculis præoccupatus judicat vitio esse contaminatum quod omni culpa caret, & hæc est conscientia *scrupulosa* & infirma: vel judicat esse veniale peccatum quod in se gravissimum ac turpissimum est, & hæc est conscientia, quam dicunt *laxam*, id est, dissolutam, & quasi laxis habenis facile in scelera quæque ruentem: vel judicat esse grave peccatum illud, quod suapte natura leve est; & hanc conscientiam dicimus *Pharisaicam*, à consuetudine nempe invidorum Pharisæorum, qui Discipulis vitio dabant, quod spicas evellerent, quod manus, priusquam mensæ accumberent, non lavarent, quod futiles seniorum traditiones parvipenderent: vel denique absque ullo sensu pietatisque respectu approbat atrocissima & iniquissima, quemadmodum Gentes quæ ignorant Deum, & homicidia, furta, adulteria, aliaque flagitia atrocissima putant honesta ac licita; & hanc conscientiam Bonus Merbesius in Summa Christiana P. 1. q. 24. appellat *cauteriatam*, quoniam similis facta carnibus cauterio inustis nil percipere videatur. Obcæcatam dicere possumus, rebellem lumini, & ex crassa perversaque ignoratione profectam. Quemadmodum vero, ut in superioribus dictum est, hæc ignorantia vincibilis, & invincibilis esse potest, ita duplicem conscientiam erroneam constituit, vincibilem atque invincibilem, quarum primâ à culpa neminem excusari liquet ex hactenus disputatis.

5. Quotuplex conscientia spectato ipsius judicii motivo.

Omnes hæ partitiones conscientiæ spectant objectum, illud scilicet, circa quod versatur interioris animi judicium practicum. Inquirendum modo quotuplex sit conscientia spectato ipsius judicii motivo. Sane prænotio, quæ nos ad judicandum potest pertrahere aut evidentiam habet, aut moralem certitudinem, aut anceps est & ambigua, aut est probabilis, aut aperte falsa ac repugnans. Conscientia itaque, sive animi persuasio ex præconcepta notione derivans, vel erit evidens, vel moraliter certa, vel dubia, vel probabilis, vel improbabilis. Conscientia *certa & evidens* est intima persuasio, quæ oritur ex manifesta & rationi per se obvia cognitione: qualem conscientiam habet, qui Deum colit, qui honorat parentes, qui naturalem legem sibi inscriptam intuetur, meditatur, ac servat. Conscientia *certa* tantum *moraliter* est quæ procedit ex motivis, quæ etsi evidenter non appareant, firma sunt tamen, atque formidinem omnem excludunt: talis E. G. est conscientia hominis etiam illiterati, & rudis, qui edoctus à Parocho, aliisque, quos novit probos esse, ac bene moratos, nec pulsatus contraria mentis persuasione, nec opposita auctoritate, nec contraria aliqua consuetudine facit quod censet esse à se faciendum. Atque hinc patet posse conscientiam moraliter certam haberi etiam cum errore, dummodo sit involuntarius, ut demonstrant Theologi exemplo Jacob accedentis ad Liam. At *dubia* conscientia est, in quantum secernitur à probabili, dum quis pari rationum momento libratus hæret in ancipiti, & ab utraque parte cohibet assensum. Est autem dubium, aliud *juris*, aliud *facti*, ut supra dictum est. Si vero motiva, quæ pariunt dubitationem perlevia sint, timidosque ad hanc angustiam adigant, ut credant scelus grave, quod in se vel est minimum, vel inculpatum, conscientia dicitur *scrupulosa*; si ex adverso levi ductus momento judicet aliquis vel bonum, vel excusabile quidquid probrosum est ac nefarium, habet is quidem *latam* perversamque conscientiam, quam paulo supra descripsimus. *Probabilis* conscientia est, quæ gravi quidem momento innititur, & ducitur ratione aliqua vel auctoritate minus spernenda, sed quæ partis oppositæ formidinem penitus non excludunt. Atque de hac conscientia plura nobis dicenda occurrunt. Nam *improbabilis* conscientia ex opposito ea est, quæ nulli tali momento innixa suadet opus aliquod faciendum temere atque imprudenter.

Conveniunt autem Theologi fere omnes, quod teneamur semper morem gerere conscientiæ rectæ, moraliter certæ, necnon etiam erroneæ cum invincibili ignoratione coniunctæ. Quisquis etiam

etiam operatur cum conscientia ancipiti ac dubia, communi consensione imprudenter agit, & peccat. Ad conscientiam itaque probabilem gravis controversia restringitur; quam proximo capite explicabimus enucleatius, posthac curabimus dirimere, & complanare.

CAPUT XIII.

Quid sit opinio probabilis? quomodo hanc nonnulli studeant reddere certam regulam morum? quanta contentione hæc quæstio agitetur? quid prænotandum sit ad ipsam solide diluendam?

SUMMARIUM.

1. Quid sit opinio probabilis.
2. Opinio probabilis debet niti fundamento magni momenti, fixo, & firmo.
3. Discrepantia inter opinionem & dubium.
4. Aliud est probabile comparatè ad mentem, & aliud probabile in se.
5. Probabilitas deducitur ex ratione, & auctoritate.
6. Etsi numerus Magnus Probabilistarum, est tamen æquè magnus Adversariorum.
7. Varii Auctores recensentur pugnantes contra probabilistas.
8. & 9. Refutantur aliqui Recentiores.
10. Notandum 1. Omnem opinionem ortum ducere ex ignorantia.
11. Notandum 2. Ex duabus inter se pugnantibus opinionibus una est vera, altera falsa.
12. Notandum 3. Non licet sequi conscientiam dubiam hæsitantem.
13. Notandum 4. Probabilistæ distinguunt inter dubium speculativum, & practicum.
14. Quomodo cum dubio speculativo stet Judicium practicum moraliter certum.
15. Quomodo Judicium speculativum anceps liberetur ab hæsitatione. Via 1ma.
16. Via 2da.
17. De periculo peccandi materialiter, non autem formaliter.

1. Quid sit opinio probabilis.

PROBABILEM opinionem nos paulo supra hac definitione circumscripsimus: *Probabilis opinio illa est, quæ gravi quidem momento innititur, sive quæ ducitur ratione aliqua, vel auctoritate minime spernenda, sed penitus non excludit oppositæ partis formidinem.* Etsi vero definitionem istam sola nominum perceptio satis declarat, nonnulla pro ejus explicatione sunt observanda. Existimarunt quippe complures sufficere ad opinionis probabilitatem, si innixa sit rationi vel auctoritati alicujus momenti, quamvis pertenuis ac levis; ut liquet ex definitione tradita ab Antonio Escobario Exam. III. de Consc. cap. 3. *Probabilis sententia dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti.* Ex qua definitione fas esset sequi sententiam unius tantum Doctoris, dummodo gravis & probi, ut ibidem Escobarius affirmat, & Sanctius in Summa lib. 1. cap. 9. Adversus definitionem illam non solum insurgit Auctor Epistolarum Provincialium Ep. v. & qui sub nomine Wendrockii Notas iisdem Epistolis addidit; verum etiam Joannes Sinnichius celebris Doctor Lovanienſis lib. 1. Saulis Ex-Regis cap. 94. aliique Antiprobabilistæ omnes, præsertim præpositus Societatis JEsu Thyrsus Gonzalez Diss. 1. §. 2. ubi ait definitionem hanc aperire januam magnæ relaxationi, & laxitati. Neque verum est quod scribit Auctor speciminis Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis P. IV. cap. 2. Ludovicum Montaltium in probrosis Epistolis prædictam definitionem è sola Hispania vestigasse, ibique ab uno Escobario parum scrupulose fuisse traditam; quidquid enim sit de Montaltio, cujus convitia rationemque scribendi nequaquam probamus: fatetur Gonzalez eandem definitionem satis esse communem, eamque nobis ex recentioribus exhibuit Tamburinus definiens opinionem probabilem lib. 1. Decalog. cap 3. §. 3. *Opinio probabilis est assensus intellectus de aliqua re, qui innitatur rationi, vel auctoritati alicujus momenti, modo ex altera nihil appareat convincens.*

2. Opinio probabilis debet niti fundamento magni momenti, fixo & firmo.

At Probabilistæ alii animadvertentes, quam latam hæc definitio erroribus viam sternat, eoquod ea statuta fas esset eligere quidquid apparet verisimile, eam emmollire studentes docuerunt requiri ad opinionem probabilem, ut nitatur fundamento magni momenti, fixo, firmo, non sophismati alicui, aut rationi duntaxat apparenti: quod colligitur ex Terillo & Esparza proximo §. laudati à Thyrso Gonzalez, & ex Joanne Ferrier Tolosano, quem exagitat citato loco Wendrockius. Atque ex his constat nos congruam tradidisse probabilis opinionis definitionem. Grave autem cen-

censetur, aptumque ad faciendam probabilitatem momentum, quando id videtur *omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus, & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis, & illustribus*, auctore in 1. Topicorum Aristotele: & si loquamur de iis, quæ ad fidem moresque pertinent, ut sit probabilis opinio juxta S. Patrem Augustinum in lib. VII. de Baptismate contra Donatistas cap. 53. num. 102. requiritur, ut saltem probetur aliquo diœcesano Concilio, & dijudicari possit ex definitione Concilii plenarii, ex sacris literis, ex sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex aliis Christianæ doctrinæ munimentis, ita, ut progrediendum non sit aliqua temeritate sententiæ, ubi munimenta hujusmodi non habentur. Videatur Christianus Lupus Dissert. de Opin. Probab. cap. 2. Verum ex allata definitione, qualecunque grave momentum censeas, refellitur doctrina illorum, qui commonstrare nituntur fas esse amplecti opinionem probabilem in alterius æque probabilis, aut probabilioris occursu. Si enim menti obversetur adversa opinio, quæ sit probabilior, ea gravioribus momentis erit dubio procul innixa: si æque probabilis sit, debet consimili ratione vel auctoritate fulciri; ideoque opposita opinio desinet esse probabilis, cum nequeat æstimari firma, ac stabili innixa fundamento sententia illa, cui adversatur altera æqualis, vel majoris momenti. Enimvero nullum pondus, saltem comparative, grave poterit æstimari, cui simile, aut gravius contranitatur. Atque hinc est, quod Probabilitatis, sive benignæ, ut inquiunt, sententiæ patroni coguntur principio pugnantia absurdaque deglutire; quoniam receptâ definitione, quam tradunt, nequit censeri probabilis illa opinio, cujus momenta possunt æqualia aut graviora elevare aut elidere.

3. Discrepantia inter opinionem ac dubium.

Ut ex adverso Probabilistæ valide se communiant, docent maximam intercedere *opinionem* inter ac *dubium* discrepantiam. Ac *dubium*, quod fatentur non esse conscientiæ certam regulam, ajunt adesse, quotiescunque animus inter rationes ejusdem ponderis pendet anceps, uti & nos affirmavimus paulo supra: assensum autem *opinativum* illum dicunt, qui procedat ex cognitione majoris convenientiæ *prædicati* cum *subjecto* in una parte contradictionis quam in altera. Ita Gabriel Vasquez 1. 2. disput. 62. cap. 3. Et recte quidem; nisi enim major illa convenientia percipiatur, deerit momentum illud grave, quod necessarium fatentur ad faciendam probabilitatem. At hic rursus hæret aqua: cum nequeat dari istiusmodi assensus, quo mens judicet in una potius parte, quam in altera *prædicatum* convenire *subjecto*, dum simul animum pulsant oppositæ opiniones æquis suffultæ momentis. Alii distinguunt inter dubitationem speculativam, & practicam; quod an jure, & qua utilitate faciant, erit postea inquirendum. Quamplures vero, cum optime perciperent in plurium opinionum conflictu animum hærere suspensum, curarunt difficultatem omnem dirimere, præsidio judicii reflexi; quo mens utrâque opinione libratâ censet unam atque alteram esse probabilem: atque posse hoc judicio conscientiam dirigi recentiores casuistæ consentiunt. At videndum est, an judicium istud reflexum, quod sane comparate ad objecta est ratum ac firmum, & absque ulla hæsitatione pronuntiat utramque opinionem esse probabilem; sit etiam comparate ad mentem rationalem talis efficaciæ, ut possit per illud omnem fluctuationem deponere, ac pro libitu unum aut alterum agere; cum nobis potius videatur eodem judicio quemadmodum statuitur utriusque partis probabilitas, ita conscientiam vehementius angi, & quodammodo admoneri, ne inconsiderate eligat quod potest esse iniquum atque inhonestum. Tantummodo videntur hæ reflexiones (inquit Eminentissimus Aguirre) hominem placendi Deo & salutem consequendi cupidum hortari quammaxime; ut præjudiciis exutus sedulo veritatem inquirat, consulatque Scriptores Catholicos, ut re majori in lumine collocata ac dubitatione deposita elicere valeat judicium moraliter certum, atque eo pacto absque conscientiæ agitatione operari.

4. Aliud est probabile comparatè ad mentem & aliud probabile in se.

Priusquam de his pronuntiemus: constat ex allata definitione institui controversiam de eo, quod probabile est operanti, sive comparate ad mentem à qua elicitur judicium practicum; non de eo, quod est probabile tantum in se, atque spectata intrinseca ratione sui. In re quippe illud tantummodo probabile est, quod est verum; quoniam, verum duntaxat habet firmum, ex quo legitime inferatur, momentum. Quamobrem Philalethes, sive anonymus Auctor libri, qui inscribitur, *Triumphus Thomistarum*, Opusc. v. cap. 3. num. 79. *Cerne*, inquit, *cordate lector, quantum incautos decipiant Probabilistæ, dum eam sententiam prædicant probabilem, quæ non innititur sophismati, sed gravi, solidæ & magni momenti rationi, quæ non evi-*

denti

denti rationi vel auctoritati Scripturæ, Conciliorum, Pontificum evidenter repugnet. Certum est sententiam falsam à parte rei non posse probari per rationem, quæ sit à parte rei vera; etenim vero non potest connecti nisi verum, & ideo nec ex vero potest sequi, nisi verum; unde quidquid legitime infertur ex vero est etiam verum: ut patet ex Summulis. Nulla ratio falsa potest à parte rei esse gravis, solida, & magni momenti; cum ergo Probabilistæ plurimas sententias dicant probabiles, quæ à parte rei falsæ sunt (siquidem ex duabus contradictoriis & probabilibus una debet esse à parte rei falsa) necesse est, ut per rationem gravem, solidam, & magni momenti, non intelligant, eam quæ sic est à parte rei, sed quæ sic videtur probantibus eam. Ratio autem quæ videtur gravis & non est, quæ videtur solida & revera non est, verum sophisma est, id est apparens veritas, & vera falsitas. Similiter dum à sententia probabili excludunt evidentem repugnantiam, non loquuntur de repugnantia, quæ sit à parte rei evidens, sed quæ sic videatur à probantibus eam: est enim à parte rei evidens, omne falsum contrariari alicui rationi, & auctoritati. Hæc, & alia multa eo loci Philalethes, & ibidem laudatus Episcopus Vencensis, cujus hæc sunt verba: *Addunt quidem illi* (Probabilistæ) *nonnunquam rationes quibus nituntur opiniones probabiles solidas esse debere, nec ullam probabilitate donandam, nisi quæ non repugnet Scripturæ ac Traditioni. Verum hæ conditiones nihil aliud sunt, quam laquei irretiendis, deludendisque simplicioribus instituti. Non enim per solidas illas rationes eas intelligunt quæ veræ sint; nullæ enim veræ rationes inveniri possunt ad stabiliendas opiniones falsas, quibus certe accenseri debet magna probabilium opinionum pars, quæ cum sibi invicem adversentur, simul veræ esse non possunt. Has ergo illi solidas vocant, quæ solidæ probantibus videntur. Hoc vero omnibus sine exceptione erroribus convenit. Nec enim quisquam ullum tuetur errorem, qui non solidas in judicando rationes sequi sibi persuadeat, &c.* Etsi autem ego aribtror ab omni decipiendo animo *Casuistas* omnes immunes, neminem quippe adeo improbum esse censeo, ut scienter pusillorum animabus retia summittat; id tamen certissimum puto, disputari de opinione probabili, in quantum talis menti operantium apparet: hac enim ratione spectare potest ad conscientiam, rerumque agendarum dijudicationem, cum nihil ad operandum voluntatem alliciat, nisi prout ei proponitur aut legitima, aut ficta bonitate vestitum. Atque id significarunt Scholastici appositione harum, vel similium dictionum, *An liceat sequi opinionem probabilem, qua talem.* Fateor etiam aliquando conscientiam falsam esse à culpa prorsus immunem, si tali ignorantia laboret, quæ non sit libera ac voluntaria, & aliunde ipsa conscientia sit practice certa: quod iterum moneo, ne insectando Probabilismum incidamus in casses hæreticorum. Num vero sit practice certa illa opinio, quæ est modo explicato probabilis, id est, habet in mente operantis grave aliquod momentum auctoritatis vel rationis, istud erit velitationis hujus subjectum.

5. Probabilitas deducitur ex ratione, & auctoritate.

Ex duplici itaque capite deduci potest alicujus opinionis probabilitas, ex ratione nimirum, atque ex auctoritate: non ex ratione manifesta atque irrefragabali, neque ex auctoritate Divina nobis aut scriptura, aut traditione, aut Ecclesiasticis definitionibus certissime nota; illa quippe manifesta ratio scientiam parit, & hæc explorata auctoritas fidem generat: sed ex ratione, cui potest subesse falsum, & quæ conjunctam habet aliquam animi trepidationem, & ex auctoritate Scriptorum ob sententiarum discrepantiam, & perplexas quibus ducuntur argumentationes, nonnunquam obnoxiorum errori.

6. Etsi numerus magnus Probabilistarum, est tamen æquè magnus adversariorum.

Si solus attendatur Scriptorum numerus; tametsi Assertores Probabilismi turbam faciunt maximam, ita, ut quinquaginta enumeraverit Julius Mercorus, permultos addiderit Tellus, plurimosque ediderit ætas posterior; puto tamen stare ex adverso æque magnam ac florentissimam multitudinem. Hanc Gennetus & Guerrerus noster indigitant, qui tamen plures etiam doctrina & celebritate clarissimos prætermittunt. Certissime Probabilismo bellum indicunt post veteres omnes, ut à Nostratibus exordiar, viri percelebres Lambertus Le-Drou Episcopus Porphirienſis, Ignatius La-Zerda Episcopus Aquilanus, Christianus Lupus, Henricus Norisius Cardinalis Amplissimus, Franciscus Fervacques celebris Professor Lovanienſis, Joannes Schweitzerus Doctor Colonienſis, quorum meminit in Ratione Operis sui præmissa Hispaniarum Conciliis Eminentissimus Aguirre. His accessere Bartholomæus Riccius, Fridericus Gavardi, Leonardus Vanroy, Nicolaus Gircken, Aurelius Piette, Joannes Libens, Fulgentius Bellelli, Antonius Guer-

Guerrero, &, si Gibbonem & Salonium excipias, omnes, quotquot ad manus meas pervenerunt. Ex sacro Fratrum Minorum instituto laudari possunt Subtilis, ut vocant, scholæ Doctor ac Princeps Joannes Scotus, Divus Bonaventura, Cardinalis de Laurea, Corduba, & alii. Ex amplissimo Prædicatorum Ordine laudat ibidem Aguirre Joannem Martinez, Julium Mercorum, Vincentium Baronium, Picinardum, Gonetum, Contensonium, & Natalem Alexandrum. Commemorat ex Monastico Divi Benedicti Ordine Mabillonium, Gerberonem, Cardinalem Sfondratum, Facundum de Torres, Hontiverum, quibus ipsum Cardinalem Aguirre jure meritoque accensemus. Addit S. Carolum Borromeum Cardinalem de Janson, Archiepiscopum Parisiensem Harlai, aliosque complures. Ex illustri amplissimaque Societate Jesu, quosdam paulo infra producam. Interim, cum necessarium minime sit, ut singulos persequamur, legi poterunt qui hanc provinciam susceperunt Scriptorum catalogum contexendi, ex quibus facile inferre possumus magnum hinc, inde numerum decertare.

7. Varii auctores recensentur pugnantes contra Probabilistas.

In horum sane complexu quædam spectanda sunt, quibus attentis videntur mihi etiam ex hoc capite Antiprobabilistis majorem accedere auctoritatem. Ac primum adversus eos, qui probabilitatem propugnant, acerrime insurgunt docti viri, qui de Theologicis Controversiis scripserunt absque ullo partium studio, nec jurarunt in verba magistri, &, quod summopere commendandum est, probarunt quidquid sibi visum est subnixum momentis validioribus. Hujus generis sunt, ut nonnullos producam, Nicolaus Le-Herminier, Ludovicus Habert, Antonius Charlas, Philaletes, Merbesius, Gennetus, Auctores summæ Theologiæ Moralis ad usum Seminarii Petrocorensis, earumque quas edi curarunt Eminentissimi Principes Grimaldus Episcopus Aquensis, & Le, Camus Episcopus Gratianopolitanus. Videntur præterea in eandem sententiam conspirare celebriores Christiani Orbis Universitates: quippe ex sola Lovaniensi numerantur ab Auctore Speciminis Doctrinæ Theologicæ, Joannes Sinnickius, Jacobus Pontanus, Franciscus Vanvianen, Gerardus Vanwerm, Lambertus Vincent, Joannes Recht, Gummarus Huygens, Laurentius Neessen, quos omnes eadem ferme ætate certum est floruisse. Universitas etiam Parisiensis, quamquam nonnulli Sorbonæ Doctores sententia nunc distrahuntur, anno 1665. die 21. Junii hanc propositionem, *Agendi regula proxima conscientia est. Probabilem sequi tuto licet, etiam probabiliori posthabita*, sequenti censura confixit, *Hæc propositio quoad secundam partem generatim sumpta, quatenus, ad omnem probabilitatem, & casum extendi potest, falsa est, temeraria, & in varias morum corruptelas inducens.* Est autem sententia oppugnans Probabilismum ab omnibus fere Parochis, & Episcopis Gallicanis, ac majori Theologorum numero, nulla habita ratione eorum, qui deterioribus partibus student, communi plausu recepta. Insuper doctrina, quæ invehitur adversus opinionem probabilem nullam unquam subiit censuram, nisi forte à Jansenianis falso circa ignorantiam dogmate contaminata. At sententia Probabilistarum dicitur à Paulo Comitolo lib. v. Resp. Mor. q. 15. *fœda prolapsio*, & notatur plurimis Episcoporum censuris tanquam falsa, periculosa, viamque sternens innumeris corruptelis. Collegere censuras istiusmodi Merbesius in Summa Christiana P. 1. q. 36. & Antonius Charlas de Opinionum delectu cap. 17. Nonnulli quoque in Probabilismi defensionem editi libri experti sunt tristem adversamque fortunam, ut Apologia Casuistarum tot per Gallias animadversionibus consciissa, Opus Guimenii à S. Facultate Parisiensi proscriptum, & damnatum ab Alex. VII. Apologema Caramuelis adversus præclarissimum Jurisconsultum Fagnanum. Ad hæc Theologi omnes, ut inquit initio Operis de recto usu opinionum probabilium Thyrsus Gonzalez S. J. Generalis Antistes, usque ad annum 1571. semper docuerunt tutiorem partem esse tenendam: atque Paulus Comitolus citato loco affirmat, id præsertim tradidisse Henricum Gandavensem quodl. IV. q. 33. Gersonem Tract. 36. art. 10. D. Antoninum 1. P. tit. 3. cap. x. §. 10. Adrianum in qq. de Restit. q. *Jam dictum*, Cajetanum in Summa v. *Opinionis usus*, Sotum in III. lib. de Just. & Jure q. 16. art. 5. Sylvestrum verbo *Opinio*, q. 2. Angelum, Navarrum, Tabiensem, & alios, uno excepto Armilla; de quo etiam aliter quam Comitolus, censet Charlas, hac illius recitata sententia, *In operandis vero, ubi sunt opiniones, semper tutior pars est eligenda, ne quis exponat se periculo ambiguitatis & consequenter peccandi.* Ita Armilla v. *Opinio*. Excusum autem fuit Opus Comitoli primum Lugduni anno 1609. Atque ex his apertissime constat inter omnes Probabilismi defen-

defensores nullum commendari ob venerandam antiquitatem: ideoque consueverunt semper Probabilistæ juniorum Scriptorum doctrinam magnificare. Insuper nec unus poterit adinveniri, qui sententiam oppositam paobabilismo deseruerit, postquam illam fuerit semel amplexus: quod merito dixit Gonzalez differt. XIII. pag. 219. num. 85. magnum veritatis argumentum. At sententiam, quam benignam vocant, retractarunt permulti post plenam atque accuratissimam discussionem. Retractavit supra laudatus Eminentissimus Aguirre scribens num. 31. quod ipse *communi fere sensu, & præjudicio adductus in probabilismo velut in pulvino molliter quiescebat*: sed seq. num. 33. inquit: *Cœpi itaque rem maturius examinare ab anno circiter 1671. usque modo, lectis ac relectis pluribus auctoribus, qui hinc & inde controversiam hanc gravissimam profligarunt ex instituto. Deprehendi vero ingens periculum saluti in sectando, aut consulendo aliis Probabilismo, sive usu cujuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati in concursu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem mihi alte insedit, ubi utraque apparet probabilis æque aut circiter: manet enim res adhuc vere dubia, & incertum omnio, an actio vel omissio sit contraria legi æternæ, necne: quidquid plerique recentiorum distinguant inter dubium speculativum & practicum; hanc enim distinctionem quoad controversiam præsentem plurimi alii à triginta circiter annis usque modo doctissime rejecerunt. In dubiis autem, & spectantibus ad æternam salutem, eligendam esse tutiorem partem jura clamant, & prudentia, & lex charitatis Divinæ, de propria, & aliorum salute palam dictat.* Steterat pariter acerrime pro sententia Probabilistarum Cardinalis Pallavicinus, sed illam retractasse demonstrat Gonzalez laudata differt. XIII. num. 76. Gonzalez ipse in Operis sui Introductione num. 40. de semetipso inquit: *Postquam accurate legi quidquid benignioris sententiæ doctores pro se, quidquid contra ipsos adducerent severioris sententiæ defensores, post exactam totius controversiæ discussionem, quamvis fuissem contrariæ sententiæ principiis assuetus, meo tamen firmiter insedit animo, manstitque infixum . . . nulli permissum esse amplecti sententiam minus tutam in occursu tutioris æque vel fere æque sibi verisimilis; atque adeo ad usum licitum opinionis minus tutæ necessarium omnino esse, quod post diligentem veritatis inquisitionem ipsa citra passionem & culpam appareat operanti sensibiliter & clare verisimilior opposita, atque hac de causa ab ipso judicetur vera judicio absoluto determinato.* Non defuerunt ergo Auctores gravissimi, qui re mature ac diligenter excussa Probabilismum, ut vulgo defenditur, retractarunt.

8. Refutamur aliqui Recentiores.

Hinc rejicitur plurimorum Recentiorum confidentia, quâ innumeros nobis Doctores obtrudunt, eos maxime, qui Moralem Theologiam postremis sæculis exornarunt. Ab his initio petimus, num probent Pii II. in Epistola ad Ludovicum Galliarum Regem monitum illud perutile: *Scriptura, quæ ait, Ubi multa consilia, ibi salus, consiliorum multitudinem non requirit, sed maturitatem & digestionem; quæ res in paucis, quam in multis facilius invenitur: neque enim honestas & justitia multitudini facile suadetur; quæ variis affectibus agitata ad pejora frequenter inclinat.* Collustrat documentum istud lege Justinianea, atque exemplis Jesuita Comitolus pagina Responsorum Moralium 653. Quærimus insuper, sitne Probabilismi propugnatoribus major doctrina, major sanctitas, major in Ecclesia auctoritas; quæ tria in Scriptorum numero sunt apprime inquirenda. Petimus etiam, ut Probabilistæ in medium proferant Ecclesiæ Patres, Canones Conciliorum, statuta Pontificum, necnon antiquos celebresque Scholasticos, qui floruerint ante annum 1570. Interrogamus etiam, an Probabilismum retractaverit præclarus aliquis Scriptor ex illorum numero, qui illum probarunt, adhibito studio, & re diligenter discussa. Id etiam scire percupimus, an habenda sit ratio Auctorum illorum, quos diximus pugnare ex adverso: & si respondeatur nihili hos faciendos, optamus ut nobis reddatur causa; an fuerint morum corruptores, an à Sede Apostolica hoc in eis dogma fuerit proscriptum, an ex illorum perceptionibus scaturierint morum laxitates, an impetiti sint censura aliqua, à qua se purgare nequiverint. Postremo quoniam humanæ auctoritati debent præferri sacræ literæ, & monimenta reliqua veritatis firmissima, & inconcussa; hoc nobis est demonstrandum, subverti munimentis hujusmodi Scriptorum, quos sequimur, auctoritatem. Quod si Probabilistæ proferant tantummodo Auctores posteriorum ætatum, refutatos à multis, à suis quoque partibus disjunctos, ductosque vel præjudicio aliquo, vel parum consistente momento, noverint sententiæ ipsorum

quamlibet Recentiorum multitudinem nihil afferre posse adjumenti.

9. Confirmatio refutationis. Recensere quidem potuerunt venerabilis Societatis Jesu Scriptores plurimos, etiam eximium Concionatorem, virumque egregium Paulum Segneri seniorem, qui de hoc argumento elegantissimam conscripsit Epistolam, non enim nos de hujus auctore aliter sentimus, quam juxta nominis inscriptionem. Verum nec Jesuitæ omnes Probabilismum sectantur. Dixi de Paulo Comitolo, de Cardinali Pallavicino, & de Thyrso Gonzalez. Bellarminus in Epistola ad nepotem suum Episcopum Theanensem hæc habet: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali auctoritate proposita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa re, cum de salute æterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conscientia non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Afferunt gravissima hæc Bellarmini verba Thyrsus Gonzalez, & Cardinalis Aguirre, una cum Epistola Mutii Vitelleschi Præpositi Generalis data anno 1617. pridie nonas Januarias. Testatur idem Gonzalez oppugnari Probabilismum à Ludovico Molina, Ferdinando Ribello, Andrea Blanco, atque hunc omnium primum adversus Probabilistas strinxisse calamum. Addere possumus Franciscum Cardinalem Toletum, Dominicum Nunnez in Regula honeste vivendi, Adamum Eherentreich de licentia Actionum Moralium, Aegidium Estriz in Logistica Probabilitatum, aliosque bene multos. Istos vero, præsertim Bellarminum, Pallavicinum, Toletum, Comitolum, & Gonzalez æquiparare possumus Jesuitis cæteris universis. De Pauli Segneri Epistola nihil habeo aliud, quod valeam pronuntiare. Illam refutavit Ballerinius eruditus, dissertusque Presbyter Veronensis: neque hujus argumenta frangit Epistola Anonymi ab eodem Auctore postremis dissertationibus vellicata. At plura de iis, quæ pertinent in hac quæstione ad auctoritatem numerumque Scriptorum dicta sunt hactenus. Proferenda ergo sunt, quæ ad percipiendam vim & efficacitatem rationum ducimus præmittenda.

10. Notandum. Omnem opinionem ortum ducere ex ignorantia. Ac principio prænotandum est omnem opinionem, quatenus plenam scientiam, judiciique firmitatem excludit, ortum ducere ex ignorantia. Liquet id ex quo principia, quæ certa sunt ac perspicua, & quorum connexio cum enunciationibus inde illatis similiter manifesta est, non opinionem generant, sed scientiam; quemadmodum si auctoritatem habeant Divinam atque irrefragabilem, & excedant notitiam naturalem, rationemque communem, nec opinionem pariunt, nec scientiam, sed fidem. Atque id affirmat D. Bernardus scribens in v. de Consid. cap. 2. *Intellectus rationi innititur, fides auctoritati; opinio sola verisimilitudine se tuetur.* Et Tertullianus libro ad Nat. cap. 2. *Varietas opinionum*, inquit, *venit ex ignorantia.* Revera in Deum, quem nihil latere potest, nulla cadit opinio, nullaque judicii hæsitatio: nos econtra diversis opinationibus trahimur, idque evenit non in per se notis, quorum eandem habemus singuli perceptionem, sed in abstrusioribus & reconditis, quorum causam ignoramus. Proptorea in primo homine condito cum participatione lucis æternæ, nullaque decepto falsitatis imagine, nullam extitisse opinionem errori subjectam, scite & luculenter demonstrat Q. XVIII. de Veritate a. 6. Doctor Angelicus: ubi etiam probat opinionem semper esse cum inordinatione aliqua conjunctam, quoniam inordinatio est, *quotiescunque intellectus, cujus objectum est verum, flectitur in aliquam partem à verisimili.* Hæc quidem Doctrina Augustiniana est; nam S. P. in libro de Utilitate credendi cap. XI. num. 25. affirmat, *tria esse veluti finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, & opinari: quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio.* Ignorantiam vero, ex qua nascitur opinatio, esse animi vulnus, atque pœnam peccati, res est in Augustino adversus Pelagianos decertante literis expressissimis demonstrata. Itaque si quis opinionem probabilem sequatur, & ex duabus falsam eligat, videndum est, an tali ignorantia laboret, quæ possit illum à culpa excusare; si veram, quærendum an scienter se exponat peccandi periculo: quod sane, præceptore D. Thoma Quodlib. VIII. art. 13. reperitur, *quotiescunque operans non habet scientiam de contrario, & in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & tenui ea dubitatione permanente operatur.*

De

De ignorantia autem ſtatutum eſt ſupra, invincibilem ſemper à peccato excuſare, cum deſtruat voluntarii rationem: vincibilem autem eſſe damnabilem, ſi ſit eorum, quæ ſcire debemus, juxta canones capitis XII. & receptam D. Thomæ doctrinam Q. 3. de Malo art. 8.

11. Notandum 2. Ex duabus inter ſe pugnantibus opinionibus una eſt vera, altera falſa.

Obſervandum præterea, ex duabus inter ſe pugnantibus opinionibus, quarum una præferat libertatem, altera vero præceptum, unam ſemper veram eſſe, aliam falſam. In exemplo ſint hæ duæ enunciationes, *Licitum eſt in hoc peragendo negotio uti ſimulatione*, &, *Non eſt licitum.* Impoſſibile eſt utramque propoſitionem eſſe ſimul veram, ſimulque falſam, ſi eadem ratio ſit utriusque, idem objectum, eædem rei circumſtantiæ, prout didicimus in veſtibulo Dialecticæ, & ex communi notiſſimoque pronuntiato, quod idem nequeat ſimul eſſe, & non eſſe. Profecto in duarum opinionum conflictu, neceſſe eſt, ut utraque ſit æque probabilis, aut una habeat majorem, quam altera probabilitatem; momenta enim, quibus innituntur, niſi æqualis ſint ponderis, diſparia erunt atque inæqualia, unumque pluris erit, ac ponderoſius: ideoque diſputari ſolet, num liceat ſequi opinionem probabilem in occurſu minus probabilis, num in concurſu opinionis æque probabilis, num denique in concurſu opinionis probabilioris.

Illud quoque advertendum eſt, nonnihil intereſſe diſcriminis inter tutam ac probabilem opinionem: nam tuta dicitur opinio illa, quæ vitat omne peccandi periculum; probabilis quæ innititur haud levi auctoritatis vel rationis momento. Poteſt itaque contingere, ut opinio aliqua ſit minus probabilis, & nihilominus magis tuta. Affert exemplum Gonet ſententiæ D. Bonaventuræ, quod homo ſtatim poſt lapſum teneatur ad confitendum lethalia crimina, ſi copia adſit Confeſſarii. Talis dicitur opinio eorum, qui putant mortale peccatum non recitato Matutino cum Laudibus rem ſacram peragere; aliaque rigidioris Moralis capita, de quibus nihil noſtra intereſt in præſentiarum definire. Multæ tamen dantur ſententiæ probabiliores ſimul, & tutiores, cujus generis ſunt omnes illæ, quæ non ſolum amovent peccandi pericula, verum etiam habent momenta validiora: in Schola noſtra ſententia docentium inquirendam eſſe à Confeſſario peccatoris inolitam ſceleris conſuetudinem, & aperiendas circumſtantias notabiliter aggravantes.

12. Notandum 3. non licet ſequi conſcientiam dubiam hæſitantem.

Inſuper prænotandum eſt, nunquam licitum eſſe ſequi conſcientiam dubiam, hæſitantem ſcilicet, & in neutram partem protendentem, ſive quia nulla adſit aſſentiendi ratio, ſive quia utrinque occurrant rationes conſimiles & æqualia momenta. Dubitatio enim eſt, inquit Q. XIV. de Verit. à 1. S. Thomas, quotieſcunque animus *fluctuat inter duas partes contradictionis.* Et quidem conſcientiam dubiam non eſſe certam regulam morum, liquet ex illo axiomate: *In dubiis tutius eſt eligendum*; quod habetur in cap. *Ad audientiam.* Et cap. *Significaſti*, De Homicidio. Cap. *Juvenis* De Sponſal. &c. Idem tradit Auguſtinus ſcribens in priori libro de Bapt. contra Donatiſtas cap. 3. *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponeret.* Proximoque capite 5. verba faciens de iis, qui Baptiſmum ſuſcipiebant in parte Donati, inquit, *Quis dubitat, certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?* Quibus accedit ratio paulo ſupra ex Angelico Doctore deprompta, quod peccet quisquis periculo peccandi ſe exponit: verſatur autem in magno peccandi periculo qui opera exequitur, de quorum honeſtate firmam non habet perſuaſionem. Enimvero ſi nemo prudens ac plane non ſtultus ſumeret cibum vel potum, dum anceps eſſet an eſſet medicatum & venenoſum; quis præcipiti conſilio ea patrare debet, quibus veretur ne peccato inficiatur immortalis animus, cujus ſalus præferenda eſt corporis valetudini?

13. Notandum 4. Probabiliſtæ diſtinguunt inter dubium ſpeculativum, & practicum.

Sedulo autem hîc animadvertendum eſt, Probabiliſtas diſtinguere inter dubium *ſpeculativum*, & *practicum*, ut ſi probare niteris ex duabus oppoſitis opinionibus generari dubitationem, ideoque nefas eſſe ambabus ſimul confluentibus agere adverſus illam, quæ ſtet pro præcepto, præſto ſit ſubterfugium, quod dubium iſtud ſpeculativum eſt, non practicum, & conſequenter nequit conſcientiæ rectitudinem labefactare. Dixi paulo ſupra Cardinalem Aguirre commonere hanc diſtinctionem eſſe in præſenti controverſia rejiciendam: quod num recte commonefactum ſit, brevi revocabo ad examen; pendet enim ex diſtinctione iſta non ſolius quæſtionis, in qua verſamur, ſed aliarum quoque plurimarum enodatio. Itaque dubium ſpeculativum eſt, quod ſiſtit in contemplatione veritatis; ut dum in problemate ignoramus quænam pars verior ſit: practicum vero dubium eſt illud, quod

attinet ad rem peragendam. Ita Dialecticorum dubitationes speculatrices sunt, artificum practicæ. An utrumque dubium ad eandem mentis facultatem pertineat, an potius unum ad intellectum, alterum ad voluntatem, nihil prorsus interest definire. Judicium speculativum, & practicum esse ejusdem potentiæ docet S. Thomas 1. p. q. 79. art. 11. Sunt permulti, qui illud ad intellectum referunt, istud ad voluntatem. Nos repetimus utriusque judicii discrimen ex objectis tantum, aut connotatis, qua etiam ratione duas illas animæ facultates, mentem scilicet, ac voluntatem sejungimus. Conveniunt in hoc omnes, quod practicum judicium prioris ductum sectetur: quare si judicium speculativum dubium sit, etiam practicum ex dubitatione procedit; neque potest quispiam in speculatione hæsitans semetipsum ad agendum determinare, nisi aut præcipiti imprudentia, aut fluctuantis animi trepidatione.

14. Quomodo cum dubio speculativo stet judicium practicum moraliter certum.

Patroni opinionis probabilis, ut cum dubitatione speculatrice stare demonstrent judicium practicum moraliter certum, confugiunt ad mentis humanæ reflexiones, uti in præcedentibus innuebam. Hoc sane loco nobis accurata distinctione opus est. Porro si dum speculatio est anceps, & in rebus dijudicandis mens fluctuat, immutetur objecti circumstantia, accedatque momentum aliud alicujus ponderis; haud dubium, quin efformari tunc valeat judicium practice firmum ac certum: verum certitudo ista nequaquam innititur reflexioni præcedentis dubitationis, sed reflexioni accedentis momenti, atque novæ gerendarum rerum circumstantiæ. Exemplis id explico. Hæret dubius vir Religiosus an liceat sibi jejunium frangere, vel à Choro discedere: præcipit illi Superior ut comedat, studiisque vacet; atque id faciendum censet judicio practico, quod non ex præcedenti dubitatione habet firmitatem, sed ex accedente præcepto. Dubitat item creditor, num sibi fas sit agrum debitoris invito domino invadere: accedit ad forum Judicis, à quo accipit invadendi auctoritatem; & recte id licitum judicat, hujus tamen auctoritatis præsidio, non vi prioris fluctuationis. Anceps est colonus an jure prædium possideat, de quo lis pendet ambigua; at edoctus à Jurisconsulto in possessione prædiorum meliorem esse conditionem possidentis, ac neminem bonis quæ possidet ob dubium aliquod esse expoliandum, nixus ille hoc principio tradito ab Augustino de Fide & Op. cap. VII. jurisque regulis confirmato, practice certus evadit, & absque piaculo prædium retinet. Atque ita in exemplis compluribus ratiocinandum. Quod itaque stante dubio possit conscientia induere practicam certitudinem, si accedat nova aliqua ratio, aut immutentur circumstantiæ, sive materia præcepti, verissima atque indubitata res est; atque omni procul dubio potest hoc pacto ex reflexione mentis antea perplexæ fieri judicium practicum moraliter certum, quod sit morum regula.

15. Quomodo judicium speculativum anceps liberetur ab hæsitatione.

At persistentibus iisdem motivis, ob quæ animus fluctuat, & dubius hæret an hæc actio honesta sit, an turpis atque inhonesta, per nullum judicium reflexum reddi potest moraliter certus de illius honestate. Ex quo enim fonte certitudo hujus judicii manare potest, si judicium speculativum, unde exoritur practicum, anceps est, atque incertum? Non potest excogitari nisi duplex via, quâ animus ab illa hæsitatione descendat in certitudinem istam, utraque contorta & fallax. Ac prima via est, ut, librata auctoritate, vel ratione judicetur esse æque probabile quod illa actio sit honesta, & quod sit inhonesta, quoniam utrinque gravia proferuntur momenta, atque hoc pacto nobis persuadeamus fas esse quod lubet, adeo ut non in dubiis jam hæreat animus, sed in opinationibus, quarum utraque licita judicatur. At falsum est, quod per judicium reflexum de æqua probabilitate duarum opinionum oppositarum possimus efformare judicium practice certum, atque ad formandos, dirigendosque mores idoneum. Dum enim arbitramur utramque opinionem esse æque probabilem, persuasum nobis est utramque æqualibus momentis inniti: quod dum nobis est persuasum, quomodo exuere possumus præconceptam dubitationem? Certe id non possumus vi rationum ac momentorum, cum ex utraque parte hæc nos consimili pondere trahant: sed tantum libera, noxiaque deliberatione, non ductum rationis consectante, sed sensuum. Via 1.

16. Via 2.

Altera via est, ut in concursu illarum inter se pugnantium opinionum excludatur, aut suspendatur judicium de objecti inhonestate, ita, ut in una opinione animus acquiescat, de altera autem nihil habeat solicitudinis: quod me judice fieri nequit absque summa imprudentia ac perversitate. Principio enim hæc judicii suspensio annexam habet ignorantiam voluntariam, eamque turpem

&

& damnabilem, quam Theologi appellant affectatam, quoniam parvipendens rationes oppositas, præsertim obvias, & peccandi pericula commonstrantes, profecto non vult intelligere ut bene agat, oculos sibimet eruit ne videat, atque ait Domino rationis stimulos excitanti, *Recede à me, scientiam viarum tuarum nolo.* Quis autem ignorat, pernicioſe agere *adversus se ipsum cor humanum, ut quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile est, sed quia voluntas aversa est?* inquit Augustinus Enarrat. in Psalm. xxxv. num. 1. Deinde qui non vult expendere momenta contraria, is nec prudens est, nec moraliter certus de operis honestate. Enimvero quis, nisi omnino desipiat, existimet certum esse, quod norit validis argumentationibus oppugnari? Præterea, ut aliquod proferamus exemplum ex humanis officiis depromptum, num prudens dicendus est miles, qui non timet hostis à tergo venientis insidias? num prudens mercator, qui lucrum tantummodo, non damnum pensitat? num prudens judex, qui defensoribus, non accusatoribus aures præbet? Ex duabus quidem opinionibus invicem pugnantibus, si una honestatem, utilitatem, æquitatemque proponit, altera accusatrix est, & crimen probrumque objectat, atque ideo nequit ista prudenter abjici, & absque ponderatione deponi.

17. De periculo peccandi materialiter, non autem formaliter.

Prænotandum quoque est, Probabilistas, si hac parcellantur argumentatione, Necessum est ex duabus contrariis opinionibus unam veram, & alteram falsam esse, & consequenter adest in earum discretione periculum errandi, ac præcepta transgrediendi, illico responsuros, adesse quidem periculum peccandi *materialiter*, at non peccandi *formaliter*: quam responsionem frequentissime repetit Anonymus auctor Epistolæ vernacula lingua adversus Ballerinium conscriptæ, quasi Antiprobabilistæ rancidulam illam confectamque distinctionem nondum perceperint, aut nolint advertere. At quidquid ideæ, perceptionisque vocabulis istiusmodi insit; indubitatum est illum peccare tam *materialiter*, quam *formaliter*, id est, semetipsum obstringere criminis alicujus reatu, qui voluntarie ac libere præceptum transgreditur aut opere, aut omissione, neque habet ex parte hujus voluntatis libere præceptum transgredientis vel ignorantiam, vel impellentem necessitatem, vel motivum aliud invictum excusationis. Atque id mortalium neminem puto denegaturum. Si ergo lubeat asserere, quod sit peccatum duntaxat *materiale* pravum illud opus, quod perpetratur absque usu libertatis, vel cum ignorantia minime culpabili, ut homicidium commissum à phrenetico, concubitus Jacob cum Lia, atque alia facta hujus generis; annuam toto capite: nolo enim de verbis in re gravissima disceptare. Quod sit tamen peccatum, ut inquiunt, *formale*, peccatum imputabile ad culpam, peccatum denique animam innectens reatu, nisi adsit ex parte voluntatis ratio aliqua excusans; puto, inquam, neminem unum fore, qui neget. Quamobrem hoc insinuare intendimus quotiescunque dicimus vitandum esse peccandi periculum; etiamsi non exprimatur à nobis adverbium illud *formaliter*; quod fortassis adhibetur perperam, quoniam peccatum propria sermonis consuetudine non appellatur quidquid non potest, aut non debet vitari. Atque hæc sunt, quæ duximus prænotanda.

CAPUT XIV.

Demonstratur conscientiam probabilem, qua talem, non esse semper certam, rectamque regulam morum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. & 5. Propositio 1. Probatur.
6. 7. & 8. Propositio 2. Probatur.
9. Oppositio cum Solutione.
10. 11. 12. & 13. Probatur eadem ulteriùs.
14. & 15. Propositio 3. Probatur.
16. Adversaria responsio, & Solutio.
17. Ulterior probatio
18. 19. & 20. Responsiones adversariorum refutantur.
21. & 22. Eadem propositio magis demonstratur.
23. Propositio 4.
24. Usque 29. Probatur.

PRIUSQUAM de opinionum conflictu disquiramus, universim de *probabili* in se spectata differendum est: cumque plures dentur probabilitatis gradus juxta majorem, aut minorem auctoritatem, variaque rationum pondera, atque momenta, dicendum primo quid sentiendum de probabilitate per-

pertenui, haud momentosis argumentis, vel paucis, aut proletariis Scriptoribus subnixa; tum cætera quæstionis capita subnectenda.

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. Si tenuis sit opinionis probabilitas, eidem morigerari iniquum est.

Probatur 1. ex S. Scriptura. Hæc propositio, cui etiam recentiores probabilistæ subscribunt, probari potest sacris literis, Patrum auctoritate, definitione Pontificum, obvia ratiocinatione, atque exemplis. Scriptura Divina commonet etiam ad perditionem impios pertrahi iis obsequentes, quæ licita, ac justa opinantur; ac propterea dandam operam saluti animarum absque fallaci fidentia, & conjuncta cum spe animi trepidatione: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*, inquit Auctor Proverbiorum cap. XVI. 25. Et Apostolus ad Philip. II. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* At ubi tenuis occurrit probabilitas; qui eidem obsequitur, arbitratur viam directam tenere, cum iter arripiat flexuosum, & fallax, atque unius auctoris doctrinæ, aut non exploratæ ratiocinationi confisus abjicit comitem opinionis formidinem. Contemnit itaque Apostolicam monitionem, & viæ se committit, cujus exitus est mors, ac sempiternus interitus.

2. Probatur 2. ex definitionibus Ecclesiæ. Sane ut ad Ecclesiæ definitiones procedat dissertatio: si fas esset sequi quamlibet probabilem opinationem, posset quis amplecti sententiam unius Scriptoris aliqua nominis celebritate præclari nulla ratione habita cæterorum. Tunc enim adesset aliquod auctoritatis momentum sufficiens ad tenuem probabilitatem constituendam. Et revera unius Doctoris pii, ac docti auctoritate reddi opinionem probabilem, & conscientiam tutam, tradiderunt probabilitatis Propugnatores Escobarius Theol. Moral. Tom. I. l. 2. sect. 1. cap. 2. Sanchez Op. Moral. lib. 1. cap. 9. num. 6. Tamburinus lib. 1. in decalogum cap. 3. §. 3. At ab Innocentio XI. anno 1679. proscripta fuit hæc assertio: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Et ab Alex. VII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum nunc constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Reponet Probabilista non cujuscunque auctoris licitum esse sententiam amplecti, sed pii tantum, ac docti. Verum si huic docto, pioque auctori repugnent alii cum numero, tum doctrina percelebres, idque mihi compertum sit (fateor enim rudem, atque imperitum hominem ad hortationem Parochi, aut Confessarii, quem probum doctumque existimat, posse conscientiam moraliter certam induere) si, inquam, illi auctori repugnent alii, quomodo ipsius judicium, non leve, sed libratum, ac firmum poterit judicari? Num prudenter nequaquam credendum est, scriptorem alioqui accuratum tunc aberrare, præsertim ubi adversatur venerandæ aliorum multitudini, nec prodit doctrinæ suæ momentum aliquod invictissimum? Præterea propositiones illæ duæ ab Apostolica Sede reprobatæ fuerunt, ne quis morum regulam ad parvum Auctorum numerum exigeret, aut illam constitueret in alicujus Doctoris approbatione, spretis sacrarum Scripturarum, ac Patrum documentis: nam ob eandem rationem etiam ab Ecclesia Gallicana confixæ fuerunt in Generalibus Comitiis ann. 1700. At si fas esset tenere probabilem quantumvis tenuem opinionem, posset quis fidere unius junioris institutionibus, parvipendens sacras literas, Ecclesiæ canones, Patrum monita, aut saltem nullam de his gerens solicitudinem. Damnatas igitur propositiones laxitate morum suorum comprobaret:

3. Probatur 3. ex Patribus. Accedunt summorum Pontificum definitionibus gravissima Patrum monita. Ac primo Tertullianus eo argumento infectatur Ethnicorum licentiam, vicesimo capite lib. de Spectaculis, quod nusquam excusetur agens quæ Deus damnat, & quæ judiciorum varietati subjiciuntur; propterea quod *hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, non mutare sententiam, nec variare judicium.* Quomodo ergo fidit conscientiæ suæ, qui haud ignarus veritatem unam esse immutabilem, atque integerrimam, dum major pars Doctorum ab illius sensu distrahitur, pro libitu quæ magis arridenti complectitur? An non Ethnicis, quorum saltem in impia ipsorum Religione erat communis error, longe iniquior habendus est? Dices Ethnicis non probabilem fuisse conscientiam, sed erroneam. At hæc ipsa conscientia erronea, quoniam ei obsequebantur ob augurum, majorumque suorum auctoritatem, & ob antecœptam superstitionis venerationem, neque expendebant motiva credendi, quæ evidentissime fidem nostram confirmant, hæc, inquam, conscientia eis nedum probabilis erat, sed etiam

Chri-

Christianorum Religione probabilior. Fateri autem debent, ut prænotavi, Probabilistæ se non solum pugnare pro illa probabili opinione, quæ sit talis re ipsa, sed quæ talis appareat operanti. Cum itaque Idololatris religio flagitia permittens appareret probabilior; in sententia Adversariorum nostrorum immunes erant à culpa. Et quidem Erardus Billius è Probabilismi principiis excusat à peccato puerum baptizatum, qui ob monita parentum adhuc hæresi sibi propositæ assentitur, & ait multas puellas usque ad vigesimum annum vix posse censeri hæreticas. Cur quæso? Quoniam habent, quamdiu argumentis convincentibus non retrahuntur, *argumenta probabilia suæ sectæ.* Hæc Billius Tract. III. de Fide, non tantum ab Auctore Artium Jesuiticarum §. VI. Cent. I. verum etiam à Nicolao L'Herminier Tom. V. pag. 120. laudatus. Qui ergo indiscriminatim Probabilismum sectantur æque, ac Ethnici, Tertulliani reprehensioni subjiciuntur.

Accedit Tertulliano Auctor Hom. 44. in Matth. inter opera Chrysostomi, cujus hæc sunt verba: *Si vestimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas; quomodo non oportet populum circuire Doctores, & inquirere ubi sincera veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, plusquam vestimentum?* Qui ergo unius aut alterius Scriptoris sequitur auctoritatem, nisi is invictissimis Scripturarum sanctarum, Traditionis, ac sacrorum Canonum momentis sententiam suam roboraverit, atque adversarios habuerit quamplurimos, & probabilia duntaxat tradiderit, quasi ex uno negotiatore sordidam mercem sibi comparat, atque corporis utilitati magis studet, quam animæ. Alia Patrum testimonia producam proxima positione.

4. Probatur 4. ex ratione.

Evertitur etiam contraria assertio validis ratiocinationibus. Primo quoniam tenuis probabilitas, aut ex numero, & auctoritate scriptorum peti debet, aut ex momento rationis. Si ex primo capite; tenuis probabilitas commentitia est, ac repugnans. Vel enim auctores, quibus fulcitur, sunt omnes, aut plures, & sapientiores, ac maxime noti, & illustres; & hoc pacto non est tenuis probabilitas, sed magna: vel sunt perpauci, ac minus exercitati, nominisque vulgaris; atque ita juxta traditam definitionem *probabilis*, nec opinionem probabilem possumus appellare; cum non habeatur momentum aliquod ponderosum. Ac pari jure si probabilitas innitatur rationi; aut hæc dignoscitur Scripturæ, ac Patribus consentanea, & gravis est probabilitas, non tenuis: aut Scripturis, Patribusque repugnat, & nulla probabilitas est; aut non deprehenditur, num repugnans sit, vel consentanea; & ita cum possit esse humanæ mentis figmentum, & exigua supponatur ac tenuis, nequit habere grave illud pondus, quod ad conscientiam probabilem ipsi adversarii requirunt. Probabilitas itaque quæ sit tenuis, nequit excogitari; nisi *probabile* dixeris quidquid potest aliqua argumentatione quodammodo suaderi, quod convenit etiam cuique dubitationi. Deinde si fas sit obsequi cuilibet quamvis tenui probabilitati; fas quoque erit imprudenter agere, & periculo peccandi se exponere; quemadmodum paulo post demonstrabimus. Præterea nonne peccat, qui legem contemnit? Nonne contemnit qui Divina mandata minime meditatur? An meditatur qui suasori cuilibet præbet assensum? Num talem assensum non præstat, qui minima ductus ratione propriæ obtemperat voluptati? Mitto erumpentem ex hoc fonte morum inhonestatem, turpissimamque licentiam.

Exemplis denique falsum illud dogma refellam. Quis enim cum in promptu sit communis cibus, acciperet insolitum, quem major convivarum pars veneno infectum assereret? Quis viam ab uno commonstratam arriperet, quam alii affirmarent ducere ad præcipitium, recessumque latronum? Quis posthabitis fidissimis sociis, fœdus cum aliquo iniret absque prædis sponsione fructus uberrimos pollicente? At qui opinionem tenui probabilitate suffultam amplectitur, facit quod alii iniquum, & animæ exitiosum deprædicant, item tenet lubricum, ac præceps, & se adversus cæterorum commonitiones committit infido sponsori; agitque temere ad spiritualem perniciem, quod pro servanda corporis incolumitate vitaret. Nimis autem est futile quod reponunt nonnulli occurrere in allatis exemplis damnum imminens nostri, vel proximorum; cum magis timendum sit gehennæ incendium, ac perpetuus animorum interitus, quam quodcunque corporalium rerum detrimentum; & gratiæ ornatus perennisque felicitas sit bonis cæteris præferenda.

5. Probatur 5. exemplis.

PROPOSITIO II. Universim de qualibet opinione probabili loquendo, ea si tuta non appareat operanti, neque con-

6. Propositio 2.

scientiam moraliter certam ingeneret, haud est firmissima morum regula.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Demonstratur I. è sacris literis. Ecclesiastici enim 37. vers. 20. legitur: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te: & ante omnem actum consilium stabile.* Verbum verax dicitur hoc loco veritatis perceptio, vel ratio, juxta Græcam versionem, Ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος: *Principium cujusque operis ratio.* Ut igitur quisque bonam conscientiam gerat, necessum est, ut rationem suorum operum reddere valeat, nec sinat se transversum agi à cupiditate, passione, casu, aliave re, quæ eum in errorem inducat. Atque hoc est præclarissimum monitum S. Thomæ Aquinatis datum Monachis Fossæ novæ prope exitum vitæ suæ, ut refert etiam Cornelius à Lapide in hunc Ecclesiastici locum. Sane illum, qui ducitur opinione probabili, sæpenumero non ratio præcedit, sed error, & quidem error cujus aliquam habet suspicionem; neque stabile consilium, sed judicium fluctuans, & anceps. Spernit itaque monitum Ecclesiastici, & voluntaria charitate in errorem prolabitur.

7. Confirmatur.

Præterea Matth. VI. 22. ait Dominus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Oculum directionem mentis Christus appellat. Est autem oculus simplex, inquit Bernardus de Præcepto, & dispens. cap. XIV. num. 35. qui habet *charitatem in intentione, & in electione veritatem.* Ita è regione duo mala oculum nequam constituunt, *cæcitas, qua fit ut veritatem non agnoscat, & perversitas, qua fit ut diligat iniquitatem,* inquit idem S. Doctor proximo num. 36. At qui probabilem utcunque amplectitur, is sæpe falsam probat opinionem, & eligens deteriora, & quæ displicent Deo, non charitate ducitur, sed perversitate. Est itaque oculus ejus nequam, & corpus, id est, universum quo exercet opus tenebrosum, atque perversum. Vim addit huic argumentationi, quod S. Bernardus inquit num. 40. *Si igitur vere oculus nequam est, qui perversus pariter, & cæcus bonum agit, & malum credit, utique recte operando, sed operando inique bonum sibi in malum vertit, & tantum malum quantum crediderit; quandoquidem juxta sententiam Domini totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam: quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vere pia opinio invenitur? At non ideo sequitur, ut qui è contrario malum facit, & bonum putat, juxta suam fidem similiter & ipse inveniat. Quare? Non est quippe simplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat.* Profecto qui sequitur opinionem tantum probabilem, frequenter *malum facit, & bonum putat.* Ergo simplicem oculum nequaquam habet. Concludit Bernardus hac definitiva sententia: *Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est.* Advertas tamen, male ex hoc Bernardi loco quosdam inferre nec ignorantiam invincibilem à peccato excusare; quia hac ignorantiâ laborans habet cæcitatem, qua fit, ut veritatem non agnoscat. Ita Wendrockius, qui postrema Bernardi verba eo fortassis fine exscripsit literis grandiusculis. Male etiam illinc aliqui inferunt oculum qui simplex non est, nequam esse, cum unum alteri opponat Christus; ut inquiunt post Gisbertum Continuatores Prælectionum Theolog. Hon. Tournely. Si enim id asseratur; ignorantis invincibiliter oculus nequam erit, quandoquidem destitutus luce veritatis non est simplex. At Bernardus num. 37. scripserat: *Est qui bonum diligit, & malum nescius agit. Hujus quidem bonus est oculus, quia pius, non tamen simplex, quia cæcus. Et est qui bonum & libenter agit & prudenter intelligit. Hujus revera oculum non immerito simplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia.* Igitur est oculus, qui non est simplex, & tamen non est nequam, scilicet nescientis ignoratione excusabili; de quo idem Bernardus interpretatur ea verba: *Ephraim quasi columba seducta.*

8. Probatur 2. ex S. Augustino.

Tertio probatur auctoritate Augustini, qui libro III. contra Academicos cap. XVI. excutere nititur principium illud, *Qui sequitur in agendo probabile, non errat, nec peccat,* demonstrans eo admisso licere adolescentibus insidiari pudicitiæ uxoris alienæ, & dare operam homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri aut cogitari possunt flagitiis, aut facinoribus, cum omnia ab aliquo auctore approbentur, adeo ut Catilina quadam Oratione, de qua Salustius, etiam maximum crimen, in quo contiuentur omnia scelera, patriæ scilicet parricidium persuaserit. Post hæc scite S. Pater num. 36. in hæc verba prorumpit: *Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo*

optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat. Dices fortaſſis: Quænam eſt impiorum Ethnicorum cum Catholicis piisque Scriptoribus convenientia? Nulla prorſus. Auguſtini tamen argumentatio non Academicos tantum, verum etiam Probabiliſtas revincit. Enimvero demonſtrat Auguſtinus juvenem adulterum non poſſe apud ſapientiſſimos judices damnari, ſi vera ſit Academicorum opinio, propterea quod perſuaſum eſſet in Cumano gymnaſio ipſum non peccaſſe: quod de aliis flagitiis conſimili ratione concluditur. Quare juxta Auguſtinum ita reſellimus probabiliſmum. Si fas ſit facere quidquid videtur probabile, immunis erit à ſupplicio, judicumque damnatione homo quilibet flagitioſiſſimus, ſi ad Ethnicum judicem perducatur, quoniam apud Ethnicos probabiliter non peccat gravium flagitiorum patrator: & ſi convincatur patrias leges fregiſſe, reſpondere poterit, ſe vinculo illarum legum non teneri, cum ſibi liceat agere quidquid eſt probabile. Igitur ſi fas eſt ſequi opinionem probabilem, neque aliquis huic obſequens poterit reprehendi: quod Auguſtinus appellat capitale, formidoloſum, & cuique viro optimo metuendum. Imo argumentatio hæc robuſtius probabiliſtas perſtringit; Siquidem Auguſtinus contendit Academicos in agendo quod videtur probabile turpiter erraſſe, tametſi nulli quaſi vero aſſentirentur: dum qui ſequitur opinionem probabilem, temere quod falſum eſt, verum judicat.

9. Oppoſitio cum Solutione.

Video poſſe Probabiliſtas reponere, ideo Academicos recte ab Auguſtino refelli, quoniam nulli rei præbentes aſſenſum agebant quidquid alteri probabile videbatur, ſemper dubiam conſcientiam ſervantes. At id retundit Carneades Academiæ princeps, & auctor: qui apud Auguſtinum eodem libro cap. XVIII. num. 40. *cum undique premeretur, ſi nulli rei eſſet aſſenſus, nihil acturum eſſe ſapientem, attendit ſapienter quales illi actiones probarent, easque neſcio quarum verarum ſimiles videns, id quod in hoc mundo ad agendum ſequeretur, veriſimile nominavit: idque etiam probabile appellabat.* Conſimili ratione Probabiliſtæ dum inter varias opiniones animo fluctuant, nullique aſſentiuntur, attendunt quales actiones probent Theologi benigniores, illorumque aſſertum veriſimile, quod etiam dicunt probabile, complectentes imitantur omnino diſcipulos Carneadis, qui auctore eo loci Auguſtino, *approbabant falſa, in quibus imitationem laudabilem rerum verarum animadvertebant.*

10. Confirmatio ex S. Auguſtino.

Silentio prætermittendum non eſt ejusdem S. Parentis monitum utiliſſimum poſtremo libro de Civit. Dei cap. 23. docentis ſedulo juſtis vigilandum eſſe, vigiliisque continuis excubandum, *ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur, ne ab iis quæ agenda ſunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non ſunt cupido præcipitet, &c.* Quæ autem ſolicitudo nos debet angere, quæ cura premere, ſi licitum ac tutum eſt probabili conſcientiæ ſeſe conformare?

11. Probatur 3. ex ratione.

Plura alia argumenta à ratione deprompta poſitionem noſtram corroborant. Ac primum eſt, quod theſi ſuperiori produximus, ex Adverſariorum noſtrorum doctrina impios quoque idolatras eſſe immunes à culpa ſculptilibus ſervientes. Etenim non ſolum levi, ſed etiam apud ipſos ponderoſa probabilitate ducuntur. Nititur hujusmodi probabilitas inſinuationi parentum, traditioni majorum, regionis ac patriæ conſuetudini: unde Auguſtinus exponens verſum 4. Pſalmi LXIV. ait: *Quid faceret puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum inſinuaverunt parentes? Inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte ſuxit: & quia illi, qui loquebantur, majores erant, & puer qui loqui diſcebat infans erat, unde poterat parvulus niſi majorum auctoritatem ſequi, & id ſibi bonum ducere quod illi laudabant?* Num reponent Probabiliſtæ cum XXIV. Senioribus apud Eſcobarium, infidelem, cui proponitur noſtra fides, non teneri ad illam recipiendam dum ejus ſecta probabiliter appparet credibilis? At tam laxa doctrina repugnat Auguſtino, imo & Davidi, Divinoque Spiritui, qui in ore paganorum ad fidem venientium ponunt laudatum Pſalmi LXIV. verſiculum, *Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos, & impietatibus noſtris tu propitiaberis.* Num dicent, infideles non excuſari à colendis idolis, quia non datur de exiſtentia veri ac ſupremi Numinis ignorantia invincibilis? Sed præterquam quod id negant Probabiliſtarum complures, conſequitur ex hac reſponſione ſolam invincibilem ignorantiam excuſare à culpa eos, qui ducti opinione pro-

Ratio 1.

probabili præceptum aliquod transgrediuntur. Manet ergo inconcussa hæc adversus Probabilistas argumentatio. Et quod de idololatrarum scelere dictum est, etiam de hæresi pronuntiamus. Nullus enim hæreticorum est, qui sibi non persuadeat probabilem esse sectam, quam profitetur: atque id historico exemplo Basanomeni cujusdam Lutherani confirmat in sua Theologia Fundament. p. 139. Caramuel affirmans, quod etsi alii consequentias istiusmodi non admittant, *omnia tamen debent transglutire, vel à principali opinione discedere.* Eadem ratione cuilibet crimini probabilissimum viam sternere facile commonstratur.

12. Ratio 2. Alterum argumentum est, quod sequens opinionem probabilem imprudenter se gerat. Etenim prudentia est affectio animæ, vel motus, quo intelligit æterna superiora esse, & inferiora esse temporalia, & in se ipsis magis appetenda quæ superiora sunt, quam inferiora ac temporalia; ut docet S. Pater in 1. de lib. arbitrio cap. 13. Probabilistæ autem docent fas esse propriæ libertati indulgere, dummodo probabilitas adsit; etsi alia ex parte dignoscatur Divinum urgere præceptum. Propriam ergo voluntatem Divinæ, sensum rationi, humanam libertatem legum obedientiæ, & temporale commodum incommutabili bono præferunt. Itaque imprudentiæ notâ sunt inurendi. Quis insuper imprudentissimum non appellet exponentem se peccandi periculo; quod subire eligentes probabile & errori obnoxium ipsa ratio demonstrat? Nam ut in quadam Elegia ad Thyrsum Gonzalez ait Joannes Blanchet Soc. J. Presbyter Pictavensis,

Si sceleris levis umbra subest; natura reclamans
Occulto obsistit, quâ valet, illa malo.
Non noxæ tantum infandæ prohibetur imago,
Dum patet, accelerant ipsa pericla fugam.
Prudens nauta fugit ventos, dubiasque procellas,
Et prudens repetit portum agitata ratis.
Ni certo constet culpæ nullum esse timorem,
Hoc ipso actorem constitit esse reum.

13. Ratio 3. Tertia ratio depromitur ex novitate doctrinæ. Hanc de Probabilitate sententiam incompertam fuisse ante annum 1570. diximus in Prænotatis. Et quidem Antonius Cordubensis in Quæstionario in lucem edito sequenti anno 1571. lib. 2. q. 3. docet semper tenendam esse sententiam probabiliorem ac tutiorem, *Et in hoc* (inquit) *Theologi omnes consentiunt.* Nullus pro benigniori sententia auctor affertur, qui vetustior sit Medina, & Mercado, ut inquit scriptor Synopsis Tract. Theologici Thyrsi Gonz. §. XXII. num. 55. Nullus ex inclyta Societate Jesu, auctore ipso Gonzalez, novæ opinioni consensit ante annum 1597. etsi jam instar malorum germinum serperet. Haud repetam, quæ scripsi de Paulo Comitolo, à quo adversus Probabilistas citantur Scholastici omnes antiquiores. Amicus apud Gisbertum p. 167. fatetur repugnare sibi, cæterisque Probabilistis, *omnes fere antiquos Theologos.* Stephanus Gradi Præfectus Vaticanæ Biblioth. disput. de Opin. Probab. cap. 12. ait, *se audivisse virum gravissimum, & non vulgari hodie in Ecclesia dignitate affirmantem hanc paulo liberius opinandi rationem avorum nostrorum memoria, & repente, & quasi fortuito in Ecclesia extitisse, & quia non minus honorifica consultis, quam commoda consultoribus accidebat, facile ab omnibus receptam, & in mores inductam.* Adversarii itaque nostri flocci faciunt illam Ecclesiastici præceptionem, cap. XXXIX. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conservabit.* Tanta enim animositate suam sententiam propugnant; ut non solum scita antiquorum, nominatorumque negligant, verum etiam recentiores scriptores præferant vetustis omnibus, haud veriti etiam ore propositionem illam proferre: *Doctrina fidei à veteribus, doctrina morum magis à junioribus petenda.* Illud etiam fateri videntur, sententiam, quam per tot sæcula Doctores Catholici reprobarunt, factam postea regulam morum; nec unam esse honestatis legem, nec unam immutabilem veritatem; quod utique quam absurdum sit, nemo cordatus non videt.

14. Propositio 3. Propositio III. Non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati relicta altera æque probabili, quæ stet pro lege ac præcepto.

Probatur 1. ex SS. Scriptura. Ad præcedentia argumenta, quæ omnia hanc positionem corroborant, accedunt sequentia. Primum depromitur ex Divinis literis. Legimus enim Eccli. III. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo:* quæ verba ad illos spectant, ut è contextu liquet, quos supplantat multiplex suspicio, & quorum cor ingreditur duas vias.

vias. In Epistola ad Thessalonicenses prima cap. v. 21. ait Prædicator veritatis, *Omnia probate: quod bonum est tenete: ab omni specie mala abstinete vos;* quod advertit etiam Joannes 1. Epistola cap. IV. versu 1. Etsi autem his locis commonemur, ne decipiamur à Pseudoprophetis, pertinent tamen etiam ad mores formandos Apostolicæ monitiones; cum tenenda sit veritas tam in credendo, quam in operando, atque unus Christus sit fide colendus, & sanctitate imitabilis: ipse enim solus est *via, veritas, & vita*, Jo. XIV. 6. Hæc cum ita sint, quomodo non peribit, qui periculo frangendi legem se exponit, divinumque mandatum præfert hominum opinationi? Num evidens periculum non est, ubi ea opinio, cui morem gerentes certi sumus nos bene agere, pro libitu ac temere abjicitur? An periculum istud peccatum *materiale* duntaxat complectitur, dum malum voluntas eligit plenissima libertate? Quo pacto insuper probat omnem spiritum, qui spiritui veritatis resistit, falsum probat, & dum menti ejus meliora occurrunt, sequitur deteriora? Qua ratione ab omni opere malo, & ab omni specie mala se abstinet? Quo jure affirmare potest teneri à se viam & veritatem, per quam solam pervenitur ad Patrem, si ex æquo æstimat opiniones duas, quarum altera manifestò vi contradictionis falsa debet esse? Non videntur hæc in maximi momenti negotio absque ponderatione prætermittenda.

15. Probatur 2. ex SS. Patribus.

Argumentatio secunda petitur ex Patrum auctoritate. Nam Gregorius Nazianz. Orat. XXVII. docet quod nihil nostra interesse debet si secus plerisque videbitur, sed rei veritatem curandam, quæ vel nos condemnabit vel absolvet. Basilius in Psalmum LXI. ait stateram, qua utamur ad vitam instituendam, esse liberum arbitrium ratione directum, non opiniones hominum, de quibus scriptum est, *Mendaces filii hominum in stateris.* Chrysost. Hom. in 2. Epist. ad Corinth. XIII. inquit res ipsas inquirendas esse, non standum multorum opinionibus, allato aptissimo apertissimoque exemplo eorum, qui pecunias enumerandas se ipsis exactissime supputant, nec tam facile aliis credunt. Sed his omissis, quæ producunt Merbesius, L'Herminier, Charlas, aliique plures, urgebo vulgatissimam S. P. Augustini sententiam lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, ubi respondet ei, qui versatur in duabus oppositis opinionibus, an liceat accipere, aut non liceat accipere sacramentum in parte Donati, putatque utramque sententiam probabilem, tam Catholicorum, qui ajunt non recte accipi à Donatistis baptismum, quam Donatistarum opinantium recte accipi, ea ductus ratione, quod communi sententia sit etiam apud Donatistas baptismus: ei, inquam, sanctus Pastor respondet, quod cum certum sit hominem recte in Ecclesia Catholica baptizari, ibi debet sacramentum accipere. *Hic ergo*, inquit, *securus accipiat, ubi & esse, & accipi recte certus est, illic autem non accipiat, quod esse quidem ibi dicunt, sed ibi accipiendum esse non dicunt quorum sententiam decrevit eligere; quamquam etiamsi dubium haberet non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta præponeret.* Hinc duplex eruitur argumentatio. Prima: Non peccare illum qui sequitur opinionem probabilem faventem præcepto Doctores omnes quos sequimur, & adversarii nostri tenent communiter; peccare autem si sequatur opinionem faventem libertati, negant adversarii, at Doctores alii propugnant. Illam igitur opinionem tenere debet, quam tenendo certus est non peccare: quemadmodum debet Catechumenus baptismum accipere in illa Ecclesia, in qua certus est esse, & recte accipi sacramenta. Consimili argumento à Calviniana hæresi respuisse Henricum IV. Gallorum Regem scribunt in hac dissertatione Gonet, & Charlas, & nos proximo libro cap. 11. in postremo adversus Mahumetanos. Altera argumentatio sit: Qui sequitur sententiam probabilem faventem libertati, eamque Divino præcepto præfert, in rebus ad salutem pertinentibus certis incerta proponit. Qui in rebus ad salutem pertinentibus certis incerta proponit, graviter peccat. Igitur graviter peccat qui sequitur sententiam probabilem, illamque præfert Divinæ legis præcepto.

16. Adversaria responsio & solutio.

Respondere solent Probabilistæ loqui Augustinum de validitate sacramenti, ac docere illum peccare, qui dubitans an valeat sacramentum susceptum in schismate, illud suscipit reapse à Schismaticis. Addunt sermonem instituere de illo, qui dubitat absque probabilitate. Verum nequit his argumenti robur infringi ac debilitari. Enimvero prior responsio apertissime falsa est, cum S. Pater de susceptione, non de validitate sacramenti verba faciat; atque

aperte distinguat quæstionem, An baptismus sit apud Donatistas, ab alia, An recte illic accipiatur, & de prima affirmet nullam esse difficultatem. *Duo enim sunt quæ dicimus*, inquit principio laudati capitis, *& esse in Ecclesia baptismum, & illic tantum recte accipi: utrumque horum Donatistæ negant. Item alia duo dicimus, esse apud Donatistas baptismum, non autem illic recte accipi.* Et paucis interjectis: *Esse vero baptismum & apud Donatistas & illi asserunt, & nos concedimus.* Nulla ergo de validitate sacramenti ab Augustino quæstio instituitur. Præterea liquet ex verbis supra productis redargui ab Augustino illum, qui eligit accipere baptismum in parte Donati, certus etiam illic baptismum esse. Deinde cap. v. num. 6. hominem inducit ita loquentem, *Illic accipere malui, ubi baptismum Christi esse utrique consentiunt.* De sola itaque susceptione sacramenti ab Augustino disseritur. Nec melioris est notæ responsio altera. Etenim suscipiens baptismum in parte Donati, movetur ea ratione, quam firmam existimat, nimirum quod utrique consentiant etiam apud Donatistas esse baptismum; ideoque sequens opinionem probabilem, quæ licet talis non sit, ei proculdubio videtur, efformat judicium practicum, ac propriæ indulgens libertati, *Illic*, inquit, *accipere volo; ubi baptismum Christi esse utrique consentiunt.* Tenentur autem fateri Doctores contrarii in re nullam opinionem esse probabilem, nisi veram, & disputari de opinione, quæ appareat probabilis operanti. Id satis in prænotationibus explicatum. Ille ergo, de quo Augustinus, non absque probabilitate in parte Donati baptizatus est. Insuper demonstrat S. Pater peccare, quisquis in rebus ad salutem pertinentibus certis incerta præponit. Etiam probabilitate supposita, dum contraria opinio gravi momento fulcitur, incertum est, an fas sit propriæ obsequi libertati, certum vero nil esse periculi obtemperando legi. Igitur etiam probabilitate supposita nefas est facere quod lubet, & opinioni præcepto magis consonæ obsistere.

17. Probatur 3. rationibus.

Proxima est argumentatio tertia. Duæ inter se pugnantes opiniones pariunt dubitationem: *ac in dubiis debemus semitam eligere tutiorem*, ut fert cummune proloquium regulis Juris, Romanorumque Pontificum auctoritate firmatum. Vide præcedentis capitis prænotata. At magis tutum esse sequi opinionem quæ stat pro præcepto, & in qua nullum occurit peccandi periculum, quam sequi opinionem stantem pro libertate, res est manifesta. Illam itaque, non istam debemus amplecti. In hujus argumenti confirmationem accedit, quod in Clement. *Exivi*, De Verborum significat. & Clement. *Quia præterea*, interrogatus Clemens V. num. FF. Minores teneantur sub præcepto mortalis peccati ad ea observanda, quæ in Regula B. Francisci verbo imperativi modi, negative, vel affirmative appositio inserta sunt, respondet summus Pontifex teneri, *quia in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graviores remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* In capite etiam *Inquisitioni tuæ*, interrogatus Innocentius III. quid agendum sit conjugi, quando dubitat de valore matrimonii, respondet: *Distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an ex probabili, & discreta. Et quidem ad sui Pastoris consilium licite potest non solum reddere, sed & exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate proculdubio probabili & discreta, quamvis non evidente, & manifesta, debitum quidem reddere, sed postulare non debet, ne vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Hæc duo decreta præ cæteris notanda sunt ad infringendam responsionem eorum qui ajunt pronuntiatum illud, *In dubiis tutior pars eligenda est*, locum non habere in quæstionibus juris. Sunt enim ad jus pertinentes duæ quæstiones Clementi, atque Innocentio propositæ: quamquam nil fingi potest ea responsione futilius; cum etiam in quæstionibus juris, atque in his maxime vitandi sint remorsus conscientiæ, & declinandum violandæ legis periculum; quibus inniti effatum illud satis liquet ex dictis.

18. Responsio Tamburini cum solutione.

Præcedenti argumento respondet Tamburinus lib. 1. cap. 4. falsum esse insurgere dubitationem in conflictu oppositarum opinionum, cum *dubium* sit, quando nullæ utrinque rationes menti obversentur; qui vero duas habet opiniones æque probabiles, gravi rationum hinc, & inde pondere se premi experiatur. Falsitatem hujus responsionis demonstrat planissimis exemplis Wendrockius. Etenim in æquilibrio manet lanx, sive nullum neutri parti, sive utrique onus æquale imponatur: & judex sententiam adversus furem aut homicidam dicturus non solum animo fluctuat dum nulla apparent accusationis vel defen

fensionis argumenta, sed etiam dum illi se sistunt æqualia & opposita, V. G. testes duo, quorum unus affirmet, alter neget patratum crimen illud ab homine. Confirmet hæc exempla judicium Salomonis in dirimenda meretricum lite, lib. III. Regum cap. 3. Addit Wendrockius nonnulla Virgilii, & Terentii carmina. Sed ne quis reponat plurimum nos æstimare Wendrockium in ea quæstione, in qua multa quidem tradit utilia etiam à Goneto clarissimo Thomista probata & exscripta, sed vagatur tandem extra orbitas contendens nec invincibilem ignorantiam suffragari opinationi probabili: refellitur Tamburini responsio apertissima auctoritate D. Thomæ scribentis Q. XIV. de Verit. art 1. *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habentur, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem: & ita est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.* Igitur non solum cum nullæ menti obversantur rationes, sed etiam si appareant utrinque æquales, animus in dubium ac fluctuationem inducitur. Recte prælaudatus Joannes Blanchet Jesuita in altero ad Thyrsum Gonzalez Elego:

Si pila adversis pugnant contraria pilis,
Si neuter victo victor ab hoste redit;
Tunc neutri addicta est mentis sententia parti,
Fluctuat, & dubitans mens agitata silet.
Tunc neque judicium fertur, nec opinio flectit
Ulla animum, neque mens, quo mage vergat, habet.

19. Opponit Vasquez & refellitur.

Respondet Vasquez 1. 2. disput. 69. valere prædictum axioma *in dubiis*, non *in opinionibus*: nam in dubiis neutri parti assentimur, & in opinionibus assentimur alterutri. Sed refellitur quamfacillime responsio ista ex ipsius Vasquesii principiis. Ait enim vir ille præclarus eadem disput. cap. 3. *Dubius quis est inter utramque partem, quoties in neutra cognoscit majorem convenientiam prædicati cum subjecto in una parte contradictionis, quam in altera.* At si pulsent animum duæ opiniones æque probabiles, fieri nequit, ut in una parte contradictionis dignoscatur major *convenientia prædicati cum subjecto*: non enim apparet major convenientia istiusmodi, ubi occurrit æqualis verisimilitudo, ubi premunt animum æqualia rationum pondera, ubi conflictantur duo ejusdem firmamenti opinatus. In hoc ergo casu quisque, ipso Vasquesio judice, dubius erit. Revincunt præterea responsionem hanc quæ modo adversus Tamburinum producta sunt.

20. Communis responsio solvitur.

Communior tamen Probabilistarum responsio est, valere illud morale proloquium in dubiis practicis, non in speculativis, ac posse per judicium reflexum reddi conscientiam moraliter certam practice, tamensi speculative ob oppositas opiniones foret dubia. Disjecta fuit hæc machinatio capite præcedenti, ubi ostendimus, cum D. Thoma 1. p. q. 79. art. 11. judicium practicum, & speculativum solo fine, & connotatione distingui, eoquod istud ordinatum sit ad solam considerationem veritatis, atque illud dirigatur ad opus. Diximus practicum judicium speculativum sectari, nec posse, nisi imprudenter ac temere eligi in praxi, quod non habet in mentis contemplatione firmitatem, nisi accedant momenta alia, & rerum circumstantiæ immutentur. Addamus tamen aliqua. Primum in allatis summorum Pontificum definitionibus frustra apposita fuisset regula illa juris, *In dubiis pars tutior est eligenda*, ad præscribendum iis, qui mente fluctuantes ignorabant quid sibi in praxi foret agendum, certam morum suorum regulam: nam ii speculative dubii erant, non practice. Deinde si ad conscientiæ rectitudinem sufficiat actus reflexus, quo mens practice judicet licitum esse sequi opinionem probabilem, nunquam eveniet casus, in quo transgredi possimus regulam illam juris, quandoquidem quisquis actu operatur, se determinat judicio practico ad opus; ideoque dummodo actu reflexo dicat sibi fas esse eligere quod lubet, etiam præexistente dubitatione induet bonam certamque conscientiam. Insuper actus ille *reflexus* vel cadit super opiniones menti obversantes, vel supra ipsarum objectum, vel supra libertatem ac voluntatem unum pro libitu eligentem. Si actu reflexo judico utramque opinionem esse probabilem, judicium istud firmum, & certum quidem est, sed me ab eligendo opinionem contrariam præcepto debet magis removere; siquidem judicio ipso magis in dubitationem trahor, cum aperte percipiam utramque opi-

opinionem pugnare invicem, & in alterius electione inveniri evidens erroris & peccati periculum. Si autem judicio reflexo judicetur objectum honestum esse, dum de hac honestate mens titubat, est judicium imprudens, nec ductum rationis sequitur, sed subjicitur errori, quoniam ratio ob conflictationem opinionum utrinque pendet. Quod si cadat reflexio supra libertatem ac voluntatem operantis: quid est aliud asserere reddi conscientiam certam per actum reflexum, nisi forte dicere, Etiamsi speculative dubii simus, certum est nos minime peccare, dummodo dicamus, Cum liberi simus, facere possumus quidquid libet? Deinde juxta traditam Augustini doctrinam, peccat qui certis incerta præponit, erratque qui approbat falsa pro veris. At judicio reflexo Probabilistæ præponere possunt tanquam certa quæ incerta sunt, & approbare falsa pro veris. Igitur possunt peccare, & errare. Præterea judicii reflexi certitudo innixa est illi Probabilistarum principio, *Licet operari secundum sententiam probabilem*, hoc autem incertum est, & quod inter nos disputatur. Dum ergo inquiunt haberi conscientiæ certitudinem per judicium reflexum, certitudinem incertitudine fulciunt, & respondentes per id quod est in quæstione principium repetunt. Ad hæc judicium reflexum non inducit ignorantiam saltem invincibilem judicii directi & oppositi paulo ante in opinionum conflictu menti obversantis: quomodo ergo poterit operantem immunem reddere à culpa, si falsæ opinationi practice præstet assensum? Denique judicium illud reflexum vel innixum est probabili opinioni operantis, vel probabilitati alienæ: si probabilitati operantis, aut is suspendit judicium directum de actionis inhonestate, & hæc suspensio, quoniam voluntaria est, ipsum imprudentiæ ac negligentiæ condemnat: aut librat momenta, quæ inhonestatem illam suadent; & impossibile est, quod efformetur judicium reflexum de operis honestate, si hanc non evincant majoris ponderis argumenta. Propriæ itaque probabilitati nequit inniti judicium reflexum firmum ac certum. Sed neque probabilitati alienæ; etenim hæc intellectum movere potest auctoritate ac ratione æquali, aut præponderanti comparate ad auctoritatem, quibus directe probabilitas propria fulcitur. Si æqualis sit probabilitatis alienæ ratio vel auctoritas, adhuc judicium anceps, & fluctuans erit, nec me probabilitas aliena poterit ad judicium practicum permovere. Si vero apparebit auctoritas & ratio præponderans, fiet una opinio alterâ probabilior. Vide Logisticam Ægidii Estrix Jesuitæ. Recte etiam in Ode Paræneticâ sæpe laudatus Joannes Blanchet:

Directa honesti regula præminens
Sit norma agendi: judicio exteri
Te stare prudenter vetabo,
Ni ratio comitata præfit:
Ne tu reflexo judicio impotens
Incumbe; inani fretus arundine
Mergere caliganti averno
Tartareis tumulandus undis.
Suspensa mentis libra licentior
Nil te juvabit; nullaque flexio
Obliqua tollet, nec protervos
Ingenii reparabit ausus.

21. Probatur 4. ex D. Thoma.

Demonstratur præterea propositio ex doctrina D. Thomæ: qui citata Quæst. XIV. de Veritate art. 1. docet intellectum non moveri, *nisi à duobus, scilicet à proprio objecto quod est forma intelligibilis, & à voluntate, quæ movet omnes alias virtutes:* ait aliquando ita moveri ut non inclinetur magis ad unam, quam ad alteram partem contradictionis vel propter defectum moventium, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & hanc esse *dispositionem dubitantis:* aliquando inclinari ad unam partem potius, quam ad alteram, sed tamen dubitare de opposita, & hanc esse *dispositionem opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius:* aliquando adhærere omnino uni parti, atque id quandoque esse ab intelligibili, quandoque à voluntate; si ab intelligibili, esse *dispositionem scientis*, ad quam requiritur vel ut cognoscantur principia immediate in se, quod pertinet ad intelligentiam, vel mediate atque evidenti demonstratione ex iisdem principiis deducta, quod scientiæ proprium est: si denique ab auctoritate tantum, ita ut voluntas præbeat assensum firmissimum, etiamsi intellectus non moveatur ab intelligibili sive immediate per cognitionem primorum principiorum, sive mediate per evidentem demonstrationem, *esse dispositionem credentis.* Hæc est illius articuli summa: ex qua primo sequitur in concursu duarum opinionum æque probabilium, nullam in intellectu esse dispositionem, nisi dubitantis, propter apparentem æqualitatem rationum moventium ad utramque partem. Sequitur etiam

etiam neutram opinionem in hypothesi esse veram opinionem probabilem, quoniam animus æque inter duas fluctuans non inclinatur in unam partem contradictionis potius, quam in alteram. Sequitur pariter non posse in opinionum istarum conflictu haberi judicium certum, cum nequeat intellectus ad assensum alterius determinari evidenti ratione, vel firmissima auctoritate. Sequitur postremo judicium illud practicum ac certum, quod tantopere jactitant adversarii, pendere à sola voluntate, eaque levi, & ad malum damnabiliter inclinata, cum nec rationis lumen sequatur, neque irrefragabilem auctoritatem.

22. Confirmatio. Quamquam laudatus, atque in epitomen redactus articulus satis Divi Thomæ mentem patefacit; sunt tamen alia loca complura, ac pervulgata, quæ probabilismum aperte revincunt, præsertim Quodlib. VIII. art. 13. & quodlib. IX. art. 15. ubi quærit an sit licitum habere plures præbendas. In quorum locorum uno scribit valde periculosum esse determinate sententiam dicere: *Quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire;* in altero autem ait: *Si ille, qui possidet plures præbendas in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.* Et ne quis reponat agere beatum Thomam de conscientia dubia, non de probabili, per quam inducitur quædam persuasio recti atque honesti, pensitanda sunt quæ ibidem docet Angelicus. *Dicendum est ergo*, inquit, *quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod vere licet habere plures præbendas; & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet scientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, &c.* Igitur qui operatur ex conscientia probabili, vel sequitur falsam opinionem, & peccat quia agit contra legem, neque excusari potest ob invincibilem ignorantiam quæ tunc non adest: vel sequitur opinionem veram, & in conflictu duarum opinionum, cum non habeat talem certitudinem, quæ omnem formidinem excludat, item peccat, quia se exponit peccandi periculo: ideoque ne peccet, necessum est ut opinio quam sequitur sit adeo probabilis, ut ex opposita in nullam dubitationem adducatur, prout docet ibidem S. Doctor. Verum quod nequeat id contingere stantibus duabus opinionibus æque probabilibus, res per se loquitur. Recte itaque ponderata hac D. Thomæ doctrina ait Amadeus Guimenius: *Hæc si vera sunt, væ operantibus ex opinione probabili.* Vide Ubigant, Contensonum, & Guerrerum in Confut. Probabilismi. Lege & Philippi Cancellarii Parisiensis miserrimum exitum apud eundem Guerrerum Tom. 1. pag. 42. Argumenta à ratione in superioribus thesibus producta sunt.

23. Propositio 4. Probatur 1. ex S. Scriptura.

Propositio IV. Nefas pariter est, sequi opinionem minus probabilem stante pro libertate in concursu opinionis probabilioris, quæ stet pro lege.

Hanc thesim confirmant, ut liquet, omnia argumenta præcedentia, magisque corroborant quæ consequuntur. Ac primum ei robur addunt Scripturæ nam Eccli. XIX. 4. legimus: *Qui credit cito, levis corde est.* Matth. VII. 14. *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Lucæ XXII. 36. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ ventura sunt, & stare ante Filium hominis.* Profecto qui laxiorem ac minus probabilem sententiam amplectitur, Doctoribus varia tradentibus assentitur facillime, imo iis tantum, qui auribus suis serviunt, accomodat auditum; ideoque levis est corde, incautus, nimis credulus, ac sui ipsius palpo, & seductor. Viam quoque salutis unicam, & arctissimam fingit sibi pluribus diverticulis instructam, ac planissimam ampliissimamque: quod adeo verum est, ut Caramuel haud veritus sit scribere in Th. Fundament. pag. 549. post exortum probabilismum multas opiniones esse probabiles quæ antea non erant, & jam homines non peccare, cum antea peccarent, eoquod omne probabile à peccato excuset. Itane Apostoli, Patres, antiquiores Theologi, Christus ipse, ignorarunt quomodo arduum salutis iter com-

complanarent, compellentes conscientiam infirmam ad assiduam solicitudinem, ad vigilantiam, ad preces, ad iter arripiendum laboris timorisque plenissimum? Si fas est similia effutire; cui bono deservit aut studium moralium disciplinarum, aut orationis frequentatio, cum absque ulla ingeniorum tortura, & absque implorato supernæ collustrationis munere possit magna cum tranquillitate conscientiæ unusquisque æternam salutem assequi, dummodo agat quod videtur sibi verisimile perlegatque ad summum auctorem aliquem maxima comitate præditum? At de hoc argumentorum genere Sinnichius, Wendrokius, Gonet, L'Herminier, ac Merbesius superius laudati.

24. Probatur 2. ex Clement. & Augustino.

Argumentum alterum promitur ex lib. 1. Clement. tit. 1. ubi dissentientibus Theologis in ea quæstione an pueri in baptismo simul cum remissione peccatorum gratiam habitualem recipiant, etsi nonnulli veterum negarunt ob ratiocinationes non prorsus spernendas, ait tamen summus Pontifex Clem. V. *secundam sententiam tanquam probabiliorem, & doctrinis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, sacro approbante Concilio* (Viennensi) *duximus eligendam.* Lemovicense quoque Concilium pertractans de Officio S. Martialis, definit *necessum esse, ut semper justior, & rationabilior pars prævaleat*, dum cultus aliquis divis decernitur. Eandem regulam in secernendis Scripturis Canonicis tradit S. P. Augustinus lib. II. de Doct. Christ. cap. 8. docens *eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis præponendas eis, quas quædam non accipiunt, in iis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus præponendas eas, quas plures graviores que recipiunt eis, quas pauciores minorisve auctoritatis Ecclesiæ tenent.* Diffiteri non poterunt adversarii juxta Ecclesiæ statuta, Sanctorumque documenta, in Scripturis recipiendis, in dirimendis controversiis, in Ecclesiæ ritibus statuendis probabiliorem sententiam esse minus probabili præferendam. Cur idem in formandis moribus non erit accurate servandum?

25. Probatur 2. ex propositionibus damnatis.

Tertium argumentum sit. Si liceret sequi opinionem minus probabilem, quotiescunque infidelis aliqua probabilitate ductus ad fidem Christianam sibi probabiliori ratione propositam accedere detrectaret, esset ab infidelitate excusandus: & fas esset Judici verisimili ratione permoto damnare reum, quem firmiores conjecturæ absolvendum esse monstrarent. Enimvero uterque probabili opinioni sese accomodaret. At proscriptæ fuerunt ab Innoc. XI. propositiones istæ: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*, &, *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* Quid ad hæc Probabilistæ? Præcavendum esse grave incommodum ac damnum illatum proximo? At mihi magis pertimescendum sempiternum animæ interitum, quam temporale proximi exitium præscribit lex, commonstrat ratio, præcipit charitas, communisque sensus enuntiat.

26. Probatur 4. ex Censuris latis.

Proximum argumentum suppeditant censuræ latæ adversus sententiam oppositam. Ludovicus enim de Gondrin Archiepiscopus Senonensis die 3. Septembris anno 1658. coacta septingentorum virorum Synodo, omnium plausu ac suffragiis declaravit, *doctrinam quæ censet fas esse, neglecta probabiliore & tutiore, sequi opinionem minus probabilem & minus tutam . . . . . falsam & periculosam esse; & innumeris corruptelis viam aperire.* Eodem anno die 24. Octobris Antistites, Alectensis, Apiamensis, Convenarum, Vasatarum, & Conseranorum non tantum proscripsere celebrem Casuistarum Apologiam, verum etiam, quod summopere notandum est, declararunt ejusdem Apologiæ auctorem tam absurda scripsisse innixum illi principio, *Que de deux opinions probables on peut choisir celle, que à moins de probabilité.* Pari jure Episcopus Lexoviensis in Censura anno proximo 1659. eandem Apologiam confixit, quoniam probabilitati, quæ est laxitatum omnium ferax parens, innititur: *La probabilité* (inquit Gallice) *qu'on peut appeller la mere funeste de toutes les autres erreurs des Casuistes.* Archiepiscopus Bituricensis ipsammet Apologiam damnans, eandem probabilitatem errorum scaturiginem esse demonstravit in sua Censura die 6. Februarii ejusdem anni 1659. *La vraye regle, que suivent le Casuistes enseigne que delà que une opinion est probable, elle est si asseurée, qu'on ne court point risque de se damner en la suivant: on peut s'arrester à un opinion, quoy qu'elle semble moins probable qu'une autre.* Vide Censuras alias quamplurimas apud Merbesium P. 1. Summæ Christianæ quæst. 36. & Antonium Charlas in Disput. de Opinionum delectu cap. XVIII. Atque in eis adverte non solum Apologiam damnari ob opinio-

opinionum laxitatem, sed etiam asseri hujus laxitatis fontem esse principium illud, *Licet sequi opinionem minus probabilem, &c.* In hujus rei confirmationem demonstrare possem, quomodo omnes morum corruptelæ ex libris Probabilistarum prodierint; uberrimam enim segetem præbent ad hoc evincendum Epistola v. & VIII. Ludovici Montaltii, Christianus Alethophilus in Artibus Jesuiticis à cap. 15. usque ad 166. Germanus Philalethes Opusculo v. cap. 5. & ne rigidiores istos, & forte Janseniano fermento consperšos, ac sesquihæreticos commemorem, Nicolaus L'Herminier Tom. v. pag. 113. & seqq. ubi recenset absurda, in quæ prolapsus est Probabilistarum antesignanus Caramuel, ac Gonetus stylum acuens in tertio hujus dissertat. articulo adversus laxitates ejusdem Caramuelis, Tamburini, Sancii, Dianæ, Baunii, aliorumque; necnon Vincentius Contensonus in Probabilitatis Commento cap. 2. speculat. 2. Verum cum omnis homo mendax sit, atque obnoxius errori; ab his supersedeo, ratus sufficere ad malorum germinum perditionem, si securis admoveatur radici.

27. Probatur 5. ex priscis Theologis.

Quintum argumentum petitur à veterum Theologorum conspiratione: de qua satis multa in Prænotatis, atque præcedenti propositione II.

28. Probatur 6. ratione.

Argumentum sextum rationi subnixum est. Cumque multiplex possit ratio succurrere, illam iterum urgebimus, qua adducimur ad operandum prudenter: imprudentissime enim se gerere, qui sequitur opinionem minus probabilem, ostendunt momenta plurima. Ac primo, quid est prudentia? Illam supra ex Augustino definivimus, quod sit eligendorum, & rejiciendorum discretio, sive affectio animæ, qua percipimus æterna superiora esse, temporalia autem inferiora. Consentit Cicero scribens in 1. de Officiis: *Prudentia, quam Græci φρονησιν dicunt, est rerum expetendarum, fugiendarumque scientia.* Hujus munus præcipuum est sagaciter seligere *ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur*, ait S. Pater lib. 1. de Morib. Eccl. Cath. Cap. xv. n. 25. Si eligantur temporalia & inferiora, esse prudentiam carnis, quæ teste Apostolo inimica est Deo, non prudentiam spiritus præeligentem superiora, scite idem Augustinus demonstrat Q. LXVI. num. 6. inter 83. Etiam Aristoteles in libro Magnorum Moral. cap. 33. ait, *Prudentis ac prudentiæ est optima expetere eaque semper sibi proponere & actitare: at astutiæ & astuti fuerit conjectare.* Peto nunc: Qui sequitur opinionem minus probabilem, abjicitque probabiliorem, seligit optima? Minime. Præponit sibi superiora? Minime. Discernit accurate inter res expetendas ac fugiendas? Minime, inquam. Est itaque maxime imprudens. Deinde, ut Comitolus demonstrat lib. v. Respons. Moral. Q. 15. imprudens & ignarus est, qui eligit longius abesse, quam propius accedere ad veritatem, qui in morum disciplina obstruit sibi viam indagandæ veritatis: qui sponte à ratione discedit: qui judex constitutus, pluribusque testibus auditis, sequi mavult eorum testimonium, qui minus verisimilia deposuere. At si probabiliori sententiæ præfers minus probabilem, eligis longius abesse à veritate, quoniam quod est minus verisimile magis à veritate divellitur: præcludis tibi aditum ad veritatem inveniendam, quia via expeditior veritatis est verisimiliora sectari: discedis sponte à ratione, cum abjicias quod magis rationi est consonum; & quasi pro tribunali veritatis sedens causam definis testimonio fretus deteriori, nam contrariis de eadem re argumentis acceptis minus verisimilia præfers verisimilioribus. Quomodo ergo non eris scelerate ignarus, imprudens, ac infrunitus? Mitto quæ sæpe repetita sunt, de peccati, cui te committis, periculo.

29. Probatur ultimò ab exemplo.

Postremum argumentum promitur ab exemplo. Doctrina est Vasquesii inter Probabilistas celeberrimi, eoque auctore ab omnibus approbata, medicum peccare, si applicet medicamenta, de quibus dubitat, utrum sint profutura, vel nocitura, eoquod in dubiis tutior sit tenenda pars. Cæterum si medicus probabili opinione sua, vel aliorum medicorum credat medicamentum magis profuturum, quam nociturum, nec magis certum suppetat remedium, poterit illud adhibere; satis enim prudenter se gerere videtur, si sciens ægrotum moriturum adhibeat ei aliquid, quod quamvis non certo, probabiliter tamen sit profuturum, tametsi nocere fortasse possit. Si vero sit aliud remedium citra opinionem magis certum, illud debet adhibere, alioquin præcepto non satisfaciet, quo debet subvenire proximo. Hæc, atque eisdem plane verbis Gabriel Vasquez 1. 2. disput. LXIV. cap. 4. Dicant modo Probabilistæ, quare hæc prudentiæ, & æquitatis regula non sit in cura animarum servanda? ostendant cur major adhibenda sit solicitudo in curatione corporis ægrotantis, quam in dirigenda interioris hominis valetudine?

dine? demonstrent delectu opinionis minus probabilis, dum suppetit tutior, nullum asserri animæ nocumentum: negent quod nec Ciceronem latuit De finibus 5. *Ut medicinam valetudinis, sic vivendi artem esse prudentiam.* Hæc adversus Probabiliſmum satis sunt, cum quatuor hæ positiones sese invicem valide communiant, & momenta unius fulcimentum alterius corroborent.

CAPUT XV.

Expediuntur Probabiliſtarum argumentationes.

SUMMARIUM.

1. usque 36. Variæ Objectiones cum Solutionibus.

1. Objicitur 1. ex Scriptura.

DILUENDA nunc Adversariorum objecta præcipua; quorum primum fabricari potest ex iis Scripturarum sanctarum locis, in quibus Dei præcepta dicuntur jucunda, levia, & observatu facillima. Ita Ps. CXVIII. 39. *Judicia tua jucunda.* Matth. XI. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve;* & Epist. 1. Joan. v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt.* At præcepta Christianæ legis gravia essent, & jugum Domini servile, nimis ponderosum, & collo excutiendum, si neque fas esset libertati indulgere, & benigniorem sententiam probare. Abeat ergo rigida Antiprobabiliſtarum, qui id inficiantur, sententia.

2. Solutio.

Respondetur recte dici jugum Domini suave, & mandata levia atque jucunda; etsi nobis juxta Divina eloquia, per angustam portam intrandum sit, orandum sine intermissione, nosmetipsos abnegandum, & quemadmodum monent Apostolicæ Epistolæ, carnales simus venumdati sub peccato, ingemiscamus in hoc tabernaculo gravati, colluctationem habeamus adversus carnem & sanguinem, & nos exhibere debeamus sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta. Sed, inquis, quomodo sub tanto onere jucunditas, ac facilitas? Multa quidem, neque ob unam duntaxat causam. Primum leve est onus Christi comparate ad præcepta legalia, quibus abrogatis, ut inquit Augustinus Epist. 118. nunc 54. *Sacramentis numero pauciſſimis, observatione facilliminis, significatione præstantiſſimis, societatem novi populi colligavit.* Deinde leviſſimum est ob spem magnæ retributionis, quæ cor nostrum allicit & inclinat, cum non sint condignæ passiones hujus sæculi ad futuram gloriam; unde ait idem Augustinus Serm. 182. de Tempore: *Jugum discipulis Christi obedientiæ merito est suave, cui servire est regnare.* Leviſſimum præterea est, quoniam non timore, sed amore ad hanc legem servandam pertrahimur, accipientes spiritum adoptionis, non servitutis: quare ipsemet Augustinus de Perf. justit. cap. 10. *Laborant*, inquit, *in Dei præceptis, qui ea timendo adimplere conantur; sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam non solum non opprimentem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum.* Insuper perleve est istud onus, eoquod satis sit ad salutem capessendam, ubi vires & facultates non suppetant, bona voluntas, cum econtra in mundi amore nil solo cordis desiderio acquiratur præter torquentem animum anxietatem: quare idem Augustinus ait lib. VI. de Musica cap. 14. *Laboriosior est hujus mundi amor, quam Dei.* Tandem, ne omnia persequar, suave est jugum Domini, quia *ipse adjuvat ut fiat quod imperat;* inquit idemmet S. Pater Serm. XCVI. cap. 1. de Nat. & Grat. cap. 69. *Et ipso, quo firmiſſime creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Vide quam bene his consentiat Tridentinum Concilium sess. VI. cap. 11. Hæ itaque veriſſimæ causæ sunt, cur mandata non sint gravia, cur jugum suave, cur onus leve.

3. Confirmatio Solutionis.

Et quidem si Divinæ legis æquitas & jucunditas plenam nobis in opinionum discrepantia relinqueret libertatem, levis magis ac lenior foret, si permitteret etiam in dubiis, imo & in noxiis atque illicitis agere quidquid lubet; &, quod horrent Christianæ aures, suavior esset lex concupiscentiæ, quam spiritus. Levior esset, si nos ad inquirendam veritatem nequaquam adigeret, quod tamen omni adhibita diligentia, pro negotii qualitate, ac magnitudine, faciendum esse

Adver-

Adversarii non diffitentur, ut Thomas Sanchez lib. 1. Sum. cap. 6. n. 36. & Gabriel Vasquez 1. 2. disput. 123. cap. 2. etsi decipiantur, dum ajunt quæsitum satis de veritate, ubi adinventa sit aliqua ratio probabilis ac verisimilis. Longe gravior quoque fuisset lex Christiana priscis Ecclesiæ temporibus, dum fideles hæc moralis Theologiæ rudimenta ignorabant; ac dura, gravisque Doctorum omnium sententia per sæcula retroacta. Statera denique ad dignoscendum quid gravius, quid levius sit, esset humana ratio rerum verisimilitudine obducta, sibique placens ac illicitis inhians arbitrium. Sed quid tam multa ad futilem, ineptamque argumentationem? Neganda est minor. Ait eo loci Joannes: *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*: & Augustinus cit. cap. de Nat. & Grat. *Quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo grave est; aut diligit, & grave esse non potest.*

4. Objicitur 2. ex regula Juris.

Opponunt deinde regulam Cæsarei Juris 171. *In pari causa possessor potior haberi debet.* Et alteram num. 11. in VI. Decret. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Ex quarum prima Probabilistæ ita arguunt: Stat homo in possessione suæ libertatis: igitur in pari opinionum conflictu, penes ipsum est eligere quod magis libet. Similiter ex altera regula ratiocinantur: Judex in ferendis sententiis non debet reo pœnam præscribere, dum in suo foro incertus est de delicto. Ergo neque in foro conscientiæ damnari aliquis debet, nisi certa sint patrati criminis argumenta; ideoque immunis à reprehensione est qui habet rectitudinis suæ opinionem aliquam verisimilem.

5. Solutio 1.

Respondetur has, quibus sententiam suam Adversarii munire student, juris regulas nullum in hac quæstione fulcrum ipsis substernere. Nam de priori regula Gabriel Vasquez, quamvis inter Probabilistas percelebris, 1. 2. disp. 65. cap. 3. ait, locum habere solum in materia justitiæ, alioquin in omni dubio fas esset eligere partem minus tutam, quod valde absurdum est. Deinde quis, nisi insigniter audax, adversus Deum, ejusque legem objiciat titulum possessionis? Rursus, si huc regula ista advocanda est, possessio stabit pro Deo, ejusque lege, quæ sempiterna ac inviolabilis est, non pro humana libertate nobis Dei munere collata, ut merito obedientiæ eidem legi subjiciamur. Item nullum habet opinio probabilis jus possessionis adversus probabiliorem ac tutam, quæ adversariorum consensione probatur ab antiquioribus omnibus, suisque oppugnatoribus semper obstitit. Præterea hæc eadem regula in Decretal. VI. n. 65. legitur, *In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis*, ibique Glossa exemplum affert Titii volentis repetere pecuniam ob stuprum inferendum datam virgini, actorisque repetentis à corrupto judice nummos. Ad hæc non tenet regula ipsa, neque par est causa, quando emergit ex una parte peccandi periculum; in Cap. enim *Significasti*, de homic. definitur Sacerdotem habendum esse tanquam irregularem, tametsi incertum sit an ejus ictu occisus interierit, & quamvis ille habeat sacrorum possessionem; atque in Cap. *Dominus*, de secundis nuptiis, decernitur ut mulier, quæ fruitur secundarum nuptiarum possessione, si dubitet de morte prioris conjugis, non possit à viro, quem possidet, debitum exigere conjugale. Tandem jus civile præscribit duntaxat ea, quæ spectant externam politiam, civiumque concordiam, neque interioris fori animorum quoque pravitatem damnantis sibi arrogat auctoritatem. Ad primum itaque, nego antecedens; quandoquidem in duarum opinionum conflictu, neque par est causa, cum in altera adsit peccandi periculum: neque objicere potest humana libertas adversus legem Conditoris sui titulum possessionis; neque patrocinandum est eis, qui adversus Legislatorem intendunt actionem.

6. Solutio 2.

Alterum legis pronunciatum, *Cum sunt &c.* definit judicem non posse pœnam ordinariam, & impositam pro certo ac determinato delicto infligere reo, quem certe non constet delictum illud perpetrasse: id vero minime locum habet, si pœnæ sit annexum præceptum aliquod abstinendi se à certo genere officii ac operis, qualis est *irregularitas* arcens delinquentem à ministerio altaris. Si enim minister committat peccatum, etiamsi certo non constet de delicto, irregularis censendus est, & debet à ministerio altaris recedere, quando eidem peccato canones pœnam irregularitatis præscripserint. Ita laudatum Caput *Significasti*, & ipse Vasquesius 1. 2. disput. 66. cap. 7. Adde disparem esse rationem de Judice in foro externo adversus reum pœnam decernente, & de interno conscientiæ foro: quam disparitatem affert Glossa doctrinâ deprompta ex D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 4. *Ubi* (inquit) *non apparent manifesta indicia*

debemus alios reputare bonos, quia contemptum, & nocumentum alteri non debemus afferre, nisi causa cogente: at circa nos ipsos dubia interpretari in malam partem, secundum illud Job, Verebar omnia opera mea; quia cum debeamus malis nostris adhibere remedium, expedit ut securius remedium apponatur, supponere id, quod est deterius. Hæc Glossa ad Cap. *Ex parte*, de scrut. Quare ad secundum argumentum neganda est consequentia, propterea quod nec tenet regula illa juris ubi adest peccati periculum, nec eadem externi ac interni fori habenda est ratio. Accedit censendum esse homini tutiorem sententiam, sicuti honestior est, ita utiliorem, benigniorem, jucundiorem, ac libertati magis consentaneam; quoniam suavitas charitatis præferenda est cuilibet voluptati, & libertas spiritus libertati malum agendi, quæ potiori jure dici debet servitus, quam libertas. Dum ergo dicimus tenendam esse tutiorem partem, propugnamus sententiam, quæ filiis, qui aguntur spiritu Dei, videri debet stare pro libertate, & ad finem, in quem tendunt, facilius pertrahens; quod colligitur etiam ex Divo Thoma 2. 2. q. 147. art. 2. ad. 3. Atque his productæ juris regulæ colluſtrantur, exponuntur, ac retorquentur.

7. Objicitur 3. Insuper objiciunt quædam rescripta Pontificum. Innocentius III. Cap. *Literas*, de Restit. spoliat. interrogatus à Gerardo Archiepiscopo Bituricensi quid agendum de muliere, quæ non expecta-to Ecclesiæ judicio recesserat à marito opponens impedimentum consanguinitatis, & viri sævitiam, recitatis sententiis oppositis, ac mediam eligens, inquit: *Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam illarum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari.* Declaravit ergo Innocentius fas esse utramlibet opinionem sectari. Alexander III. in IV. Decret. Tit. XI. de Cognat. spiritual. cap. 2. quærentibus, *An vir, aut mulier, si scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperint, debeant propter hoc separari*, respondet: *Quamvis generaliter sit constitutum, ut debeant separari; quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt: ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi.* Alexander itaque secutus est opinionem benigniorem stantem pro libertate conjugum, etsi altera communior esset, ac probabilior. Etiam Cælestinus III. in IV. Decret. Tit. XV. cap. *Fraternitatis*, excusat sententiam Episcopi Altisiodorensis, qui separaverat Odoardem mulierem à viro, per errorem probabilem: *Sententiam divortii* (inquit) *per errorem licet probabilem novimus esse prolatam*: ideoque censet sumus Pontifex minime damnandum, qui probabili opinione ductus falsum approbat.

8. Soluio. Resp. his Rescriptis egregie sententiam nostram firmari. Innoc. III. cit. Cap. *Literas*, laudat primum Epistolam Lucii III. relatam eodem tit. de Rest. spoliat. qua decrevit restituendam esse mulierem à viro violenter expulsam exceptione consanguinitatis, non expectata sententia Judicis Ecclesiastici; nec adesse periculum incestus, quoniam mulier si habet notitiam impedimenti, nequit debitum petere, si non habet notitiam petere valet, nec maritus reddens graviter peccat, quia obedit Ecclesiæ, cujus judicio facta est restitutio. Hæc sententia non stat pro libertate, sed pro lege de indissolubilitate matrimonii; non enim Pontifex permittit, ut mulier pro suo libitu petat debitum, sed jubet, ne à marito divellatur impedimento non comprobato, ut quod Deus conjunxit, homo non separet. Affert deinde Innocentius oraculum Clementis III. qui quærentibus an mulier quemdam in virum petenti, qui ut eam repelleret exceptionem consanguinitatis objecit, prius esset prolatâ sententiâ jungenda viro, an prius de impedimento esset agendum; respondit primum esse cognoscendum de exceptione consanguinitatis, à qua altera quæstio perimitur. Atque oraculum istud stat pro lege prohibente inter consanguineos matrimonium, non pro libertate. Dum ergo Innocentius ait nolle se, ut responsione sua prædictis sententiis generetur aliquod præjudicium; vult semper tenendam esse opinionem stantem pro lege: & sententias Lucii, & Clementis egregie conciliat, quod *Lucii Papæ mandatum ad possessorium, responsum vero Clementis ad petitorium referatur.* Ita post verba, quæ objiciuntur. Deinde non ait Innocentius, Potest Isemberga restitui spoliato juxta Lucii decretum, non debet juxta responsum Clementis, ideoque licet facere utrumlibet: minime. Definit mulierem, quæ consanguinitatis habet certam notitiam, non posse viro absque peccato commisceri: decernit illam, si habet paratas probationes consanguinitatis, restituendam non esse; sin autem, ad restitutionem Ecclesiasticâ censurâ compellatur, quia præsumitur contra

tra eam, eoquod sine judicio Ecclesiæ suâ tantum temeritate à viro discesserit: restituta tamen deneget tori consortium, donec probationes asserantur, & tunc absolutione petitâ secundum formam Ecclesiasticam absolvatur. Igitur Innocentius non opinionem mulieris pro sua libertate probabili ratione pugnantis definivit esse tenendam, sed opinionem stantem pro lege matrimonii, & statuente consanguinitatis impedimenta. Neque hoc tantum Rescripto sententiam nostram confirmavit Innocentius; sed etiam Cap. *Inquisitioni*, de sent. Excommunicat. de quo supra. Ad primum itaque neganda est consequentia.

9. Instantia cum solutione.

Quod si objicias, Cur ergo cum Lucius, tum Innocentius mandarunt conjugi de impedimento consanguinitatis ancipiti reddendum esse debitum, nisi fas sit sequi opinionem probabilem? Respondeo, quare præceperunt, ut reddat quidem, sed postulare non audeat, tametsi pulset ipsius animum consanguinitatis exceptio, & conscientia non ex credulitate levi ac temeraria, sed *ex probabili atque discreta*? Tenetur reddere debitum, inquit Innocentius, ne peccet *contra legem conjugii*: & Lucius, *Ut obediat Ecclesiæ, cujus judicio facta est restitutio*; quod perinde est, ac si dixeris, quia præferenda est sententia quæ stat pro lege conjugii: econtra petere nequaquam potest, *Ne contra judicium conscientiæ committat offensam*; nimirum, quia conscientia pulsans animum *ex credulitate probabili* non excusat à culpa, neque cum tali conscientia fas est sequi opinionem stantem pro libertate. Nobis ergo non tantum suppetias, sed & auxilia Adversarii ipsi submittunt.

10. Rescriptum Alexandri expenditur.

At quid de Rescripto Alexandri? Statutum erat definitione Papæ Deusdedit relata etiam à Luithprando in ejus Vita, ut mulieres, quæ in sabbato Paschæ filios suos levarent de baptismo, separarentur, dotem reciperent, & post annum nuberent alii marito. Quam hæc generalis constitutio difficilis sit, tradunt Jurisconsulti omnes, ac noster Basilius Poncius lib. VII. de Matrim. cap. 40. Sive de sponsis & conjugibus sit ea definitio *distributive* accipienda, ita ut conjuges separentur, sponsi autem nec matrimonium contrahant, eoquod spiritualis cognatio sit impedimentum conjugii, ut liquet ex canone 53. Trullano, aliisque decretis posterioribus; sive sensus sit, separandos esse tantummodo pœnitentiæ tempore, eoque transacto permittendum illis consortium tori, nihil attinet ad quæstionem in qua versamur. Certissimum est, quod si conjuges filium suum è sacro fonte susceperint, seu propter ignorantiam, nescientes jura consanguinitatis, & cognationis spiritualis, seu propter malitiam, ut postea ea exceptione utantur ut vicissim dividantur, minime separandos esse, ut habetur in cap. *De his*, in Rescripto Nicolai Papæ. Certissimum quoque est posse Pontificem hujusmodi in casu dispensare, ac dispensationis legitimam causam esse, si contineri non valeant. Itaque Alexander jure meritoque non obstante generali constitutione Papæ Deusdedit, secutus est sententiam aliorum Prædecessorum, qui *humanius* statuerunt cum his dispensandum, quod utique præstare potest Pontificis auctoritas; atque secutus est sententiam probabiliorem Nicolai stantem pro lege matrimonii, eandem firmissimam rationem ibidem afferens, *Quia si ex ignorantiâ id factum est, ignorantia eos excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Ac propterea τὸ *humanius alii statuerunt*, ad Pontifices, qui pro sua auctoritate humaniter ad vitandam conjugum incontinentiam in factis istiusmodi dispensarunt, apertissime est referendum: aut cum Ostiensi, & aliis Canonistis subsellii non infimi, dicendum est idem esse *humanius*, ac *rationabilius & æquius*. Nego itaque Alexandrum III. opinionem minus probabilem fuisse secutum.

11. Expenditur caput Fraternitatis.

Expendamus & caput *Fraternitatis*. Episcopus Antisiodorensis celebrarat divortium Odoardis à viro, posteaquam non potuit ab ipso carnaliter cognosci diu cum eodem morata; nec hoc contentus experimento ab utroque conjuge manifestato, volens habere certitudinem pleniorem, matronas providas honestasque evocavit, districte illis injungens sub periculo animarum, ut Odoardem prudenter inspicerent an idonea esset ad viriles amplexus: quæ in fide sua constanter asseverarere, quod ea mulier non poterat esse mater, aut conjunx. Quare Episcopus morali certitudine detegens impotentiæ impedimentum Odoardem sejunxit à viro. Accidit postea, ut hujusmodi impedimentum, quidquid causæ fuerit, nullum dignosceretur; & Cælestinus pronunciavit matrimonium Odoardis cum primo viro validum extitisse, affirmans sententiam divortii latam fuisse ab Episcopo per *errorem probabilem*. Ea propter error hic loci *probabilis* dicitur, non quod fue-

fuerit ex conscientia opinativa, sed quod innixus fuerit argumentis olim moraliter certis, tametsi postmodum evanuerunt: unde extat in illo Capite, *Sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus esse prolatam, cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat.* Atque ita corruunt argumenta omnia ab Adversariis ex Jure Canonico, & Romanorum Pontificum Rescriptis deprompta. Nam quod opponit Caramuel Epistola IV. adversus Fagnanum Romanos Pontifices dispensasse aliquando in voto solemni castitatis, nec non à vinculo matrimonii rati; id nullam habet vim ad infringendam sententiam nostram, cum semper præstiterint quod sibi certo persuasum erat non excedere collatam sibi divinitus auctoritatem.

12. Objicitur 4. ex S. Augustino.

Urgent præterea S. P. Augustini loca nonnulla. Ac primo S. Pater lib. I. de Baptismo contra Donatistas cap. IV. in eoque Opere frequentissime excusat S. Cyprianum, quod secutus fuerit sententiam de rebaptizandis hæreticis: quam indubitatum est fuisse minus probabilem. Rursus in lib. de Adulterinis Conjugiis cap. 26. laudata opinione aliquorum, qui tenebant baptizandum non esse Cathecumenum in mortis articulo constitutum, nec Sacramentum petentem, dicentes observandum quod dixisse Dominum legimus, *Nolite sanctum dare canibus*; hac opinione repudiatâ ait S. Pater: *Etiamsi voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare.* In quibus sequitur opinionem minus probabilem, atque repugnantem Scripturæ. Denique Epistola ad Hieronymum XIX. nunc 82. n. 3. ait Augustinus se verum putare quod in aliis Auctoribus legit, *non quia ipsi ita senserunt, sed quia vel per auctores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Probabilis itaque ratio etiam ab Augustino extorsit assensum.

13. Solutio 1.

Resp. ad 1. S. Patrem eo loci num. 28. excusare Cyprianum 1. *quia erat filius pacis Ecclesiæ*, ideoque pro falso dogmate non violata charitate pugnabat. 2. quia sanguine absterserit maculam, *si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat.* 3. quia ei consensere octingenti ferme Coepiscopi, *neque plenarii Concilii sententiâ quid hac in re sequendum esset totius Ecclesiæ consensio* firmaverat. Addit lib. IV. cap. VI. num. 8. exemplum Petri qui coegit Gentes judaizare, non omnino irreprehensibiliter, ut idem Augustinus demonstrat in Epistolis ad Hieronymum. Videtur etiam lib I. contra Cresconium cap. XXXII. num. 38. in dubium revocare an revera Cyprianus censuerit hæreticos iterum baptizandos: quod Vir nostri ævi doctissimus (cui tandem nondum plane assentimur) eruditâ dissertatione Cyprianum non sensisse contendit. Nego itaque Augustinum asserere, quod Cyprianus sequendo opinionem minus probabilem omnino inculpate se gesserit. Deinde, quamquam beatus Cyprianus arripuit rationes potius verisimiles quam veras, & inspexit consuetudinem solius Africæ sub Agrippino paucis ante se annis inductam, ut inquit S. P. Augustinus lib. IV. de Baptismo contra Donatistas cap. VI. num. 8. nihilo tamen minus visum Cypriano non incertam ac verisimilem, sed veram certissimamque sententiam à se propugnari. Enimvero Epistola ad Januarium, aliosque Numidiæ Episcopos scribit se promere sententiam, *non novam, sed jam pridem ab antecessoribus statutam*; ac in Epist. ad Quintum affirmat se duci *consensu, & auctoritate communi.* Putabat quoque invictissimam esse rationem illam, quam affert in Epist. ad Jubajanum, & in Epist. ad Stephanum, scilicet, quod *in Ecclesia hæreticorum, ut fides, ita aqua sit mendax:* atque adeo Cyprianus ex patrio more, ex consensu Episcoporum, ex Agrippini Concilio, & ex ratione, quæ sibi invictissima videbatur, induerat conscientiam moraliter certam: aut forte putabat dogma de Rebaptizandis hæreticis ad disciplinam tantum pertinere, cum non desint Theologi, qui tenent transsiisse illud in dogma fidei post Synodum Tridentinam; ideoque tanto ardore Cyprianus pro disciplina Ecclesiæ Africanæ pugnavit. In his autem, quæ ad solam disciplinam pertinent, potest quisque pro more Ecclesiæ suæ decertare. Hæc itaque pro Cypriano.

14. Solutio 2.

In libro autem de Adul. conjugiis docet Sanctus Pater Augustinus tenendam esse opinionem probabiliorem, & Catechumenum baptizandum, demonstrans in illo locum non habere Dominicam sententiam, *Nolite sanctum dare canibus;* quemadmodum non habet locum in pueris, qui propriam nequeunt exprimere voluntatem. Ait enim: *Etiamsi voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare; ubi velit, an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam credidit*

non

non se oportere de corpore exire. Et ibidem, *Quamvis petere sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est.* Quod si appositam sententiam tenentes non damnat, hoc ideo est, quoniam iis videbatur certa, & Domini præcepto adhærens: ac proinde etiam hoc loco S. Pater probabilismum oppugnat, cum doceat Catechumenum illum baptizandum, quia id est probabilius; excusetque sentientes contrarium, quod eis probabilius proculdubio apparebat.

15. Solutio 3. Pariter in Epistola ad Hieronymum S. Pater Probabilistarum commenta refellit. Eo enim loci docet *solis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur hunc timorem honoremque deferendum, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid erravisse firmissime* credendum sit. Quomodo ergo fas est opinioni cujusque Theologi *junioris* absque ulla formidine adhærere? Docet *alios ita* legendos, *ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum* putandum sit, *quia ita ipsi senserunt; sed quia vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt.* Quomodo ergo dum animum pulsat adversa opinio, licet ob quamlibet auctoritatem ei contraire? Docet nec Hieronymi libros sic legendos, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, *de quorum scriptis quod omni errore careant dubitare nefarium est.* Quomodo ergo absque hæsitatione approbem quidquid Caramuel, Diana, Tamburinus, aliique scripserunt? Ita semper ex Adversariorum conflictu honestissime triumphos agimus. *Probabilem* vero rationem, quam contraria nequeat labefactare, & quæ à veritate non abhorreat, etiam nos dicimus inculpatam; ac propterea diu in uno vocabulo non versabimur.

16. Objicitur ex Patrum Testimoniis. 5. Insuper objiciunt aliorum Sanctorum testimonia. Leo Magnus in altera Epistola ad Rusticum Narbonensem, ait: *In his, quæ dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.* Ergo sat est, inquiunt, si opinio probabilis, quam sequimur, sacris Scripturis, ac Patrum documentis non sit contraria. S. Thomas Aquinas citato articulo 13. Quodlib. VIII. concludit: *Si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, sic nec committit se crimini, nec peccat.* Itaque dummodo conscientia dubia non sit, sed probabilis, etiam in conflictu diversarum opinionum censenda est recta. S. denique Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. ait: *Qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale permanente dubitatione peccat mortaliter. Sed si dubitet leviter quis per modum scrupuli, agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret opinioni alicujus doctoris; & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita opinione, &c.* Laudatur & Antonini responsum, quod liceat sequi quamcunque opinionem, dummodo sit *magni alicujus Doctoris.*

17. Solutio 1. Respondetur ad 1. verissimum esse quod scribit S. Leo in dubiis eligendam esse opinionem, quæ non adversetur Evangelicis præceptis, sanctorumque Patrum decretis; sed non inde sequitur licitum esse operari dum conscientiam pulsat dubium, gravisque suspicio; alioquî recta foret etiam conscientia fluctuans ac dubia, quod nullus asserit. Unum Magnus Leo hic jubet, supponit alterum. Jubet ne sequamur opinionem, quæ sacris literis, ac Patribus invenitur adversa: supponit nos satis operæ locasse in veritatis inquisitione, & percepisse nullum esse peccati periculum in opinione, quam sequimur; quod in conflictatione duarum æque probabilium fieri non potest. Imo præcipit, ut æqua lance libratis iis quæ libertati obsequuntur, & iis quæ Divina lege interdicuntur aut jubentur, ad hanc tantum mores nostros componere studeamus. *Quis conscientiæ suæ* (inquit serm. XI. de Quadrag.) *aut tam gratiosus, aut tam imperitus est arbiter, qui ignoret quid à se auferri, aut quid in se oporteat augeri? . . . . Non ergo per omnia sibi placeat, nec se secundum carnis oblectamenta dijudicet, sed omnem consuetudinem suam in divinorum præceptorum lance constituat, ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdicantur ut non fiant, justo se trutinabit examine, qui vitæ suæ mores ex utriusque ponderis comparatione pensaverit.*

18. Solutio 2. S. Thomas citato articulo aperte, ut vidimus, probabilismum oppugnat; ait enim, quod faciens contra legem non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Si vero eligat opinionem veram & legi consonam, docet nullum committi peccatum, dummodo contrariæ opiniones in dubitationem non inducant; quoniam tunc non operatur contra legem, neque contra conscientiam. Itaque per D. Thomam eligens opinionem contrariam legi, etsi probabilem, peccat. Deinde si eligatur

tur etiam opinio vera, inducatur tamen ex contrarietate opinionum dubitatio, adhuc peccatum committitur, quia, homo eligendo temporalia ac libertati consona, exponit se peccandi periculo, ut ibidem docet Angelicus. Nego autem ex opinione aut probabiliori, aut æque probabili dubitationem hanc non induci. At legatur citatus articulus. Id unum aliquam parit difficultatem, cur falsam opinionem eligens ex invincibili ignorantia non peccet, cum faciat contra legem, si verum est, quod ait Thomas, *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Hoc versat adversus Mercorum Wendrockius, & adversus Genettum Philalethes; quibus paulo infra curabimus satisfacere.

19. Solutio 3. Petitum ex D. Antonino argumentum nullius est roboris. I. Quoniam loquitur eo loci de conscientia scrupulosa, quam ex levi motivo prodeuntem commonet esse deponendam; non de scientia gravi momento innixâ, ac probabili. II. Quia dum exigit necessarium esse ad peccatum vitandum, ut qui adhæret opinioni alicujus Doctoris, habeat *rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita*, aperte damnat æque probabilem, aut minus probabilem stantem pro libertate. III. Quia ibidem ad bonam conscientiam has conditiones requirit, ut qui tenet unam partem alicujus opinionis, habeat pro se notabiles doctores, ut talis opinio non sit contra auctoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, ut ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, ut formet sibi bonam conscientiam, & credulitatem de eoquod credit, tanquam de probabiliori parte, ut denique inquirat an sufficienter moveatur ad hoc quod est licitum. Hæ conditiones aperte demonstrant S. Antoninum nonnisi tutiorem ac probabiliorem sententiam probare: unde L'Herminier ait perperam, & frivole nobis Antoninum objici; illumque adversus Probabilistas laudant non solum Contensonus, Charlas, aliique Probabilismi Oppugnatores, verum etiam Sanctius lib. 1. in Decalogum cap. 9. Addit Wendrockius nihil usitatius Casuistis, quam Antonini sensus aspernari, cujus hoc loco ooponunt auctoritatem. At apertum est, ab Antonino recedere etiam Wendrockium ipsum, aliosque rigidiores, qui negant fas esse sequi sententiam probabiliorem: quibus non assentimur. Responsum vero, quod tribuitur Antonino, sive Alberto Magno, si tamen genuinum est, quod negant complures, tenet eodem pacto pro conscientia scrupulis agitata, non pro dubia ac probabili; alias Antoninus secum pugnaret, atque ipsum Responsum proscriptum esset una cum propositionibus relatis Thesi 1. capitis præcedentis.

20. Objicitur 6. à ratione. Opponunt præterea argumenta plura deprompta à ratione: quorum primum sit. Potest à Theologis propugnari absque ullo periculo erroris ac deceptionis opinio minus probabilis, qualis est in sententia nostra de Gratia efficaci à consensu, & de sufficientia attritionis ad gratiam in Sacramento recipiendam: imo cautum est Apostolicæ Sedis decreto, ne Theologi similia tradentes aliquâ censurâ notentur. Igitur etiam in praxi opinionem minus probabilem sequi possumus.

21. Solutio. Respondeo antecedens laborare æquivocatione; nam complures Theologi propugnant opiniones, quæ aliis sunt minus probabiles; sed nullus Theologorum eas opiniones amplectitur, aliisque tradit, nisi quæ sibi videntur probabiliores. Sit in exemplo: Qui tenent gratiam efficacem esse à consensu, verisimilius esse putant, quod gratia ab intrinsecis suis efficax libertatem evertat; & qui ajunt attritionem sufficere, putant hanc Tridentinorum Patrum mentem fuisse. Igitur antecedens verum est, si minus probabile accipiatur pro eo, quod tale videtur aliis, non pro eo quod tale apparet sibi ipsi. Quare argumentatio hæc retorquetur: Etiamsi Doctor defendat ac tradat opinionem reprobatam ab aliis; non tamen, si prudens ac verax sit, assensum præbet eidem opinioni, neque eam propugnat, nisi videatur sibi aut certa, aut saltem verisimilior. Igitur quamvis nonnulli sequantur in praxi opinionem minus probabilem aliis; id tamen caute ac prudenter non faciunt, nisi eadem opinio aut irrefragabilis, aut saltem probabilior ipsis appareat. Si autem opiniones Scholarum ad fidem, moresque non spectent; latissima quoque occurrit disparitas: nempe quia disputamus de opinabili, ut à verisimili trahamur in agnitionem veritatis: sed nefas est opinative operari, ne imprudenter in peccatum labamur. Apposite S. Thomas Quodlib. 111. articulo 10. *Dicendum quod diversæ opiniones Doctorum siquidem non pertineant ad fidem, & bonos mores absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt, tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Romanos,* Unus-

Unusquisque in suo sensu abundat. In his autem, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.

22. Instantia. Sit argumentum aliud. Si debeamus eligere opinionem probabiliorem, possumus etiam eligere minus probabilem; cum enim sit omnium fere Theologorum sententia quod fas sit sequi minus probabilem, pars, quæ docet licere sequi minus probabilem, est probabilior.

Solutio. Huic argumentationi, quam urget in Apologemate Caramuel, abunde in Prænotatis satisfecimus. Cedo mihi auctorem unum antiquum ante annum 1570. qui scripserit licere sequi minus probabilem: demonstra magnam recentiorum partem pro meliori causa, ac ratione validiori, quæ auctoritati præferenda est, decertare: proferas vel unius ex nostratibus palinodiam. Sed ea, quæ ibidem prosecutus sum, non repetam. Tria addam quam brevissime. Primum contingere aliquando, ut magna Ecclesiæ pars non solum in moralibus disciplinis, sed etiam in fidei dogmatibus exorbitet à veritate: quo in casu accedendum est saniori parti, inquirenda veritas, vitandum peccati periculum, & cavendum sedulo, ne sequamur turbam ad faciendum malum. Alterum quod non omnes, qui stare videntur pro opinione probabili, revera subscribunt Probabilistis; nam vel probabile ita accurate describunt, ut non sit tale quidquid non innititur momentis validioribus: vel loquuntur de opinionibus stantibus utrinque pro lege; vel exigunt conditiones paullo supra ex Antonino enumeratas; vel apponunt hypothesim, si opinio in probabilitate persistat, quod fieri nequit in conflictu opinionis æque probabilis. At de his lege Contensonum in Vindiciis Thomistarum, Du-Hamelium Tom. IV. pag. 400. & ipsum Terillum Probabilistam quæst. XXII. & XXIII. de Conscientia. Tandem ex nostro antecedenti, *Debet eligi opinio probabilior*, si recentiores Casuistæ redderent sola auctoritate nominis sui opinionem magis probabilem, sequeretur quod non solum liceat sequi minus probabilem, sed etiam quod non liceat sequi probabiliorem. Quis autem ita desipit, ut id non licere pronuntiet? Non ergo tribuit opinioni majorem probabilitatem caterva contradicentium.

23. Urgetur. Proximum argumentum sit. Qui sequitur opinionem probabilem prudenter se gerit, sequitur enim opinionem conformem rectæ rationi, & existimationi virorum prudentum: talis quippe est opinio quæque probabilis. At non peccat, qui prudenter se gerit. Non ergo peccat, qui sequitur opinionem probabilem. Præterea opinio probabilis gravi momento est innixa: sufficit ergo ad moralem certitudinem constituendam. Rursus etiam in conflictu opinionis contrariæ, remanet opinio suis rationibus suffulta, atque præsidio auctoritatis munita; potest ergo à viro prudente extorquere assensum. Rursus in concursu alterius nulla opinio probabilis cognoscitur falsa; remanet ergo absolute probabilis, & ad mores dirigendos idonea.

24. Solvitur. Respondeo hæc omnia jam à nobis fuisse plenissime refutata. Ad primum itaque nego majorem, si loquamur de opinione probabili in æqualis, aut probabilioris conflictu; tunc enim ex multiplici titulo deprehenditur imprudentia: primum quia non expenditur opinio opposita, non inquiritur veritas, & voluntas non à ratione æqua lance librata, sed à se ipsa inconsiderate flectitur ad agendum: deinde, quia adest peccati periculum, mens ex contrarietate opinionum in dubitationem inducitur, & cum opiniones oppositæ consimili momento nituntur, nequit recte inter falsitatem ac veritatem discerni: tandem quia dum abjicitur opinio stans pro lege, non seliguntur sagaciter optima, inferiora superioribus præponuntur, & non habetur accurata eligendorum ac rejiciendorum discretio. Nego itaque majorem. Ad secundum nego antecedens, si loquamur de opinione in alterius occursu: non est enim momentum grave, cui aliud ejusdem ponderis contraponitur, nec opinio apta est ad moralem certitudinem animo ingenerandam, nisi suffulta sit validioribus, quibus trahamur, momentis; ut dictum supra, & confirmatum ab Eminentissimo Gotti Tom. VII. Th. pag. 298. Quod sequitur faciliorem habet solutionem; nam in conflictu opinionis contrariæ, licet, quæ stat pro libertate, remaneat probabilis aut in se, aut in mente aliorum; non remanet tamen probabilis in mente operantis, qui hinc, inde varietate opinionum distrahitur: ac regula morum non est aliena conscientia, sed propria. Postremi argumenti nulla est consecutio; nam in conflictu duarum opinionum æque probabilium, etsi neutra cognoscatur aperte falsa, utraque tamen cognoscitur contraria alteri pro-

probabiliter veræ: quod sat est, ut nequeat una alteri prudenter præferri, & in regulam regendorum morum assumi. Atque id à fortiori dicendum est, si opinio, quæ abjicitur, sit probabilior.

25. Oppositio. Rursus objiciunt. Sententia affirmans quod liceat sequi opinionem probabilem qua talem, ab Ecclesia proscripta non est, ac traditur à viris doctrina ac morum probitate conspicuis. Cur ergo illam sequi inculpate non possumus? Ad hæc si opinio appareat probabilis, non erit sacris literis, ac doctrinæ Patrum contraria: ac proinde provide poterit teneri.

26. Solutio. Ad primum respondetur jam ab Ecclesia definitum, quod non liceat sequi opinionem tenui probabilitate innixam, ut vidimus Cap. præced. propos. prima: tenuis autem evadit probabilitas, quando ab æquali, vel majori oppugnatur; ideoque licet sententia quorumdam recentiorum non sit expresse damnata, ex alia damnata rejici debet ac repudiari: nam quod ex falsa directe sequitur, falsa merito reputatur, ut liquet ex regulis, quas in XII. de Locis Canus præscripsit. Quamquam silentium Ecclesiæ nos ad inquirendam absque dissidio veritatem impellit, non est autem dirigendorum morum exacta regula; alioqui opinio alicujus junioris censenda erit probabilis, dum non constet rejectam esse tanquam improbabilem ab Apostolica Sede: quod est damnatum ab Alexandro VII. prop. 27. Ad alterum liquet ex dictis, in opinionum conflictu, quamvis neutra appareat adversa Scripturæ aut Patribus, unam tamen apparere contrariam alteri, quæ probabiliter Scripturæ ac Patribus est consentanea, atque id sufficit, ne illa possit prudenter eligi, tametsi vel in se, vel in aliorum mente sit verisimilis, ac probabilis.

27. Oppositio. Insuper opponunt. Nullum dubium in praxi pulsat conscientiam probabilem, cum judicio *reflexo* induat moralem certitudinem; neque adest peccandi periculum, nisi forte *materialiter*, cum ignorantia, sive sit invincibilis, sive eorum quæ scire non debemus, excusat à culpa. Corruit ergo quælibet adversus Probabilismum machinatio.

28. Solutio. Respondeo certitudinem illam ex judicio *reflexo* exortam esse deceptionem singularem; ac dum pulsant animum opiniones contrariæ ignorantiam nullam adesse, nisi culpabilem, cum occurrat probabilis opinio contraria, ac præcepto conformis, quam pleniſſima libertate repellimus, ac propterea non *materialiter* tantum committi peccatum, sed & *formaliter*. At de his supra.

29. Oppositio. Adhuc objiciunt. Nonne opinione tantum probabili utuntur Medici, dum desperata ægroti valetudine adhibent remedium, quod fortassis arcessit mortem? Idem faciunt in belli discrimine duces exercitus: idem in causis forensibus judices: idem in conducendis mercibus institor ac tabernarius. Te, antiprobabilista, appello. Si tibi sint duo nummi aurei, Italicus, & Hispanicus, æque probati rectique ponderis, nonne potes utrumque impendere, aut vicissim à debitore recipere? At utrique opinioni probabili suum, quemadmodum nummo aureo, stat pondus.

30. Soluio. Respondeo his exemplis probabilismum everti; nam Medicos, nisi probabilius medicamentum adhibeant, graviter peccare vidimus ex Vasquesio: ac idem de ductoribus exercituum, aliisque dicendum est. Si aliquo in casu minus probabile eligant; id erit minus probabile in re, & ex parte *objecti*, non in mente operantium; alioqui gerent se admodum imprudenter. Si unum sit quod eligant, illos excusabit necessitas: si plura occurrant; in quo periculum viderint, illud vitabunt; si malum utrinque impendat, fugient deterius: si neutra ex parte infortunium immineat; agant, si adsit par ratio, quod lubet. Aque ita, si utraque opinio sit legi uniformis, cum in nulla possis legem transgredi, amplectere utramlibet. At si altera prohibeat opus, quod aggrederis, nec ulla te adigat agendi necessitas; qua prudentia illam sua probabilitate munitam abjicies? Quod ergo Medicus in corporis valetudine curanda, id tu agere studeas in ægritudine animi. Adverte aliud esse eligere probabilia & errori obnoxia, aliud id facere ex sententia probabili, dubiisque jactata. Si prudenter eligas quod male vertat, immunis eris à culpa; ita enim Medicus, ita belli imperator, ita mercatores excusantur. At si imprudenter eligas, & varia opinatione distractus, nullam habebis excusationem. Apagesis cum aureis nummis. Hispanicum probatioris auri reponis in marsupio, Italicum minus fulgidum, nisi utrumque recondere valeas, istud erogas: si à debitore exhibitum opineris aut adulterinum, aut erosum, probum petis, ac ponderas in libræ lance. Hoc pacto tene probabiliorem sententiam, dimitte minus probabilem; & dum plures contrariæ occur-

occurunt, observa quanti pendant, & rejice minus tutam.

31. Oppositio. Argumentantur ulterius. Prudens existimatur qui litem suam uni Jurisconsulto committit, qui ægrotans Medicorum unum percelebrem advocat; & qui unius præceptoris doctrina imbuitur, qui unum Parochum, aut unum Confessarium frequenter adit.

32. Solutio. Resp. Imo in causis magni momenti plurimos consulis, nec acquiescis sententiæ unius; & post contrariam sententiam ad superiorem Judicem provocas. In corporis pariter ægritudine nonne expetis plurium medicorum consilium? Id ergo magis expedit facere, ne patiaris animæ detrimentum. Non damno tamen, si uni probo, doctoque viro te dirigendum committas, ejusque præceptionibus obedias, dummodo Deum depreceris, ut mentis tuæ tenebras discutiat, & supernæ illustrationis tibi donum impertiatur, & dummodo traharis, non cupiditate, sed charitate, habensque conscientiam rectam non diverbereris opinionum conflictatione; ac denique, si hæc insurgat, quæras sagaciter veritatem, studeasque legem præponere libertati.

33. Objicitur 7. Denique opponunt Probabilistæ. Tenentur Religiosi viri, imo & Catholici omnes ex opinione probabili interdum sibi regulam morum præscribere. Religiosi quidem viri, quia posteaquam se obedientiæ voto obstrinxerunt, si eis Superior præcipiat quod ipsis minus probabile appareat, dum non constat esse peccatum, tenentur adimplere præceptum. Fideles item universi colere debent diem festum Conceptionis Deiparæ, quam sine originaria labe fuisse conceptam fert opinio tantum probabilis. Quod si probabilitas sat est ad statuendum cultum religionis, ac publicam Ecclesiæ festivitatem; multo magis ad regendam privatam conscientiam erit sufficiens. Denique si nos ad tenendam opinionem probabiliorem adigamur; necessum quoque erit eligere tutiorem, atque ita omnes cucullum induent, aut capient genus aliud vitæ asperrimum atque durissimum, ni velint abripi in gehennam. Antiprobabilistæ igitur sunt erga religiosos homines, erga Cultores Deiparæ, erga probos conjuges, omnemque popularium ordinem nimium rigidi.

34. Solutio 1. Resp. probum ac bene moratum religiosum posse ad Superioris præceptum prudenter exuere dubitationem, quam præconceperat; imo debet deponere judicium suum, animadvertens superiores gerere Dei vices, & pro nobis vigilare, quasi rationem pro animabus nostris reddituros, ac memoria repetens, quod ait Dominus: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Vide Suaresium lib. VI. de legib. cap. 8. & Thyrsum Gonzalez Dissert. XIV. Religiosus itaque judicio proprio deposito jam induit opinionem probabiliorem ac certam moraliter. Quod si adhuc præcedentis opinionis momento valido premeretur, post adhibitas preces exploratamque conscientiam, nego quod posset ea repugnante cujusvis hominis mandatum exequi.

35. Solutio 2. Ad secundum plura in Notis ad literas Montaltii Wendrockius. Ait Caramuelem, Theophilum Rainaudum, aliosque Probabilistas asserere quod nequeat in dubium revocari, quin intemerata Virgo potius absque macula concepta fuerit: etiam Alexandrum VII. declarasse opinionem illam religiosam ac piam: certissimum esse, quod cultus beatæ Virgini sit exhibendus, & celebranda gratiæ beneficia divinitus ipsi collata: recoli propterea in Conceptionis solemnitate sanctificationem Deiparæ, quocunque tandem momento peracta sit: eos, qui sibi certo persuadent Virginem sine labe conceptam, duci in recolenda Conceptione sententia, quæ sibi probabilior est, atque ex hoc capite nihil argumentum convincere; si quis sentiat oppositum, hunc venerari Deiparam, sed non ei de tam eximio gratiæ privilegio ex corde plaudere, non defectu devotionis, sed potius affectu sinceritatis, ne simulate illi congratuletur: hunc ad summum Conceptionem solemni ritu celebrare sub tacita conditione, si nimirum revera sit Dei Mater tam singularis gratiæ munere condecorata. Necessarium non arbitror, ut hæc minutatim revocentur ad trutinam: etenim si Pontifex decrevit religiosam ac piam esse sententiam, quod Virgo concepta sit absque macula originali, indixitque ob hanc rem festum diem; quidquid sit de facto, quod in quæstionem nefas est revocare, jam redditur probabilior decreto ipso sententia affirmans Conceptionem Virginis colendam esse; sive privilegium illud consecuta fuerit, & æquum sit illud concelebrare: sive res ambigua sit, ac non debeat in dubio ad factum, non ad jus pertinente, hac veneratione privari Dei Genitrix glorioſissima; cui nemo mortalium *digne valet jura gratiarum, ac laudum præconia rependere*, ut ait Auctor sermonis 18. de Sanctis, inter Opera Augustini.

36. Ad postremum responsio est facillima; Solutio 3. si enim opinio minus tuta sit probabilior; qui illam sequitur prudenter se gerit, cum moveatur ratione firmissima: ideoque non se exponit peccandi periculo. At in opinione minus probabili contingit oppositum. Si tamen opinio sit tuta in se, qualis est sententia probans conjugium, vitamque laicalem, sed alicui videretur, ob sui conditionem, proximumque discrimen obnoxia peccato, haud dubium, quod is debeat amplecti arctioris vitæ institutum, nisi suppetat alia ratio vitandi peccatum. At de his, quæ expedita fuerunt in Prænotatis, nunc attenuate presseque disseruimus.

CAPUT XVI.

An in aliis judicandis, aut dirigendis sequi possimus opinionem minùs probabilem.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Propositio 1. Probatur.
5. 6. & 7. Propositio 2. Probatur.
8. & 9. Propositio 3. Probatur.
10. Objiciendis satisfit.

EXCISA fallax probabilitatis doctrina protulit mala quædam germina, quæ simul cum illa evelluntur ac dissipantur. Ex eo enim, quod unicuique liceat sequi minus probabilem opinionem, collegerunt posse virum Theologum aliis proponere sententiam, quam sibi falsam esse persuadeat, dum illam aliquis doctor propugnet; licere laico varios adire Confessarios, donec inveniat qui respondeat ad ejus libitum, si afficiatur firmo animo nihil gerendi conscientiæ probabili adversum; debere Confessarium absolutionem impendere pœnitenti ducto opinione probabili, quam idem Confessarius improbabilem putat, tametsi nolit pœnitens suam opinionem deponere. Hæc inter Probabilistas tradidere Laimanus Theol. Moral. lib. 1. Tract. 1. cap. 5. §. 2. Castropalao lib. 1. Tract. 1. disp. 2. p. 3. Sanchez lib. 1. Decalogi cap. 9. Bannius Tract. IV. q. 13. & cum aliis plurimis Escobarius lib. 2. n. 113. Sunt quidem hæc omnia hactenus refutata: cum enim debeamus præcepto charitatis diligere proximum sicut nos ipsos, quod vidimus nobis non licere, nec aliis fas erit proponere. Brevi tamen & hæc singillatim excutiamus.

I. Propositio 1. PROPOSITIO I. Non licet viro Theologo ex sententia, quam ipse oppugnat, censetque minus probabilem, alteri consilium dare, tametsi non ignoret eandem sententiam tanquam probabiliorem ab aliquibus propugnari.

Probatur ex veteri & novo Testamento. Traditur hæc veritas in veteri, novoque Testamento. Malachias enim cap. 2. vers. 7. inquit: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Angelus sacerdos dicitur, quasi nuncius jussorum Dei, & præceptorum, quæ illi Dominus proponit, interpretator ac præco. Non ergo requirentibus ex ore ejus legem, & quid sibi agendum sit consulentibus, gerit se tanquam Angelus Domini, si nunciat ea, quæ non audit, atque adversus conscientiam suam instruit ignaros. Deinde Apostolus in 11. ad Corinth. cap. 1. ait Apostolici muneris decus esse evangelizare ex fide, & juxta intimos conscientiæ sensus: *Nam gloria nostra hæc est* (inquit versu 12.) *testimonium conscientiæ nostræ;* atque hoc testimonium inde comprobat, quod Corinthiis locutus fuerit *in simplicitate cordis, & sinceritate Dei*, scilicet sincero animo, tanquam Deo spectante atque audiente. Addit versu 17. *Nunquid levitate usus sum, aut quæ cogito secundum carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non?* Levitatem appellat consuetudinem illorum, qui aliud habent in animo, aliud in ore; suadet enim Corinthiis se habuisse sinceram voluntatem ad illos redeundi: & quasi mirabundus, quod ipsum vanum mendacemque haberent, *Nunquid* (ait) *est apud me Est, & Non?* Nunquid ore affirmo, quod negem animo? Exhibet sensum hunc Græca phrasis, qua Paulus utitur, ναὶ, καὶ οὔ, quæ transiit etiam, auctore Festo, in proloquium. Qui ergo juxta conscientiam suam non instruit plebem levis est corde, quia habet *Est* in labiis, & *Non* in pectore; atque vituperat Apostolicum ministerium, quia non comprobat dispensationem doctrinæ testimonio conscientiæ. Idem Apostolus ad Ephesios IV. 25. jubet, ut loquatur *veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.* At veritatem non loquitur, qui illam occul-

occultat, imo aliorum dicta, quæ putat falsa, ut blandiatur discipulis peritissime, & callidissime venditat.

2. Probatur ex exemplis Evangelicis.

Addamus explicationis, non convitii gratia, Evangelica exempla. Pilatus credidit Christum insontem esse, ac Pharisæorum invidia traditum: illum autem damnarunt Pontifices tanquam blasphemum, & Scribæ omnes tanquam populi subversorem, & jura Cæsaris invadentem. Ergo si fas sit juxta aliorum opinionem sententiam dicere, ac definire veritatem; Pilatus rectus fuit judex, præsertim cum Christum supplicio addixerit, non ad unius accusationem, sed omnibus legisperitis affirmantibus malefactorem esse, & universo populo conclamante, *Reus est mortis.* Est ergo Pilato deterior, qui firmissime tenens hoc licitum esse, illud illicitum, ob opinionem aliorum, nec communem, nec tanta assertione firmatam, adversus conscientiam suam contrarium pronuntiat. Exemplum istud ingeniose tractat in hac Quæst. Merbesius P. 1. Summæ Christ. q. 32. At aliud ego proferam nequaquam adversariis injuriosum. Christo explorante fidem Apostolorum Mat. XVI. 13. & interroganti, *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* nonnulli referunt aliorum opiniones duntaxat, dicentes, *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Atque ita respondentes nec laudari video, nec reprehendi. Dum vero ait illis Christus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Petrus non humanæ intelligentiæ ambiguitate, sed firma confessione respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi;* promeruitque singularem laudem, quia illum terrena opinio non fefellit. Quod si respondisset, *Christus est Elias*, juxta aliquorum hominum opinionem, nonne merito fuisset reprehensus? Si ergo à te fidei morumque doctrinam petentibus respondeas hoc Baunius docet, illud Vasquesius, istud Sanctius; recitas opiniones hominum, nec promereris laudem, aut vituperium: si dicas quod tibi interior ac firma conscientia proponit, loqueris ut Christi discipulus, & commendandus eris juxta conscientiæ tuæ rectitudinem; si contra conscientiam tuam faciendum asseris quod scripsit Baunius, aut Sanctius, merito te reprehendam.

3. Confirmatur.

Ac videtur qui contra propriam conscientiam alios instruit imitari consuetudinem Priscillianistarum, quos Augustinus cap 2. libri contra Mendacium cæteris hæreticis pejores appellat, propterea quod *ipsi soli, vel certe maxime ipsi reperiuntur ad occultandam suam, quam putant veritatem, dogmatizare mendacium.* Etenim mentitur quisquis loquitur, quod falsum existimat, nec non qui verum enuntiat, quod non putat verum, ut idem Augustinus demonstrat in libro ad Consentium cap. 3. & 4. Si ergo falsam putas sententiam, quam alius probat, eamque proponis à te consilium petenti, mentiris; loqueris enim quod existimas falsum. Ex alio capite occultas tuam, quam putas veritatem. Igitur imitaris Priscillianistas in hoc malo cæteris hæreticis iniquiores: quod salva charitate argumentationis causâ dictum sit. Facessat itaque ab omni fidelium societate illa quorumdam doctrina: *Nihil à ratione alienum fore, si Doctor consultus significet consulenti opinionem à quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde sequi ipsi liceat; quamvis idem Doctor ejusmodi sententiam speculative falsum certo sibi persuadeat, & proinde ipsimet in praxi eam sequi non liceat.*

Hanc Probabilistarum assertionem aperte ratio ipsa refellit. Si spectemus consiliarii officium, est inspicere quid expediat ei, cui datur consilium: unde Paulus in 1. ad Corinth. VII. 35. dans consilia de servandis virginibus, *Porro*, inquit, *ad utilitatem vestram dico.* Qui enim consiliarii munus explet sui causâ, ut ille, qui apud Martialem ajebat, *Utile quod nobis, do tibi consilium*, is consiliarius malus est, de quo Ecclesiasticus XXXVII. 9. *A consiliario serva animam tuam.* Debet proinde consilium dare ut vitetur, quod ipse putat corpori aut animo nociturum. Nemo quippe est, qui non horreat aut medicum adhibentem remedia, quæ putat mortem probabiliter allatura, aut negotiatorem hortantem ad ineundam societatem, ex qua timet grave aliquod detrimentum. Atque id magis observandum est, dum agitur de salute animæ, quæ si pereat, nihil prodest homini, etiamsi mundum universum lueretur. Inspiciendum præterea, quinam sit ipse Consiliarius: qui in hoc casu summi Dei implet ministerium, dicente Apostolo II. ad Corinth V. 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Tandem consideranda ipsa conditio petentis consilia hominis, scilicet Christiani, ignari, veritatem quærentis, & Evangelii lege inviolabili obstricto. His accurate inspectis, liquido constabit Theologum qui adversus opinionem suam alteri dat consilium, non fungi munere consiliarii, quia

4. Probatur ratione.

quia non proponit, quod conscientiâ sua magis expedit: non se gerere tanquam Ecclesiasticum virum, quia tanquam *exhortante Deo* non loquitur veritatem; & non habere rationem petentis consilia, quia illum non hortatur ad facienda opera juxta judicium suum digna homine Christiano: ac propterea doctrina Probabiliſtarum tanquam contraria sacris literis, repugnans Evangelicis institutionibus, & adversa rationi, est omnino explodenda. Atque hoc erat theorema nostrum.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Non licet homini ignaro varios Casuistas adire, eo animo, ut tandem inveniat benigniorem aliquem affirmantem esse probabile, quod alii improbant, sibique fas sit eligere quod magis libet.

Probatur 1. Illud enim Ecclsiastici XXXII. 19. *Qui quærit legem, replebitur ab ea; & qui insidiose agit, scandalizabitur in ea*, uti eruditionem promittit legem scrutantibus ut faciant eam, virosque doctos consulentibus ne in errorem inducantur; ita minatur deceptionem qua in legem impingat ei, qui *insidiose*, sive ut Græcus habet, ὑποκεινόμενος, *simulans* se quærere institutionis disciplinam, dum vestigat quomodo absque conscientiæ stimulo indulgeat cupiditati, adit humaniores Confessarios, Theologosque præditos singulari erga omnes facilitate. Propterea Apostolus in II. ad Thessal. 2. vers. 10. ait Deum mittere in operationem erroris, ut credant mendacio, eos, qui *charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fiant*: quod Dominus olim comminatus fuerat per Ezechielem cap. 14. At qui opinionem probabiliorem stantem pro lege parvi facientes inquirunt alteram benigniorem libertati percommodam, rejiciunt beneficium Divinæ illustrationis, charitatemque præferentem præceptum Domini humanæ consuetudini. Pessime ergo se gerunt, Deumque provocant, ut tradat illos in desideria sua, & eos mittat in operationem erroris.

6. Probatur 2. Quærit Augustinus cur Balaam dignus esset, quem asina corriperet; & Q. XLVIII. in Num. respondet, Balaam prohibente Domino ne pergeret ad Balaac regem Moabitarum iterum Dominum consuluisse; permittente autem ut iret, statim se viæ commisisse, atque ita demonstrasse cupiditatem suam, ac desiderium munerum, quæ cap. XXII. Num. vers. 7. appellantur *divinationis pretium:* ac propterea promeruisse Domini indignationem. *Cur post istam permissionem* (inquit S. Pater) *Dominum iterum non consuluit, & post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur?* Ita prorsus agunt qui plures consulunt, ut licite faciant quod libet. Si audiant Dominum prohibentem, iterum consilia petunt: si inveniant permittentem, absque ulla hæsitatione operantur: digni profecto, in quos Deus spargat pœnalem cæcitatem, & quos cum Balaam asina ipsa corripiat.

7. Probatur 3. Hinc si Chrysostomi verbis commonefeci paulo supra, qui negligunt inquirere veritatem, & tanquam in pulvino, in opinione favente libertati quiescunt, ut imitentur eos, qui vestimenta empturi circumeunt unum negotiatorem & alterum, & qui impensam sibi pecuniam propriâ manu ponderant, ac enumerant: nunc inquirentes qui auribus suis serviant, commoneo Apostolicis verbis in 2. ad Tim. IV. 3. *Ne ad sua desideria coacervent sibi magistros, prurientes auribus:* verbisque Irenæi lib. IV. adv. hæreses cap. 44. *A pravis Sacerdotibus abstinere oportet, adhærere verò iis, qui Apostolicam doctrinam custodiunt, & cum presbyteri ordine sermonem sanum, & conversationem præstant sine offensa, ad informationem, & correctionem reliquorum.* At secunda thesis facile his expeditur.

8. Propositio 3. PROPOSITIO III. Non debet Confessarius absolutionem impendere iis, qui sequuntur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, illamque nolunt deponere.

Probatur 1. Hanc propositionem, quam falso Probabiliſtæ ajunt ab omnibus, vel fere omnibus reprobari, cum illam propugnent quotquot refellunt probabilismum, demonstrant argumenta omnia cap. XV. & quæ produximus nuper propositione prima. Nam si nefas est sequi opinionem minus probabilem, neque illam potest prudens Sacerdos tradere eundem consulenti; quo jure tali opinione utetur in administratione Sacramenti, in exercenda potestate sibi divinitus tradita, in Christi munere implendo, in afferendo pusillorum animæ remedio salutis? Eandem tamen propositionem duplici argumento confirmabimus; quorum unum ex prærogativa Confessarii, alterum ex conditione pœnitentis depromitur. In Confessario attendi potest judiciaria potestas, scientia, qua discernat inter lepram, & lepram, ac prudentia per quam debet tanquam spiritualis medicus animorum ægritudini pharmacum adhibere. Judicem

dicem non posse judicare juxta opinionem minus probabilem, liquet ex propositione ab Innocentio XI. proscripta: Medicum homicidam esse, si adhibeat medicamentum quod probabilius censet nociturum, indulgeatque ægrotorum opinioni, ratio ipsa suadet, nec diffitentur Adversarii. Spectare demum ad spiritualis Judicis scientiam, atque auctoritatem ut propria ratione quod debeat judicare discernat, commonstrat ratio ipsa judicii, & definitum est cap. *Qui vult*, dist. 6. de Pœnit. Cum itaque Confessarius absolutionem impendens reo nolenti deponere opinionem suam, exerceat judiciariam potestatem spreta conscientia, non discernat intimo sensu, quod debet decernere, & ægroti vulneribus non oleum infundat, sed laxativam mulcedinem; indignus propterea est, cui committatur spiritualis Judicis auctoritas, animarumque curatio.

9. Probatur 2. Ex alia parte pœnitens sistere se debet ad sacerdotis tribunal tanquam reus atque infirmus. Reo autem non convenit proferre judicium, neque infirmo præscribere medicamentum. Tantummodo si & ipse sit juris ac medicinæ peritus, poterit humiliter proferre propriam opinionem, eaque ponderata Judex ac Medicus, si noverint meliorem, illa utentur: cum enim per mentis judicium alterius sententiam approbant, jam non alienam conscientiam sequuntur, sed propriam. Atque hoc in pœnitentiæ foro si fiat, non improbo. Sed audiatur Probabilistarum flagellum, & J. CC. decus maximum Fagnanus super Caput *Innitaris*, de Const. num. 304. *Cum absolutio Sacramentalis sit actus judicialis, & Sacerdos sit vere & proprie judex, ad eumque spectet discernere inter lepram, & lepram, & pœnitentem absolvere vel ligare; per hanc doctrinam Sacerdos non fungitur amplius judicis officio, sed subditus ordine inverso assumit sibi judicium conscientiæ suæ, & eligit suo arbitratu sententiam ligantem aut solventem. Nam cum Sacerdos judicat esse restituendum, negotiationem relinquendam, aut quid simile, statim pœnitens objicit extare super hoc opinionem probabilem sibi faventem, & esse in sua facultate illam eligere. Unde in foro animæ Judex cogitur sequi judicium rei, & non reus judicium Sacerdotis; quod quam sit absurdum nemo non videt.*

Quæ opponunt Probabilistæ, ex dictis obviam habent solutionem. Inquiunt denegandam non esse absolutionem pœnitenti sufficienter disposito. Verum ex dictis constat hanc dispositionem non haberi: si enim pœnitens novit opinionem suam esse minus probabilem, aut pugnare cum alia æqualiter probabili, & illam tamen velit pertinaciter tenere, neque vult vitare peccandi pericula, neque in dubiis partem eligere tutiorem. Si autem adhæreat opinioni suæ tanquam probabiliori, audiens à Confessario se in errore versari, debet veritatem diligenter inquirere, ac promittere se omnium partium studio deposito, daturum operam orationi, ac optimorum librorum lectioni, ac primum legem Domini divinasque Scripturas, deinde statuta Conciliorum, decreta Pontificum, documenta Sanctorum, Theologorum sensum, & humanam quoque rationem diligentissime scrutaturum. Quod si facere nolit, repellendus est, quoniam non vult intelligere, ut bene agat. Si affirmat se aut ingenium aut tempus non habere ad hæc expendenda; objurgandus est, quod cum careat ingenio & exercitamento doctrinæ, velit tamen opinionem suam proponere illi, quem Ecclesia sibi constituit judicem, non discipulum. Si econtra valeat plurimum ingenii acumine, & eruditione, eamque velit ostentare; poterit Sacerdos respondere se Judicis tribunal conscendisse, non cathedram disputantis. Humillime tamen proferenti rationem conscientiæ suæ, si hanc Sacerdos percipiat esse probabiliorem, ut dixi, absolutionem impendat. Reliqua Adversariorum argumenta præcedenti capite fuerunt rejecta, atque explosa. 10. Objiciendis satisfit.

CAPUT XVII.

Emolliendum esse nimium quorumdam rigorem, qui tenent nullam conscientiam probabilem in materia juris naturalis excusare à peccato.

SUMMARIUM.

1. An nulla conscientia probabilis excusetur à peccato in materia Juris naturalis.
2. Explicatio ignorantiæ in jure naturali, & positivo.

2. 4. 5. 6. 7. Propositio Probatur.
8. & 9. Objectiones, & Solutiones.

1. An nulla conscientia probabilis excusetur à peccato in materia juris naturalis.

QUI nullam inculpabilem ignorantiam juris naturalis admittunt, consequenter docent in iis, quæ ad idem jus pertinent nullam opinionem vel probabilissimam reddere operantem immunem à culpa; nam, inquiunt, si falsam opinionem eligat, nequit error excusari, cum sit vincibilis, voluntarius, ac adhibitâ diligentiâ facile potuerit expelli, ideoque amplectens opinionem probabilem plenâ libertate peccandi periculo se committit. Ita sentiunt Joannes Sinnichius, Guilelmus Wendrockius, noster Vanroy, Norbertus Elbecque, & quos laudavi cap. XI. Genettus, & Ballerinius. Si adversus istos opponas propositionem damnatam ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam;* facile se expedient dicendo merito fuisse proscriptam; quia cum universalis sit, & conscientia probabilis aliquando excuset à culpa in iis, quæ spectant vel ad *factum*, vel ad jus positivum, absque ulla exceptione prolata apertissime falsa est.

2. Explicatio ignorantiæ in jure naturali & positivo.

Sententiam nostram potest quisque deprehendere ex capite 10. & 11. hujus libri, ubi de ignorantia disputavimus. Ostendimus non posse invincibiliter ignorari legem naturalem quantum ad prima principia, & ad præcepta, quæ evidenter inde inferuntur; ignorari tamen à plurimis absque culpa quantum ad ea, quæ remote, & perplexa ratiocinatione ex iisdem principiis, præceptisque inferuntur, dumodo qui tali ignorantia laborat, in eligendis, rejiciendisque dijudicandis omnem, quam prudentiæ jura præscribunt, adhibuerit diligentiam. In jure positivo dari ignorantiam invincibilem nec Catholicus negat, nec Jansenianus, nec rationabilium quispiam. Ignorantiam *facti*, si sit eorum quæ prævideri aut non poterant, aut non debebant, excusare à peccato nemo pariter inficiatur. Hinc sequitur opinionem vere probabilem, & quæ appareat gravi fundamento innixa, etiamsi in se falsa sit, constituere conscientiam rectam; dummodo non versetur circa principia, & notiora præcepta juris naturæ, & dummodo non pugnet cum opinione æque probabili, aut probabiliori nec talem dubitationem pariat, quæ exponat operantem peccati periculo; uno verbo, dummodo ingeneret conscientiam moraliter certam, nec propria voluntate obcæcatam. Proximo tamen theoremate hæc omnia confirmabuntur.

3. Propositio.

PROPOSITIO. Sequi possumus in qualibet materia sive juris, sive facti, sententiam probabilem, quæ post diligentem veritatis inquisitionem appareat oppositâ sententiâ probabilior: quod tamen in per se notis, obviisque præceptis legis naturæ nequit occurrere.

Elucidatio propositionis.

Opinionem quippe probabilem hoc loco illam appello, non qualem fingunt plurimi, innixam cuicunque momento, sive petito ex auctoritate alicujus recentioris, sive ex humana ratione aut præjudiciis affecta, aut noxia cupiditate, aut voluntaria ignorantia; sed quæ probetur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus, & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis: quæ aut ex definitione Conciliorum, aut ex sacris literis, aut ex doctrina Patrum, aut ex rationis lumine dijudicetur, & quæ inhæreat homini non affectata cæcitate, noxiisque cupiditatibus abrepto, sed veritatis amatori, & ad eam assequendam consilia, preces, studiumque adhibenti. Qui enim hac præcautione sequitur opinionem probabilem, prudenter se gerit, vitat peccandi pericula, & conscientiam moraliter certam habet in corde. Et quod prudenter se gerat liquet, quoniam discernit inter eligenda ac rejicienda, eaque probat, quæ præmisso debito examine recta & inculpata existimantur: quod vitet peccandi periculum constat, nam ne in legem impingat doctos consulit, Deum orat, ponderatque momenta rationis; quod habeat denique conscientiam moraliter certam patet, propterea

quod

quod ad moralem certitudinem non requiritur evidentia quædam geometrica; & si animum pulset levis tenuisque hæsitationis nubecula, fuganda est gratiæ Divinæ illustratione, lumine rationis, optimaque consultatione; alioquî conscientiarum omnium prudentior, ac præstantior esset illa, quæ scrupulis valde agitatur, utpote quæ exili, tenuique causa angitur ac percellitur. Igitur opinio probabilis ita à me circumscripta constituit optimam, rectissimamque conscientiam.

4. Probatur 1. ex S. Scriptura.

Veritatem istam comprobant omnia genera argumentorum. Primum petitur ex sacris literis. Deuteronomii XVII. 8. legimus: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & judicium inter portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis: qui indicabunt tibi judicii veritatem: & facies quodcunque dixerint, &c.* Cur ergo rusticus ambigua conscientia pulsatus humiliter accedens ad Parochum, & ad Confessarium, quem probum ac doctum deprædicant, prudenter non facit quod illi suadent? aut vir doctus tanta auctorum discrepantia distractus, sacrorum librorum lectione, ac ponderatis sacrorum Canonum, & Romanorum Pontificum definitionibus prudentissime non dispellit priorem hæsitationem? Si ita esset, frustra Sacerdotes consulerentur, ac perperam colerentur studia sacra, ad eas præsertim controversias dirimendas, in quibus aut non omnes conveniunt, aut haberi non possunt metaphysicæ demonstrationes; quia opinio unius aliquam saltem tenuem opinionem ingeneraret, & deficientia rationis evidentissimæ fere omnia opera tanquam illicita reprobaret.

5. Probatur 2. tripliciter.

Alterum argumentum, ne multus in disceptationibus videar, simul ex Ecclesiastica historia, ex sanctis Patribus, & Pontificum definitionibus petitur. Invenimus enim complures sanctitate, doctrina, & dignitate Ecclesiastica summos viros propugnasse opinionem non solum non probabilissimam, sed aut falsam, aut saltem reprobatam ab aliis, & tamen inculpate se gessisse, quoniam ipsis apparebat probabilior, & cæteris præferenda post exactam veritatis inquisitionem. Mitto beatissimum Cyprianum, qui pugnans pro rebaptizatione aut nullo pacto, aut venialiter tantum erravit, etiamsi sciret sententiam suam à pluribus oppugnari: nam de ipso dixi capite XV. Theodoretum, Acacium, Proclum, magnum quoque Hieronymum quis damnet, quod scripserint posse bigamum in sacrum ministrum assumi, interpretantes verba Apostoli 1. ad Timoth. III. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, de bigamia *simultanea*, qualis olim viguit Divina dispensatione in Abraham & Jacob, & nunc servatur improba consuetudine à Saracenis? Nullus pariter de gravi peccato illos arguet, qui iterarunt consecrationes factas ab Episcopis hæreticis ac simoniacis; eosque, qui sæculo decimo & duodecimo docuerunt nunquam extremam unctionem posse iterari. Damnasse tertias nuptias Gregorium Nazianzenum, Basilium, aliosque Patres, repugnantibus tamen plurimis, nec tamen reprehendi, latet neminem. Posse consecrari in Episcopum, qui iuravit se ordinationem non admittere, scripsit Athanasius ad Dracontium, eumque post tale juramentum in Episcopum ordinavit, quamquam id illicitum opinarentur Basilius, Palladius, & qui ob eam rem Formosum Papam etiam post mortem degradandum existimarunt. Per adulterium solvi vinculum matrimonii, ut possit vir innocens aliam ducere, pluribus persuasum fuit; ut liquet ex Epistolis Aviti Episcopi Viennensis, atque ex Synodo Tiburiensi. Dispensarunt in matrimonio rato, & non consummato, absque ullo prorsus errore Paulus IV. & Adrianus VI. & à voto solemni castitatis Alexander III. Pius V. & Gregorius XIII. quamvis contraria opinio extiterit penes aliquos existimantes hujusmodi dispensationes invalidas. In ipso matrimonii Sacramento nullam gratiam conferri persuasum fuit Petro Pictavensi, nec non Jacobo de Vitriaco, & Roberto Pullo S. R. E. amplissimis Cardinalibus. Innumeris propemodum Theologis placet sufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem omni charitate expoliatam, & posse occidi injustum vitæ aggressorem, quæ duo Nostrates fere omnes oppugnant. Hæc aliaque plura producit, demonstrat, notisque collustrat in Erudito Opere de Opinione Probabili helluo antiquarum disciplinarum Christianus Lupus. Quare prædictos viros sanctitate, doctrina, eruditione, & auctoritate conspicuos non reprehendimus? Id quidem, quoniam secuti sunt opinionem sibi probabilissimam, illamque non temere, & inconsulte, sed post accuratam, æquissimamque pondera-

derationem: in qua si quidam illorum decepti sunt, id non malitiæ, aut negligentiæ tribuendum est, sed communi hominum infirmitati.

6. Probatur 3. ex D. Thoma. Tertium argumentum desumptum erit ex D. Thoma; hunc enim pugnaciter Adversarii sibimet ipsis adjudicant. Ergo Angelici Doctoris sententiam esse, quod etiam in lege naturæ sint plura, quæ nonnisi à sapientibus subtiliori consideratione rationis judicantur esse observanda, probatum est cap. XI. ex I. 2. q. 100. art. 10. In actibus moralibus non requiri certitudinem demonstrativam, sed sufficere probabilem, *quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat*, tradit S. Doctor 2. 2. q. 70. art. 2. Haberi sine peccato plures præbendas ab eo qui adhibet diligentiam inquirendo an id sit licitum, *nec invenit aliquid quod ipsum moveat ad hoc quod sit illicitum*, expresse docet Quodl. VIII. art. 13. Sed controversiam omnem dirimit eodem Quodl. art. 15. scribens: *Error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus quod quis scire non potest, vel scire non tenetur: & in tali casu quamvis factum de se sit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter; sicut si aliquis intenderet accedere ad uxorem suam causa delectationis, & ita intenderet peccare venialiter, si alia ei supponeretur eo nesciente, peccaret venialiter. Quandoque vero error conscientiæ non habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest; sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* Quemadmodum igitur per D. Thomam opinio probabilis, & ex ignorantia procedens non excusat in iis, quæ per communia legis naturalis principia facile possunt approbari, vel reprobari, quia horum ignorantia facile potest excuti: ita excusabit in iis, quæ implexâ ac perdifficili ratiocinatione ex iisdem principiis à sapientioribus deducuntur; quia ignari ea scire non possunt; sapientiores autem adhibita diligentia, quam debent, habent *probabilem* certitudinem, nec inveniunt aliquid, quod ipsos moveat ad credendum esse illicita. Virum enim sapientem moveri ratione aliqua inepta, futili, ac parum probabili, indecens & incongruum omnino est. Consentire D. Thomæ S. Antoninum constat ex dictis cap. XVI. & ex P. prima Summæ Tit. 3. cap. 10. ubi docet in humanis actibus sufficere *certitudinem moralem:* necessarium non esse, ut *hæc certitudo semper scrupulos omnes abjiciat*, sed satis esse *si eos contemnat ac superet:* haberi demum certitudinem ipsam ab incipientibus *ex alterius auctoritate*, à proficientibus *ex studio divinarum Scripturarum*, à perfectis *ex circumstantiarum circumspectione.* Merito de hac D. Antonini doctrina ait clarissimus L'Herminier Tom. V. Summæ Theolog. pag. 158. *Serio nihil ad rem nostram illustrius afferri potest.*

7. Probatur 4. ratione. Confirmant præterea communiorem hanc assertionem argumenta à ratione; quorum præcipuum petitum ex prudentia principio positum est. Neque illud repetam; ne imprudentissimus ipse videar disputando an eluceat prudentia in iis, qui deliberant ex momentis validioribus, ac inania contemnunt: quod nemo prudens, & rerum expetendarum scientiâ præditus dubitat esse ipsius prudentiæ, quæ morum est princeps regula, primam partem; quam post Græcos philosophos appellamus εὐβελίαν, id est, perspectam consultationem. Alterum argumentum suppeditat gratiæ sanctificantis, ac justificationis incertitudo; nemo quippe, etsi nullius criminis sibi conscius sit, se justum esse certo novit, sed tantum dum partes suas accurate explet, id sperat, prudenterque confidit. Alia ex parte nulli accedendum esse ad Angelicam mensam, & sancta sancte esse tractanda, ex legis Divinæ præscriptione, atque ex ratione ipsa patescit. Nisi ergo immunem reddat à culpa certitudo moralis, qua partibus nostris perfectis prudenter induimus conscientiam bonam, quamquam adsit leve aliquod contrariæ suspicionis motivum, nullus Sacerdos quantumvis probus poterit ad peragendum sacrum accedere, nullusque laicus accipere Eucharistiam, quoniam justitiæ suæ certissimam habere nequit demonstrationem. Tandem nisi probabiliorem sententiam possimus eligere, damnandi erunt qui tutam sequuntur, quando probabilior est tutiori; atque ita rei erunt, qui consilia Evangelica non amplectuntur, quia tutius est eadem amplecti; cum tamen eo ipso quod consilia sunt, non præcepta, nullum obstringant.

Respondetur Rigoristis.

8. Objectionem. Quoniam ex hoc capite, atque ex XI. & XII. hujus libri corruunt objecta quæque illorum, quos *Rigoristas* appellant,

pellant, non ero in iis diluendis linguax, atque, ut Gellius inquit, locutulejus. Timendum est, ajunt rigidi illi Theologi, ne de his, qui probabiliorem opinionem concipiunt ex Casuistarum rudimentis, verificetur Christi pronuntiatum Matth. xv. 14. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Quomodo non audiunt Augustinum dicentem de Util. Credendi, quod *opinari nunquam sine vitio est?* Saltem perlegant quæ scribit S. Thomas quodlibet VIII. art. 13. *Quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit secundum conscientiam:* & quodlibet. III. art. 10. *Nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri; in talibus enim ignoratio non excusat.* Si hunc Scholarum ducem nolint audire; ne despiciant commune proloquium, *Peccat qui se exponit peccandi periculo.* An non in electione opinionis, quamvis probabilioris, favente maxime libertati, fieri potest, ut eligatur falsa? Erit ergo tunc peccatum, quia fiet quod veritati ac legi repugnat. An non in ea præelectione pulsat animum formido aliqua, ac dubitatio? In dubiis ergo non premit æquiorem viam quisquis sequitur opinionem etiam probabilissimam. Hæc si attendantur, manifestum erit postremam hanc assertionem contrariam esse præcedentibus, & Scripturis, Augustino, D. Thomæ, atque rationi manifesto adversari.

9. Solutiones. Resp. hæc dictis nullo negotio repelli. Nam Christus apud Matt. loquitur de Pharisæis obstringentibus plebem ad observandum *doctrinam, & mandata hominum*, & absque ullo momento probabili imponentes *onera gravia, importabilia.* Nemo nostrum Pharisaicam conscientiam cæcam esse, & in præcipitia ruentem denegat. Imo nos à *Rigoristis* ad conscientiam istam Pharisæorum compellimur, si ob leve motivum debemus gravis culpæ induere suspicionem. Casuistas sequimur, non si cæci dignoscantur, sed si nobis lumen veritatis ostendant, aut ex Dei Verbo, quod *lucernam pedum nostrorum* appellat David, aut ex Patribus, virisque Apostolicis, qui dicuntur in Evangelio *lux mundi:* aut ex ratione, de qua scriptum est, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Qui lucernâ istâ graditur, non est cæcus cæco ducatum præstans. Præcurrentes absque hoc lumine Casuistas nemo prudens sequitur. Si aliquis tardus ingenio, & absque malitia cæcus horum cuidam se ducendum committat, quem recta conscientia ducem optimum credit, licet cadat in foveam, non colliditur. Cæcum in foveam cadere ait Dominus; cadere, & semper collidi, id non ait. Accidit hoc infortunium iis, *qui amaverunt tenebras, & non lucem, dilexerunt cæcitatem & non visionem*, inquit S. Pater in Psalmum LIV. num. 25. Cadentem cæcum in foveam, quam prævidere non potuit, quis nisi immanis, reprehendat? Sed ad primum satis. Augustinus recte docet, quod nunquam opinari est sine vitio, quoniam opinio nascitur ex ignorantia, quæ est vulnus animæ: sed consulto ait, *si per se ipsam consideretur:* nam si consideretur in eo, qui curat ignorantiam dispellere petendo humiliter Spiritus sancti illustrationem, hominumque sapientum consilia, nec *temere præsumit se nescire*, quod nescit; nihil habet turpitudinis, quia caret *animi male affecti temeritate*, ob quam ibidem Augustinus ait turpissimum esse opinari. Ideo nos diximus pag. 172. opinionem ex ignorantia profectam non esse vitiosam, quando ipsa ignorantia imputari nequit ad culpam. Concedo itaque quod ait S. Pater, opinari cum præsumptione, ac temeritate conjunctum rem esse turpissimam; nego opinionem ignorantis *quod disci non potest*, & non *temere*, sed consulto operantis, jure meritoque culpari. Doctoris Angelici mentem jam explicui. Recte ait malum esse quod fit contra legem, quamvis non fiat contra conscientiam, si hanc non excuset ignorantia eorum, *quæ quis scire potest ac debet*, ut ait Quodlibet. VIII. art. 15. ubi exemplum affert fornicationis, quam peccatum esse nemo potest invincibiliter ignorare: aut si quis non adhibeat diligentiam inquirendo veritatem, aut post veritatis inquisitionem inveniat probabile motivum judicandi, *quod sit illicitum*, ut inquit eodem Quodlib. VIII. art. 13. Si ergo conscientia non laboret ignorantiâ communium præceptionum legis naturæ, & eorum, quæ inde facili obviaque illatione deducuntur, quæ ignorantia culpabilis semper est; atque si post accuratam inspectionem animus momento aliquo gravi non trahatur ad dubitandum an res sit illicita, per D. Thomam quisque à peccato excusabitur. At in Quodl. III. art. 10. non loquitur de opinione *probabili*, sed de *erronea*, nullique gravi momento subnixa: nam ait, *Si sequatur opinionem erroneam alicujus magistri;* profertque statim exemplum Arii, Nestorii, & aliorum hæreticorum, qui adversus com-

munem Ecclesiæ fidem perversa dogmata tradiderunt. Quod vehementer movit Philalethem, & Wendrockium, S. Thomam universaliter locutum, nil efficit: nam *semper* peccare inquit qui legem transgreditur, nisi adsit error excusans, & culpabilis negligentia: alioqui quis non dixerit peccatum esse infidelitatem quoque invincibilem? quis non damnabit incestus Jacobum accedentem ad Liam, aut Judam ad Thamar, quorum unus putans accedere ad uxorem deceptus compressit affinem, alter existimans convenire scortum, concubuit cum nuru? At Jacobum omnino insontem, Judam fornicationis tantum crimen patrasse Theologi omnes pronuntiant. Habet ergo exceptiones quasdam enunciatio illa, *Quod agitur contra legem, semper est malum*, easque ab eodem Thoma accuratissime traditas. Sed Philalethis & Nicolii error, cum facile deprehendatur, non est pluribus refutandus. Ad rationem postremam, nego quod se exponat peccandi periculo qui laborans ignorantiâ inculpabili, ac diligenter veritatem inquirens offendit in legem inscius ac simplex: nego contemnendam non esse minimam suspicionem, cum solida momenta nos permovent: nego denique haberi conscientiam *dubiam*, cum animus inter utramque partem non hæret suspensus, sed uni caute, prudenterque assentitur; cum id etiam definitioni *conscientiæ dubiæ* ex capite tertiodecimo sit repugnans. His autem dissertationi de Opinione probabili finem facio: & simul liber iste concluditur præclarâ Jesuitæ Pictaviensis sententiâ,

Virtus judicio veri momenta severo
Ponderat, & caute præcavet omne malum.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS SECUNDUS,

De veritate Religionis Christianæ, aliarumque profanarum vanitate.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.

Ratio Ordinis.

NIHIL est inter humanarum virtutum officia præstantius Religione, cultumque supremi Numinis: ideoque licet hoc Opere moralia præcepta singillatim non explicemus; quæ tamen Religio vera sit, à superstitione immunis, & ab omni errore purgata, erit hac dissertatione inquirendum. Ac perstringenda primum Gentium idololatria paucis contractisque adnotationibus: quas non solum à Christianæ Religionis Apologistis Arnobio, Firmico, Commodiano, Clemente Alexandrino, ac Magno Protoparente, cæterisque Patribus delibavimus; verum etiam à Poetarum figmentis, atque Theologia Gentilium, à Giraldo, Bocaccio, Vossio, Seldeno, aliisque magnopere collustrata. Tum acuendus stylus adversus Mahumetismum, adeo suo quoque auctori improbatum, ut, ne turpitudinis, mendacii, maximæque improbitatis argueretur, interdixerit gregariis suis literarum culturam, verique disquisitionem. Posthac veritas Religionis nostræ momentis firmissimis confirmabitur; refutatisque sectis hæreticorum, quid vera Christiana Religio profiteatur, tradetur in Apostolici Symboli Expositione. Hoc itaque libro, mole quidem parvam, sed argumento magnam ac perutilem disputationem complectimur, suomet titulo, absque ulla præfatiuncula, commendatam.

CAPUT I.

Serviendum Deo in ea Religione, quæ in primis Idololatriam execratur.

SUMMARIUM.

1. Exploditur plurium Deorum commentatio.
2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Propositio 1. Probatur.
9. Usque 15 Propositio 2. Probatur.
16. Usque 22. Propositio 3. Probatur.
23. Usque 30. Propositio 4. Probatur.

1. Exploditur plurium Deorum commentatio.

IN primo hujus Theologici Operis libro dedimus operam, ut uniuscujusque animo immota hæreret unius Numinis existentia, atque inde explo-deretur plurium Deorum commentatio. Nunc de Religione ac fide Christiana, cæterisque divinarum virtutum officiis acturi, in eos iterum calamum perstringimus,

gimus, qui profana eruditione tumidi ex Theologia Gentilium audent in noſtram inſurgere. Adverſus errores iſtos pingendam principio duximus Romanorum, Græcorumque ſuperſtitionem. Hi duodecim *Conſentes* Deos coluere, octo autem *Selectos*, iisque addiderunt turbam Deorum minorum immenſam. Conſentes Dii, qui & Penates, & Urbani dicti ſunt, duodecim numerantur, ſex maſculi, atque ſex fœminæ: horum nomina exhibent duo illi verſus apud Ennium,

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dicam modo quam fuerint inſipientes Deorum iſtorum cultores.

2. Propoſitio I. PROPOSITIO I. Summæ dementiæ eſt inter Divos cenſere maſculos Deos Conſentes.

PROBATUR I. DE JOVE.

3. Probatur 1. de Jove. Jupiter alius eſt Argivus, id eſt Apis, qui Niobem ſororem compreſſit; de quo Apollodorus ſcribit lib. 2. *Poteſtatem regni in libidinem convertit.* Alius Phrygius, id eſt, Tantalus, qui Ganimedem Dardani regis pronepotem flagitioſiſſime rapuit. Alius Cretenſis, ſcilicet Aſterius, vel Xanthus, qui vim intulit Europæ filiæ Agenoris Regis Cananæorum. Hinc exortæ fabulæ, quæ de uno Iove narrantur, & nihil ſunt quam plurium perditiſſimorum hominum flagitia, quæ in unum quadrare non poſſunt; nam Rex primus Jupiter vixit inchoato Regno Sicyonjorum, qui imperare cœperunt circa annum M. 2148. Raptor Ganimedis vixit tempore Ehud, ſive Aod Judicis Iſraelitarum, & nefarium ſcelus patravit poſt annum M. 2680. Violatio Europæ refertur ad annum duocenteſimum ante bellum Trojanum, qui eſt mundi 2820. ante primam Olympiadem 408. Nequeunt ergo hæc omnia convenire Jovi, quem Romani à loco Templi appellarunt Capitolinum, Tarpejum, Latialem, Vimineum, Olympium, Jovem autem, quaſi ille fuerit *Juvans pater;* non, ut quidam putarunt, *Juvans patrem*, cum dicatur Saturnum parentem ſuum regno expuliſſe, apud Tullium in 2. de Natura Deorum. Itaque nil ſtultius fingi potuit, quam pro vero Numine Jovem habere: primo quia ridiculum eſt facere ſatorem, Conditoremque hominum, quem conſtat ab aliis hominibus longe poſt mundi exordia fuiſſe progenitum. Deinde quia inſanum eſt uni viro tribuere facinora quæ à pluribus fuere patrata. Inſuper quia impium eſt appellare Opitulum, Tonantem, Lucetium, Dapalem, aliisque magnificis titulis raptorem virginum, & puerorum conſtupratorem. Poſtremo, quia non ſinunt hæc aliaque flagitia à Lactantio, Minucio Felice, Commodiano, & Arnobio ex ipſa Gentilium Theologia manifeſte comprobata, ut Jovem, non dicam optimum, ſed virum tolerabilem exiſtimemus.

II. DE NEPTUNO.

4. Probatur 2. de Neptuno. Neptuni nomine Veteres ſignificarunt aquam maris, deducto nomine *à nubendo*, quod aqua terram nubat & cooperiat: atque ita ex ſalſedine, undarumque regreſſu factæ, ut Auguſtinus ſcribit lib. VII. de C. Dei cap. XXII. Salacia, & Venilia. Voſſius deducit Neptuni nomen à νύπτω, *lavo*, Cicero in 2. de Nat. Deorum à *nando*. Perſonam vero Neptuni tradit libro V. Diodorus fuiſſe filium Rheæ, qui omnium primus tractavit maris negotia. Romani illum, qui Romulo conſilium dedit de rapiendis Sabinis. Hinc Conſum appellarunt, ludosque Circenſes Feſta Conſualia. Nos cum viris doctiſſimis arbitramur fuiſſe Japhet Filium Noe, cui poſt diluvium ferunt obtigiſſe inſulas Mediterranei, & continentem Europæam, ut ei ob mare tranſmittendum opus fuerit Nauticam inſtituere. Cyclopes, aliique ferociſſimi, & ab humanitate alieni dicuntur filii Neptuni ob maris violentiam, ut ſcribit Gellius lib. XV. N. A. cap. 21. & Phornutus apud L. Giraldum Synt. V. pag. 216. Exploditur ergo fabuloſa Neptuni divinitas 1. quoniam nihil eſt aliud, quam mortuum elementum. 2. quoniam quæ de eo narrantur conficta ſunt ex hiſtoria Japhet filii Noe, quem Gentiles Saturnum dixerunt. 3. ob inſanam libidinem, de qua vide Clementem Alexandrinum Tom. III. Biblioth. PP. pag. 8.

III. DE VULCANO.

5. Probatur 3. de Vulcano. Vulcanum ex ipſo nomine liquet eſſe ignem; ſic enim appellatur quaſi Volicanus, quomodo Mulciber & Aetnæus, à mulcendo, molliendoque ferro, & à flammis ab Aetna monte erumpentibus. Ita dixere Cooperarium Minervæ, quod ignis adminiculo artes plurimæ exerceantur.

ceantur, & conceptum vento, quod hoc flante flamma exardescat, receptumque in Lemno, ob fabricas insulæ. At Poetæ commenta sunt, ob deformitatem de cœlo fuisse dejectum, ejusque arte Martem ac Venerem in adulterio deprehensos, evocata ad spectaculum stupri Deorum turba. Plura Augustinus in IV. de Civ. Dei cap. 10. & Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum. Sententia nostra Vulcanus est Tubalcain, de quo Genesis IV. 22. nam huic conveniunt, quæ de Vulcano scribit lib. V. Diodorus fuisse malleatorem ferri, atque æris. Itaque sive nomen spectemus, sive commenta Poetarum, sive profanam ac sacram Historiam, Vulcanus eliminandus est à concilio Consensium.

IV. De Marte.

6. Probatur 4. de Marte. Speciosum videtur nomen Martis; quem Latini appellant hoc nomine, quod maribus in bello præsit, magnaque *vortat*. Sed hæc sunt Mars, Mavors, aliaque plura bellorum nomina; ideoque Martem quoque dicimus Quirinum ab hasta, necnon truculentum, cæcum, atrocem, ultorem, sanguineum. Martis cum Venere adulterium narrat Statius, Minucius in Octavio, & Arnobius. Homerus lib. V. Iliad. ait Martem hasta percussum à Diomede, quod adversus Gentes urgent Clemens Alex. in Admonit. & Cyprianus de Vanitate Idolorum. Athenis accusatum scribunt Pausanias, & Demosthenes in Oratione κατ' ἀριςοκράτȣ, nec non Augustinus lib. XVIII. de Civit. D. cap. 10. Hinc judicii locum appellaverunt *Areopagum*, nam Græcis Mars dicitur *ab interficiendo*, ἄρης. Ductor luporum ob belli feritatem appellatur à Plauto in Truculento: & lupi passim à Poetis dicuntur Martii. Hinc Romulum, quem lactavit uxor Faustuli Laurentia, quam Lupam ob prostitutionem vocitabant, Latini tanquam Martis filium suscepere. Non alia fuit persona Martis, quam Nimbrodus, sive Belus, de quo Gen. X. v. 8. Post illum eodem nomine designati sunt potentissimi bellatores, ut Orestes matricida, quem ferunt accusatum Athenis. Ergo nihil aliud Martis nomine intelligimus, præterquam hostilia bella, contentiones, ac milites truculentos.

V. De Mercurio.

7. Probatur 5. de Mercurio. Mercurium alii quidem dictum putant à mercium cura, unde nummarium sacculum tenet, atque juxta hanc etymologiam percipitur cur etiam appellatus sit Hydrargyros, ob argenti thesauros, quos navigando comparant mercatores. At alii Mercurii nomen deducunt à *medium currere*, ita ut nihil sit aliud, quam eloquium vel sermo, ideoque apponunt alas illius capiti ac pedibus propter verborum velocitatem. Hinc Augustinus fictitium numen demonstrat lib. VII. de C. D. cap. 14. Antiqui Mercurium furibus ac latronibus præposuere: unde Prudentius.

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius, &c.

Fabulosos Mercurios enumerat Cicero in III. de Nat. D. Illum, quem cum Statio faciunt inventorem citharæ liquet esse Jubal, Gen. IV. 21. Nuntius Jovis, cujus meminit Horatius lib. 1. Od. 10. & evocator animarum, de quo Virgilius in IV. Aenead. confictus est ex iis, quæ de Angelis, atque de horum principe Michaele tradunt sacræ literæ. Vide Carolum Moreau Cl. Ordinis Scriptorem T. II. Op. Tertull. pag. 40. & Mendicum Christi Commodianum ab eo versu, *Mercurius vester fiat cum saraballo depictus*. Nulla est ergo fabulosa Mercurii divinitas.

VI. De Apolline.

8. Probatur 6. de Apolline. Apollinem esse solem Eruditi omnes fatentur, nomenque derivant ἀπὸ πάλλειν, quod est, radios jaculare, sive ab ἀπολλῶ, id est, terrena *foveo ac dissolvo*. Ita dicitur Δῆλος perspicuus, φοῖβος splendidus, & λύκιος à luce, necnon λοξίας ab obliquo per Zodiacum cursu. Legendus Augustinus lib. VII. de Civ. D. cap. 16. & Macrobius in Saturnalibus cap. 17. Apollinis autem, quem nobis pingunt poetæ narrat stupra Admonit. ad Gentes Clem. Alex. & Lact. lib. 1. divin. Instit. cap. 10. Addit Firmicus libro de Errore profanarum Relig. turpissimum pueri Hyacinthi desiderium. Servilem in ducendis armentis conditionem Apollinis commemorat lib. XVIII. cap. 13. ejusdem Operis Augustinus, ubi plura ex profana eruditione Vives. Apollinis iram immissamque ab eo pestilentiam describit Homerus Iliad 1. ejusdem adversus cæteros Deos objurgationem narrat Homerus ipse libro XXIV. De Daphne, quam Apollo fervescens libidine insecutus est, nec tamen potuit comprehendere, adeas Commodianum, & Eusebii Opusc. IV. edit. à Sirm. pag. 199. Aut ergo Apollo sol est, aut homo obscœnus, improbus, iracundus, abjectus, & impotens. Sex ergo masculi

Consentes fictitia numina sunt; quod erat demonstrandum.

9. Propositio 2. PROPOSITIO II. Ridiculum & invecundum est in numero Deorum Consentium putari fœminas.

PROBATUR I. DE JUNONE.

10. Probatur 1. de Junone. Priusquam de Junone dicam, præmitto in genere rationes, ob quas non debeat inter Numina sexuum admitti discrimen. At prima depromitur à testimonio Varronis, de quo Augustinus in IV. de Civit. Dei cap. 27. Secunda est ratio philosophica tradita à Novatiano de Trinit. cap. 6. quoniam ea in diversitatem membrorum recidunt, quæ veniunt ex nativitate in dissolutionem. At sine diversitate membrorum sexus nequit secerni. Tertiam rationem suppeditat Arnobius in II. adversus Gentes, ex quo fœmineus sexus admittatur tantum ob generationem: & generatio corporea habeat cum materiæ decisionem, tum exordium temporis atque occasum. Addit quartam Lactantius in I. divinarum Institut. cap. 16. quoniam si Dii uterentur fœminis, quotidie nova Deorum turba consurgeret. Quintam, & sextam profert eodem loco Lactantius; quoniam si Dii coeunt, domos, urbesque habeant necesse est, nec non fœminæ sint viris imbecilliores. Postrema ratio est Athanasii in Orat. contra Gentes, quod fœminæ ab ipsis idololatris neque ad communia Reipublicæ consilia admittantur. Hæc lectoribus nostris jam percipientibus vim argumentationum sufficit fuisse proposita.

Junonem ergo dicimus esse aerem; & conjugem Jovis, quia æther, & aer conjuncti sunt: atque ita sentiunt Cicero 2. de Nat. Deorum, Macrobius Saturn. I. cap. 15. Servius in I. Aeneid. & Augustinus in IV. de C. D. cap. 10. Hinc Græcum nomen Ἥρα, ab ἀὴρ, *aer*, & Latinum *Lucina*, aut *Lucetia*, à luce. Varro tamen Terram putat, ideoque dictam *Fluvionam*, atque *Pomonam*; atque ita confundi potest cum *Feronia*. Huic olim erecta simulacra ad Soractem montem, prope urbem Anxuris, id est, Tarracinam, atque in partibus Aetruriæ maritimis, ubi Desiderius Longobardorum Rex condidit Petram sanctam. Junoni tribuunt profani Scriptores incestum, quod illis exprobrant Firmicus cap. 4. & Tertull. cap. 9. Apologetici. Illius adversus Trojanos indignationem describit in I. Aen. Virgilius: de ejus Asylo idem Poeta libro 2. & Augustinus in I. de Civit. Dei cap. 4. ubi probat Diis invitis eversas urbes, ereptosque Penates. Phereponus Animad. p. 576. imprudentiæ Augustinum, aliosque Patres redarguit, quod ausi fuerint uti pro Religione Christiana iis armis, quæ & Ethnici adversus Christianos tractare poterant; sed gerit se potius Phereponus impudenter, atque imprudenter. Enimvero si capta E. G. à Philistæis Arca, si dirutum templum Jerosolymitanum, si adversæ aliquando res Christianorum, verus Deus hæc & prædixit, & in vindictam peccatorum impleri passus est, & non semel in terris inimicorum omnipotentiam suam demonstravit. Econtra constat eversum Ilium, & ereptos Penates diis ipsis invitis, insciis, & reluctantibus; it ut Juno, de qua modo loquimur, ut Aeneam perderet supplex Aeolum ventorum regem fuerit allocuta:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates.

Ut legitur in I. Aen. atque, ut habetur in X. tabescens invidia jurgiis Venerem adierit, ne Diis Penatibus novam Aeneas urbem excitaret. Hac itaque Junonis incesta libidine, invidentia, iracundia, imbecillitate, atque confictis ex aere terraque nominibus fabulosum ipsius numen evertitur.

Notandum hoc loco adversus hæreticos, qui ex vetustis quibusdam imaginibus audent præferre Paulum Apostolorum Principi Petro, quod iste occupet sinistram, ille autem dexteram; olim in simulacris Capitolii fuisse ad dexteram Jovis Minervam, sinistram tenente Junone. Respondet Vossius in lib. de Orig. Idolol. Minervam esse Junoni anteponendam, quod probat ex iis simulacris. At aperte refellitur ex lapidibus Albæ Juliæ, Augustæ, Mediolani, & qui asservantur apud Transilvanos: ubique enim Junoni primus locus conceditur. Vide Gruteri Inscript. Deorum pag. IV. & V. Refutatur etiam Vossius Virgiliano Junonis carmine:

Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque
Et soror, & conjux.

Nullum est ergo argumentum illud hæreticorum ex veteribus numismatibus.

II. De

II. De Minerva.

11. Probatur 2. de Minerva.

Venit ſecundo loco Dea Conſenſis Minerva. Hanc ætherem, ſive ſupremam aeris partem putat Macrobius in III. Saturnal. de qua opinione etiam Auguſtinus in VII. de C. Dei cap. 16. Sed communior eſt opinio nil eſſe aliud quam Sapientiam, ſic appellatam à memoria, quaſi *Memineruam*. Hinc dicitur de capite Jovis progenita, & ob admirationem aut velocitatem Παλλὰς, ob perennitatem Ἀθηνᾶη. Reputatur inventrix artium, quoniam ſapientia omnium operum eſt effectrix. Negat Bocaccius in 2. de Genealog. Deorum huic Minervæ haſtam, armaque convenire: at aliter ſentit in Deorum Imagin. Vincentius Regienſis. Nos arbitramur primo cum Tertull. cap. 47. Apolog. Minervæ numen fictum eſſe ex ignorantia eorum, quæ de Sapientia Dei Chriſtiana docet Theologia, & de Generatione Verbi ex Dei mente. Deinde cum omnes ſcribant Minervam inſtituiſſe nendi texendique artem, probabile eſt eſſe Noemam de qua Gen. IV. 22. Aut ſit Minerva æther, aut ſoror Tubalcain, aut poeticum ſapientiæ figmentum, conſtat immerito cenſeri inter Numina.

III. De Venere.

12. Probatur 3. de Venere.

Tertia Dea eſt Venus: quo nomine intelligimus primo vim gignendi plantis atque animantibus inditam; nam Venus dicitur quod ad cuncta *veniat*, & Proſerpina, quod ſata in lucem *proſerpant*. Deteriori ſenſu accipitur pro voluptuoſa libidine: ejusque ſimulacra formata primum ad ſimilitudinem Cratinæ meretricis, quam deperibat Praxiteles. Obſcœna, quæ de Venere narrantur, inſectatur Auguſtinus in IV. de Civit. Dei cap. 10. Homerus in V. Iliad. narrat Venerem deriſam à Minerva, ſauciatam à Diomede, & ad genua Martis provolutam. Venus Cypria fuit ſcortum Regis Cinyræ, ut demonſtrat Voſſius lib. 1. de Orig. Idololat. cap. 17. Plura de hac Venere Clemens Alexandr. in Admonit. & Lactantius in primo de falſa Religione. Venus *Calva*, de qua Cyprianus in libro de Idolorum vanitate, conſecrata ob Romanas puellas, quarum capillis perfecta olim adverſus Gallos tormenta bellica. Denique Venus, quam teſte Euthymio coluerunt Saraceni, eſt Agar uxor Abraham, & genitrix Iſmaelis; à qua Iſmaelitarum, & Saracenorum genus. Et quidem Agar idem eſt ac Fœcunda ab אגר, *Congrego*, ideoque Proſerpina. Videndi Cedrenus in Vita Mahumetis, Seldenus de Diis Syriis Synt. II. cap. 4. Voſſius de Idolol. lib. II. cap. 31. Aut Venus Agar ſit, aut ſcortum Cinyræ, aut ſalax & voluptuoſa libido, nullum habet characterem divinitatis.

IV. De Veſta.

Proximum eſt Veſta. Hanc aliqui, ut ait Ovidius in VI. Faſt. terram putant, quæ ſua *vi fiat*. Sed probabilius eſt eſſe ignem, & nomen accepiſſe ab hebræis vocabulis אש & הי, unde Græcum Ἑστία. Dicitur Virgo, quod ignis, inquit ibid. Ovidius, *femina nulla remittat*.. At immerito hunc Ignem perpetuum dixere. Accenſum prima die Martii ſcribit. Macrob. in 1. Saturn. cap. 12. Extinctum negligentia Veſtalium virginum Aemiliæ, & Tuciæ referunt Varro, & Val. Maximus lib. VIII. De Veſtalibus dictum lib. 1. cap. 7. non alia ratione Dæmon Veſtæ cultum intruſit, niſi ut ſimiam ſe gereret Dei præcipientis Levit. V. 12. perpetuam ignis in altari cuſtodiam. Si ergo Veſta ignis eſt, tot erunt Veſtæ, quot lychni, quot lampades, quot lares, quot fornaces, quot favillæ. Verum pudet in his immorari.

13. Probatur 4. de Veſta.

V. De Cerere.

Ceres terra eſt, ſic dicta, quod fruges gerat, vel *cereat*, verbo Latinorum antiquo: unde Apulejus lib. XI. *Ceres*, inquit, *omnium terra creatrix*. Virgilius in 1. Georg. ait quod annum ducit *Liber & alma Ceres*, quoniam meſſis, & vindemia ſunt vertentis anni indicia. Appellatur ob naturam ſegetum flava, munifica, rubicunda. Redimitur corona ſpicarum, eique mactatur porca ſegetem avide depaſcens.

14. Probatur 5. de Cerere.

Nam ſata vere novo, teneris lactantia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

ait in 1. Faſt. Ovidius. Hinc exorta fabula de Cerere gravidata à Jove: terra enim fœcundatur calore ſolis. Eadem ergo Ceres, & Proſerpina. De hujus raptu ſcripſit tres libros Claudianus clarus ſui ævi Poeta; quem Florentinum faciunt Petrarcha, Landinus, Politianus, at Giraldus & Barthius Alexandrinum. Pingitur Claudiani fabula nobilis mulier Sicula Hennenſis, quam cum Optimates amarent, ruſticus dives (Plutonem à divitiis appellant) junctis quadrigis

drigis rapuit: sed fugiens in proximum lacum Percum demersus est. Mater raptæ Virginis cum villico Triptolemo doloris acerbitate navim conscendit, & jactata maris tempestatibus pervenit ad urbem Atticam: ibique docuit incolas agrorum culturam. Hinc appellata Ceres à patria Siciliæ, Hennensis, Catinensis, & Trinacria: ab adventu in Græciam Eluſinia; quo nomine appellatur etiam Juno Lucina adveniens, ut auxilium afferat parientibus. Atque hinc apparet origo Poeticarum fabularum Cereris, & Triptolemi.

VI. De Diana.

15. Probatur 6. de Diana. Ultima Dearum Consensium est Diana, eadem prorsus cum Cerere, ut animadvertit Hieronymus in Proem. Commen. Ep. Pauli ad Eph. Dianæ nomen est à Jana, adjecta litera D. decoris causa, ut demonstrat Ludovicus Montiosus in Gallo Romæ Hospite: idem docet Macrob. in 1. Saturnal. cap. 9. repugnante tamen Vossio. Jana autem est à Jano, sive Apolline, & sole. Atque hinc Diana soror Apollinis. Translatum propterea Dianæ nomen etiam ad lunam: ideoque imago Dianæ facem præfert, & in antiquis numismatibus inscriptionem, *Diana Lucifera*. Appellatur a Græcis Ἄρτεμις, quia aerea secat: & Hecates triceps, vel tergemina ob triplicem lunæ formam, plenam, mediam, falcatam. Habetur Virgo ob lunæ candorem: & tamen ob fœcunditatem legimus in antiquis numismatibus Dianam Polymammam. Commenta Poetarum de Diana orta ex Dicta, sive Britomarte filia Ebuli Regis, quæ in sylva fugiens violentiam Minois sese præcipitavit ex rupe; ideoque vocatur Diana Dictynna, & dicitur sylvarum Dea, & cassium retiumque inventrix. His ergo Dianæ Triviæ, aliorumque Consensium Deorum fabulæ refutantur.

16. Propositio 3. Propositio III. Eodem loco habenda est fabularis selectorum Deorum historia.

Probatur I. De Jano.

17. Probatur 1. de Jano. Dicendum restat de Diis selectis, quos Consentibus addidere, ut numerum complerent vicesimum. Sunt autem Janus, Saturnus, Genius, Liber, Orcus vel Pluto, Sol, Luna, & Tellus. Janum ex Gentilium Philosophorum sententia S. P. lib. VII. de Civ. Dei cap. 7. probat esse mundum: & ideo bifrontem finxerunt, quasi una facie ortum spectet, altera occasum, sive ob quatuor mundi partes quadrifrontem. Quidam apud Macrob. in 1. Saturn. cap. 9. dixerunt Janum esse cœlum, ita dictum ab *eundo*. Ipse Macrobius ait esse solem; nam Janus appellatur Vertunnus, quia sol sese per cœli gyrum convertit, Consivius à conserendo, Patulcius & Clusius quia oritur, & occidit, & à Poetis Matutinus Pater. Hinc Jani simulacra habent digitorum nexus 365. respondentes numero dierum anni; cujus mensem primum à Jano Januarium appellarunt, quoniam tum sol prima efficit dierum incrementa. Jani vero personam Goropius 4. libro Orig. Antuerp. contendit esse Japhet filium Noe; Zanchius de Origine Cenomanorum, ipsum Noha, Vossius lib. 1. de Origin. Idol. cap. 18. Javan filium Japeti. At sive à Noe, sive ad aliquem ex ejus posteris Janum referas, parum interest; nam satis hinc Jani origo, numinisque vanitas deprehenditur.

II. De Saturno.

18. Probatur 2. de Saturno. Saturnus, qui & χρόνος, omnium fere consensu est tempus, hoc distinctum nomine quod annis saturetur, & ideo dicitur filius cœli, & Deus falcifer, quoniam omnia metit, orbiumque cœlestium dimensione peragitur. Recte Lactantius Div. Instit. 1. cap. 11. probat filium cœli non esse Deum, quia Deus cœlum condidit: neque Saturnum revera esse patrem Deorum omnium, si ipse à Cœlo genitus est. De stella Saturni, quæ à terra distare dicitur semidiametris 13171. stellisque aliis, quibus gentes divinitatem tribuerunt, plura Augustinus lib. VII. de Civit. Dei cap. 15. Saturnum antiquiorum alii putant Adamum dictum Saturnum ab hebraica voce סתר, *latere*, quoniam post peccatum se abscondit à facie Domini. Sed melius referas Saturnum ad aliquem ex Noha posteritate, à quo Italia Saturnia dicta est longe ante adventum Evandri, & Aeneæ, atque ab ipsa Aboriginum institutione. Traditio est, licet falsa, veterum Rabbinorum, Cham exsecuisse pudenda patris sui, ne deinceps liberos procrearet. Fabulantur Poetæ de Saturno consimilia. Quædam de Saturno diximus libro XII. cap. 1.

III. De Geniis.

19. Probatur 3. de Geniis. Genios Ethnici dixerunt, quasi gignendarum rerum præsides, sive Deos singulis datos, dum gignantur. Servius in ea Virgilii verba, *Quisque suos patitur manes*, scribit, cum nascimur duos Genios nobis destinari, Bonum incli-

inclinantem ad bonum, Malum ad malum. Derivatos liquet ex iis, quæ traduntur de Angelis; ut diximus libro x. cap. 19. Cum Gentes præesse gignendis hominibus putaverint Junonem Lucinam, consequens est, Genios, si darentur, ipsius Junonis servulos esse.

IV. De Libero.

20. Probatur 4. de libero.

Proximo libro XXIV. de Baccho, sive Libero Patre, à quo Bacchanalia dicta sunt, quædam narrabimus. Sat est modo, significari hoc nomine vinum juxta illud Virgilianum,

Et multo in primis hilarans convivia Baccho.

Ad elevandam, & evertendam hujus falsi Numinis divinitatem agit Augustinus lib. VII. de Civ. Dei cap. 21. de turpitudine sacrorum, quæ in Liberi Patris honorem celebrabantur. Hinc occasionem arripuit Phereponus Animadv. pag. 580. stomachandi in sanctum Episcopum, eoquod tam sæpe περὶ τοῦ σπέρματος verba faciat in Opere hoc etiam à mulieribus & adolescentibus legendo. At qui Augustinum legerit, viderit ab illo reticeri nefariam in Liberum Prosymni cupiditatem, fabricata ex ficorum arboribus instrumenta, Bacchi passionem à ligno, turpissimamque torturam: quæ tamen ad ignominiam Idololatrarum Clemens Alexandrinus, Arnobius, aliique describunt. Mirum ergo Phereponum reprehendere in Augustino licentiam, ubi laudare debet temperantiam. Sed magis mirum eo loci Phereponum exagerare adolescentis Augustini vitam *sat*, ut ille ait, *libidinosam*: cum Augustinus nunquam, postquam baptismo initiatus est, indulserit carnis illecebris, neque Pherepono possent vitia adolescentis innotescere, nisi ea manifestasset humilis Augustini confessio. Debebat etiam Criticus ille audaciissimus legere in Epistola Erasmi à se ipso edita sup. pag. 461. *Adolescens* (Augustinus) *habuit concubinam, quod humanæ permittunt leges: & hac non repudiata, sed erepta, adscivit alteram.* Deinde non ignorabat Phereponus, libros de Civ. D. adversus Cultores Deorum falsorum occasione irruptionis Gothorum, non pro adolescentium ac mulierum otio, fuisse ab Augustino conscriptos, Bacchatur ergo, insanitque Phereponus.

V. De Plutone.

21. Probatur 5. de Plutone.

Plutonem alii Orcum dixerunt, quasi receptorem mortuorum, ab Orca. Summanum quoque appellarunt, quasi summum Manium, cui celebre olim delubrum in montibus Vicetinis. Similiter Acherontem, & Cocytum. Juvenalis Sat. 11.

Esse aliquos manes, & subterranea regna
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, nisi qui nondum æra lavantur.

Vossius lib. 1. de Idolol. cap. 18. haud male conjicit Plutonem esse Chamum filium Noe in partem occidentalem profectum; & ideo appellatum Deum Inferorum. Erit ergo diversus à Plutone, de quo paulo supra in *Cerere*, uterque tamen improbus & scelestus.

VI. De Sole, Luna, et Terra.

22. Probatur 6. de sole, luna, & terra.

Ad Solem omnes Deos refert in 1. Saturnal. Macrobius, pluresque referendos esse constat ex dictis. Persæ solem Mithram appellaverunt, à rege hujus nominis, qui regnasse dicitur Aeliopoli. Mithræ litatum in latebris refert de errore prof. Relig. Firmicus. De luna pariter supra. A lucendo lunam nominari, docet Cicero. Græcis dicitur Σελήνη, nam σέλας est idem ac lumen. Fœminam ac marem crediderunt Ægyptii, & Luni templum commemoratur à Spartiano in Caracalla. Terra demum est magna illa Deorum Mater, de qua Augustinus lib. VII. de Civit. Dei cap. 23. & seqq. Rhea, Ops, Cybele; soror Vestæ, filia Cæli, Saturni conjux: in Aty significatur flos, aut seges: unde fictus Cybelis cum Aty concubitus. Augustinus citato libro cap. 26. pertractat de turpitudine sacrorum Matris magnæ; de quibus inquit, *Nihil Varro dicere voluit, nec uspiam me legisse commemini.* Phereponus in hunc locum, *Mirum*, ait, *cum innumeri scriptores de iis sint locuti, quorum loca plura indicabit Gerardus Joannes Vossius Operis de Orig. Idolol. lib. 3. cap. 53.* Citandus erat liber 11. sed error Typographi, isque minimus. Immerito autem Phereponus de Augustino miratur, quod verba illa protulerit; *Nihil Varro, &c.* Scribit enim S. Pater nullibi se legisse interpretationem sacrificiorum illorum, quamquam ea sacrificia narraverint Servius, Apulejus, Statius, & alii. Id adnotavit Vives, & ipse Augustinus

prioribus verbis hæc addens: *Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio.* Cum inanibus itaque castigationibus Phereponi mittimus Cybelem, atque Deos omnes selectos.

23. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Una cum Romanis, Græcisque idololatris à vera Religione aberrarunt Gentes reliquæ, quarum profana Numina vetus Testamentum commemorat.

24. De Deo Baal. Hæc quarta thesis addenda erat, ne quis melioris conditionis existimaret Deos alienos, à quorum cultu prohibentur Judæi. Horum Deorum exponam breviter nomina & characteres. Phœnices, & Chananæi coluerunt Deum *Baal*, de quo Judic. II. 13. III. Regum XVI. 31. & alibi. Baal significat Deorum principem. Alii Saturnum, alii Herculem, alii Apollinem dixerunt. Sed idem est, ac Babyloniorum Belus, Rex olim consecratus in solem, filius, ut arbitror, Nembrodi. Bel autem idem est, ac *Deus*, unde Beelphegor, Beelzebub, & consimilia: ideoque Græci Jovem communiter interpretantur. Baal additur Astaroth Judic. II. 13. quam propterea aut Lunam, aut Venerem, aut Junonem eruditi conjectant: hanc præsertim coluere Sidonii, sculptamque scribit Porphyrius bovino capite, expresso in cornibus lunæ symbolo. Hæc Regina cœli; de qua Jeremias XLIV. 17. Βαάλτις nominatur Philoni Biblio. Vide quæ diximus Tom. I. pag. 64. Grotius in cap. XI. Danielis v. 38. scribit eundem esse Baal, ac Deum Maozim, & Baal-semen, quem idem Philo asserit esse Jovem Olympium, & Phœnicibus Saturnum. Porro postrema duo nomina significant tantum *Deum cœli, fortem ac validum.*

25. De Deo Beelphegor. Madianitæ coluerunt Deum Beelphegor; de quo Num. XXV. 3. Origenes Hom. in Num. 23. ait fuisse *speciem quamdam turpitudinis*, & Isidorus lib. VIII. Orig. *simulacrum ignominiæ*: & litatum illi maxime à fœminis scribit in cap. 4. Oseæ Hieronymus. Erit ergo idem ac Deus Hortorum. At Joannes Seldenus Syntagm. I. de Diis Syriis cap. 5. nititur demonstrare non alium esse à Baal, cujus Templum extiterit in summitate montis Phegor: quod videtur comprobari nominis etymologiâ. Et quidem Baalim sacrificatum in excelsis liquet ex quarto Regum XVI. 4. unde Augustinus Calmet in dissert. de Numin. Chananæorum infert Baal esse solem. Verum cum Beel sit nomen Dei commune, & Phegor locum demonstret, nil certi ex solo nomine Beelphegor deduci potest.

26. De Deo Moloch. Ammonitæ adorarunt idolum Moloch. Eo nomine non videtur significari nisi Deum *Regem*. Probant viri docti Molochum ipsum esse Saturnum; quoniam idolo Moloch immolabantur pueri, & puellæ, ut constat ex Levit. XX. 2. & IV. Regum XXIII. 10. Ita litatum Saturno scribunt Lactantius lib. I. cap. 31. Minucius in Octavio, Tertullianus in Apolog. & Augustinus in VII. de Civit. Dei cap. 19. Factum id quoque à Carthaginensibus; unde Silius Italicus,

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Non repugnant dictis, qui opinantur Moloch esse nomen stellæ, quam Ammonitæ tanquam Regem venerabantur: nam & in stellis veteres, ut supra diximus, Reges suos coluerunt, ac præsertim Saturnum.

27. De igne & luce. Chaldæi ignem, atque in igne lucem, solemque venerabantur. Auctorem habemus Herodotum in Clio. Hinc nominata urbs, de qua Genesis XI. 31. & II. Esdræ IX. 7. scilicet, *Ur* Chaldæorum, ut à Sole, quem Hebræi vocant שמש, *Scemesc*, Josue XIX. 38. *Bethsames*. Facile hinc percipiuntur Chaldaica nomina imposita Dan I. 7. Danieli, Ananiæ, Misaeli, & Azariæ. Daniel dictus est *Balthassar*, quasi Custos mysteriorum Beli, à כל nomine Idoli, & טשא *recondere*, ac אוצר *thesaurum*. Ananias appellatus *Sidrach*, quasi mala depellens: Misael *Misach* ob Opim, vel Terram, quæ à Chaldæis dicitur Dea שך Sach inquit Junius in Danielem. Meminit festorum Σακκιῶν Athæneus, & Dio Chrysostomus apud Grotium in Jerem. XXV. 26. Azarias denique *Abdenago*, quasi עבר, *Servus*, נגו, *Negonis*, id est, Ignis ab נגה, *splendescere*. Vides, ut opinor, hinc derivatam Græcorum idololatriam, ut diximus lib. I. cap. V.

28. De Beelzebub. In Accaron regia urbe Philisthinorum percelebris fuit cultus Beelzebub, de quo IV. Regum I. 2. Satis de hoc idolo in libro X. cap. 18. unde infertur hoc nomen fuisse impositum ignominiæ causa Jovi, & Deo cœli, sive soli, quem coluerunt Accaronitæ; ac jure & merito

to Matth. XII. 24. & Lucæ XI. 15. tributum idem nomen Principi dæmoniorum; quem scimus ex angelo lucis factum Beelzebub, *Deum muscam*, ac *Dominum stercoris*. Vide igitur quæ ibidem scripsimus, & Seldenum de Diis Syr. Synt. 2.

29. De Templo Dagonis. Celebre fuit apud Philisthiim, urbemque Azoto templum Dagonis, commemoratum I. Regum v. 2. Referebat Dagon ab umbilico & inferius figuram piscis, superne hominem, quales Græci fecerunt Tritones, fæmineoque sexu Nereides. Appellatio ergo Dagonis est ab דָּג, *Piscis*. Hinc ubi legitur citato Regum cap. v. 5. *Dagon solus truncus remanserat in loco suo;* innuitur abscissis palmis, hominisque deleta figura, tantum remansisse quod piscem referebat. Videtur idem esse Dagon, ac Derceto dicta à Strabone, & Macrobio Atargatis, culta apud Ascalonem urbem Syriæ, ubi stagnum refertum piscibus: nam Derceto vocatur, quasi דְּגֹתָא, *Degeto*, piscis fœmina. Plura citato Syntag. Seldenus, Antonius Nebrissensis cap. 6. & Gyraldus in Derceto, vel Athara; ubi animadvetit distinguendam Dercetum à Dea Syria Luciani, quoniam hæc non piscis erat, sed πᾶσα γυνή, *tota mulier*. Ex his autem constat Dagon esse Tritonem, quem Poetæ fingunt filium Neptuni & Salaciæ, id est, aut marinum piscem, aut unum ex filiis Noe cultum Tritonis symbolo, Dercetum autem Venerem.

30. De Idolis Michæ & Labani. Plura alia Gentium idola in sacris literis commemorantur, sed minime, ut de iis distincte tractemus, necesse est. Hujusmodi sunt idola Michæ & Labani, Genes. XXXI. 19. & Jud. XVII. 5. appellata ab Hebræis *Teraphim*, תְּרָפִים. Erant autem Laminæ quædam aureæ, quibus mactato homine primogenito, eique obtorto collo, inscribebatur ad auguria captanda nomen immundi spiritus. In Vitulo aureo, quem Amos VIII. 14. appellat delictum Samariæ, quoniam colebatur in Bethel non procul à Samaria, expressus Apis Ægyptiorum. Fuit is, auctore Herodoto, Epaphus, aut Joseph, tauro ab idololatris comparatus tanquam minister Cereris, frumentique provisor. Adramelech 14, Regum XVII. 31. id est, *Rex potens*, cui filios concremabant, non alius est à Moloch, vel Saturno, de quo supra. Idem dicendum de Melchom apud Sophoniam I. 5. *Militia cœli* ibidem sunt astra. Eodem ergo pacto falsæ religioni mancipati sunt Phœnices, Chananæi, Madianitæ, Philisthiim, Caldæi, Ammonitæ, cæterique omnes plurium Deorum Cultores, ac Romani & Græci ante Salvatoris adventum, atque veræ Religionis per orbem universum propagationem.

CAPUT II.

Veram Religionem nequaquam vigere apud Turcas, & Mahumetanos.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. & 6. Propositio I. de Mahumetana Religione. 7. 8. 9. & 10. Quæsita Mahumetanorum solvuntur.

De Mahumetana Religione. EXPLOSA Idolorum vanitate, demonstrandum est non extare Religiosum Dei cultum apud Mahumetanos hostes Christiani Nominis infensissimos. Id vero ut assequamur, comparanda est Mahumetana secta cum ipsa, quam profitemur, Christianorum Religione, nam hanc præstare Idololatrarum superstitioni, necnon legi Hebræorum ultro Turcæ ac Saraceni fatentur. Si cui autem à nobis dicenda jejuna, dilutaque videbuntur, adire poterit vel Orthodoxos scriptores, Turrecrematam, Marraccium, & Thyrsum Gonzalez, vel Heterodoxos Grotium, Levinum, & Bibliandrum, pui plura de hoc argumento conscripserunt. Do tamen operam, ut quæ hi minutatim pertractant, habeas in epitomen redacta, debitaque argumentationum serie disposita.

PROPOSITIO Mahumetana Religio in se quidem absolute, sed maxime dum comparatur Christianæ, apparet execrabilis, repudianda, & Divino cultui, hominumque saluti repugnans. I. Propositio.

Demonstratur primo comparatione Mahumetis cum Christo. Quamquam à Mahumetanis plura de Christo ejusque virgine Matre fabulosa narrantur, V. G. nomen *JEsu* arcanum esse ac barbarum, Mariam filiam fuisse Amrani, cum ea æquiparandam Fatimam à Mahumete genitam, delapsum Evangelium de cœlo nocte Mensis Rambdani decima tertia, aliaque hujus farinæ complura; scriptum tamen est in Alcorano Christum Demonstratio I.

esse

esse Messiam Dei benedictum, Dei verbum, Mentem, ac Sapientiam, ut liquet ex Azoara v. & x. probantque ex Authenticis textibus Euthymius Zigabenus, & Levinus Warnerus, nec id inficiari audet quispiam Saracenorum. Mahumetem vero fuisse prædonem, narrat Chronica Mahumetis citata à Grotio lib. VI. n. 4. & fuisse adeo mulierosum, atque impudicum, ut jactaret habere se solum vim generativam, quam habent simul homines quadraginta, legitur in Alcorano Azoara XLII. & XLIII. ut prætermittam alia Mahumetis vitia, de quibus Petrus Abbas Cluniacensis, & in Historia Turcica Sansovinus. Præterea JEsum patrasse complura miracula, sanasse cæcos claudosque, conceptum fuisse de Spiritu sancto, evectum in cœlum, habetur in Alcorano Azoara XI. & XIII. quamquam ibidem aliqua fabulosa enarrentur, ut de avibus ex luto à Christo formatis. At Mahumetem genitum consueto naturæ ordine credunt Saraceni, imo extat librum ipsius Generationis apud eos pervulgatum: signa vero Mahumetis celebriora sunt columbam ad grana in aure ejus inclusa advolasse, apparuisse ei, nullo teste, dum morbo Epileptico laboraret Gabrielem Archangelum, è puteo, in quem statim saxorum congeriem injecit, humanam vocem erupisse. Christum denique esse Prophetam in lege Moysis prædictum testatur Alcoranus, ac Turcæ omnes fatentur; Mahumetem esse Prophetam prænuntiatum in Evangelio, ut iidem autumant, mendacium est apertissimum, cum potius Christus prædixerit venturos Pseudoprophetas Matth. VII. 15. &c. Itaque æquum est, ut Religio instituta à Dei Verbo ac Sapientia, sive à Messia divinitus concepto, atque in cœlos assumpto præferatur sectæ, cujus auctor est Pseudopropheta, & carnalis homo raptor, atque impurissimus. Atqui constat ex ipso Alcorano Christum esse Messiam, verum Prophetam, ac mirabilium operum auctorem; Mahumetem vero mulierosum, raptorem, prædonem, ex Azoara XIX. LXXV. & LXXVI. Aequum est ergo, ut Religio Christiana præferatur Mahumetanæ.

2. Demonstratio 2.

Secundò demonstratur ex collatione Alcorani cum Evangelio. Evangelium ipsum elapsum de cœlo ait, ut dixi supra, Mahumetes, & licet à nobis depravatum credant Saraceni in iis, quæ spectant ad prædictionem sectæ Mahumetanæ, in historia narrare vera non denegant. At Alcoranus quanta à veritate historiæ aliena ignaris rudibusque deprædicat? Solem quiescere in fonte ad quem pervenit Magnus Alex. legitur Az. XVIII. Templum Mechæ ædificatum ab Abrahamo habetur Az. II. Mariam Virginem educatam apud Zachariam Prophetam Az. IV. Simulacrum pro JEsu cruci suffixum Az. XI. Rursus in Evangelio nil Deo indignum reperies: in Alcorano autem quamplurima; cujusmodi est manum habere frigidam, & sellâ gestari, de quo plura Cantacuzenus Or. 2. & 4. in Mahumetem. Nihil præterea occurrit in Evangelio ridiculum & insulsum. At in Doctrina Mahumetis stella Veneris fuit pulcherrima mulier: mures in Arca Noe nati sunt ex stercore Elephanti, & feles leonis ex halitu: mors aries est stabulans inter cœlum & inferos: luna in manichas Mahumetis delapsa est, ut mittam fabulas alias, de quibus vide Cantacuzenum loco citato, & Grotium num. x. Hinc sanctus Eulogius apud Thyrsum Gonzales lib. 3. cap. 9. refert juvenem Mahumetanum sola lectione Alcorani perspicue illius falsitatem deprehendisse. Enimvero, ut ex dictis argumentationem subinferam, extrema dementia est præbere fidem libris narrantibus, quæ repugnant historiis, quæ tradunt Deo indigna, & quæ venditant fabularum commenta. Alcoranus est liber hujus plane furfuris. Ergo præbere fidem Alcorano extremæ dementiæ est.

3. Demonstratio 3.

Tertiò probatur comparando dogmata Alcorani cum Institutionibus Christianorum. Præcipua Alcorani dogmata collecta à Cardinale Turrecremata sunt, primo hæreses quæ impugnant Trinitatis mysterium, Incarnationem, cultumque sanctorum. Deinde quæ faciunt Deum corporeum, atque auctorem peccati. Accedunt opiniones absurdæ de Anima, quam Mahumetani arbitrantur esse portionem quamdam animæ Dei, necnon de Angelis, quos credunt genitos ex flamma ignis. Animorum denique felicitatem constituunt in carnalibus oblectamentis. Iisdem igitur argumentationibus, quibus hæ hæreses profligantur, Mahumetismus quoque confoditur. At urgere possumus speciale argumentum. Ante promulgationem legis Mahumetanæ, fatentibus Saracenis, vera erat, cæterisque præstantior Christiana Religio; neque enim tunc viguisse credunt Mosaicam, aut admittendam superstitionem Gentilium. Nulla vero ante Mahumetis adventum extabat Religio, nisi aut Judæorum, aut Gentilium, aut Christianorum. Prio-

ri-

ribus ergo à Mahumetanis rejectis, necessario Religio Christianorum est admittenda. Atqui ante Mahumetem Christiani profitebantur ea dogmata, quæ modo Saraceni rejiciunt. Mahumetes enim nonnisi septimo sæculo apparuit. Ergo dogmata, quæ modo Mahumetani refellunt, ante annum 622. quo incipit Aera Hegiræ, seu Mahumetica, vera fuerunt. Fieri autem non potest ut falsum dogma sit, quod transactis sæculis verum fuit.

4. Demonstratio 4. Quartò probatur ex Alcorani, & Evangelii moralibus præceptis. Præscribit Evangelium perpetuam conjugum fidem: Alcoranus dat repudiandi licentiam. Proponit Evangelium unicam uni viro uxorem, ut servetur mutuus amor, studiumque liberorum: permittit Alcoranus ad fovenda dissidia, & irritamenta libidinum alias super alias uxores. Prohibentur Christianis carnales illecebræ: permittitur Mahumetanis cujusque voluptatis turpitudo. Christi fideles rejiciunt Judæorum circumcisionem per legem gratiæ abrogatam; & Mahumetis asseclæ, repudiata lege veteri, reponunt in circumcisione vim prope totam. Legendus Euthymius, & Georgevitius de Ritibus Turcarum. Econtra lex Christiana permittit temperatum cibi, vinique usum: Turcica tanquam rem execrandam in Alcorano Azoara XVI. vetat suillam carnem, potumque vini etiamsi moderatum. Præponenda est autem lex honesta jubens, & illicita prohibens legi quæ vetat licita, ac turpia permittit. Lex Evangelica jubet honesta, vetatque turpia: & Mahumetica prohibet honesta, ac proponit illicita. Igitur lex Evangelica Mahumetanæ præponenda est.

5. Demonstratio 5. Quintò demonstratur ex Alcorani, & Evangelii propagatione. Christus Evangelium promulgaturus primum missionem suam comprobat Divinis, humanisque testimoniis, appellatque Judæos ad scrutationem divinarum Scripturarum. At Mahumetes in abscondito cum Serigo Apostata fabricato Alcorano, præcipit Azoara XIII. ne quis in novam Religionem inquirat; & ne falsitatis redarguatur, prohibet etiam gregalibus suis cum divinarum scientiarum studia, tum humanarum. Elegit Christus pro Evangelii propagatione, exiguum numerum pauperum: adscivit sibi Mahumetes turbam prædonum vim armis inferentium statuens Azoara XVIII. Religionem esse armorum pedisequam. Annuntiatum principio Christi Evangelium in Synagogis Jurisperitorum, tum in Athenienſium Areopago, urbibusque universi mundi cultissimis: at Alcoranus inter Arabes, ac Saracenos rudes, ignaros, incultos, prædisque deditos, ut libro III. Emendat. Temporum cap. de Periodo Arabum scribit Scaliger. Discipuli denique Christi legem adversantem carni & sanguini repugnantibus Tyrannis potentissimis promulgarunt; Mahumetani singulis morem gerentes, fretique armis rebellium, qui ab Heraclio defecerant, longe lateque religionem suam propagaverunt. Quare in promulgatione Evangelii nihil non mirabile, non Divinum: & in propagatione Alcorani nihil non irreligiosum, non violentum. Sic itaque ratiocinabor: Non splendet virtus divinitatis in acceptatione legis proponentis voluptates in quas inhiat concupiscentia, probatæ duntaxat ab impiis, & quæ aut mali suasione, aut metu extorquet assensum. Splendet quidem, si acceptetur lex inimica mundo, sensibuspue repugnans, non cogente Promoventis auctoritate, armorumque potentia. Ergo in sola promulgatione Evangelicæ legis, non in fortuna exituque Alcorani fulget virtus divinitatis.

6. Demonstratio 6. Postremo utimur hoc argumento. In Alcorano, Az. I. & XII. in Libro Doctrinæ Mahumetis, atque in Mahumetis Testamento in lucem edito à Theodoro Bibliandro legitur Christianos posse in sua lege salvari: unde recte Petrus Paschasius contra Mahumetanos pag. 30. num. 26. ait: *Multis in locis Mahumetus in Alcorano affirmat Christianos optimam habere & colere legem, esseque in statu salvationis.* Nullus tamen Christianorum putat aliquem salvari posse in lege Mahumetica. Et quidem recte: cum enim unus sit Deus, una veritas, una salus; oportet, ut unus sit Dei cultus, una vera Religio, & una ad salutem via. Ast ita urgentur Mahumetani: Magis certa est doctrinæ veritas, & via salutis in Religione, quam veram & proficuam esse tenent tum Christiani, tum Saraceni, quam in Religione illa, in qua posse hominem salvari Christiani negant, & soli Saraceni arbitrantur. Atqui posse hominem salutem consequi in Religione Christianorum tradunt tam Christiani, quam Saraceni; salvari autem in Mahumetica putant Saraceni soli, negantque Christani. Igitur magis certa est doctrinæ veritas, & via salutis in Christiana Religione, quam in Mahumetica. Consimili argumento permotus Henricus Quartus Galliarum Rex cum audisset à Ministris Reformatæ Reli-

Religionis etiam in Ecclesia Romana salutem esse, Calvinianam hæresim ejuravit.

Respondetur Mahumetanis.

7. Quæstio 1. Mahumetanorum solvitur.

Saraceni nullis, ut diximus, disciplinis imbuti solis argumentis utuntur rudibus, insulsisque, quibus etiam obviis, ac palmaribus exemplis respondendum est, allatis jam lib. VII. de Trinitate cap. 7. & proximo volumine de Incarnatione lib. XXV. cap. XI. Fidem ergo Divinæ Trinitatis, atque Incarnationis adversus illos propugnare non erit Candidatis nostris perdifficile. Quædam sunt peculiaria, quæ ipsis tenaciter inhærent. Inquirunt primo, quomodo Deo Filium tribuamus, cum non habeat uxorem? Respondemus non esse Deum corporeum, ut filium gignat carnali complexu; sed ejus generationem quamdam habere cum productione verbi mentis nostræ analogiam: id vero magis esse credibile, quam angelos spiritales genitos à flamma ignis, & ab anima Dei decisam animam Adæ: scriptum denique in Alcorano natum Christum ex Virgine; nec minus esse mirabile in temporali generatione non esse patrem, quam in Divina non dari matrem sive generantis uxorem.

8. Quæstio 2. Solvitur.

Deinde inquirunt, undenam certi simus dogmata de Verbi Incarnatione ac de Trinitate non fuisse à Majoribus nostris in Evangeliorum libros intrusa? Respondemus autem id nos certissimis argumentis evincere. Principio quoniam Apostoli, quos Mahumetes ait fuisse viros sanctissimos, ac Saracenos, certissime Evangelia non depravarunt. Ab Apostolorum autem tempore per universum orbem Codices Evangelici sparsi sunt omnium fere gentium lingua conscripti. Si ergo autographum credunt Alcoranum penes se delitescentem, ac solo Arabum idiomate exaratum, eccur non integrum opinantur Codicem Evangelii ubique terrarum multiplici lingua diffusum? Præterea impossibile est tantum facinus Divinas literas depravandi attentasse universos Christi fideles, aut potuisse perficere: si vero id ausi fuissent perpauci, profecto Ecclesia universalis repugnasset, præsertim cum ante Mahumetem fuerit, Saracenorum consensione, verax & sancta. Insuper si in Christi honorem excogitassent Christiani adulterare Evangelia, curassent expungi narrationem mortis ejus turpissimæ atque teterrimæ, quam adeo indignam Christo putant Musulmani, ut eo divinitus sublato credant affixum cruci simulacrum & corpus umbratile. Ulterius divinitatem Christi Turcis incredibilem, æternamque generationem ipsius tradidisse literis Joannem Evangelistam adversus hæreses Cerinthi, & Ebionis, testantur Hieronymus, aliique Patres, qui præcesserunt Mahumetem: Trinitatem vero divinarum Personarum definivit Synodus Antiochena contra Paulum Samosatensem anno 260. & ipsam Verbi divinitatem contra Arium Nicæna Synodus anno 325. nec unquam Antitrinitarii, vel Ariani ausi sunt affirmare depravata à Catholicis Evangelia. Tandem dicant Saraceni quandonam hæc dogmata fuerint à nobis intrusa. Num post Mahumetem? Id quidem aperte est falsum, nam eadem professi sunt, atque ex Evangelicis libris in sua commentaria derivarunt innumeri Ecclesiæ Patres, qui ante Alcoranum floruerunt. Post Mahumetem vero? Neque id credi potest, cum oppositum probet testimonium ipsum præcedentium Scriptorum, & sacrorum Librorum multitudo, antiquitas, & cohærentia.

9. Quæstum 3. Solvitur.

Tertio petunt, unde probemus in Evangelio Joannis cap. XIV. ubi promittitur adventus Paracleti, non fuisse olim quædam ad Mahumetem spectantia dolo Christianorum abrasa? Respondemus istud à nobis probari iisdem argumentationibus, quibus modo demonstratum est libros nostros esse incorruptos. His vero addimus, nihil abrasum in odium Mahumetis antequam appareret, quoniam tunc ejus doctrina ac persona ignorabatur: nihil etiam postquam advenit, quoniam ipse produxisset missionis suæ hoc testimonium, atque istud in aliquo saltem Evangeliorum Codice etiamnum extaret, cum nullum tamen proferre possint Mahumetani, vel Arabicum, vel Græcum, vel Syriacum, vel Latinum.

10. Quæstum ultimum Solvitur.

Quærunt tandem, si post Moysen creditur venisse Christus Judaicam Ecclesiam instauraturus, quare credendum non est post Christum venisse Mahumetem reformaturum legem Christianam? Respondemus hoc de Mahumete credendum non esse quoniam ejus doctrina non promovet perfectionem legis Evangelicæ, sed corruptelam. Si enim per Mahumetem perfectior est lex Christiana, quam sit Mosaica; cum lex Christi vetet dari libellum repudii, concupiscentiam mulieris, plu-

pluraque Judæis olim permissa; lex perfectior est quæ servat pudicitiam, & Matrimonii vinculum atque unitatem, quam lex hæc omnia disrumpens, & innovans abrogatam Judæorum consuetudinem. Lex ergo Mahumetis permittens fornicationes, repudia, polygamiam, aliaque scelera turpiora est corruptela, non reformatio: alioqui lex Moysis erit perfectior Evangelio, contra manifestam rationem, & communem quoque fidem Mahumetanorum. Deinde cum Deus non possit mentiri, credimus Christum venisse post Moysen, quoniam in lege Moysis testimonium habet: non credimus à Deo venisse Mahumetem, quoniam in lege Christi non prædicuntur futuri, nisi Pseudoprophetæ. Nam quod Turcæ inquiunt nos cap. XIV. Joannis v. 16. abraso Mahumetis nomine suppositisse Paraclitum, refutatum est paulo supra; ac præterea liquet Mahumetem nec fuisse Spiritum invisibilem mundo, nec docuisse Apostolos, nec venisse statim post Christi ascensionem, quæ omnia de mittendo à Filio *Consolatore* eo loci affirmantur. Rursus si Mahumetes salubriora præcepta attulit mundo, promulgato Alcorano abrogata erit lex Christiana, nec ad salutem sufficiens; quemadmodum promulgato Evangelio cessavit lex Moysis. At Mahumetani putant Christianam legem adhuc esse validam, & salutiferam. Denique in Evangelio, quod Saraceni credunt è cœlo delapsum, habetur regnum Christi fore sempiternum, & adversus Ecclesiam nunquam prævalituras portas inferi. Frustra ergo post Christum venisse creditur alius Religionis Institutor, & Legislator. Prætermitto quæ supra demonstrata sunt, nullum esse aut in persona Mahumetis, aut in doctrina Alcorani, aut in promulgatione sectæ Saracenorum, ex characteribus Divinæ missionis, quos deprehendi in Religione Christiana dicam proximo Capite, necnon libro XXV. cap. X. ubi disputabo de Christi adventu contra Judæos, & Paganos.

CAPUT III.

Demonstratur, Fidem ac Religionem Christianorum evidentissimè veram esse.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Religio Christiana evidenter est vera. 8. 9. 10. & 11. Objectionum solutio.

1. Religio Christiana evidenter est vera.

CUM necesse sit aliquem Dei cultum, Religionemque tenere, quippe id tantum negare audent Athei, adversus eos natura ipsa, ac testimonio animæ reclamantibus; potest quisque ex dictis inferre, solum Christianam religionem esse tenendam. Nam Idololatrarum superstitionem profligavimus supra, Mahumetanam quoque sectam modo impugnavimus; ac nullam Religionis formam præter hebraicam, quam alibi antiquatam demonstrabo, invenies nisi aut Paganorum, aut Mahumetanorum, aut Christianorum. Illorum ergo religione ejurata, Deus in Christianorum fide colendus est. Attamen quia assensus fidei, ac Religionis professio debet esse prudens, alias opinio esset, non virtus; ideoque supponere debet certam notitiam Divinæ revelationis; rationem fidei nostræ petentibus non solum respondemus adduci nos fortissimis argumentis ad refellenda Gentilium, & Saracenorum dogmata, verum etiam ad præstandum assensum iis, quæ proponit Ecclesia Christi. Sunt autem argumenta illa istiusmodi.

I.

2. Probatur 1. ex D. Oraculis.

Religionem Christianam ab exordio mundi Divina Oracula prænuntiarunt innumeris vaticiniis, quæ continentur in veteri Testamento, & quæ omnia completa sunt post Christi Domini Incarnationem. Non possumus autem hæc aut conficta existimare, aut in sacris libris apposita. Primo enim cætera, quæ ad Christum non spectant, genuina esse facile demonstratur. Moysen vera scripsisse, demonstratum est alio in loco. Mundi productionem, qualem ipse describit, tradiderunt Phœnicum historiæ, de quibus Eusebius I. Præp. E. cap. 10. Aegyptii apud Diodorum Siculum, Hesiodus in Theogonia; nec potest falsitatis convinci ullo profanorum scriptorum testimonio, cum ipse cæteros omnes præcesserit. Quæ de diluvio tradidit, probantur à Beroso, Abydeno, Luciano, & Nicolao Damasceno.

masceno. Legum, rituumque Hebræorum meminerunt Strabo, Tacitus, Herodotus, Phylo Byblius. Josephi Historiam haud ignorarunt Artapanus, Eupolemus, Demetrius. Exitum populi Israel de Aegypto etiam Manetho, Lysimachus, & Chæremon commemorarunt. Miracula Eliæ, aliorumque Prophetarum nequeunt esse conficta, cum patrata fuerint coram Sacerdotibus idolorum, qui falsæ narrationi sese profecto opposuissent. Vide annotata H. Grotii ad primum de Relig. Christ. n. XVI. Si ergo hæc aliaque plura vera esse creduntur; cur non vaticinationes vocationis Gentium, atque Institutionis Christianismi? Deinde quisnam hæc vaticinia sacris Codicibus assuit? Judæorum aliquis? At impossibile est hanc nationem, cui summa religio vel unum sacrum apicem abradere, voluisse verba Divina depravare: cur ante Christi adventum id faceret, causam non habuit; postquam Christus venit, id attentare non potuit, & ob evulgatas jam Græcorum lingua scripturas, & propter populi, librorumque per Universum dispersionem. Sed neque credibile est, Judæorum aliquem in gratiam Christianorum in vetus Testamentum manus sacrilegas intulisse. Si autem Christiani hoc attentassent, revincerentur ab ipsis Judæis. Hinc recte Augustinus scribit lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 46. dispersos per orbem Judæos, ut Christiana Religio testes in omnibus gentibus habere posset. Est ergo manifestum, Prophetarum vaticinia de Christo antiqua esse, Divina, neque à Christianis conficta.

II.

3. Probatur 2. ex Evangelica historia.

Verissima quoque est Evangelica Historia, quæ nobis tot Christi miracula, inculpatam vitam, mortem pro mundi redemptione, mirabilem revivisentiam, ac plura alia apertissimæ veritatis monimenta patefacit. Literis enim consignata est à Viris fide dignissimis, qui res sua ætate gestas narrarunt, nec mentiri potuerunt, aut voluerunt. Non potuerunt quidem, cum Christus nihil in absondito locutus sit, nihil eorum, quæ describuntur, clam perpetraverit: ideoque Evangelistæ potuissent facile falsitatis redargui ab invidis, & Christo infensissimis inimicis. Sed nec mentiri voluerunt. Cui enim bono, si nihil inde utilitatis, honorisque se percepturos videbant, sed persecutionem tantummodo, odiumque hominum, cum nequaquam eos lateret prædicari à se Jesum Crucifixum Judæis scandalum, Gentibus autem stultitiam? Neque credibile est falsa narravisse in gratiam Magistri. Hujus enim, quem Hebræi expectabant præpotentem & gloria circumdatum, minime tacent parentes humiles, nativitatem in præsepio, neglectam vitam, tenuissimam apud Optimates existimationem, suppliciumque Crucis teterrimum. Accedit, quod scripserint jam illo è vivis sublato: quem propterea, nisi resurgentem vidissent, cur decepti, ac spe frustrati hominem commendassent invisum Synagogæ in eos quoque pauperes, obscuros, ac numero exiguos, cædes minasque spiranti? Dubitare ergo non possumus, quin sacri Evangelicæ Historiæ Scriptores nobis vera narraverint. Quæ autem ab iis tradita sunt, incorrupta à nobis servari, capite præcedenti adversus Saracenos demonstravi.

III.

4. Probatur 3. ex Christi miraculis.

Facta à Christo miracula tam illustria ac manifesta sunt, ut ab ullo sanæ mentis nequeant in dubium revocari. Vertit in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum, spectantibus convivis pluribus, aquam non Apostolis sed Sponsi famulis in hydrias fundentibus, ac degustante merum architriclino. Hominem maligno spiritu vexatum spectante universa Synagoga sanavit, cum à dæmonio jactaretur in medio. Adolescentem viduæ filium revocavit ad vitam, cum efferretur ad tumulum, comitante turba civium, ac universo populo obstupescente. Cæcum à nativitate notum omnibus illuminavit, frustra Pharisæis miraculi gloriam technis & maledictis Christo detrahere molientibus. Paralyticum è tecto demissum coram immensa populi multitudine sanavit. Infirmum triginta & octo annorum morbo laborantem, atque ab omnibus derelictum uno verbo ad probaticam restituit sanitati. Magnam hominum multitudinem satiavit, ita ut etiam supereſſent fragmenta, quinque panibus hordeaceis. Lazarum quadriduanum ad vitam revocavit, adstantibus ad monumentum Pharisæis, qui non semel postea hominem in Bethania viderunt colloquentem & manducantem. Ipse Christus à mortuis surrexit, apparuitque Mariæ Magdalenæ, Simoni Petro, Discipulis euntibus in Emmaus, Discipulis omnibus simul congregatis, quingentis aliis viris ac fœminis. Cætera Christi miracula prætermitto. Hæc itaque palam facta, & comprobata testimoniis innumeris non possunt ali-

aliqua ratione denegari: cumque miracula sint invictissimum veritatis argumentum, ex his Christianæ Religionis veritas mirifice confirmatur.

IV.

5. Probatur 4. ex Evangelii promulgatione.

Tam mira est Evangelii promulgatio, ut sola demonstret sui ipsius certitudinem ac veritatem. Principio enim propagatum est à perpaucis hominibus nulla philosophorum doctrina imbutis, nullo patrocinio terrenorum principum commendatis, non armis & eloquentia præditis, sed profectis in orbem binis ac binis, absque pera & calceamentis, omnique præsidio hominum destitutis. Atque hi induti virtute ex alto, absque prævio studio omnium gentium linguam edocti, & absque naturali facultate vel arte omnium morborum curatione præclari, fuerunt Christianæ Religionis columen ac fundamentum. Deinde non adjerunt tantummodo rudem ac sylvestrem multitudinem sed Christum annuntiarunt in ipsa celeberrima urbe Jerosolyma, in qua Magister ligno suspensus occubuit, posthac in Græcorum philosophorum congressibus, in ipsa Roma dedita tum maxime literarum cultui, ac superstitioni Deorum, atque in universo propemodum orbe, ac provinciis regnorum omnium amplissimis. Præterea non insciam tantum plebem ad se perduxerunt: sed Reges, Philosophos, Tyrannos, atque ipsos idolorum Sacerdotes, adversariosque præcipuos. Tandem iis non obvia sensibus proposuerunt, præscripseruntque genio, libidini, vetustisque moribus consentanea: sed prædicarunt sapientiam absconditam, Deum in Trinitate unum, Dei filium crucifixum ac mortuum, proposito credentibus præmio Gentibus inaudito, visione summi Dei & corporum resurrectione, latisque præceptionibus, ut frangerentur idola, abrenuntiaretur divitiis ac voluptatibus, supplicia æquo lubentique animo ferrerentur, atque à viris uxores, à parentibus filii, à fratribus, ubi causa adesset religionis, divellerentur & fratres. Atque hæc tam sublimia & ardua talium hominum prolata eloquio, quæ virtus suadere poterat humanâ scientiâ inflatis, & carnalibus, nisi Divina, & occulta vis Religionis?

6. Probatur 5. quia nunquam portæ inferi prævalere potuerunt.

V.

Affine est argumentum, quod nunquam adversus institutam à Christo Religionem potuerint portæ inferi prævalere. Præcursorem ipsius incestuosus Rex capitis damnavit: ipsum Christum, omnibus adversus eum conspirantibus, cruci Pilatus appendit: Petrum Apostolorum Principem Herodes catenis vinxit, Claudius Nero in Cruce suspendit: alii omnes Apostoli exilio, ac morte mulctati. Neque in hos sævitum tantummodo Romanorum Imperatorum edictis, & Proconsulum immanitate ab Ecclesiæ incunabulis fideles dispersi sunt, proscriptis bonis, corporibusque omnium tormentorum genere dilaniatis. Exortæ fuerunt etiam ipso priori Ecclesiæ sæculo complures hæreses, quæ tamen veritatem Religionis nostræ non potuerunt labefactare. Norunt, qui veterum scripta legerunt, quanta moliti fuerint Simon, Cerinthus, Menander, Saturninus, Basilides, Valentinus, aliique ministri Satanæ. Hæc autem Persecutorum, atque hæreticorum machinamenta proximis sæculis, ut produnt historiæ, minime cessavere. Neque incorrupti fuerunt ab initio mores fidelium omnium, quamquam non adeo forte corrupti: dissensiones quippe, & fornicationes Corinthiorum redarguit Paulus, & vitia in septem Ecclesias irrumpentia scriptor Apocalypsis Joannes. His autem minime obstantibus efficere non potuit aut furor persequentium, aut apparentia peregrinarum doctrinarum, aut dæmonis nequitia, ut navis tot, tantisque procellis jactata fluctibus mergeretur: quod profecto evenire debuisset, si non illam regeret virtus Altissimi, & spiritus veritatis. Huc spectant argumentationes, quibus demonstro libro xxv. cap. x. Christum esse verum Messiam, divinumque Legislatorem.

VI.

7. Probatur 6. Christiana Religio ex omnibus præstat.

Argumentum sextum ac postremum ex eo deducitur, quod Christiana Religio cæteris omnibus præstet. Primo id evincitur ex dignitate institutoris. Hunc enim nemo dixerit elatum inani gloria, cum evangelizaverit pauperibus, & regni honorem, hominumque plausus repulerit. Nemo dixerit hominum gratiam captasse, cum palam arguerit hypochrisim Pharisæorum, textisque flagellis è templo ejecerit profanatores. Nemo dixerit subdolum circumventorem, cum doctrinam suam annuntiaverit in Templo, & in Synagogis. Nemo denique inanium præceptorum promulgatorem; cum ipse omnium primus eadem impleverit sectando vitam humilem, & subeundo mortem turpissimam. Habes ergo in Religionis nostræ Institutore rectissimum intentionis

finem, manifestam conscientiam veracitatis, & exempli operisque confirmationem. Et tamen ipsius dignitatem ac potentiam testimonia, ac prodigia innumera comprobarunt. Compara huic legislatores cæteros, & longe præstantiorem invenies, non dicam Græcis sapientioribus vitiorum omnium fœditate inquinatis, aut Romanis cultu dæmonum, & fraterna cæde pollutis, sed ipso Moyse, cujus vita, licet probatissima, cum rebus à Christo gestis nullatenus est comparanda. Deinde liquet Christianæ fidei præstantia ex Evangelicis præceptis: in quibus nihil offendes, quod repugnet vel immutabili legi naturæ singulis inditæ, vel sanioribus Sapientum documentis, vel morum regulæ ac probitati. Jubemur enim Deum colere, Parentes diligere, turpia vitare, singulis benefacere. Hæc cum natura dictante complures servanda esse præceperint, conspurcarunt tamen institutis aliis juxta inseminatæ, concupiscentiæ, & pravæ indolis incitamenta. Nam Idololatris nihil non contaminatum: horrenda autem summopere consuetudo victimas humanas mactandi. Ex Philosophis Plato plurium Deorum cultum invexit: Aristoteles lib. v. Politic. cap. 11. docet indecoras artes conservandæ Tyrannidis, etiam cum Religionis abusu. Stoici nullam aliam virtutem agnovere, quam bonorum operum ostentationem, ut omnibus essent admirationi, humanarum laudum captatores superbissimi. Epicurei spreta religione solam voluptatem sectarunt. Hebræorum autem præcepta aliqua institutis Christianorum conformia sunt, plura istorum promissiones ac signa, nonnulla œconomiæ causa pronis ad idololatriam ad tempus præscripta. Religio ergo servans externis ritibus, animoque Dei cultum, proponens omnia erga proximum humanitatis officia, probans virtutes quotquot consensu hominum habent decorem honestatis, damnans flagitiosa quælibet, etiamsi sola mente versentur; & nihil agens causa terrenæ voluptatis, aut philauciæ, cæteras omnes antecellat, necessum est. Denique felicitatem, quæ immortalem animum explere possit, hæc religio sola promittit; aliæ nec agnoverunt: nam de perenni vita animorum aliqui dubitarunt, quidam transitum hominum in bestias commenti sunt, nonnulli dixerunt solam virtutem, cujus vis in perferendis malis sita est, sibi præmium esse, alii epulas & concubitus expectant: quæ omnia vel sunt mortalis vitæ necessitates, vel saltem habent pericula, anxietates, interitum. At spes firmissima Christianorum Divinis promissionibus, & resurrectione Redemptoris, corroborata, tendit in vitam sempiternam, in Deo absconditam, nulloque corporis animique incommodo affectam. Cum vero admittendam constet beatitudinem, quam omnes homines cupiunt, nec profecto expeterent, nisi assequi possent; ea tantum Religio vera existimanda est, quæ veram beatitudinem pollicetur. Quamobrem spectata dignitate Institutoris, præceptorum æquitate, nec non excellentia mercedis, debet professio Christianorum cæteris omnibus anteferri.

Contraria Argumenta solvuntur.

Potest adversus dicta primum objectari. Quod ipsi Apostoli Evangelicam Historiam conscripserint, atque autographi sint libri, quibus narrantur Christi miracula, ac præcepta Religionis nostræ traduntur, incertum prorsus est, atque inexploratum: labascit ergo primum, ac proximum argumentum. Prob. ant. I. Cum plura Evangelia ab ineunte Ecclesia fuerint sub nomine Apostolorum conficta, & evulgati libri complures apocryphi; possunt esse ejusdem generis scripta, quæ à credulis primi ævi Christianis fuerunt recepta. II. Facile evenire potuit in Jerosolymorum excidio, ut dispersis illius Ecclesiæ monimentis falsa ac mendosa supponerentur. III. Recipit Ecclesia inter Canonicas scripturas scripta quædam sub nomine Apostolorum, ut Epistolam Pauli ad Hebræos, secundam Petri, Catholicam Judæ, & Apocalypsim Joannis, nec tamen constat habere reapse illos, quorum nomen præferunt, auctores. Pariter ergo dubium est scripsisse Evangelia Matthæum, Lucam, Marcum, Joannem. 8. Objicitur I.

Resp. nego ant. Cum enim habeamus constans sæculorum omnium testimonium, nefas est de auctoribus Evangeliorum dubitare, ac multo minus de rebus à Christo gestis, pro quarum confirmatione mentiri, nihil, ut vidimus, Apostolorum intererat. Ad probat. 1. dico, ob eandem rationem, ob quam rejiciuntur Pseudo-Evangelia, aliique libri apocryphi, à nobis scripta retineri Apostolica; id est, quia illa nunquam universalis Ecclesia probavit, hæc autem unanimi ac perpetua traditione recepit. Enarrantur præterea in Pseudo-Evangeliis facta quædam Christi aut pugnantia, aut absque ullo teste patrata, 9. Solutio.

in

in Evangeliis autem publica doctrina, & Christi opera facta coram multitudine populorum, atque omni testimoniorum genere confirmata. Ad alteram probationem respondeo non à sola Jerosolymitana Ecclesia receptam Christi doctrinam ac religionem, sed præterea Antiochiæ, Corinthi, Ephesi, Romæ, atque in universo propemodum orbe, in quo Evangeliorum Codices fuerunt ante Jerosolymitanum excidium dispersi. Ad tertiam hoc habeto responsum. Si incertus esset auctor scriptorum, quæ commemorata sunt, quia de ipso auctore nonnulli veterum dubitarunt; certissime tamen Evangelia conscripta fuissent ab Apostolis, quoniam in hoc veteres omnes consentiunt: sed nego etiam, non esse adscribenda ea scripta Auctoribus, quorum præseferunt nomen, cum privato aliquorum judicio præponi debeat traditio Apostolicæ Ecclesiæ satis jam explorata, ac discussa.

10. Objicitur 2. Deinde opponi potest. Apostoli, cum ignari essent, ac simplices, facile decipi potuerunt. Primo ipse Christus potuit cum iis, qui infirmos se fingerent, convenire. Deinde fallere eos potuit rerum apparentia, & rumor vulgi. Insuper fuerunt fortasse, quos Christus sanavit, infirmi non re ipsa, sed imaginatione duntaxat. Demum ipsi Apostoli cum impense Christum diligerent, potuerunt ob nimium amorem deludi præsertim in apparitionibus post ejus mortem ac sepulturam.

11. Solutio. Resp. evidentissimum esse quod Apostoli non fuerint circa facta à Christo prodigia decepti. Sane Christus non potuit cum suppositis infirmis fraudulenta conventione pacisci. Etenim aliqua ejus prodigia facta sunt in universa populi multitudine, ut multiplicatio quinque panum; & impossibile est ingentem turbam in simulationem conspiraſſe, & ex ea neminem fraudem postea patefeciſſe: aliqua patrata sunt ad preces exterorum, ut Centurionis, & mulieris Chananææ, quibuscum conveniſſe Christum nequit oriri suspicio: aliqua evenerunt coram invidis Pharisæis, quorum studium præcipuum erat Christum deprimere, & gloriam ipsius obscurare, ut curatio paralytici, & dæmoniorum expulsio. Prima ergo conjectura evidentissime exploditur. Sed nec simulasse infirmitatem quos Christus sanavit, liquet: quis enim à primo nativitatis die se cæcum fingeret, ut apparenter illuminaretur? quis triginta & octo annis simularet paralysin? quis cum Lazaro quatuor diebus jaceret in sepulchro? quis sineret se à dæmone vexari, & elidi? His non apparenter redditam à Christo fuisse lucem, vitam, ac sanitatem, tam certum est, quam interesse non potuit simulatio eorum, qui receperunt beneficia; nec falsus rumor, cum cæcum à nativitate recepisse lumen spectarent omnes, testarentur parentes, & perperam occultare tentarent invidia in Christum tabescentes Judæi. Paralyticum quoque ferentem grabatum suum, & Lazarum revocatum ad vitam singuli propriis oculis inspexerunt. Nulla ergo hic simulatio, aut falsus rumor occurrit. Cæcitatem ipsam, paralysim, mortem in sepulchro jacentis, quis, nisi insaniat omnino, dixerit imaginationis effecta? Denique non fefellit Apostolos existimatio Magistri; nam & diutius fuerunt increduli, & pluribus experimentis veritatem contrectaverunt, & accepta à se ipsis miraculorum virtute dubitare non poterant Magistrum, à quo acceperant, ea caruisse.

Cætera argumenta perquiras libro I. cap. VII. & lib. XXV. cap. XI.

CAPUT IV.

Non esse connumerandos inter Christi fideles, nec fructum Redemptionis illius percepturos, qui ejus Divinitatem atque Incarnationem non confitentur.

SUMMARIUM.

1. An Christi fideles, qui non confitentur Divinitatem, & Incarnationem.
2. 3. 4. 5. & 6. Propositio Probatur.
7. 8. 9. 10. Usque 21. Solvuntur Objectiones.

1. An Christi fideles, qui non confitentur Divinitatem, & Incarnationem,

VERAM Religionem, quam Christianam esse demonstravimus, se profiteri autumant gregales omnes Socini contendentes non esse è fidelium numero expungendos, qui mysteria quoque fidei nostræ præcipua, id est individuam Trinitatem, & Dominicæ Incarnationis Oeconomiam præfracte oppugnant, aut negant. In eodem luto hæsisse Hugonem Grotium liquet ex his, quæ

quæ habet Tom. IV. Op. Theol. pag. 752. *Sunt aliæ quæstiones intricatiores de distinctione, unitate Patris, Verbi, & Spiritus sancti, de duabus in Christo naturis, earumque proprietatibus, sine quarum nimis exacta cognitione, nihil impedit quo minus aliquis sit Christianus.* Exactam quippe cognitionem non appellat hoc loco Grotius sublimiorem Theologorum doctrinam, sed firmam fidem illorum mysteriorum, scribens hæc non computari inter dogmata, sine quibus in veteri Ecclesia nemo Christianus existimabatur, & super his conspici in antiquorum scriptis non tantum dissonas locutiones, sed interdum libertatem quoque sententiarum. Ita pariter sentiunt omnes illi, qui putant homines singulos, dummodo pagani non sint, & Deum colant, ac servent legis præcepta, debere frui omnium Ecclesiarum commercio, contesserare, & colere fraternitatem; ut in IV. Instit. libro sect. 2. cap. 33. nititur demonstrare Episcopius, necnon Auctor operis, cui titulus *Irenicum Irenici*, p. 73. Refellunt tam pernicioſum errorem Scholastici omnes commonstrantes necessitatem Fidei explicitæ in Christum, & luculenter Placidus Troylus Abbas Cistercienſis de Fide, sive Tractatu III. articulo 3. aliique recentiores; nec non Antonius Arnaldus in opere de necessitate Fidei in Christum, & ex Protestantibus Georgius Bullus celebris, & eruditus Episcopii adversarius in dissertatione, quæ sequitur Defensionem Nicænæ Fidei: eidemque Episcopio, cæterisque Remonstrantibus, ac novis Ebionæis opponimus proximam definitionem.

2. Propositio. PROPOSITIO. Non sunt habendi tanquam Christi fideles, neque hæreditatis ejus participes erunt, qui ad normam legis Evangelicæ mores componentes in capite de Divina Christi natura à nobis dissentiunt.

3. Probatur 1. ex Scriptura. Probatur primo ex scripturis. Marci ultimo 15. ita Christus Dominus Apostolos allocutus est: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* In ea doctrina, ac ministratione baptismi comprehendi invocationem Trinitatis, constat ex cap. XXVIII. Matth. 19. Igitur qui Trinitatis mysterium, & Domini nostri JEsu Christi divinitatem non profitetur, is neque Christianam fidem amplectitur, nec salvus erit. Deinde Joannes cap. 1. postquam nobis Christi divinitatem proposuit, verso 12. inquit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus.* Ac III. cap. 18. *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Qui ergo in Christum non credit, neque filius Dei est, neque hæres, sed extra Christi ovile expulsus, atque dejectus. Præterea in Apostolicis Actibus cap. IV. 12. ait Petrus: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* In quo ergo nomine salutem consequentur, qui rectam Christi fidem abjiciunt? Hæc aliaque plura diluere nequeunt, aut Sociniani reponentes, quod sufficiat credere JEsum esse Messiam, præter naturæ ordinem de Spiritu sancto conceptum, novique fœderis auctorem; aut Remonstrantes ad hæc addentes fidem quoque præexistentiæ Christi ante Incarnationem: nam ut libro VII. demonstratum est, non hæc tantum dogmata, sed etiam Filii Dei consubstantialem Patri divinitatem nobis sacrosancta Evangelia proponunt.

4. Probatur 2. ex traditione Patrum. Confirmatur Catholica veritas Patrum exploratissima Traditione. Enimvero S. Martyr Ignatius in Epistola ad Ephes. illos, qui Christi denegant divinitatem appellat *Domus corruptores, qui non hæreditabunt regnum Dei.* Irenæus lib. III. cap. 21. *Qui nude* (inquit) *tantum hominem eum dicunt ex Josepho generatum, perseverantes in servitute pristinæ inobedientiæ moriuntur, nondum commixti Verbo Dei Patris, neque per filium percipientes libertatem:* paucisque interjectis: *Ignorantes autem eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita æterna.* Tertullianus Libro de Anima, cap. 1. ait: *Cui veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto?* Ac de præscript. cap. 13. & 36. fidem, qua credimus Christum Deum esse commendat, & necessariam deprædicat. S. Hieronymus ad cap. III. Epist. ad Ephesios: *Non possumus esse filii per adoptionem, nisi prius fidem Filii Dei, & intelligentiam recipiamus.* Idem luculentissime tradit S. P. Augustinus de Corrept. & gratia cap. VII. sed hæretici trium duntaxat priorum sæculorum nobis doctrinam, Fideique confessiones objectant.

5. Probatur 3. ex Historia Ecclesiastica. Accedit momentum ex Ecclesiastica Historia. Nam statim ac exortæ sunt hæreses adversus Salvatoris nostri divinitatem, ac salutiferam Incarnationem, non tantum illas Ecclesiæ Pastores refellere, ac eliminare studuerunt, verum & professores à fidelium cœtu exturbarunt.

runt. Ebionæos ab incunabulis Ecclesiæ tale facinus ausos profligavit S. Joannes Evangelista, ut scribunt in Catalogo Hieronymus, & in III. adversus Hæres. cap. 11. Irenæus. Nec profligavit tantum; mendaces, Antichristos, seductores appellat cap. 2. prioris Epistolæ, eosque ab æterna vita arcet quinto ejusdem Epistolæ capite. Cum vero circa annum 195. Theodotus, dictus ab arte Coriarius, Deum esse Christum negaret à Victore ab Ecclesiæ communione ejectus est, ac Byzantii primum, deinde Romæ in summum contemptum, ludibriumque venit, ut narrat Epiphanius Hæres. LIV. Cajus apud Eusebium lib. v. H. Eccl. cap. 28. & in postremo de Præscript. Tertullianus, sive Auctor illius Additamenti. Ejusdem rei causa proscriptus est, ac reprobatus ab omnibus initio tertii sæculi Artemon, paulo post Beryllus Bostrensis, ac deinceps Paulus Samosatenus, qui, auctore Athanasio in lib. de salutari Adventu, protulit hanc de Christo blasphemiam: *Prædestinatione quidem fuit ante sæcula, sed Nazarethi primum extare cœpit.* Vigebat Pauliana hæresis, quam damnarunt Patres Antiocheni, interdicta impio hæresiarchæ Ecclesiastica communione, circa annum 260. Falsum ergo est, Christi fideles trium priorum sæculorum, cum iis, qui negabant divinitatem, & Incarnationem Christi coluisse fraternitatem.

6. Confirmatur.

Præterea quis non videt quanta consequantur absurda, si tanquam Christi discipuli habendi sint, qui moralia præcepta tenentes sibi pro libidine dogmata fingunt? Principio non viri prudentes, sed stulti fuissent, qui ab Arianis martyrium perpessi proprio sanguine Christi divinitatem comprobarunt: imo ab idololatris ad necem quæsiti facile potuissent declinare tormenta affirmantes Christum à se non Deum, sed hominem tantum humilem, ac probum haberi: quod, ut opinor, non fuisset Judæis scandalum, Gentibusque stultitia. Patres vero cuinam bono hæreticos scriptis lacessire, ferire anathemate, & tam exosos habere, si credidissent futuros in cœlesti Jerusalem concives suos, & in Ecclesia viatorum membra sibi corporis compagine conjunctos? Ipsi denique hæretici cur tanto molimine Romanam communionem evertere, & dogmata nobis adversa stabilire conantur, si omnes, dummodo peccata vitemus, in qualibet secta salutem, ac perpetuam felicitatem assequimur? Aut ergo una fides tenenda est, aut frustra Martyres occubuerunt, frustra Patres insectarunt Apostatas, frustra hæretici ipsi in nos tam audacter insiliunt.

Diluuntur objectiones.

Ex Episcopio possunt hæc opponi. 7. Objectio 1.
Primum: In antiquis symbolis, quæ Catechumeni accedentes ad baptismum recitare tenebantur, exprimitur tantum nomen Patris, filii, & Spiritus sancti, ut liquet ex Irenæo lib. 1. cap. 2. & Tertulliano libro de velandis Virginibus cap. 1. & de Præscript. cap. 13. nulla facta mentione de Verbi divinitate, aut de Personarum distinctione; neque possunt hæc symbola dici mutila, aut imperfecta, cum Irenæus symbolum suum tam absolutum appellet, ut nihil ei possit addi, vel detrahi: quod & affirmat ibidem Tertullianus.

Resp. in eo symbolo mysterium Trinitatis, & Incarnationis præcontineri: Trinitatis quidem, nam tres personæ singillatim enumerantur, & in earum fidem, earumque nomine profitetur Catechumenus se baptizari, & ad baptismum accedit jam fide Christiana imbutus, & Catholicum verborum illorum sensum tenens: ideoque symbolum Catechumenorum absolutum, ac perfectum est, quoniam illi nihil addi potest contrarium, etsi possint ipsa mysteria enucleatius exponi. Hoc verissimum esse constat, quod tam Irenæus, quam Tertullianus scribant, perseverare in servitute pristinæ obedientiæ, qui Christum putant nudum hominem. Accedit quod Catechumenorum symbolum in libro Const. Apostolicarum VII. cap. 41. ad hunc modum se habet: *Credo, & baptizor in unum ingenitum, solum, verum Deum omnipotentem, Patrem Christi, creatorem, atque opificem universorum, ex quo omnia: & in Dominum Jesum Christum unigenitum ejus filium, primogenitum omnis creaturæ, qui ante sæcula genitus est, non creatum, per quem omnia facta sunt, &c.* Arbitror hoc symbolum esse alterius brevioris expositionem. Etsi enim de Auctore Constitutionum Apostolicarum inter eruditos plane non convenit, consentiunt omnes plura inde utilia hauriri ad explorandam veterem disciplinam, ut scribunt Joannes Bona de Rebus Liturgicis cap. 8. §. 4. Joannes Morinus P. 2. de Sacramento Ordinis p. 20. & Joannes Fronto in Prænotatis ad Kalendarium Romanum §. 5. Addo Catechumenorum symbola fuisse præsertim instituta, ut ejurarent idololatriam, ac

8. Solutio.

Deorum multitudinem, ut dixi libro VII. cap. 4.

9. Objectio 2. Ob. 2. Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 268. inquit: *Verum enimvero non amittitur illud, hunc esse Christum Dei, si probare nequeam, & extitisse ipsum prius filium Conditoris hujus universitatis, & esse Deum, ac genitum ex Virgine, omnino interim demonstrato hunc esse Christum illum Dei, qualiscunque demum is futurus sit.* Itaque connumerari possunt inter veros Christi fideles, qui ipsum nec Dei filium, nec Conditorem universorum, imo nec filium Virginis, & Incarnationi præexistentem fateri nolunt.

10. Solutio. Resp. nego consequentiam. Justinus eo loci, ut dixi lib. VIII. cap. 2. refellit Tryphonem argumento, quod appellant *ad hominem*. Dixerat paulo ante Trypho: *Omnes nos Christum hominem ex hominibus nasciturum præstolamur.* Itaque S. Justinus, Cur ergo, inquit, negas Jesum Nazarenum esse Messiam, quod percipere nequeas illum fuisse natum ex Virgine, & Divinam habere naturam? Si Judæi omnes præstolantur Christum purum putum hominem, eccur ajunt Jesum, in quo impleta vidimus vaticinia Prophetarum, non esse Messiam, quoniam huic competere nequeunt characteres divinitatis? Cæterum posthac Justinus Christum Deum esse luculenter demonstrat; & paulo supra pag. scilicet 264. de Christianorum genere scripserat: *Agnoscunt Christum Dei filium, qui ante luciferum, & lunam fuit, & ex Virgine generis Davidici caro factus nasci sustinuit.*

11. Instantia 1. Insurges: At ibidem Justinus affirmat eos, qui negant Christum prius extitisse, & Deum esse, ac natum ex Virgine, adhuc esse ex vero Christianorum genere, licet ipse neget se talibus assentiri: *Sunt enim* (inquit) *nonnulli, ô amici ex genere nostro confitentes ipsum esse Christum, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant: quibus ego minime assentior.*

12. Solutio. Respondet Bullus legendum esse, *ex genere nostro;* quod videtur probari ex verbis præcedentibus Tryphonis asserentis præstolari Judæos hominem ex hominibus nasciturum: ita enim tota ratiocinatio Justini cohæret. Ac ex alia parte facilis fuit mutatio ἀπὸ τοῦ ἡμετέρε γένες, in ἀπὸ τοῦ ὑμετέρε γένους, quemadmodum ibidem irrepsit τοιῶτον pro τῶτον. Addit male convenire hoc nomen γένος Christianis, qui ex diversis nationibus collecti sunt, illo quippe vocabulo non *secta*, aut congregatio hominum idem institutum persequentium significatur, sed gens, sive populus eadem stirpe progenitus. At labascit hæc postrema ratio Georgii Bulli, quamquam responsio sit ex priore capite valde probabilis. Etenim Plato, quem magni Justinus fecit, de philosophantium quadam secta ait in Ep. VII. φιλοσοφούντων τὸ γένος, & apud Eusebium lib. IV. cap. 26. dicitur à Melitone Sardiano Christianorum congregatio θεοσεβῶν γένος; in Actis quoque Ecclesiæ Smirnensis de Martyrio Polycarpi legitur apud eundem Eusebium τοῦ γένες Χριστιανῶν ἀρετήν: ac demum latinissime non solum dicimus Genus Achillis, aut Herculis; sed etiam de aliqua hominum societate, quos natura, aut religio conciliat, Genus hominum, genus fidelium, &c. Potuit ergo Justinus idem vocabulum usurpare etiam de societate, ac multitudine Christianorum, quamvis hi ex diversis nationibus sint collecti. Magis itaque mihi placet altera, & communior responsio S. Justinum per τὸ *ex genere nostro* designare Ebionæos, qui licet non essent in cummunione Ecclesiæ Catholicæ, sibi tamen Christianum nomen arrogabant, & Christiani censebantur, in quantum secernebantur ab idololatris, & à Judæis, confitentes venisse Messiam. Et quidem Justinus in Apologia II. ad Antoninum Pium discipulos Simonis, Menandri, & Cerinthi appellat promiscue Christianos, non tamen *puræ alioquî pieque sententiæ*, ut eodem Dialogo cum Tryphone dicit aliquos Chiliastas; sed *quemadmodum Philosophis, cum eis non sint communia dogmata, nomen tamen, quod à Philosophis ducitur, commune est.*

13. Instantia 2. & Solutio. Hanc responsionem alia via Remonstrantes, alia Sociniani nituntur evertere. Illi qui Christum Virgini præextitisse, & de Spiritu sancto conceptum fatentur, inquiunt, Justinus non loquitur de Ebionitis, sed de iis tantum, qui Christi divinitatem oppugnabant, & tamen eos affirmat esse ex genere nostro. Comprehenduntur itaque in Christiano genere, qui negant Christum esse Deum. Et quod Justinus de Ebionitis non loquatur probant, tum quia nimis frigide contra Ebionæos locutus esset, si dixisset tantum *se iis non assentiri*, cum in tot aliis gravissimis capitibus dissentiret: tum etiam quia hoc in loco *quibusdam è genere nostro*, id est, Christiano opponuntur *plerique*, qui eadem sentiebant, ac Justinus; unde intelligere est agi de ejus-

ejusdem generis hominibus. Ita Joannes Clericus in Hist. Eccles. ad annum CXL. num. 10. At futilia, inepta, vanissimaque ista sunt. Nam quis nisi Ebionita, aut consimilis sectæ homo, putat Christum purum esse *hominem ex hominibus genitum?* aut quis id affirmans credit illum *præter naturæ ordinem è Spiritu sancto* conceptum, quod necessarium esse ad Christianorum fidem inquit paulo supra idem Clericus? Justinus ergo *quosdam ex genere nostro* affirmantes Christum esse tantum hominem, intelligit Ebionæos, & tamen eos non recipit in Ecclesiæ communionem, quia non credunt, quod etiam Arminiani profitentur, è Spiritu sancto conceptum. Clericus ergo ex ipsa sua fide refellitur. Justinus autem illos hoc loco hæreticos non appellat, quoniam adversus Tryphonem, & Judæos pernegantes venisse Messiam, non adversus Ebionitas stilum exercet: sed appellat ex genere nostro, quia licet non sint ex Ecclesia Catholica, sunt tamen ex genere illorum, qui annuunt venisse Christum.

14. Instantia 3. & Solutio. Ex adverso Sociniani ajunt: Si Justinus comprehendit in genere Christianorum Ebionæos negantes Christi præexistentiam atque divinitatem, cur nos eadem sentientes ab Ecclesia repellimur? At hi eadem responsione revincuntur; quippe Justinus connumerat Ebionitas in genere Christianorum profitentium adventum Christi, non in communione Christianorum credentium quæ docuit Christus: siquidem post ea verba, *quibus ego minime assentior*, addit, *non enim hominum traditionibus ac doctrinis jussi sumus à Christo credere, sed eis quas beati Prophetæ promulgarunt, & ipse Christus docuit:* & in eodem Dialogo pag. 252. variis hæreticorum sectis enumeratis, inquit, *cum quorum nullo communionem habemus.*

15. Instantia 4. & Solutio. Si dixeris: Non potuit Justinus à Christianorum cœtu amovere aliquam hæreticorum sectam: cum in altera Apologia aperte inter Christianos enumeret etiam Socratem, & Heraclitum, qui spretis idolis unum Deum coluerunt; Respondeo philosophos istos dici à Justino Christianos quatenus unum Deum cum Christianis agnoverunt, & detestati sunt Ethnicorum superstitionem, quam ipse Justinus eo loci insectatur: non autem dici Christianos, quatenus pertineant ad Ecclesiam, & regnum Christi: eo nempe sensu, quo Tertullianus Animam unum Deum invocantem appellat naturaliter Christianam; & quemadmodum ait idem Justinus in prima Apologia pag. 46. *Juxta partem aliquam seminalis rationis.*

16. Objectio 3. Opp. 3. Primo sæculo Ecclesia Jerosolymitana habuit cum cæteris fidelibus communionem, & tamen constabat ex Nazaræis & Ebionitis, cum in ea aliquo tempore servata fuerint legalia.

17. Solutio. Resp. fabulam esse putidissimam, quam studuit venditare Auctor *Ironicorum* p. 73. & recoxit Joannes Clericus in H. E. ad annum LXX. num. 1. Ecclesiam enim Jerosolymitanam usque ad Adriani tempora *cognitionem Christi genuine suscepisse*, testatur Eusebius lib. x. H. E. cap. 5. neque Remonstrantium commentatio nititur aut Scripturis, aut veterum Scriptorum testimonio. Ait quidem Hieronymus in Epistola LXXIV. ad Augustinum, Cerinthum & Ebionem propter hoc à Patribus anathematizatos, *quod Legis cæremonias cum Evangelio miscuerunt;* sed quod hi necessarium putabant, Ecclesia Jerosolymitana aliquandiu servavit œconomiæ causâ, ut diximus libro XX. cap. 10. Quare summa irrogatur injuria priscis Jerosolymitanæ Ecclesiæ fidelibus, (qui in conventu habito anno Ae. Ch. 50. post Petri, & Jacobi suffragia communi decreto statuerunt Gentes conversas non ligari lege Moysi, ut habetur Act. XV.) dum appellantur Nazaræi, atque Ebionitæ. Falso etiam has duas sectas unam esse scribit ibidem Joannes Clericus; nam Hieronymus citata Epistola inter Augustinianas 89. aperte ab Ebionitis distinguit hæresim Mineorum, sive Nazaræorum; & ait istos credere in *Christum filium Dei, natum de Virgine Maria:* cum de Ebionitis aperte affirmet de Script. Eccl. num. IX. asserere, *Christum ante Mariam non fuisse.* Ac Ebionitas putasse Christum esse nudum hominem, filium Davidis, non filium Dei, observarunt Tertullianus lib. 2. de carne Christi, Epiphanius H. 30. Eusebius lib. III. H. E. cap. 27. aliique veteres. Ideo autem Hieronymus in Epistola ad Augustinum post hæresim Ebionis commemorat etiam hæresim Nazaræorum, quoniam & hi cum Ebionæis cæremonias legis tanquam necessarias servabant; de quo argumento cum Augustino Hieronymus disceptabat, At licet in observantia legis Mosaicæ utrique convenirent; Nazaræi tamen Christum Dei Filium, Ebionæi tantummodo hominem cum Cerinthianis prædicabant, ut liquet ex dictis; & accurate animadvertit sanctissimus parens Augustinus in libro de Hæresibus num. IX.

& x. Errat ergo Jo. Clericus confundens ex Epistola Hieronymi Ebionitas cum Mineis, sive Nazaræis; &, ni fallor, etiam doctissimus Martianæus Tom. IV. Operum S. Hier. pag. 623. male appposuit notationem, *Minei Judæi Ebionitæ*. Verum quidquid sit de utriusque sectæ discrimine; nego fideles Jerosolymitanos, qui non cogebant gentes judaizare, fuisse Ebionitas, aut Nazaræos: nisi hoc postremum nomen pro Christianis universis accipiatur; quos novimus ex cap. XXIV. Act. Apost. dictos à patria Salvatoris nostri *Nazarenos*.

18. Objectio 4. Oppones 4. Si Ebionæi, ac Paulliani, sive Samosatenses, necnon Theodotus ac Beryllus ideo damnati fuerunt, quia putarunt Christum esse nudum hominem, ac Nazarethi primum cœpisse; sat erit hæc impia dogmata refutare, ut quis in fidelium communione censeatur, nec invidia facienda est iis, qui in ardua quæstione de Verbi divinitate ab aliis dissentiunt. Expellantur itaque ab Ecclesia, si libet, Sociniani, at non Ariani, aliique hujus generis homines.

19. Solutio. Resp. ejectos à communione fidelium hæreticos illos non solum quod præexistentiam, sed etiam quod divinitatem Christi negarent. De Ebionæis nuper diximus. De Paulo Samosatensi scribunt in Ep. Synodica PP. Antiocheni, negasse Christum *Dominum Deum suum*, nec dissentit S. Pater de Hæresibus num. XLIV. Idem legitur de Theodoto in Præscriptionibus Tertulliani cap. 53. & de Artemone apud Eusebium lib. v. H. Ecc. cap. ultimo: de Beryllo denique ibidem lib. VI. cap. 3. Quare argumentum retorquetur.

20. Objectio ultima. Opp. ultimo Matth. XIX. 17. cuidam Christum interroganti, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit, *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*. Sufficit ergo servare præcepta, quamvis non credantur mysteria, quæ superant humanum captum.

21. Solutio. Resp. nego consequentiam: ad observantiam enim præceptorum fides in Christi divinitatem præsupponitur; *Non enim per legem promissio, sed per justitiam fidei*, inquit Apostolus ad Rom. IV. 13. & præced. cap. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, qui credunt in eum*. Qui Christum interrogavit, forte ejus fide jam erat imbutus; nam apud Marcum X. 17. legitur hæc interrogasse *genuflexo ante eum*: aut Dominus fidem in divinitatem suam commendavit præmittens ea verba, *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, &c.* Non sunt ergo inter Christianos revera connumerandi, qui de Salvatore nostro humana tantummodo sentiunt,

Vipereo promunt semperque ex corde venena,
Filius, ut dicant, est creatura Dei:
Queis magis auxilium præstat sapientia mundi,
De ingenito genitum quæ negat esse Deum.

Ita de Sectariis Venantius Fortunatus lib II. num. 6.

CAPUT V.

Detestandas esse tanquam Christianæ Religioni adversas sectam Calvinistarum, Lutheranorum, aliorumque Protestantium.

SUMMARIUM.

1. Definitio Religionis, & ejus interni, ac externi actus.
2. Veritates fundamentales veræ fidei non sunt apud hæreticos.
3. Non inveniuntur apud hæreticos actus externi veræ Religionis.
4. usque 9. Hæreticorum Religio enervatur.

1. Definitio Religionis, & ejus interni ac externi actus. APUD hæreticos non extare veram Ecclesiam, & fidelem Christianorum cœtum, liberiori stylo alibi ex certis notis curabimus demonstrare. Nunc brevi quantum illi à Religione Christiana extorres censendi sint, ne eos de fide ac Religione differendo omnino prætermittamus, statuam ob oculos. Est autem Religio, ut illam ex Cicerone definiunt S. P. Aug. q. 31. ex 83. & D. Thomas q. 80. *virtus, quæ superioris cujusdam naturæ, quam Divinam vocant, curam, cæremoniamque affert*. Illam definitionem his verbis Theologi tradunt, *Religio est virtus, quæ exhibet cultum Deo debitum*. Coli Deum fide, spe, & charitate, ait S. Pater cap. 3. Enchiridii. Hi sunt Religionis interni actus: exteriores vero, sacrificium, oratio, &, quæ huc spectant, sacrorum mysteriorum, Sacerdotum, rituumque observatio.

Faci-

2. Veritates fundamentales veræ fidei non sunt apud hæreticos.

Facile hinc deprehenditur, quam hæreticorum sectæ sint à vera Religione alienæ. Nam si de fide ipsorum inquiratur; nec veritates *fundamentales*, quas saltim credendas & ipsi post Jurium non denegant, in Sectariorum libris incontaminatas invenies. Deum unum, quem Apostolica fides, & ratio ipsa singulis indita fatetur omnipotentem, & qualibet re excogitabili meliorem, qualem nobis Heterodoxi pro libidine pingunt? Absolutam ejus potentiam Joannes Calvinus ad cap. 2. Jobi appellat rem detestabilem ac diabolicam, necnon Scholasticorum commentum: ejusque discipulus Theodorus Beza lib. 1. adversus Heshusium arguit falsitatis illa verba Gabrielis Archangeli, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quid vero sentiunt de Dei bonitate? Deum operari mala culpæ, & ad peccatum impellere voluntate effectrice, scribunt Calvinus lib. 1. Instit. cap. 18. & Beza in Summa Christiana Aphorismo 2. Hinc Deum Calvinistarum esse diabolum, cum sit auctor homicidii, acmendacii & seminator zizaniorum, probant ex Catholicis Becanus Opusc. 111. cap. 15. & ex Lutheranis Tilmannus Heshusius in libro de Erroribus Calv. Et tamen de Deo similia sentire Lutherum, ac Melanchthonem colligitur cum ex illius Assert. Vittembergensibus art. 36. tum ex hujus Annotationibus ad cap. VIII. Epist. ad Rom. Quam absurda de Trinitate effutiant, norunt omnes. *Trinitatis* vocabulum penitus rejiciunt singuli cum Lamberto Danæo libro contra Genebrardum. Christo ignorantiam tribuunt Lutherus in Conc. de Nat. Zwinglius ad cap. 2. Lucæ, Calvinus ad 24. Matthæi. Cruci suffixum desperasse scribit idem Hæresiarcha lib. 2. Instit. cap. 16. & in Annot. ad Biblia vernaculâ linguâ edita anno 1562. Genevenses ministri, in caput Mat. septimum ac vicesimum. Christianam spem, ut alibi diximus, tollunt, illam in superbam inflatamque fiduciam commutantes, dum inquiunt justificatum certo scire, se non posse excludi à gloria, & excidere à gratia. Nullum meherele habent vinculum charitatis se ipsos mutuo amore prosequentes. Albertus Molinæus, & Illyricus appellant Calvinistas idololatras, corruptores Divini verbi, blasphemos, mendaciorum architectos, infernales molossos, ac ministros missos à Satana: Calvinus econtra Lutheranos in Admon. 3. ad Joachimum Westphalum, vertiginosos, phreneticos, bardos, fastuosos, improbos, calumniatores. Frustra nobis pariter dissidia, & jurgia objectant. Hæc illi invicem ejaculant ob discrepantiam dogmatum circa Cœnam Dominicam; at nullus Catholicorum ob hanc causam proscindit alterum; ideoque si nos aliquando in charitate deficimus, servamus tamen unitatem religionis ac fidei, quæ unitas ab ipsis frangitur ac discinditur.

3. Non inveniuntur apud hæreticos actus externi veræ Religionis.

Neque inter sectarios Religionem invenies; si actus exteriores inspicias. Orationem, nisi præfracte mentiantur, etiam dominicam illam, ac principem cæterarum, debent reprobare. Nequeunt sincere dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, cum impiis credant nunquam peccata remitti; justos vero nunquam sanctitatem amittere. Revera Puritani ea verba non proferunt. Quis appellaret spiritum precum, & non potius insaniam, Adamitarum, qui Deum colunt & orant nudo corpore in hortibus ambulantes? Fanaticorum, qui tanquam dæmone arrepti decidentes in terram gestus edunt oris deformitate, membrorumque torturâ horrendissimos? Ejulantium, qui nil Deo gratum putant præter lacrymas atque singultus? Sacrificia major hæreticorum pars abjicit, Missam abrogat, sacrosque ritus tanquam superstitiosos condemnat. Templa diruit, sacras Imagines incendit, ipsum Redemptionis signum, crucem scilicet Domini frangit. Ergo Divos adeo sunt injurioſi, ut nec probent solemnia Martyrum antiquitus instituta, nec cultum ipsis impendant, nec illorum patrocinio se committant, nec intercessione se communiant: quarum rerum asserunt quidem ineptas, futilesque causas, sed eas omnes, refellendas, ubi singillatim dogmata vindicabimus Romanæ Ecclesiæ. Nunc enim ex his conclusionem hanc apertissimam deducimus, carere sectas hæreticorum actibus omnibus Religionis, tam internis, quam externis.

4. Hæreticorum Religio Divinis oraculis enervatur.

Atque ne tam jejune pertractetur argumentum istud amplissimum; eadem momenta, quibus supra demonstrata est veritas Religionis Christianæ, evincunt falsitatem doctrinæ sectariorum. Nulla Divina oracula horum adventum prænuntiaverunt, nisi ea, quæ prædixerunt fore, ut adversus Ecclesiam insurgerent Antichristi, pseudoprophetæ, seductores. Calvinianam, ac Lutheranam hæresim aperte calamitatem clademque Ecclesiæ allaturas vaticinatus est in Templo Burdigalensi perhumilis Dei famulus F. Thomas Minorita, quem scurriliter excipit Bezæ impudens stilus, at satis tutatur eventus rerum. Quidquid

accidit Germaniæ, vaticinata fuerat celebris sanctimonialis Hildegardis. Quæ in Anglia evenerunt sub Henrico, & Elisabetha manifeste prænuntiavit virgo illa celebris Cantiana, quam Novatores, tanquam pythone agitatam capitis damnarunt. Inter prænuncios serpentium hæresum Florimundus lib. 1. cap. 3. connumerat Hieronymum Savonarolam, de quo varia fuisse hominum judicia, scribit in Historiarum suarum libro IV. Guicciardinus. At nil refert ad vaticinationum veritatem hominis aut probitas, aut audacia: nam Genevensium apostasiam etiam dæmon fertur prædixisse his versibus:

Quæ tanto studio expetitur modo grata Lemani
Unda lacus, pariet jam mox fastidia summa.

Ex vaticiniis itaque apparet, quam protestantium religio sit detestabilis.

5. Confutatur ex Historia Evangelica.

Quemadmodum ex Evangelica historia habemus veritatis apertissima munimenta; ita ex libris sectariorum produnt se innumera falsitatis indicia. Credimus Evangelistis, viris humillimis, Divino numine afflatis, narrantibus quæ audierunt, & optimorum Scriptorum prærogativa exornatis. Hoc idem in causa est, ne credamus Heterodoxis ambitione inflatis, falsariis, à dæmome edoctis. Lutherum illorum antesignanum animum suum pascere conviciis, ac maledictis, scripserunt eo vivente Erasmus, & Bucerus; desiderari in ipso moderationem, ait non semel Melanchthon. Muncerus dux Anabaptistarum sibi Evangelistæ nomen attribuit, Messiæ David Georgius, Zwinglius se in somniis à phantasmate accepisse sensum verborum illorum, *Est enim Phase, id est, transitus Domini*, proprio ore affirmavit. Depravasse Evangelia ad infringendum Catholicum de Eucharistia dogma liquet ex editione Tigurina novi Testamenti anni 1525. ubi legitur: *Hoc enim significat corpus meum.* Quis ergo sanæ mentis poterit doctoribus istis præstare fidem?

6. Infirmatur ex gestis mirabilibus & portentosis.

Ut diximus præterea confirmari Christianam Religionem gestis mirabilibus, ac portentosis; ita detestamur sectas hæreticorum plebem decipientium signis, & prodigiis mendacii. Celebriora Anabaptistarum miracula sunt è lacu extrahere retibus copiam piscium, ignaros, & illiteratos expedite legere sacra biblia. At hæc duo, quæ tam magnifice prædicant, non excedunt dæmonis facultatem. Voces Londini ex antro erumpentes, & Angelis attributæ, fuisse puellæ, cui nomen Elisabetha Crosta, à sectariis ad hanc nequitiam inductæ dirutus paries, & publicum judicium patefecit. Fuerunt itaque Calvinianæ sectæ testimonia non cœlitus demissa, sed, ut contigit quoque Mahumetis dolo, per summam fraudem conficta. Quid acciderit Luthero dæmonem adjuranti, & Calvino fingenti resurrectionem Brulei, vide apud Bellarminum lib. IV. de notis Eccl. cap. 14. Melchiorem Hofmanum de suo reditu, ac triumpho divinitus, ut jactabat, admonitum, Argentorati squallidus carcer, & inedia confecit morte tristissima, ac terrima. Interitum mundi, quem futurum die 3. Octobris anno 1533. tam asseveranter prophetavit Stiphelius, adhuc expectamus sæculis duobus exactis. Legite Historias Ræmundi, & Laingæi. Sat est, si cum Erasmo in Diatriba de lib. arbit. asseramus nullum, ut vocant, Reformatorum adhuc extitisse, *qui vel equum claudum sanare potuerit.*

7. Conteritur ex mira Evangelii promulgatione.

Præterea ad confirmandam veritatem Religionis Christianæ produximus miram Evangelii propagationem. Longe diversa via processit hæresis. Hujus præcones non acceperunt doctrinam illapsu Spiritus sancti; sed excucullati illi, Lutherus, Petrus Martyr, Oecolampadius, Bucerus, Ochinus, sacris, quas magno studio didicerant, abusi sunt disciplinis. Ac facti Apostatæ nunquam inter se convenerunt; nec mirum si data sententiarum libertate plures lascivientis ingenii homines deceperint. Non leges sensibus repugnantes promulgarunt, sed libidini, ac noxiæ libertati percommodas. Permittunt Anabaptistæ uxorum promiscuum usum; Adamitæ prorsus nudi inverecunde conveniunt; Sacerdotes contrahunt matrimonia; Calviniani libertatem sibi audacter vendicant, & leges Magistratuum contemnunt. Sectæ hac ratione institutæ haud mirum si impios alliciant, sublato maxime Ecclesiastici Judicii timore, rejecta Confessione Sacramentali, facta libertate frangendi jejunia, & absque ullo merito, aut opere sempiterna beatitudine repromissa. Vim etiam, ac tyrannidem adhibuerunt. Necati in Anglia, quod Henricum VIII. non agnoverint tanquam Ecclesiæ caput, clarissimi viri, Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, & Cardinalis amplissimus, Thomas Morus supremus regni Cancellarius, & præter ingentem Monachorum numerum, etiam probatissima

ma mulier, ac mater Cardinalis Poli Margarita Comitissa Sarisburiensis. Regnante Elisabetha perforatæ presbyteris auriculæ candenti ferro, & insuti Catholici ursinis pellibus à molossis dilaniandi. Contra omnium principum jura.

Post varias clades miserorum, & cædis acervos
Insontum, comes exornat spectacula Mater
Supplicio, Regum soror, & fidissima conjux,

scilicet Maria regina capite truncata anno 1587. duodecimo Kal. Martii. Geusii, id est, Calvinistæ Belgæ in sola urbe Brilæ 184. Martyres mactarunt. Quid in Galliis Huguenoti? Matronas intortis crinibus equorum caudæ alligare, vivos capite tenus defodere, evellere linguam, sacerdotes cruci affigere, ori ferventes oleum infundere, extrahere intestina fustis circumvoluta, ventrem stupratis viduis pulvere tormentario disrumpere, aliaque horribiliora iconibus & Epigrammatibus expressa à Verstegano in Theatro crudelitatis hæreticorum. Hac ratione stetit aliquando, floruitque idolorum superstitio, Gothorumque sævum imperium; at nunquam Christiana fides, & Apostolica Ecclesia: quæ non vi armorum, sed Martyrum sanguine propagatur.

8. Invalidatur ex Ecclesiasticis pœnis.

Quinto argumento demonstravimus Christianæ Religionis firmitatem, quod non potuerit adversus illam prævalere hæresis, ac malitia: nam si in Ecclesia hæretici deprehenduntur, exeunt excommunicatione percussi; si vivunt improbi, pœnitentiis, & correctionibus subjiciuntur. At non ita se gerunt refractarii. Prævaluit adversus illorum hæresim hæresis; nam ex Lutherana factione prodiit Carolstadiana deflectens ad Berengarianam negantem in Cœna distribui Corpus & Sanguinem Christi: Carolstadiana peperit Zuvinglianam, quæ quadragies circa Eucharistiam dicitur sententiam mutasse. Hinc Anabaptistæ, aliæque pestes. Lutheranorum alii rigide servant Confessionem Augustanam; emolliunt alii, & Melanchthonem illius Confessionis Architectum accusant tanquam Lutheranæ doctrinæ depravatorem, ac idololatram. Inter Calvinistas alii Jacobini, alii Causarii, alii Liberi: & tamen sese invicem patiuntur, ac mordent tanquam angues invicem complicati. En quomodo prævalent in sectis portæ inferi, & spiritus mendaciorum. Turpitudines morum non solum ibidem regnant, quod humanum est; sed etiam probantur, quod est irreligiosum, atque sacrilegum. Commendatur Joannes Leidensis, qui induxit polygamiam, habuitque simul ternas uxores: ac Theologi Wittembergenses insontem judicarunt mulierem matrimonio conjunctam patri, fratri, ac marito. Habetur inter religiosiores Petrus Martyr publice Argentorati cum fœmina Deo sacra scortatus. Andreæ autem Carolstadio, qui primus è sacerdotibus uxorem duxit, non tantum laudum præconia, sed & sacrilega Missa solemniter decantata, in qua prior Collecta: *Deus, qui post tam longam & impiam Sacerdotum tuorum cæcitatem, beatum Andream Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita Papistici juris ratione uxorem ducere ausus fuerit, &c.* Reliqua me pudet referre. At sufficienter hinc demonstratur Sectariorum Ecclesias intestinis hæresibus, & scelerum approbatione labefactari.

9. Enervatur ex conditione institutoris, & æquitate Præceptorum.

Postrema ratio, quæ demonstrat Christianæ fidei præstantiam superiori capite III. petita est ex conditione Institutoris, & æquitate præceptorum. At quinam fuerunt Sectariorum figniferi? Unus post solemnia vota sacratæ Virginis constuprator; alter ob turpius crimen Novioduni stigmate in tergo notatus; neuter vero habens propriæ missionis auctoritatem. Quæ autem in hæreticorum libris moralium disciplinarum principia? Solum apostasiæ & incredulitatis flagitium animas perdere: homicidia, adulteria, & peccata quælibet horribilia nihil obesse credentibus: omnia bona opera esse sordes & inquinamenta: privatum cujusque spiritum esse regulam fidei ac morum: justum nulla hominum lege teneri. Hæc tantum, ne commemorem reliqua, flagitiis omnibus viam sternunt, ablegant studium virtutis, dissidia fovent, & Reipublicæ tranquillitatem perturbant. Si aliquando inter nos scandala, & perversi mores cernuntur, adversantur institutionibus nostris, atque malitiam nostram, non Ecclesiæ documentum, habent causam. Econtra in hæreticorum conventu ad scelera pertrahit ipsa doctrinæ conditio. *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior,* inquit Lutherus ipse in Postilla domestica impressa Jenæ Conc. 2. Dom. 1. Adventus. Consimilia Musculus in libro de Prophetia Christi, & Calvinus in Comment. 2. Petri 1. 2. Caret ergo Protestantium Ecclesia dignitate institutionis, & disciplinæ æquitate, atque tot argumentationibus convellitur, quot Christianam religionem communiunt, & roborant.

CA-

CAPUT VI.

Romanæ Ecclesiæ Symbolum tanquam Apostolicum esse recipiendum.

SUMMARIUM.

1. Quatuor fidei Symbola.
2. De Symboli nomine.
3. An Apostoli Symbolum condiderint, & quo tempore, & modo.
4. De modo Symboli.
5. Propositio 1. Probatur.
6. 7. & 8. Propositio 2. Probatur.
9. Usque 16. Solutio Objectionum.

1. Quatuor Fidei Symbola.

QUATUOR Fidei Symbola sunt cæteris illustriora, Romanum, sive Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, & quod tribuitur Athanasio. Secundum ac tertium pro eodem habetur à pluribus, quod postremum sit alterius auctarium. De Nicæno constat editum in magno Concilio habito Nicææ in Bythinia anno Sylvestri Papæ XII. id est, Ae. v. 325. consensu Episcoporum CCCXVIII. ibique appositum vocabulum ὁμοούσιον adversus hæresim Arianam, ut diximus lib. VII. cap. 13. Constantinopolitani auctores esse Patres CL. qui ad Synodum convenere adversus Macedonium, Aetium, & Eunomium, anno XV. Damasi, id est, Christianæ Ae. 381. consentiunt omnes. De Symbolo Athanasiano disputatum est lib. VIII. cap. 8. Inquirendum restat de Symbolo Apostolorum, quod ab Apostolis editum negant quamplurimi; inter quos Gerardus Vossius dissert. 1. de tribus Symbolis, Dupinius in nova Bibliotheca Tom. 1. pag. 14. Auctor Anglus Historiæ Symboli Apostolici cap. 1. num. 20. & 21. Apostolis tribuunt Scriptores innumeri, ac omnes fere Catholici.

2. De Symboli nomine.

Disputationem quidam instituunt de Symboli nomine, quod Nostrates interpretantur *collationem*, negat autem, oppugnatque interpretationem istam Vossius num 17. & 18. Ait significationem hanc depromptam ex antiquitatibus convivalibus male Symbolo aptari, cum veteres cœnam collatitiam, non symbolum dixerint, sed symbolam: quod probat ex Andria Terentii, ex Athenæo, aliis. Exscripsit omnia in Notis pag. 18. Dupinius. Addit interpretationem aliam ex Suida, & Turnebo comprobatam testimoniis Græcorum, qui symbolum accipiunt pro *indicio*, ac *tessera*. Auctor Anonymus Historiæ symboli vocem derivat ex Gentilium *sacris*, in quibus initiatis dabantur quædam superstitionis signa, puta lychnum, gladium, hederam, papaver. Quod *symbolum* sit quasi tessera, ac signum Apostolicæ fidei, non nego. Probant & hanc interpretationem Rufinus, Maximus, Isidorus. Videsis hujus lib. VI. Origin. cap. ult. Etiam fateor *symbolam* esse pecuniam collatam ab iis, qui cœnaturi erant communi sumptu, annulum quoque, arrham, aut signum quodcunque pactionis; nec repugno Henrico Stephano, Turnebo, Faerno, ac Fabricio castigantibus lectionem Terentianam, ubi peccato librariorum pro *symbola* scriptum est *symbolum*. At nego rejiciendam esse interpretationem priorem ob tam infirmas conjecturas, quas idem Vossius dicit Grammaticum pulverem. Συμβάλλω idem est ac *conferre*, & *congredi*: hinc derivarunt tam *symbola*, qua cænaturi conveniunt, quam *symbolum*, seu tessera, qua milites congregantur, & dignoscuntur ab hostibus. Aliæ ergo interpretationes corroborant primam, non evertunt. Pachymeres ad cap. III. Eccl. H. Dionysii *symbolum* interpretatur τὸν ἔρανον, collectam, quod approbat in suo Thesauro Budæus. Rufinus in Exposit. Symboli inquit: *Symbolum enim Græce, indicium dici potest & collatio.* Auctor Commentariorum in Proverbia inter Opera Hier. cap. 23. *Symbolum græcum nomen est, & interpretatur collatio.* Cassianus lib. III. de Incarnat. cap. 3. *Quod enim Græce symbolum dicitur, Latine collatio nominatur.* Scriptor Epistolæ ad Jacobum Clementi suppositæ, *Symbolum latine collatio dicitur.* Eandem esse sententiam Isidori, Rabani Mauri, & Eucherii Lugdunensis nec Vossius denegat. Horum itaque auctoritate priorem interpretationem recipimus, alteras non refutamus.

3. An Apostoli Symbolum condiderint, & quo tempore, & modo.

Præterea disputatur, an Apostoli symbolum condiderint, & quo tempore, ac modo. Levioris momenti sunt duæ quæstiones postremæ. Baronius ad annum XLIV. editum putat anno secundo Claudii paulo post mortem Jacobi Majoris, quem Herodes capite truncavit. Rufinus in Expositione Symboli, & Isidorus Hispalensis conditum arbitrantur ita-

statim post adventum Spiritus sancti, cum Apostoli ab invicem discessuri constituerent normam futuræ prædicationis. Huic sententiæ facilius subscribo; quamquam enim nonnulli afferant alias causas symbolum edendi, præsertim, ut in singulis Ecclesiis certa baptizandis formula exponeretur, id tamen non repugnat sententiæ Rufini, & Isidori, cum potius utraque causa, id est, norma prædicationis, & baptizandorum catechesis, atque Ecclesiarum institutio eundem scopum attingant. Quare non video cur Vossius num. VII. & etiam Juenin. Tom. VI. pag. 172. scribant Auctores dissentire circa finem, quo Apostoli symbolum condiderunt, quia unus asserit editum tanquam normam prædicationis, alter tanquam Catechumenorum formulam. Est ergo infirmissimum argumentum, quod hinc depromit Dupinius, præsertim cum temporis aut finis non tam explorata cognitio, si nullam repugnantiam involvat, minime elevet rerum narratarum substantiam.

4. De modo Symboli.

Idem affirmandum est de modo, qui non unus à Scriptoribus assignatur. Sunt enim, qui affirmant cum Ratberto Paschasio Apostolos condidisse hoc symbolum in commune consulentes, ea ratione, qua eduntur Canones in Synodis Episcoporum. Ac placet nonnullis editum symbolum in eo cœtu CXX. virorum, de quo Actorum capite primo. Placet aliis unumquemque Apostolorum unum articulum condidisse: quod improbant juniores, ut Calmet in dictionario, & Troylus Tom. I. pag. 137. Non valde firmo fundamento nititur sententia prior, sed tamen verisimili. Nam præter sermonem CXV. de Tempore falso tributum Augustino, perantiquum tamen, nec omnino rejiciendum, fulcitur prior illa opinio auctoritate Leonis Magni in Epistola 96. ad Pulcheriam Augustam, Innocentii III. lib. 2. Mysteriorum Missæ cap. 49. ut mittam Jacobum Vitriacum, & Albertum nostrum Patavinum etiam à Vossio laudatos. Posterioris autem sententiæ nulla ratio profertur, nisi quod ita videbatur agendum: & idcirco unam non rejicimus, de altera tutubamus. His vero expeditis videndum, an symbolum revera condiderint Apostoli, quod diximus negari à permultis, cujusmodi sunt Laurentius Valla, Erasmus, Brentius, Calvinus, & impugnari præsertim à tribus eruditis viris Vossio, Dupinio, & Auctore Anglo paulo supra commemoratis.

PROPOSITIO I. Hoc symbolum recte dicitur *Apostolicum*.

5. Propositio I.

Probatur.

Non tantum hæc propositio fide Catholica tenenda est, ut inquit Caspar Juenin; sed etiam admittitur ab Adversariis. *Neque enim dubium est*, inquit Calvinus lib. II. Inst. cap. 16. *quin à prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum sæculo instar publicæ, & omnium calculis receptæ Confessionis obtinuerit.* Eadem Vossius num. 21. Probatur autem; quoniam Irenæus discipulus Polycarpi partem hujus symboli repetens lib. I. cap. 2. ait, *Ecclesiam per omnem terrarum orbem dispersam ab Apostolis eorumque discipulis illud accepisse.* Tertullianus adversus Praxeam de symbolo scribit, *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse.* Hieronymus Epist. 38. ad Pammachium, *Symbolum fidei, & spei nostræ ab Apostolis traditum, &c.* Plura collegit Natalis Alexander dissert. XII. sæculi I. quæ omnia saltim usque ad num. 6. probant symbolum recte dici *Apostolicum*, & continere doctrinam ab Apostolis traditam, etsi apertissime non evincerent, quod est controversiæ caput præcipuum, ita esse ab Apostolis traditum, ut ab iis quoque sit conditum, atque digestum. De propositione itaque, quam nullus in dubium revocat, hæc perpauca.

PROPOSITIO II. Ipsi Apostoli idem Symbolum condiderunt.

6. Propositio 2.

Probatur I. ex S. Augustino.

Demonstratur: nam juxta regulam S. P. Augustini lib. IV. contra Donatistas, *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nonnisi auctoritate Apostolica traditum certissime creditur.* Ubi notandum est non dici ab Augustino traditum *auctoritate Apostolica*, quod scripturis, & Apostolicæ doctrinæ non repugnat, quo sensu fatentur Vossius, Basnagius, aliique hæretici, symbolum esse *Apostolicum.* Enimvero juxta hanc acceptionem *Apostolici* appellantur etiam Canones sacrorum Conciliorum. *Auctoritatem* itaque *Apostolicam* hoc loco appellat S. P. ipsam Apostolorum institutionem. Atqui symbolum recipit universa Ecclesia, semper retinuit, neque editum est in Conciliis. Itaque editum est ab Apostolis. Recipi symbolum Apostolicum ab universa Ecclesia fatentur Heterodoxi. Eorum quidam semper retentum negant; affirmantque secundo aut tertio sæculo fabricatum adversus erumpentes hæreses. At revincuntur ex productis testimoniis Irenæi, Tertulliani, & Hieronymi; atque ratione

tione ipsa, cum pernicioſiſſimæ hæreſes eruperint ipsa Apoſtolorum ætate. Symbolum autem iſtud non fuiſſe confectum à Synodo aliqua Oecumenica patet, nam liquet in pretio habitum ante Synodum Nicænam, & conſtantinopolitanam; cum Rufinus, qui Româ cum Melania profectus eſt Alexandriam anno 372. ſymbolum Apoſtolicum tanquam vetuſtiſſimum laudet, quemadmodum & Hieronymus, & Auguſtinus, & alii, qui idem ſymbolum interpretantur. At ſolæ Synodi Nicæna, & Conſtantinopolitana fuerunt ante annum quadringenteſimum. A nulla ergo Oecumenica Synodo ſymbolum Apoſtolicum editum eſt. Conſentientem habeo Voſſium num. XLV.

7. Probatur 2. ex Traditione. Affine eſt argumentum petitum ex Traditione. Rufinus nuper laudatus in Expoſit. Symboli, ait conſtare Traditione majorum omnes Apoſtolos in unum adunatos, & Spiritu ſancto repletos hoc ſymbolum edidiſſe; narrationemque his verbis orditur, *Tradunt Majores noſtri.* Samuel Baſnagius ad Annum 42. num. 18. ait, quod narrat Rufinus, editum hoc ſymbolum, *ut eſſet futuræ prædicationis inditium*, videri Apoſtolis injurioſum, quaſi per obem diſperſi poſſent diverſa credentium animis inſtillare, aut ſcriptura non omnia complecteretur quæ ſunt in ſymbolo, vel Paulus antequam ſalutaret Apoſtolos, diverſa in Arabia annuntiaverit. At inepta nimium cavillatio. Placuit Apoſtolis normam fidei proponere perbrevem, facillimam, non Scripturis oppoſitam, ſed illarum compendiariam doctrinam. Falſum eſt præterea, ſolam Scripturam ſingulis eſſe apertam, & omnia ad ſalutem neceſſaria comprehendere. Ad hæc per id temporis ſolum vetus teſtamentum extabat. Cui ergo bono additum novum? Num ſuperfluum eſt, vel oppoſitum? Ipſe Paulus cur Epiſtolas conſcripſit? Quidquid reponet Baſnagius, id confirmabit Apoſtolici ſymboli auctoritatem. Atque ut ad Veterum traditionem revertar; hujus locupletes teſtes habemus Leonem Magnum in Epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam, Innocentium lib. 11. Myſteriorum Miſſæ cap. 49. Iſidorum lib. 11. de Eccl. Offic. cap. 22. Venantium Fortunatum Præfat. in hujus Symboli exegeſin, aliosque etiam à Voſſio laudatos num. IV. & X. Communem hanc eſſe traditionem omnium PP. Orthodoxorum demonſtrant Genebrardus in III. de Trinit. Fevardentius in lib. primum Irenæi cap. 2. Boverius de Unitate Fidei, Alexander Natalis ſup. cit. ac fere omnes Theologi. Neque dicas Patres, quos afferunt, non eſſe primi aut ſecundi ſæculi; nam, ne producam iterum Irenæum, Tertullianum, Pſeudoclementem, aliosque; Rufinus, Leo Magnus, & Iſidorus non tribuunt ſymbolum Apoſtolis ex propria ſententia, ſed ex Traditione Majorum; ideoque hæc non eſt fabula ab ipſis inventa, ſed narratio vera & anquitus divulgata; manetque inconcuſſum iſtud ex Traditione argumentum.

8. Probatur 3. ratione. Poſtremo validiſſima videtur ratio, quod non ſolum Catholici omnes in ſententiam noſtram conſpirant, verum etiam opinionem contrariam arguunt magnæ temeritatis. Theologi Pariſienſes objecerunt Eraſmo quod in Præfat. ad Paraphraſim in Matthæum ait de ſymbolo, *quod an ab Apoſtolis proditum ſit, neſcio.* Eadem fuit ſententia ſacræ Facultatis Colonienſis adverſus Monhemium, anno 1560. Genebrardus cit. loco inquit, *præfractam eſſe temeritatem vertere in quæſtionem, num Apoſtoli vere ſint auctores Symboli, quod circunfertur ipſorum nomine.* Eadem eſt aſſertio Sixti Senenſis lib. 11. Bibliothecæ Sanctæ, aliorumque. Addamus in gratiam Novatorum teſtimonium Lutheri in Colloquiis editis anno 1571. *Symboli verba ab Apoſtolis conſtituta eſſe credo, qui in congregatione ſua hoc Symbolum verbis tam breviſſimis, & conſolatoriis confecerunt. Eſt opus Spiritus ſancti rem tantam brevitate, ac tam efficaciſſimis, & emphaticis verbis deſcribere. Extra Spiritum ſanctum, & Apoſtolos non potuiſſet ita componi, etiamſi millia ſæcula illud componere conarentur.* Colloquia Lutheri non legi: producit hæc Fevardentius.

Ad Voſſii, aliorumque objectamenta.

9. Objectio 1. Opponit Voſſius I. Nullum eſt argumentum, quod petunt Catholici ex nomine ſymboli, cum falſum ſit eo vocabulo ſignificari *collationem.* II. Qui tribuunt ſymbolum Apoſtolis, non conveniunt de fine, modo, ac tempore, quo conditum illud eſt. III. Ante Rufinum cccc. fere anni abiere, antequam de ſymbolo ab Apoſtolis condito ab aliquo eſſet auditum. IV. Ipſe Rufinus in media narratione non dicit *Apoſtoli*, ſed, *Qui ſymbolum tradiderunt*, velut incertus quinam illius auctores extiterint. V. Poteſt dici *Apoſtolicum*, quamvis ab Apoſtolis non ſit editum, cum collectum fuerit ex doctrina per manus eorum tradita.

Reſp.

10. Solutio. Resp. ad 1. assertionem nostram non fulciri sola nominis etymologiâ quamvis facillimum sit hanc quoque nuper commemoratam propugnare auctoritate Scriptorum, atque ratione. Ad alterum hæc sit responsio: Si incertum est tempus ac modus, quo Apostoli condidere Symbolum, quoniam in hoc non conveniunt Auctores; certissimum tamen erit editum ab Apostolis, quia hac in re habetur magnus Auctorum omnium consensus. Tertium sic diluitur: obtinuisse hoc Symbolum ab origine Ecclesiæ, adeoque ab ipso sæculo Apostolorum, ut vidimus, non diffitetur Calvinus: traditum ab Apostolis docent ante Rufinum Tertullianus, & Irenæus: Rufinus rem non enarrat ex propria sententia, sed ex traditione Majorum. Quod sequitur est inanis Erasmi conjectura; nam Rufinus inquit, *qui symbolum tradiderunt*, relate ad Apostolos, quorum antea mentionem fecerat, ut ad discipulos Apostolorum, per quos accepimus Apostolicas Traditiones. Ad postremum dicimus *Apostolicum* esse, quod proprie ad Apostolos spectat, ut Apostolica Ecclesia, Apostolica doctrina, Apostolica sedes: ac Symbolum esse etiam Apostolicum editione, & origine, quia auctore Tertulliano ab initio Evangelii decucurrit, & fatente Vossio à nullo Concilio invenitur institutum.

11. Objectio 2. Opponit idem Vossius: si hoc Symbolum fuisset ab Apostolis concinnatum, non prætermisisset Beatus Lucas in Actibus Apostolicis, nec sivisset Ecclesiam Catholicam rem tanti momenti ignorare. Traditum quoque esset omnibus orbis Ecclesiis, nec singulæ proprium cudissent symbolum, cum tamen diversa sint, quæ leguntur apud Irenæum, lib. 1. cap. 2. Tertullianum de velandis Virg. Optatum, Origenem, & alios. Denique circa annum quadringentesimum non fuissent diversa symbola in Ecclesia Romana, Aquilejensi, & apud Orientales, quæ tamen diversitas patet conferenti eadem symbola, ut fecit Dupinius pag. 19. explicata in Tabulis hac varietate, ex dissertatione Vossiana num. xxxi. & seqq.

12. Solutio. Resp. Lucam hujus symboli non meminisse, quoniam non scripto traditum erat, sed memoriæ commendatum, adeo etiam divulgatum ac notum, ut necesse non fuerit illud literis consignare, præsertim eo fine editum, ut non atramento aut charta scriberetur, sed in tabulis cordis, sicut affirmant Hieronymus ad Pammachium, & S. P. Augustinus serm. 222. alias 75. de Diversis. Ita non poterat Ecclesia ignorare rem omnium fidelium ore prolatam, & cordi singulorum inscriptam. Traditum Symbolum omnibus Ecclesiis non denegamus. Irenæus, Tertullianus, & alii, non symboli verba exscribunt, sed quid contineat exponunt. Diversas Ecclesias symbolo Apostolico quædam verba addidisse vel explicationis causa, vel ob exortas hæreses, haud diffitemur. Eadem fidei substantiam non immutant: & in Ecclesia Romana symbolum semper servatum est intemeratum, ut scribit in Expositione Rufinus, & ad Siricium Ambrosius.

13. Objectio 3. Opponit Dupinius: Patres primorum sæculorum nunquam contra hæreticos usi sunt auctoritate Apostolici symboli, sed tantum conati sunt demonstrare doctrinæ in symbolo contentæ auctores esse Apostolos: cum tamen validius argumentum esset istud, Contra symboli doctrinam pugnatis: illius constat Apostolos auctores esse: igitur pugnatis contra Apostolorum doctrinam. At hac ratione usi non sunt; ideoque persuasum ipsis erat, symbolum non esse editum ab Apostolis.

14. Solutio. Resp. falsum esse, quod Patres usi non fuerint hac ratione. Cur enim S. Irenæus tanquam certum præmittit cap. 2. lib. 1. fidem, quæ traditur in Symbolo derivatam ab Apostolis, nisi ut hæreses, in quas postea stylum acuit, demonstret symbolo Apostolico adversas? Cur Tertullianus affert symboli Apostolici definitiones cap. 13. de Præscript. nisi ad refellendas quæstiones, *quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt?* Præterea antiquiores hæretici, eodem, ac recentiores, prædili erant ingenio; nimirum rejiciebant Apostolicas traditiones, ac Verbum Dei depravabant. Symbolum esse Apostolicum constat ex traditione. Ad refellendos hæreticos noluerunt tanquam medium assumere quod ipsi hæretici pervicaciter oppugnabant, cum possent aliunde revinci. Nihil ergo probat argumentum Dupinii, nisi quod hæretici negaverint symbolum editum esse ab Apostolis.

15. Objectio ultima. Opponit Basnagius. Si symboli auctores essent Apostoli, receptum esset in canone divinarum Scripturarum. Divina quippe esset in eo materia, Divina verba, Divinus ordo: quid est Cano-

nicum esse, si hoc non est? Frustra respondetur non esse scriptum manu Apostolorum, nam Epistola Pauli ad Ephesios est scripta per Tychicum, Epistola ad Romanos per Phœben, ad Philippenses per Epaphroditum; & nihilominus sunt in Canone. Præterea si institutum est symbolum, ut fideles ab infidelibus secernantur, erit perfecta fidei tessera; & frustra nova symbola prodierunt. Deinde si Apostolicum est, cur in Missa non istud, sed Constantinopolitanum canitur? At assumptis non est opus argumentis, cum insita sufficiant. In nono articulo habetur, *sanctam Ecclesiam Catholicam.* Catholicum à Vincentio Lirinensi definitur, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum. Si conditum est symbolum ante mortem Jacobi, aut paulo post, quomodo Ecclesia poterat dici Catholica?

16. Solutio

Resp. Symbolum non esse in canone, quia non est traditum, ut scribatur, sed ut audiendo perdiscatur, inquit S. P. Augustinus citato serm. num. 2. ubi de hoc symbolo interpretatur verba Jerem. xxxi. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Quod addit Basnagius Canonicum esse, quod est Divinum, laborat æquivocatione. Si *Canonicum* dicas quod est in *Canone* scripturarum, symbolum non est *Canonicum*: si dicas *Canonicum* quod est *canon*, sive regula fidei, symbolum *Canonicum est.* Hoc sensu Canonica sunt plura ἄγραφα, id est, Traditiones non scriptæ: priori sensu Canonicæ Epistolæ Pauli eo fine editæ, ut literis mandarentur. Num illas scripserit, aut dictaverit Paulus, nil refert, dummodo scriptæ sint auctoritate Divina. In hoc tamen Basnagius labitur, quod facit Tychicum scribam Pauli, cum Epistolam ipse non scripserit, sed detulerit Ephesum. Vide hujus Epistolæ cap. ultimum, vers. 21. Ita Epistola ad Romanos missa Corintho per Phœben Diaconissam, cap. xvi. 1. Epaphroditum quoque missum ad Philippenses liquet ex cap. ii. 25. Hunc, & Tychicum fuisse Evangelii cooperatores, sacrosque ministros affirmat Paulus, scripsisse illos Epistolas divinat Basnagius. Perfectum quidem est symbolum Apostolicum adeo, *ut omnes hæreticorum opiniones solo possint hoc gladio detruncari*, inquit in Epistola ad Pulcheriam Magnus Leo. Neque est oratio, ut ait Basnagius, exaggerata; quia etsi additæ fuerunt postea voces aliquæ; factum id non ob fidei defectum, sed ob hæreticorum audaciam, & quæ addita sunt explicant vetera, non redarguunt. Vide dissertationem nostram de symbolo non corrupto lib. vii. cap. 19. Inde colliges Constantinopolitanum non esse aliud symbolum ab Apostolico, sed hujus explicationem adversus posteriores hæreses; ideoque merito canitur in Missa: quamquam Romana Ecclesia frequentius recitat Apostolicum, ter saltem quotidie in Divinis Officiis, & in privatis precibus quam sæpissime. Neque Athanasianum præterit diebus Dominicis, atque in festo SS. Trinitatis. Ita vero tria symbola usu suo reveretur ac probat; nec Apostolicum omittit in collatione Baptismi, ad quam rem dicitur institutum. Si velis vocem *Catholicam* fuisse adjectam contra hæreticos, & schismaticos, parum interest: nec plura affundam ad minimam atque invalidam objectionem.

CA-

CAPUT VII.

Apostolici Symboli Exegesis.

SUMMARIUM.

1. Symbolum Apostolicum duodecim habet Articulos.
2. Quid significet *Credo*.
3. Cur dicatur *in unum Deum*.
4. Omnipotentis verbum explicatur.
5. Creator Cæli & terræ quid dicat.
6. Articulus 2.
7. Filius unicus explanatur
8. Quare dicatur JEsus Christus.
9. Cur dicatur Dominus.
10. Articulus 3.
11. Conceptio Christi divinitus fuit peracta.
12. Articulus 4.
13. Passus quid dicat.
14. Crucifixus.
15. Descendit ad inferos.
16. Usque 20. Solutio Objectionum Hæreticorum.
20. Articulus 5.
21. An surrexerit Christus tertia die, & non post tertiam diem.
22. Resurrectio Christi propria virtute peracta.
23. Articulus 6.
24. Cur dicitur ad Cœlos.
25. Quid innuat sedere.
26. Articulus 7.
27. Probatur futurum Judicium.
28. Judicabuntur vivi & mortui.
29. Articulus 8.
30. Explicantur verba *Credo*, *& in*.
31. Nomen Spiritus quid dicat.
32. Articulus 9.
33. Unde vocabulum Ecclesia
34. De unitate & Sanctitate Ecclesiæ.
35. Unde Ecclesia Catholica.
36. De Sanctorum communione.
37. Articulus 10.
38. Quid per hunc articulum credatur.
39. Articulus 11.
40. Cur dicatur carnis.
41. Error negantium resurrectionem.
42. Probatur futuram primùm esse resurrectionem.
43. 44. & 45. Objectiones Solvuntur.
46. Cur Saducæi non fuerint confutati.
47. 48. & 49. Probatur resurrectio.
50. 51. & 52. Refutantur adversarii.
53. Probatur resurrectio ratione.
54. Probatur futuram resurrectionem in eodem corpore.
55. Usque 59. Solutio Objectionem.
60. Probatur corpora in resurrectione fore incorruptibilia, & immortalia.
61. Quomodo Beatorum corpora incorrupta.
62. Objectio & Solutio.
63. Quomodo corpora damnatorum incorruptibilia.
64. Articulus 12.

1. Symbolum Apostolicum duodecim habet Articulos.

IN duodecim articulos sive capita sententiasque præcipuas dividitur symbolum Apostolorum. Primus Articulus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ.* Symbolum Orientale addit *unum;* &, *invisibilem & impassibilem.* Desunt alicubi ea verba, *creatorem cæli & terræ.* At nulla est in substantia mutatio; nam si Deus est, hunc & unum, & incorporeum, & passionum expertem esse liquet. Postrema verba Rufinus ait addita *hæreseos causa Sabellii*, quæ Patripassiana appellatur. Erasmus in Responsione ad Censuram Parisiensium ait Orientales legere *in Deo:* ita habetur in Aquilejensi ex editione Morelli, & Cauchii, quod Dupinius tribuit errori bibliopolæ aut librarii.

2. Quid significet credo.

Principio dicitur *Credo*, quoniam fides initium salutis est, ex Apostolo ad Hebræos XI. 6. Hæc vox profertur ore; quoniam quod credimus corde, debemus ore profiteri, ut in Ecclesia nos contineri testemur, dicente eodem Apostolo ad Rom. X. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vide Augustinum initio serm. sive libri 1. de symb. ad Catech. Profertur ea vox *Credo* singulari numero, quoniam actus fidei singillatim est eliciendus, & singuli accedentes ad Baptismum debent præstare assensum, & edere fidei professionem. Legatur Virgilius Tapsensis inter Opera Athanasii Tom. II. Discrimen aliquod innuunt hæ locutiones, *credere Deo*, *credere Deum*, *credere in Deum:* prima significat assensum Deo revelanti; altera exprimit supremi Numinis existentiam; tertia designat etiam fidei directionem in ipsum Deum tanquam in finen rationalium creaturarum. Hæc directio fieri nequit, nisi credamus Deum esse, ejusque promissis fidamus: ideoque si credis *in Deum*, credis *Deum*, credis *Deo*; & hæc duo in illo verbo præcontinentur.

3. Cur dicatur in unum Deum.

Recte dicitur Deus *unus*, quod nullus Judæorum negat, auctore Maimonide in articulis num. 2. & annuerunt quoque Philosophorum præstantissimi apud Lactantium cap. II. de Ira Dei. Dicentes ergo *in unum Deum*, execramur polytheismum: item hæresim Gnosticorum, qui duo coæva principia statuerunt, *Deum*, & *materiam;* quod & asseruit Hermogenes, & Marcion, *duos Deos asserens*, ut inquit lib. 1. Tertullianus. Deinde hæresim Simonis Magi, at-

atque Manichæismum, & Dei boni, ac mali coexistentiam. Fatemur propterea unum esse novi, ac veteris Testamenti auctorem, ut animadvertit Epiph. lib. III. adv. hæreses. Additur nomen *Patris*, primum, quia id est rerum omnium causa & origo: deinde ait Rufinus, ut intelligatur patrem esse Filii: *sicut enim nemo dicitur Dominus, nisi habeat vel possessionem, vel servum cui dominetur, & sicut nemo magister dicitur, nisi qui discipulum habeat: ita & Pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens.* Hæc ergo est fides in primam Trinitatis Personam: in qua *Dei Patris* nomen conjungitur, quia *non ante Deus esse cœpit*, & postea Pater, sed sine ullo initio & *Deus semper, & Pater est.* Ait auctor sermonis 181. de Tempore, inter Opera Augustini.

4. Omnipotentis vocabulum explicatur.

Omnipotentis vocabulum destruit hæresim Valentinianorum non credentium Deum condidisse quæ facta sunt ex his quæ non erant, ut ait Irenæus lib. II. cap. 10. Enimvero Omnipotens dicitur, *cui nihil impossibile est, & qui omnia solo Verbi creavit imperio*, inquit cit. Sermonis auctor. Eliminantur quoque eo vocabulo errores eorum, qui Deo tribuerunt sive mendacium, sive potentiam peccandi, cum Deus *si mentiri, si fallere, si inique agere posset, non esset Omnipotens;* ait Augustinus de Symbolo ad Catechumenos, cap. 1. Significat etiam vox *Omnipotentis* juxta Salvianum lib. 1. de Gubern. Dei, *quod omnia regit*: atque ita potentatum quoque, regimen ac providentiam Dei confitemur adversus Marcionitas, qui apud Irenæum lib. 1. cap. 29. ajebant mundum esse sub tyrannide Diaboli, & hunc appellabant *Cosmocratorem.* Refelluntur propterea hoc articulo etiam Genethliaci, Priscillianistæ, aliique fatalis necessitatis assertores; de quibus dixi lib. V. cap. 2. Est etiam vocis *Omnipotens* significatio apud D. Cyrillum Catech. IV. ejus, qui nullo loco *circumscribitur, nec minor est cælo:* ideoque credimus etiam Divinam immensitatem, rejecta plenitudine Aeonum per *Horon* circumscripta, & quam refutavit lib. II. cap. 4. necnon hæresi Sociniana Divinam substantiam intercludente in summitate cælorum: quam hæresim oppugnavi cap. 4. ejusdem libri.

5. Creator cæli & terræ quid dicat.

Creatorem dicimus *cæli ac terræ*, refellentes Epicureos, & Atheos autumantes Universum conditum fortuito athomorum concursu. Ostendimus eadem voce, rerum omnium Opificem nulla indiguisse materia in tam mirabili molitione; omniaque perfeciisse *sola verbi potestate. Cæli & terræ nomine universa creatura significata est*, ait idem Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos. Excluduntur & hac voce duo principia Marcionis: & rejicitur hæresis Simonis, Menandri, & Carpocratis, qui affirmarunt mundum productum ab Angelis, ut inquiunt Epiphanius H. Carpocr. Irenæus lib. 1. cap. 21. & S. Pater ad Quodvultd. hæres. 2. & 3. Repelluntur & Origenistæ, de quibus vide cap. 6. libri X. prop. 2.

Articulus II.

Proximus articulus ad hunc modum se habet: *Et in JEsum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.* In Aquilejensi *unicum* præmittitur ad *filium.* Venantius Fortunatus omittit τὸ *Dominum nostrum;* similiter Symbolum Orientale in schemate Dupinii. Prior discrepantia minima est; altera componitur ex Act. II. 36. ex 1. ad Corinth. VIII. 6. & ad Ephes. IV. 6. unde liquet deberi Redemptori nostro *Domini* characterem: cumque hoc titulo præsertim in libris Canonicis designetur, inverisimile omnio est defuisse in Symbolo ab origine Ecclesiæ. At veniamus ad Exegesin. 6. Articulus 2.

Explicatur hoc articulo Catholica fides in secundam SS. Trinitatis personam: quam à temporali Nativitate appellamus Christum JEsum. Hunc dicimus Filium unicum, ideoque Patri consubstantialem, quia filium natura: *Cæteri quippe licet dicantur filii, adoptionis tantum gratia dicuntur*, inquit Rufinus. Hinc apparent omnia supremæ Divinitatis argumenta, eadem cum Patre natura, eadem omnipotentia, eadem æternitas. *Si filium unicum*, ait Sanctus Pater serm. 214. in Trad. Symb. *ergo ejusdem substantiæ cujus est pater. Si filium unicum, ergo ejus omnipotentiæ cujus est Pater. Si filium unicum, ergo Patri coæternum.* Refutantur itaque hoc articulo 1. Valentiniani distinguentes Monogen à Logo, & Christum à JEsu. 2. Cerinthiani asserentes, Christum descendisse in baptismate super JEsum, & unum ab altero dispescentes. 3. Ebionitæ negantes Christum esse filium Dei. 4. Ariani oppugnantes Verbi Divinitatem, ac Sabelliani negantes Divinarum personarum pluralitatem. 5. Nestoriani non agnoscentes unum filium, & unum Dominum, nisi unione morali. 6. Sociniani Ebionis, Arii, & Sabellii erroribus inquinati. 7. Filius unicus explanatur.

Fi-

8. Quare dicatur JEsus Christus.

Filius Dei dicitur *JEsus Christus:* de utoque nomine lib. II. cap. I. Cum JEsus sit proprium vocabulum Salvatoris, profitemur adversus Judæos venisse Redemptorem in lege promissum, & hunc esse Christum Domini. Hac de re utrumque nomen apponitur conjunctum. JEsus hebraice dicitur, latine *Salvator:* Christus græce, *Unctus* latine. Unctionis usus olim fuit in consecrandis, inaugurandisque Prophetis, Sacerdotibus, ac Regibus: ac propterea unctus dicitur Elias, Sadoc, David. Unctio Salvatoris nostri fuit amplissima Spiritus sancti virtute, juxta illud Esaiæ LXI. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* Est itaque Christus Dominus *Propheta*, Lucæ VII. 17. *Sacerdos*, Psal. 109. 4. & ad Hebræos VII. 21. *Rex*, Lucæ I. 32. Joan. XVIII. 36. Apocalypsis XIX. 16. Habet ergo omnes veri Messiæ Characteres.

9. Cur dicatur Dominus.

Appellatur *Dominus* Matth. XXVIII. 6. Lucæ XXIV. 34. Joan. XX. 2. & alibi frequentissime; & quidem proprie, cum sit Dominus *ingenita potestate*, non *concessa*, inquit Rufinus. Etenim *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, ut legimus ad Philipp. II. 6. quia esse Dominum, esse Deum, esse Conditorem universorum, esse æqualem Patri *natura illi est, non rapina*; ait Augustinus serm. CCXIV. num. 5. Ac ideo neque à consortio dominii, quod tribuitur Filio, excludendus est Pater, neque à communione Divinitatis, quæ enuntiatur de Patre, disjungendus est Filius. Dominium Christi esse plenissimum, atque universale, liquet ex Mat. XI. 27. & Joan. III. 35. Singulariter JEsus Christus appellatur Dominus, quia principem hujus mundi, id est, diabolum ejecit, & spolia ejus diripuit, redimendo humanum Genus, expellendo cultum idolorum, & Ecclesiam instituendo. Primam dominii hujus rationem affert Paulus ad Colos. I. 12. alteram Joan. XVI. 11. tertiam Petrus Act. II. 36. Idcirco in baptismate abrenunciantes diabolo, Christo tanquam Domino subdimur, ut regenerati, ut veræ Religioni addicti, ut in unum corpus cooptati.

III. Articulus.

10. Articulus 3.

Tertius est: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Aquilejense, & Orientale non habent *Conceptus*, quod nec legitur apud Alcuinum in III. de Trinit. cap. I. At ipsa conceptio nativitatis nomine exprimitur etiam Matth I. 20. S. P. Augustinus in sermonibus ad Competentes, & in Traditione symboli utrumque ponit, *Conceptus*, & *natus*, antiqua est igitur vulgaris formula, licet nec à Petro Chrysologo, nec à Maximo Taurinensi usurpata.

11. Conceptio Christi divinitus fuit peracta.

In hoc articulo primum fatemur Christi conceptionem divinitus esse peractam, & ejus corpus à Spiritu sancto fabricatum inter secreta uteri virginalis. *In qua*, ait de Virgine S. P. Augustinus serm. 213. *operatus est Spiritus sanctus, non homo maritus: qui fecundavit castam, & servavit intactam.* Atque ita refelluntur Ebionæi, & Cerinthiani dicentes Christum ex semine Josephi conceptum. Refelluntur etiam Valentiniani, & Marcionitæ, qui Christo tribuerunt corpus è cælis delapsum, non formatum ex Virgine. Repellitur & affinis hæresis Appellitarum asserentium Christum non esse à Maria genitum, sed per illam, sicut transit per canalem aqua, transiisse. Expungitur & hæresis Basilidis, aliorumque Phantasiastarum, qui nullum corpus Christo tribuerunt, nisi umbratile. Quoniam vero ille qui conceptus est, est idem qui præcedenti articulo dicitur Filius Dei unigenitus, etiam revincitur hæresis Nestoriana, & asseritur Mariam vere ac proprie esse Dei genitricem. Præterea affirmantes Filium Dei conceptum & natum, non conversum in carnem, respuimus quoque nefaria dogmata Eutychetis. Hoc pacto profitemur mirabilem Incarnationis œconomiam adversus omnes hæreses à nobis libro XXVI. pro virili parte exagitatas.

IV. Articulus.

12. Articulus 4.

Sequitur in Symbolo, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos.* Deest in Aquilejensi, & Orientali τὸ *passus*, & *mortuus*, sed unum sub eo, quod crucifixus est, continetur; alterum sub eo, quod sepultus. Abest à pluribus *descendit ad inferos:* vis tamen hujus verbi, ait Rufinus, videtur esse in eo, quod sepultus dicitur. At, quemadmodum ostendam, descensus ad inferos præter corporis sepulturam aliquid aliud commonstrat. Legit idem Rufinus *descendit ad inferna.* Quidam hæc postrema verba referunt ad articulum proximum.

13. Passus quid dicat.

Dicitur ergo Dominus JEsus Christus *passus*, ludibria nempe, flagella, & cruciatus, de quibus Evangelica historia. Non solum hoc articulo refelluntur Marcion & Menander, qui dicebant Christum in phantasmate passum, verum etiam Aphthartodocitæ ei tribuentes verum corpus, sed doloribus minime ob-

obnoxium. Pertractabo de hac hæresi libro XXVI. cap. 6. Dum *passus* dicitur, significatur in se suscepisse vulnerum ictus, & fuisse affectum doloris sensu, non mente reluctante, sed subeunte tormenta plenissima potestate. Traditur etiam tempus, quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt, ne fides passionis Christi, ait Rufinus, *velut vana & incerta vacillaret.* Nam supplicium filio Dei illatum sub procuratione Pilati potuit facile ad omnium gentium aures pervenire. Arbitror & Pontii Pilati fieri mentionem, ut cum penitus Judæis ablatum sit sceptrum, jus, ac regimen Jerosolymorum, admoneamur stultos esse qui Messiam præstolantur. Videtur huc spectare quod legitur in cit. Serm. CLXXXI. cap. 3. *Pilatus judex erat in eo tempore ab Imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est: cujus mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem.*

14. Crucifixus. Non solum passus est Christus, sed & *crucifixus.* Detestamur hoc verbo insaniam Basilidis asserentis non Christum suffixum cruci, sed Simonem Cyrenæum, & Mahumetis, qui substituit Judam Iscariotem, necnon impiissimam blasphemiam Manichæorum dicentium fuisse in crucem sublatum principem tenebrarum: quæ omnia refellam citato cap. 6. & sequenti. Dum genus mortis commemoramus, occurrit animo etiam humilitas Salvatoris, qui semetipsum exinanivit *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* inquit ad Philipp. II. 8. Apostolus: unde edocemur, ut in Cruce Domini gloriemur, dum illam, *in qua Dominus crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte,* legitur loc. cit. Ex ipso mortis genere certiores quoque reddimur peccati Adæ, in quo omnes peccaverunt: nam si Christus mortuus est, omnes mortui sunt; atque ita adversus Pelagianos, aliosque hæreticos, originariam labem, Redemptoris gratiam, & regenerationem spiritus confitemur. Enimvero ex ligno, unde mors, surrexit vita; & quemadmodum scripsit Venantius Fortunatus de Cruce lib. II. 2. & canit Romana Ecclesia:

Hoc opus nostræ salutis ordo deposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hostis unde læserat.

Dicitur Dominus JEsus in Cruce *mortuus.* Mors definitur à Divo Athanasio de salut. Adventu ψυχῆς ἀπὸ σώματος χωρισμὸς, *animi à corpore divulsio:* fuit itaque in Christo perfecta humanitas ex corpore, animaque conflata. Hanc animam non solum sensu, sed & ratione præditam credimus, damnantes hæresim Apollinaristarum refutatam lib. XXVI. cap. 8. Memores Dominicæ sepulturæ veritatem Incarnationis confirmamus, dicente Chrysologo serm. 60. *Sepultum dicis, ut veram carnem Christi, mortemque non perfunctoriam probet confessio sepulturæ.*

15. Descendit ad inferos. Additur *Descendit ad Inferos;* in quo immorabor aliquantulum, cum hæc verba commentitia, & perperam apposita conentur demonstrare nonnulli hæretici. Horum argumenta sunt I. Hæc traditio de descensu Christi ad Inferos orta est ex prava intelligentia verborum illorum Psalmi XV. 10. *Non derelinques animam meam in Inferno;* quæ de Christo accipit Petrus Act. II. 27. At in Hebræo est vocabulum שְׁאוֹל, *Sheol,* quo significatur duntaxat *sepulchrum.* Genesis enim XLII. 38. ubi legimus, *Deducetis cum dolore canos meos ad inferos,* habetur in hebræo *sheol,* omnesque interpretantur pro *sepulchro.* Idem occurrit III. Regum cap. II. v. 6. & 9. Et quidem Auctor libri Tobith שְׁאוֹל reddidit τὸν τάφον, *foveam,* & Scindlerus, *terram.* Sensus ergo verborum illorum, *Non derelinques animam meam in inferno,* minime innuit descensum Christi ad subterranea animorum receptacula. II. Eadem est vis græcæ phraseos, ἐν ᾅδῃ; quæ tamen nihil aliud significat, quam locum invisibilem; ex quo nimium inscite infertur locus, aut status animarum post mortem. Vossius hanc vocem derivat ab *Adamah,* id est, terra, unde & primus homo dictus est *Adam.* III. Antiqui Patres, qui Ἅδην, interpretati sunt *animorum stationem,* laborarunt linguæ hebraicæ imperitiâ, & ex Philosophia Platonica haurientes Græcorum fabulas, non solum iis Evangelii veritatem obscurarunt, verum etiam in absurda prolapsi sunt. Irenæus enim lib. IV. cap. 39. ait Christum spiritibus in Inferno degentibus Evangelium prædicasse, & remisisse peccata. Hermas in Pastore lib. III. simil. 9. etiam addit, administrasse baptismum. Hæc cum sint inverisimilia, demonstrant dogma de Christi descensu ad Inferna popularem esse credulitatem. IV. Illud *descendit ad Inferos* omittitur in symbolo Nicæno, in Antiocheno, in Sardicensi, in Constantinopolitano, in sym-

symbolo Pelagii, Charisii, Macharii Antiocheni, in aliis. At saltem Nicænum non omisisset, si agnovisset hoc dogma; quippe eo nihil magis valuisset ad refellendum Arium negantem Christo fuisse animam. His impetunt Catholicum dogma Gerardus Vossius lib. II. Harmoniæ Evang. cap. 13. & Joannes Clericus in H. Eccl. ad an. 61. quem jejune nimis refellit Hyacinthus Serry Exercit. LVIII. n. II. ex auctoritate symboli Apostolici, & ex cap. 2. Act. Nam hoc quæritur, an in symbolum ex falsa Traditione descensus Christi ad Inferna intrusus sit, & an in Act. Apost. aliud Petrus demonstret, quam corporis Christi è sepulcro resurrectionem. Affert quidem Serryus verba Jacob. Gen. XXXVII. 35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum;* ubi *sheol* nequit accipi pro sepulchro, in quod illatum Josephum Pater non existimabat. Verum & hoc eget fulcimento aliquo; jam enim prædicti hæretici responderunt, R. Salomonem Jarchi ita exponere hunc locum, *descendam in Sheol propter filium meum*, ideoque intelligitur, inquiunt, mortis causa, non consortium. Hæc addo in gratiam Phereponi.

16. Objectiones Hæreticorum circa hunc Articulum.

Nemo adeo bardus est, quin videat hæc hæreticos effutire, ut Patrum traditiones, & Purgatorii dogma amandent ad Græcas fabulas: quod num utiliter moliantur, inquiram modo. Agendum primo de Interpretatione vocabuli שאול, *Sheol.* Etsi Bellarminus lib. IV. de Christo cap. 10. ait vel raro, vel nunquam accipi pro sepulchro; ego eâ voce sepulchrum aliquando designari non denego: quippe sepulchrum significatur Ps. CXL. 7. & Jobi XVII. 13. necnon III. Regum II. 6. 9. quamquam ambiguus est locus iste. Dico ea voce utrumque significari, sepulchrum, atque

Solutio I. infernum. Primò habeo consentientes Rabbinos, inter quos Rab. Levi ait: *Sheol est venter terræ depressior;* atque hunc oppono Aben-Ezræ, quem nobis objiciunt Sectarii. Addo traditionem Hebræorum, quos inter soli Sadducæi negabant statum animarum apud inferos, auctore Josepho lib. II. de Bello Judaico: at Pharisæi, & reliqui Judæorum statum illum asserebant, apud eundem Josephum XVIII. Antiq. cap. 2. Hanc fuisse sententiam omnium Judæorum probat ex illorum Liturgiis Auctor Anglus Historiæ symboli Apost. cap. IV. num. 15. Demonstrat Huetius in Origenianis p. 101. & Rich. Simon. in Hist. Critica N. T. cap. 22. Sufficiunt hi ad refutandum Abenezram. Prætereà habeo consentientes hæreticos ipsos, Drusium scribentem ad cap. XXXVII. Geneseos: *Sheol tam infernum significat, quam sepulchrum.* Idem affirmat Sixtinus Amama reprehendens Aben-Ezram: quos vide primo sacrorum Criticorum volumine. Deinde sepulchri proprium nomen est קבר, *cheber*, à קבר, *sepelire;* nec *sheol*, pro uno usurpatur, nam in sacris Bibliis etiam commemoratur מטה שאול, *infernus deorsum*, ideoque præter *sheol*, aut fossam superficiei terræ proximam, est locus sive animorum status *depressior.* Ac ridicula est ratio, quam petunt hæretici ab etymologia quasi sepulchrum sit *sheol*, quia postulat cadavera, à שאל, *petere*; ut enim terra corpus, ita abditior locus petit spiritum. Rursus *sheol* non significat sepulchrum Gen. XXXVII. 35. quoniam Jacob sibi persuaserat filium non sepultum, sed à mala fera discerptum. Conjectura autem R. Jarchi est nimis futilis; nam Onkelos habet, *Apud filium meum*; ideoque optima est versio Hieronymi, & falluntur Grotius, & Vossius. Etiam Drusius probat Hieronymi versionem, demonstrans particulam אל, proprie esse *Ad.* Denique in Psalmo XV. *sheol* non potest significare sepulchrum; etenim sepulchrum significant partim ea verba præcedentia, *Caro mea requiescet in spe*, partim sequentia, *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* nec anima sepulchro clauditur. Vide Lorinum in hunc Psalmum, & in II. Act. Frustra reponunt Calvinistæ, *Animam*, accipi aliquando pro corpore. 1. Quia de corpore mortuo, & separato ab anima hoc dici nequit. 2. Quia etsi hebraicum נפש, *nephesc* illam significationem admittat, hanc non patitur græcum ψυχὴ, quod habetur Act. II. 27. tandem quia caro ibidem designatur proprio nomine, ἡ σάρξ μου, *caro mea.* Atque his abunde satisfactum est argumento primo, & iis quæ in gratiam Phereponi addidi adversus Serrium. Brevî dicam; *Sheol* esse sepulchrum fossam, τὸν τάφον, non nego; nec damno Ariam Montanum, Pagninum, Steuchum: esse solummodo fossam ac tumulum, id nego.

17. Solutio 2.

At alterum sic refellitur. Nullibi invenies, quod equidem sciam, ἅδην accipi pro *sepulchro.* Innumera apud profanos Scriptores invenies loca, ubi hoc nomine designatur receptaculum animorum. Lege Homeri Odyssæam lib. XI. & invenies *Aden* esse locum, in quo degebat anima Agamemnonis, Patrocli,

Antilochi, Achillis. Hinc fabulam suam finxit Virgilius de Aeneæ ad inferos descensu: hinc etiam Elysii, mœnia Ditis, ac Tartara. Nec sequitur antiquos Patres fabulas græcas fuisse imitatos; nam econtra, quæ in Græcorum libris narrantur, de nostris translata sunt, permixtis aliis rebus futilibus ac superfluis; ut docet Ambrosius de Bono Mortis cap. 10. Et quidem universam Græcorum Theologiam esse sacrorum librorum depravationem, demonstrat Daniel Huetius in Demonstrat. Evangelica, ipsemet Vossius in erudito Opere de Theologia Gentilium, sive de Origine Idololatriæ, ne commemorentur quisquiliæ nostræ collectæ cap. 1. hujus libri. Profecto ἅδης nequit inter fabulas amandari, quoniam extat in Scripturis sæpissime, ac in ipsis locis citatis Genes. xxxvii. 35. Psalm. xv. 10. Act. 11. 27. Fallitur solemnissime Vossius derivans Ἅιδην ab ארמה, *terra*. Derivatio est ab ערן, *Eden*, quo nomine appellatur Genes. 11. 8. Paradisus voluptatis: quod præter vocabulorum similitudinem commonstrant verba Christi Lucæ xxiii. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*; nam hoc in loco veteres omnes *Eden* intelligunt, id est, Receptaculum animorum, & locum tranquillitatis, ubi animæ ante Christi mortem asportabantur. Atque hinc intelligimus Christum descendisse ad Lymbum Patriarcharum, eisque felicissimo completæ Redemptionis nuncio, ac præsentia sua gaudium maximum attulisse, & pio latroni præstitisse quod paulo ante promiserat: quamquam an istic recepta fuerit latronis anima, non sit adeo certum, ut dixi libro iii. cap. 9. Hinc quoque infertur nugari hæreticos circa vocabulum ᾅδης, ut suadeant imperitis descensum Christi ad inferos, & *Limbum* veterum Patrum esse commentum scholasticum. Secundæ itaque argumentationi hoc modo satisfecerimus.

18. Soluio 3. Tertio autem argumento hoc habeto responsum. Perdifficilis est locus Petri, Epist. prima cap. iii. 19. *His, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca.* Hunc locum Irenæus, Hermas, & Clemens Alex. 3. Strom. ita accipiunt, quasi Christus apud inferos prædicaverit, & baptismum contulerit. Theodorus Abacura Opusc. 17. ait Sanctos credentes Christo advenienti ad inferos baptizatos aqua, quæ ex latere Divino profluxit resoluta in elementum. Vide Cotelerium Tom. i. PP. Apost. pag. 118. S. P. Aug. Epist. 99. ad Evodium, nunc 164. interpretatur hunc locum, de prædicatione facta à Christo spiritu divinitatis etiam incredulis tempore Noe, dum in carcere corporis detinerentur. Non video cur hanc interpretationem rejiciat lib. iv. de Christo Bellarminus. Etenim versu proximo ait Petrus: *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, &c.* Comparat ergo Arcam Noe Ecclesiæ: octo animas, quæ salvæ factæ sunt per aquam, baptizatis; & incredulos quibus per internas revelationes Christus *in spiritu* prædicavit pœnitentiam, Gentibus, quibus annuntiatum est Evangelium. Confirmat hanc interpretationem, quod legitur Lucæ xvii. 26. Eam probat D. Thomas iii. P. q. 52. art. 2. Quid ergo in Augustiniana interpretatione aut abstrusum, aut repugnans? Ea est cæteris omnibus planior, licet Augustini singularis modestia non sine hæsitatione eam tradat: & nisi hanc prædicationem ad Christum migrantem ad inferos referamus, nulla occurret in Epistola Petri difficultas: neque hoc loco demonstramus descensum ad inferna, sed ex 2. cap. Act. ex Psalmo 15. ex traditione. Si dicas Christum post mortem prædicasse spiritibus incredulis ad increpationem, aut iis, qui in carcere purgatorio detinebantur lætum attulisse nuncium, ob auctoritatem Damascени, aliorumque Patrum non repugnabo. Ob varias ergo de hac prædicatione sententias temere & impudenter asseritur descensum Christi ad inferos derivasse ex Platonicorum Philosophia.

19. Soluio 4. Ad postremam argumentationem respondere oportet in hunc modum. Descensus ad inferos habetur in Symbolo Cyrilli Hierosolymitani Catech. 4. ubi legitur: *Passus, crucifixus, sepultus, descendit ad loca inferna*, εἰς τὰ κατω χθόνια. Floruit autem Cyrillus circa annum 370. Extat & in Symbolo Epiphanii, qui floruit circa annum 390. lib. 3. adv. hæres. in Compendio Fid. Cath. Falsum est ergo, quod inquit Vossius, Patres nunquam hoc dogma agnovisse, & in omnibus Symbolis omitti. Imo est in Symbolo etiam Arianorum proposito in Concilio Ariminensi anno 359. Nam inter Arianos erat secta Lucianistarum, de quibus Epiphanius in Ancorato, qui animam Christi impugnabant: altera, quæ opponebatur Apollinario, Acacianorum, qui ani-

animam Christi non denegabant, & subscribebant Symbolo Ariminensi. Igitur Nicænum Symbolum definiens Christi divinitatem adversus totam Arianorum familiam apposuit *Omoousion*, nec fuit necesse etiam addere, quod Ariana secta admittebat, maxime quia si Christi divinitas est eadem ac Patris, gerere non potuit vices animæ, quam tristitia, & dolore affectam testatur Scriptura. Quare dum Christo tribuitur Divina natura, & vera passio, etiam conceditur anima capax passionis: nec male Rufinus, ut vidimus, ait descensum animæ ad inferos intelligi in verbis præcedentibus, *mortuus, & sepultus est.* Additum ergo *descendit ad inferos*, ad majorem Apollinaristarum confutationem; nec negandum est Symbolo ab Apostolis edito aliquas particulas substantiam doctrinæ non immutantes occasione posteriorum hæresum fuisse adjectas. His Vossio, Pherepono, horumque prædecessoribus hæreticis per nos abunde responsum est.

Manet ergo inconcussum Catholicum dogma de Christi ad inferna descensu, quem prænuntiavit Psalmographus, prædicavit in Actibus Apostolicis Petrus, & confirmavit traditio Patrum exploratissima. Aperta sunt testimonia Irenæi lib. v. adv. H. cap. 26. Tertulliani de Anima cap. 32. Athanasii de Salut. Adv. Christi, Hilarii Pictav. in Ps. 53. & 134. Cyrilli Jerosolymit. Catech. 4. S. P. Augustini in Psal. 83. & de Civit. Dei xx. 15. Hieronymi in cap. 2. Jonæ, Leonis Magni serm. 8. de Passione Dom. & aliorum: quorum verba, cum negare non audeant heterodoxi, non est, necesse ut exscribantur. Igitur Christus, ut lib. 1. Epist. 4. canit celeberrimus Poeta Franc. Petrarcha,

Tartara victor
Ingressus, clauso posuit sua membra sepulchro
Vi repetens, secumque trahens felicia Patrum
Agmina, & exhaustas longis cruciatibus umbras.

V. Articulus.

20. Articulus 5. In v. articulo, *Tertia die resurrexit à mortuis*, conveniunt omnia Symbola; nam si Christus non resurrexit, vanam esse fidem nostram affirmat Paulus 1. ad Corinth. xv. 17. At resurrectionem Redemptoris testes innumeri confirmarunt, milites custodes sepulchri, mulieres, quæ venerant ad monumentum, Angeli cælorum, Discipuli, qui vulnera Christi palparunt, ipse Dominus per dies quadraginta apparens eis.

21. An surrexerit Christus tertia die & non post tertiam diem.

Dicitur Christus resurrexisse *tertia die*, non *post diem tertiam*; nam ipsum triduum nondum completum fuerat, quippe Dominus per tot horas inter mortuos delituerat, quot dies post resurrectionem in terris permansit, scilicet quadraginta, computandis à vesperis feriæ 6. ad diluculum proximæ Dominicæ. Dissentiunt Auctores in assignando triduo sepulturæ hujus. Alcuinus, & Paulus Forosempronienſis laudati à Corn. à Lap. in cap. XII. 40. Matth. videntur differre Dominicam Resurrectionem ad vesperam 2. feriæ. Nonnulli Græcorum uno die Christi mortem anticipant. Ipse Cornelius à Lapide putat Evangelistas dies numerare Romanorum more à dimidio noctis, At non opus est hisce commentationibus. *Ad integrum diem pars primi novissima, & pars tertii prima cucurrit:* ait serm. 1. de Resurr. S. Leo, ac similia lib. IV. de Trinit. cap. 6. & q. 6. Epist. 49. S. P. Augustinus. Ita unus dies totus, reliqui secundum partes præterierunt; ut recte Comment. in Matth. Estius. Etiam Porphyrius in Qq. Homericis ait: *Qui vespere domum venit, mane autem diei tertiæ exiit, dicitur tertia die iisse peregre.* Si opponas, legi apud Matthæum citato loco: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ;* dico *dies, & noctes* περιφραστικῶς significare diem naturalem, qui apud Hebræos ea circumlocutione significatur, ut liquet ex 1. Genes. versu 5. Idem est igitur *tribus diebus ac tribus noctibus*, ac τρισὶ νυχθημέροις, *per tria dienoctia*, inquit Grotius. Hanc periphrasin agnoscit citato loco Estius.

22. Resurrectio Christi propria virtute peracta.

Resurrectio Christi propria ejus virtute peracta est, habebat enim potestatem *ponendi animam suam, & iterum sumendi eam;* Joan. x. 18. ideoque dicimus *Resurrexit*, non, *suscitatus* est; sicut de Lazaro idem Joannes XXII. 1. Quamquam & Pater *resuscitavit* Filium, in quantum tota Trinitas id operata est, surrexitque Filius Divina illa vi, quam habet ex sempiterna generatione, ut dixi lib. VII. cap. 9. Resurrexit autem Christus *in carne vera*, inquit S. P. Augustinus serm. 214. num. 8. ac proinde hoc articulo damnamus hæresim Appellitarum, qui apud Tertullianum de Præscript. asserebant Christum in descensu sideream sibi carnem contexuisse, & in resurrectione eam reddidisse singulis

elementis, à quibus fuerat mutuatus, in ascensu autem ad cælos, aeri quoque dedisse corporis sui partem, atque ita carne ex quatuor elementis compacta, cuique horum restituta, in cælum solo spiritu rediisse. Denique ut in passione docuit nos Christus quid toleremus; ita in resurrectione, ait S. P. serm. 113. *ostendit quid speremus.*

VI. Articulus.

23. Articulus 6. Sequitur, *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Et in hoc articulo symbola quæque conveniunt: aliqua tantummodo omittunt postremam vocem; quòd habeatur etiam in articulo primo.

Adscendit Christus elevans, *quod susceperit ex nobis, in cælum;* inquit S. Pater de Symbolo ad Catech. cap. 7. & idcirco adscendit ratione naturæ humanæ, sicut descenderat de cœlis eandem assumens. Hunc ascensum factum propria Christi virtute, indicant ipsa verba; quamquam & non repugnat dici in cœlos *assumptum*, ea ratione, qua diximus *suscitatum:* nam & initio Act. Ap. legitur, *assumptus est.* Hinc refellitur prædicta hæresis Apellis ab Epiphanio adversus Her. & ab Aug. de Fide & symbolo, si enim in cœlos assumptum est terrenum corpus; illud in substantiam elementorum non est resolutum.

24. Cur dicatur ad cœlos. Melius dictum est *ad cælos*, quam *in cælum*, primo quia hoc pacto notatur discrimen inter ascensionem Christi, & raptum Eliæ, qui 1. Mach. 11. 58. dicitur *Receptus in cælum*, id est, in locum ignotum ac sublimem: deinde, quia Ecclesia ait in Præf. Pent. *Qui ascendens super omnes cælos, &c.* Ubi igitur habetur *in cælum*, (ut in Symbolo Nicæno, & Act. 11. 34.) ibi *cælum* sumitur pro firmamento ac sede Beatorum; quod juxta Tychonem à nobis distat semidiametris decies novies millenis, & decies millenis secundum Mersennium. Atque italapis à firmamento demissus, si minuto quolibet leucam conficeret, nec centum annorum intervallo ad nos perveniret. At missis Astronomicis tricis; ex quo Christus ascenderit super omnes cœlos, sequitur falsam esse opinionem Seleucianorum, qui post Hermogenem affirmarunt corpus Domini nostri in sole fuisse collocatum, accipientes occasionem ex Psal. XVIII. 5. *In sole posuit tabernaculum suum;* ut scribit H. 59. Augustinus. Verum versiculus ille Psalmi in hebræo legitur, *soli posuit tabernaculum in eis*, id est, in cœlis: in LXX. autem & in Vulgata est figura *hypallages*, inquit Tirinus, hoc est, oratio inversa vice profertur, velut cum dicimus, *date classibus austros.* Mystice ab Augustino in Psalm. XLIV. num. 3. refertur ad uterum Virginis thalamum Divini Verbi.

25. Quid innuat sedere. *Sedere* ad dexteram Patris non ita accipiendum est, quasi Pater humana forma sit circumscriptus, ut monet idem Augustinus de fid. & symb. cap. 7. Nam qui ita sentiunt, Deo corporalia membra tribuunt cum Anthropomorphitis à me refutatis lib. 11. cap. 2. *Dextera* Patris significat primo sempiternam felicitatem, ut *sinistra* in Cant. 11. 6. commoditatem terrenam: ac propterea commentitium est temporale regnum Chiliastarum. Deinde Patris *dextra* opponitur *sinistræ* reproborum, summæ scilicet miseriæ. Tertio eadem vox designat judiciariam Christi potestatem, de qua Matth. ult. 18. *Sedere* dicitur Christus, ne quis opinetur collocatam in cœlis assumptam carnem vacuam sensu, & veluti *vaginam* exempta persona, ut quidam apud Tertullianum de Carne Christi. Non certam membrorum positionem ea vox significat, sed perennem habitationem, quo sensu consuetum est dicere, *In illa patria sedit per tres annos.* Ita S. Pater de Symb. ad Catech. cap. 4. Non ergo hæc repugnant verbis Stephani Act. VII. 55. *Video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Hic ostenditur Christum in cœlis permanere, & gerere solicitudinem nostri: quod liquet ex 1. Joannis cap. 11. 1. & ex Epist. Pauli ad Hebræos IX. 24. ac XII. 2. Sed hactenus de sexto articulo, nunc septimum explicemus.

VII. Articulus.

26. Articulus 7. Tam Romanum, & vulgare, quam Aquilejense, & Orientalia symbola habent, *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos*, sarente Dupinio. Rufinus etiam, ait Vossius num. 38. nullum discrimen aperit; quamquam Venantius Fortunatus paululum hæc immutet, simpliciter habens, *Judicaturus vivos, & mortuos.*

27. Probatur futurum judicium. Itaque primo credimus futurum judicium adversus detestandum errorem Borborianorum, Florianorum, & Procliniatarum, qui negarunt apud Philastrium ullum fore post hanc vitam judicium, contra apertissimam auctoritatem Matth. XVI. 27. XXVI. 64. Act. XVII. 31. Apocalyps. XX. 11. &c. Venturus est idem Christus in quantum filius hominis, in assumpta scilicet humanitate.

Ita

Ita Joan. cap. v. 22. & 27. Hinc intelligimus quod scriptum est, *Pater non judicat quemquam*, nimirum secundum aspectabilem formam, quam solus Filius sibi per sacramentum Incarnationis univit. Videsis Augustinum Tract. xxi. in Joannem. Particula *inde* commonstrat Judicem venturum de cœlis, lucida nube circumdatum, atque apparatu majestatis, quemadmodum ascendit in cœlum: ita Act. i. 11. Hinc commonemur, ne ullam habeamus fidem Pseudoprophetis, & Antichristo, ex loco ignoto prodeuntibus; vide Matth. cap. xxiv. 26. 27. Comites illi affuturos Angelos, Apostolos, omnesque Sanctos habemus Matth. xxv. 31. Lucæ xxii. 30. & i. ad Corinth. vi. 2. Certum est Apostolos, ac Martyres, cæterosque Sanctos judices assessuros, redarguentes improbos exemplo, probantes sententiam judicis, & Christo tanquam membra Capiti, ac Magistratus adhærentes summo Principi. Apostolos, & qui voluntariam susceperunt paupertatem præcipuo quodam titulo mundum judicaturos videtur colligi ex Matth. xix. 28. an quia eminentiori loco sessuri sint, an quia & ipsi sententiam proferent, Theologi ac Patres non consentiunt. Passionis Christi tempus in iv. articulo expressum est; at non in septimo tempus judicii: cum non sit nostrum *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, Act. i. 7. Insaniunt itaque definientes ætatem mundi postremam, ac diem illam, quam Matth. xxiv. 36. noluit hominibus patefacere. Sed illorum curiositatem atque audaciam frænare studui libro xi. cap. 8.

28. Judicabuntur vivi, & mortui.

Judicandi erunt omnes tam *vivi*, quam *mortui*. S. Pater de fide, & symbolo cap. 8. & de symbolo ad Catech. cap. 14. per *vivos*, & *mortuos* intelligit justos & peccatores; sive illos, qui tempore adventus Christi adhuc vivent, & qui in hoc adventu resurgent. At Rufinus per *vivos* intellexit animas, per *mortuos* corpora. Juxta interpretationem Augustini dicimus omnibus ante tribunal Christi esse comparendum, nec excipimus parvulos decedentes sine baptismate: de quibus plura lib. xiii. cap. 8. Quando Joannes iii. 18. ait jam esse judicatos qui non credunt, & Patres aliqui affirmant judicandos duntaxat, qui in religione versantur; id accipiendum est vel de judicii discussione, vel de privatione vitæ æternæ, vel de ordinatione, decretoque Divino; ut sensus sit infidelibus jam esse statutam gehennam, nec in judicio disceptandum cur accenseantur cum reprobis; in eos tamen sententiam esse pronuntiandam, eosque pro qualitate peccatorum esse mulctandos. Juxta expositionem Rufini apparet etiam extremi judicii finis, nempe, ut unusquisque *referat propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum*, ut inquit Ap. 2. ad Corinth. v. 10. Præcipuus tamen finis est Dei gloria, Christi exaltatio, & felix consummatio principatus ac regiminis hujus Ecclesiæ: de quo fine idem Apostolus in i. ad Corinth. xv. 24. & seqq. Hoc articulo etiam rejicimus fatalem necessitatem inductam à Gnosticis; non enim judicio subjiciuntur quæ eveniunt absque arbitrii libertate, ut disputant adversus Valentinianos Clemens Alex. lib. 2. Strom. & in 2. Apologia S. Martyr Justinus. Hæc de septimo articulo; reliquos persequamur.

VIII. Articulus.

Proximus est, *Credo in Spiritum sanctum.* In Aquilejensi omittitur credendi verbum; quod tamen extat in Græcis, apud Auctorem Hist. symboli Ap. p. 262. & falsus est hac in parte Dupinius: consentiunt quoque vetusta Gallorum, & Belgarum symbola. Ubi omissum est, suppleri debet ex initio, prout indicat particula *Et* apposita in symbolo Rufini, & apud Augustinum de symbolo ad Catech. cap. v. num. 12. 29. Articulus 8

Repetitur ergo verbum credendi, ne quis à fide in Christum filium Dei, ejusque Patrem, disjungat Spiritum sanctum: cum & ejus explicita fides ad æternam salutem necessaria sit, ut constat ex concione à Paulo habita Ephesi Act. xix. 2. Consideranda est quoque vis illius particulæ *In*, quæ, ut constat ex Articulo i. & 2. demonstrat hujus Spiritus divinitatem. Hac de causa, ut acute animadvertit Rufinus, hæc propositio articulo proximo non præmittitur, quoniam Ecclesia non est Deus, sed Deo congregata. Tam ergo exigua voce significatur in tribus Personis, ait citato loco Augustinus, *una natura, una substantia, una potentia, summa æqualitas, nulla divisio, nulla diversitas, perpetua charitas.* Atque ita refelluntur Macedoniani, & Pneumatomachi, qui negarunt Sancti spiritus divinitatem. Perstringuntur eadem ratione Gallica Catechesis Calvinistarum, & Clypeus Fidei Genev. ubi traditur adorandum esse solum Patrem in nomine Filii; necnon Philippus Melanchthon qui in Locis Theolog. negat in Spiritu sancto haberi 30. Explicantur verba Credo, & in,

beri perfectam divinitatem. Rejicitur & Petri Abaelardi insignis error, de quo in Tom. 2. pag. 137.

31. Nomen Spiritus quid dicat.

Nomen *Spiritus* tribuitur tertiæ personæ, primum quia cum ab illa nulla alia procedat, nequit habere peculiare nomen, quod relativum sit ad personam à se procedentem: deinde quia nomen istud *Spiritus* distinguit hanc personam à prima, & secunda, quæ sunt unum, ut inquiunt Theologi, principium spirans: atque ita profitentes credere nos in tertiam Personam, iterum anathematizamus Sabellianos. Hoc nomen *Spiritus* etiam processionem tertiæ Personæ à prima & à secunda commonstrat, quemadmodum explicatum est lib. VIII. cap. 21. ideoque propugnamus adversus Græcos dogma Romanæ Ecclesiæ; de quo eodem libro cap. 18. Hinc Spiritum appellamus *sanctum*, quoniam ejus inhabitatione remittuntur peccata, & anima sanctitate exornatur; ideoque detestanda est blasphemia Theodori Bezæ scribentis in Confess. punct. 4. art. 10. Spiritum sanctum æque ac in justis permanere in iis, qui turpissimis sceleribus inquinantur. Ex quo autem in justis habitet sanctitatem impertiendo, & spiritum innovando, recta ratione damnamus Novatores, qui negant inhærentem justitiam.

IX. Articulus.

32. Articulus 9.

Nonus est, *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Aquilejense, & Orientalia non habeant *Catholicam*, & quæ deinceps sequuntur. Hæc tamen jure meritoque adjecta sunt. Nam vox illa *Catholicam* extat in antiquissimo symbolo Alexandri Episcopi Alexandrini apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. in utroque symbolo Epiphanii in Ancorato: cumque Alexander Episcopus Alexandrinus floruerit ante annum 325. aut circa hæc tempora, errat Franciscus Picus affirmans sententiam *de Ecclesia Catholica*, tempore Nicænæ synodi, hoc anno celebratæ, nequaquam apparuisse. Reliqua adversus Schismaticos dicuntur apposita: sed omnia in solo *Ecclesiæ* vocabulo continentur: nam *ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans, &c.* inquit S. P. de symb. ad Catech.

33. Unde vocabulum Ecclesia.

Ecclesia sic appellata ab ἐκκαλέω, *evoco*, est aggregatio fidelium, quos de tenebris gentium Deus vocavit in admirabile lumem suum, ut in unum cœtum coadunati teneant eandem fidem, degant sub eodem capite, eademque participent sacramenta. Cur huic articulo præpositio *In* non addatur, dixi paulo supra ex Rufino. Nunc ex ipso nomine *Ecclesiæ* colligimus credere nos unam Christianorum congregationem à JEsu Christo institutam, & ab Apostolis per orbem terrarum divulgatam, non incertis privatisque documentis directam, neque invisibilem & occultam; sed præditam salutaribus fidei morumque regulis, certisque distinctam characteribus, id est, doctrinâ, sacrificio, cultu, Pastorum ordinatione ac regimine, sanctitate morum, & Apostolicæ originis antiquitate. Firmissime itaque tenemus Ecclesiam hanc non extare apud Protestantes, qui illam constituunt in occulto cœtu electorum, negantque Apostolicæ Cathedræ auctoritatem, Sacerdotum ordines ac ministeria, & excogitatis pro libidine dogmatibus ac institutionibus non Apostolos habent auctores, sed Apostatas, ejectos, turpissimisque flagitiis contaminatos.

34. De unitate Ecclesiæ.

Hanc *Ecclesiam* singulari numero appellamus, quoniam debet esse *una;* quod explicationis causâ addidere symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum. Alexander vero Alexandrinus citato loco majori emphasi ait, Μιαν, ἡ μόνην, *unam, & unicam.* Hæc Ecclesiæ unitas est conspiratio omnium fidelium in eadem fide, ac doctrina; quamobrem segregati sunt ab Ecclesia omnes manifeste hæretici: & idcirco Rufinus scribit, quod docuit Marcion, quod Manichæus, quod Paulus Samosatenus, quod Arius, quod cæteri hæretici, commonstrare quomodo horum sectæ non Ecclesiam constituant, sed *concilium vanitatis.* Præter unionem doctrinæ, character Ecclesiæ est unio membrorum inter se, & cum mystici hujus corporis Capite, id est, Romano Pontifice. Hac de causa separatos ab Ecclesia Novatianos dolet Ep. 43. ad Cornelium Papam S. Cyprianus. Idem scribit de Donatistis lib. 2. contra Parmenianum Optatus. Econtra S. P. Augustinus in libris de Baptismo impense eundem Cyprianum commendat, quod ebulliente controversia de Rebaptizandis, nunquam passus sit invehi schisma, & fidelium charitatem disrumpi. Vide lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 6. Assentiendum propterea est Bellarmino lib. III. de Eccl. cap. 5. aliisque plurimis segregantibus ab Ecclesia non solum hæreticos, verum etiam schismaticos.

Præ-

Et de Sanctitate Ecclesiæ.

Præterea Ecclesia dicitur *Sancta*. I. ratione doctrinæ, cum in Ecclesia nihil à supremo Rectore proponatur quod non sit pium, honestum, formandisque bonis moribus consentaneum. II. ratione Institutoris, qui nobis factus est redemptio, & sanctificatio, ac membris sibi per fidem unitis, dummodo apte se disponant, justitiam ac sanctitatem impertitur. III. ratione Sacramentorum, quæ digne dispositis conferunt remissionem peccatorum, & gratiæ augmentum. IV. ratione antiquorum rituum, quibus Dei, Sanctorumque cultum Ecclesia promovet. V. ratione plurium membrorum, id est, fidelium, qui vivunt vitam cœlibem, incontaminatam, atque honestissimam. Jure ergo meritoque scripsimus cap. v. non extare apud Heterodoxos, qui flagitiosam vitam approbant, Ecclesiam Christi.

35. Unde Ecclesia Catholica.

Deinde Ecclesia appellatur *Catholica*, scilicet, universalis. *Catholicum* idem est, ac toto orbe diffusum; ideoque non est vera Ecclesia hæreticorum, qui latitant in angulis provinciarum. *Catholicam*, (inquit Auctor serm. 181. de Temp. inter Augustinianos,) *dicit toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca, & per suas quasque provincias continentur.* Apostolorum ergo tempore Ecclesia erat Catholica, quia distincta à Synagogis limitibus terræ Chanaan circumscriptis. Nec valet quod opponit Vossius, tunc extra Palæstinam fuisse aliquos religione Judæos; nam singulis Religionis causa Jerosolymas conveniendum erat. Insuper Apostoli mandatum acceperant prædicandi Evangelium in universo mundo, eratque amplitudinis Ecclesiæ spes firmissima, & aperta promissio. Etiam *Catholica* appellatur, quatenus nemo, ubicunque existat, nisi in ipsa Ecclesia salvari potest; quia nequit *fractus ramus ab arbore fructus germinare*, ait in libro de unitate Eccl. Cyprianus. Idcirco credimus neminem extra Romanam Ecclesiam salutem consequi.

36. De Sanctorum Communione.

Sanctorum communionem Auctor prædicti serm. 181. de Temp. refert ad Cives supernæ Jerusalem, quibuscum societate, & spei communione tenemur, ita ut nos de illorum imitatione cogitemus, illi autem pro nobis dignentur Domino supplicare. Rejicienda non est hæc interpretatio: cum enim charitas nunquam excidat, nequeunt sancti à nobis societate disjungi: & ideo credimus illos jam beatitudine perfrui, pro nobis orare, & à nobis religiose coli, adversus antiquos Millenariorum errores, & recentiorum hæreticorum perfidiam. Hæc tamen Sanctorum *Communio* duo alia significat, id est, appellationem fraternitatis, quam invicem Catholici fovent, & orationum, bonorumque operum, quæ fiunt in Ecclesia, participationem. In illius fraternitatis contesserationem consueverunt olim novi Episcopi alios electionis suæ reddere certiores per literas, quas appellarunt *Communionis*: quarum exemplar extat Epist. 42. Cypriani ad Cornelium Papam, & vicissim Cornelii ad Cyprianum. Huc spectant literæ datæ fidelibus peregre profecturis, ut in communionem ab omnibus Ecclesiis reciperentur; piaque consuetudo consecrationis olim de licentia Episcopi advenis demandatæ, ut narrat de Polycarpo Roman sub Aniceto adventante Eusebius lib. v. H. Eccl. cap. 24. Bonorum orationes cæteris prodesse, ne alia exempla proferam, demonstrant preces Stephani, & piæ matris Monicæ lacrymæ.

X. Articulus.

37. Articulus 10.

Decimus est: *Remissionem peccatorum.* In tabula Dupinii conveniunt in hoc articulo quatuor antiqua symbola. Quidam putant eundem articulum receptum tempore Cypriani; eoquod desideretur in symbolis Tertulliani, Irenæi, & Origenis. Nil id ingerit difficultatis; commemorata enim *Ecclesia*, statim intelligitur peccatorum remissio: quoniam & Ecclesiæ ministris data est potestas remittendi, & retinendi peccata, Joannis xx. 23. & in Ecclesiam cooptamur per Baptismum, quo remittuntur ipsa peccata, Act. 11. 28.

38. Quid per hunc articulum credatur.

Credimus itaque hoc articulo per Baptismum deleri omnia peccata, & legem Christi etiam hoc titulo cæteris esse præstantiorem, quod habeat expiationem pro procunque flagitio; cum Gentiles viam delendi culpam, & fugiendi supplicium ignorarent, expertes sacrificiis quibus culpæ reatus abstergeretur: cujus delendi vim nec habebant sacramenta veteris legis suapte natura: imo adversus adulteria, & graviora delicta hæc nullum afferebant remedium. At Baptismus omnia prorsus peccata tollit, ut docet Augustinus in Ench. cap. 64. Ad hunc sensum innuendum symbolum Nicænum posuit, *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Credimus tamen in Ecclesia remitti quoque peccata post baptismum patrata, contra Basilidem, Montanum, &

& Novatum: quorum primus apud Clem. Alex. libro 4. Strom. volebat condonari tantum peccata ex ignorantia & præter voluntatem commissa: alter, ut inquit Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum, negabat posse renovari per pœnitentiam, qui sibi crucifixerunt filium Dei: ultimus, auctore Epiphanio H. Cathar. ajebat nullam spem veniæ lapsis post baptismum relinqui. Fatemur quoque peccata vere dimitti, non tegi duntaxat, damnantes cum Lutherum asserentem art. 2. inter damnatos à Leone X. remanere post baptismum peccata, tum Calvinum scribentem in III. Instit. cap. 2. §. 11. reprobos nunquam consequi remissionem peccatorum. Venialia peccata etiam eleemosyna & oratione deleri, docet S. Pater de Symb. ad Catech. Ita peccata ante baptismum commissa delentur Sacramento regenerationis: quæ postea patrata sunt, per sacramentalem absolutionem; quotidiana autem ac venialia oratione, jejunio, eleemosyna. Etiam temporalis scelerum pœna per Indulgentias relaxatur. At hæc nonnisi baptizatis prodesse possunt, quoniam nequit percipere fructum passionis Christi, qui in morte ipsius baptizatus non est, ut scribit Apostolus ad Rom. cap. 6. Etiam baptismum adultorum præcedere debent debitæ dispositiones: ut liquet ex Act. 11. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, &c.* necnon ex iis, quæ ante baptismum exigebantur à Catechumeno, recensitis à Justino in 2. Apologia, à Tertulliano in libro de Baptismo, & ab Origene hom. 21. in Lucam. Verum, de his dispositionibus pertractavi lib. XIX. c. 4.

XI. Articulus.

39. Articulus XI. *Carnis Resurrectionem*, Undecimum scilicet articulum, habent symbola quæque. Aquilejense addito pronomine ait, *Hujus Carnis*. De antiquitate hujus articuli, nec Vossius mussitat; annuntiatam quippe resurrectionem ab initio Evangelii, constat ex Act. XVII. 18. ex 1. ad Corinth. XV. & 2. ad Timoth. 2.

40. Cur dicatur carnis. Non *corporis* dictum est, sed *carnis*; quoniam corpora sunt cælestia, terrestria, & aerea; caro autem designat *speciem* corporis peculiarem, Recte dicitur à Damasceno lib. IV. de fide Orthod. cap. 2. anastasis, sive resurrectio, δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις, *nova ejusdem corporis, quod ceciderat, suscitatio*, sive, ut inquit de Resur. carnis 6. Tertullianus, *recidivatus*. Ipsa Resurrectionis ratio postulat, ut quod morte cecidit, illud excitetur: & ideo pronomen additum ab Aquilejensibus continetur in ipso *Carnis* vocabulo. Apparet hinc error Origenistarum, & Bardesanistarum, qui *Corporis* resurrectionem dicere maluerunt, opinantes non carnem hanc redituram, sed corpus aereum, atque alterius naturæ: de quo errore vide Hieronymum in Epist. ad Pammach. & Oceanum. Rufinus in 1. adversus eundem Hieronymum Invectiva, ut se purget ab hoc errore, affert symbolum Ecclesiæ suæ Aquilejensis, in qua, ut diximus, addebatur pronomen, & digito etiam tangebatur frons, quasi diceretur, *Credimus carnis hujus, quam contingimus, resurrectionem.* Opinionem, quam secuti sunt Origenistæ, viguisse tempore Clementis Romani, non obscure conjectat Auctor Hist. Symboli Apost. cap. VII. n. 40.

41. Error negantium resurrectionem. Deterrimâ viâ aberrarunt, qui resurrectionem negarunt penitus: cujusmodi fuere Sadducæi Act. XXIII. 8. Hymenæus & Philetus 2. ad Timotheum II. 17. Basilides, Cerdon, & Apelles apud Tertull. de Præscript. Valentiniani, Archontici, & Hierachitæ, apud Augustinum de Hæres. n. 11. 20. 47. Seleuciani, & Procliniatæ, apud Philastrium; aliique plures apud Vossium disput. XII. Th. 1. num. 3. Recte Justinus in Exposit. Symboli ait hanc resurrectionem *non solum à gentilibus, sed etiam ab hæreticis impugnari.* Movet me tanta adversariorum pervicacia ad vindicandum hoc loco Catholicum dogma demonstrando futuram esse resurrectionem, & idem corpus restituendum animæ suæ, licet diversis affectionibus præditum. Leget autem, qui plura desiderat, Tertullianum de Resurrect. Carnis, S. P. Augustinum lib. XX. de Civ. D. cap. 6. 7. 14. 20. 21. lib. XXII. cap. 5. & seqq. serm. 240. & duobus sequentibus, Friderici Nauseas Episcopi Viennensis tres libros de Resurrect. Estium, aliosque Scholasticos in dist. 43. libri quarti, Vossium quoque citata disput. XII. & XVII. Nos satis esse arbitramur tria, quæ proxime sequuntur, asserta.

42. Probatur futuram primum esse resurrectionem. Assero primum futuram esse corporum Resurrectionem, quod probo auctoritate utriusque testamenti, Patrum traditione, confutatione Gentilium, & ratione Theologica. Et loca quidem prioris testamenti afferenda sunt adversus submorosos quosdam Recentiores, qui etsi Resurrectionem fateantur, negant hanc evinci ex libris legis veteris. Jobus

bus enim XIX. 25. ait, *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, &c.* Psalmus XL. 9. *Nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* &CIII. 29. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ:* de quo loco plura adversus Sadducæos R. Manasses ben Israel in lib. de Res. mort. Esaias XXVI. 19. *Vivent mortui tui; interfecti mei resurgent: expergimini, & laudate qui habitatis in pulvere.* Ezech. XXXVII. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de tumulis vestris, populo meus: & scietis quia ego Dominus, cum dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, &c.* Daniel XII. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.* Oseas denique XIII. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.*

43. Objectiones ex SS. Scriptura.

Mercerus, Grotius, Vossius, Manasses Ben-Israel, & Rabbinorum complures negant resurrectionem probari ex cap. XIX. Jobi, ob diversum sensum quem exhibent hebræa, *Scio quod Redemptor meus vivit, & novissimo surget super pulverem, & postquam pellem meam corroserint hanc, rursum ilia circumdabor.* Ait ergo Job duntaxat, posse Deum restituere pristinam formam corpori ejus morbis, vermibusque propemodum exeso. Verba Esaiæ, & Ezechielis explicantur à viris doctis de insperata liberatione Israelitarum, qui ob summas calamitates mortuis æquiparantur. Reliqua nunquam adversus Sadducæos ab antiquis Rabbinis prolata sunt, quod nullam vim ad eos revincendos viderentur habere. Ex veteri itaque Testamento minime probatur resurrectio mortuorum. Imo occurrunt ibidem aliqua, quibus hæc resurrectio oppugnatur. Nam Ps. I. 5. legitur: *Non resurgent impii in judicio;* & LXXVII. 39. *Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens.* Job resurrectionem negat cap. XIV. 7. *Lignum habet spem; si præcisum fuerit rursum virescit, & rami ejus pullulant . . . . Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi quaso est?* Ecclesiastes autem cap. III. 19. inquit: *Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio.* Hæc & alia his consimilia corporum resurrectionem potius evertunt, quam evincant.

44. Solutiones.

Verum ex adverso reponimus, sensum Jobi optime à Latino interprete expressum. Ut enim mittam quod observat Didacus à Stunica nostri Ordinis, Comment. in Job. pag. 306. facile commutari quiescentes literas, אחרי, nec mirum esse, si ponitur יקום, *surget*, pro אקום, *surrecturus sum:* Vulgata cum hebraico textu non pugnat. Illorum quippe verborum, *Redemptor meus novissimo surget super pulverem*, sensus est, inquit in hunc locum Guilelmus Estius, *Surget ad suscitandum sua præsentia mortuos in die judicii, quod ex subjectis verbis est manifestum.* Hanc Estii expositionem probat etiam Codurcus. Præterea si ad Christum Redemptorem textus referatur; annon prædicitur aperte resurrectio Salvatoris, qui primitiæ fuit dormientium, ut explicat etiam Clarius? Referri autem ad Christum, qui resurrectione sua nostram repromisit, cum ipsa Lectione hebraica manifestum est, tum Græca, & Syriaca: quarum una habet, *Scio enim quia æternus est, qui me resoluturus est super terram ad resuscitandam cutem meam:* altera, *Ego quidem scio, quod Salvator meus vivens sit, & in consummatione super terram appariturus.* Vide Biblia Waltoniana Tom. III. p. 41. Denique Jobum non loqui de sola vermium corrosione, sed de resolutione proprii corporis in pulverem, post quam ait carnem suam jam contritam, macieque solutam fore resuscitandam, tria commata ostendunt: primum est, ואחר נקפו עורי זאת, *Et postquam, pellem meam contriverint hanc,* ubi non solam cutis corrosionem, sed omnimodam corporis corruptionem demonstrat verbum נקף, quod est *confringere, occidere, excutere:* unde Angelorum versio apud Sixtinum Amama in Antibarbaro est, *Etiamsi post pellem meam, hoc corpus destruant;* & Scholia Genevensia, *Quand mesmes il me reduiroit à plus grand extremitè, è que je seroy du tout consumè.* Itaque ex ipsa Novatorum expositione Job non solum sperabat restaurationem cutis, sed & resurrectionem corporis penitus consumpti, & emaciati. Alterum est illud, יקום על־עפר, *surget super pulverem,* quod volunt ad Redemptorem referri. At עפר, non cutem disruptam atque corrosam significat, sed *terram, minutumque pulverem;* ideoque sensus est, potentiâ Domini non solum corro-

corrosam carnem restituendam, sed etiam suscitandum corpus, posteaquam redierit in pulverem. Tertium est, אחזה אלוה, *Videbo Deum meum;* nam חזה, non est experiri Divina beneficia corporis sanitate, sed *videre, mente intueri, & contemplari*, & consequenter exprimitur visio Dei, *in carne* surrecturis repromissa. Atque ita ex hebraico textu, quem tam mirifice extollunt Sectarii: comprobatur sensus Vulgatæ. Nisi ergo Mercerus, Grotius, Amama, Vossius, & alii subscribere velint Augustino, qui libro XXII. de C. D. cap. 29. ait, *Job, sicut in exemplaribus, quæ in hebræo sunt, invenitur, resurrectionem carnis sine dubio prophetavit*; audiant saltem commilitonem suum, Sebastianum Munsterum scribentem in hunc locum, *Aperte adstruitur resurrectio mortuorum:* & quod hic habet Castalion, *Christi resurrectio, quam hominum resurrectio sequetur.*

45. Objicitur Prophetia Ezechielis & Solvitur.

Saltem Prophetiam Ezechielis non posse accomodari soli Israelitarum restitutioni probat Manasses Ben-Israel, quia Propheta collectionem populi ibidem prænuntiat parabolâ duorum lignorum, in quorum uno scriptum erat nomen Ephraim, in altero Juda: & quia manifeste sepulchra, cadavera, & spiritus vitæ ibidem commemorantur. At dato tam ab Esaia, quam ab Ezechiele annuntiari restitutionem regni Israel sub resurgentium ossium imagine: consequitur etiam ipsam resurrectionem futuram esse; quoniam, ut ait in hunc locum Hieronymus, *Nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat.* Idem demonstrat Tertullianus de Resurrect. Carnis cap. 30. & 31. Danielis verba, ut observat S. P. Augustinus lib. XX. de C. D. cap. 23. confirmantur à Christo Joannis v. 29. & verba Oseæ repetuntur ab Apostolo 1. ad Corinth. XV. 59. & utrobique aptantur resurrectioni, unde nequeunt nisi impudentissime aliter exponi.

46. Cur Sadducæi non fuerint confutati.

Cur Sadducæi refutati non fuerint hisce Propheticis testimoniis in causa est, quod quinque libros Moysis reciperent, rejectis Prophetis. *Taceo* (inquit Tertull. de Præscript. cap. 45.) *Judaismi hæreticos, Dositheum Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu sancto locutos repudiare: taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem carnis negare.* Et Hieronymus in cap. 22. Matth. *Sadducæi*, inquit, *quinque tantum libros Moysis recipiebant, Prophetarum vaticinia respuentes.* Id negat Clericus in Proleg. H. E. sect. 1. cap. III. n. 9. quia nusquam à Christo, & Apostolis, nusquam à Josepho hoc flagitium Sadducæis exprobratur. At Ger. Vossius disp. X. num. 7. ait assertionem Tertulliani, & Hieronymi verissimam esse, Scaligerum, quem sequitur Clericus, duci argumentis haud satis firmis, consentire hac in re veteres & recentiores, Flavium quoque Josephum lib. XIII. cap. 18. & Josephum Gorionidem lib. IV. H. cap. 6. Addamus nonnulla. R. Simon Ben Johay refellit Sadducæos ex Gen. III. 9. In Jalkut revincuntur ex Gen. XXXVII. 10. Rab-Mehir illos confutat ex cap. XV. 1. Exodi. Gamaliel ex Deut. IV. 1. Raba ex Deut. XXXIII. 6. Collegit omnia Manasses Ben-Israel in libro de Resurrect. Mortuorum: nos hæc Rabbinorum argumenta nimis abstrusa relinquimus studiosis: & hinc inferimus Sadducæos præsertim ex Pentatheuco à Rabbinis refelli, quod solos Moysis libros summo honore dignarentur, reliquos aut abjicerent, aut saltem pro Canonicis non haberent.

47. Probatur resurrectio ex veteri Testamento.

Neque dogma Catholicum ullo contrario textu oppugnatur. Nam Psalm. I. *resurgere* idem est ac *justificari, consistere, non erubescere:* ac sensus est, impii non justificabuntur Deo judice, confundentur, causa cadent. Psal. LXXVII. demonstratur vitam hominis ad instar venti, esse brevis ævi, per se statim recedere, nec redire, nisi divinitus, voluptuosam hanc vitam cito deperdi, & in puncto cum summa calamitate commutari, nullam ex gehennæ supplicio redemptionem sperandam. Jobus resurrectionem non denegat, sed ibidem v. 12. futuram ait post cælorum transitum, & constituto tempore: ne repetam exquisitum testimonium cap. XIX. abunde à falsis interpretationibus vindicatum. Ecclesiastæ denique sensus est, nil mirum si in hac vita boni non discernuntur à malis, cum vix discrimen sit homines inter ac pecudes, dum simul prodeunt in lucem, ac similiter dissolvuntur in pulverem: bonorum præmium manere post mortem; & Deum tandem, uti habetur in fine libri, omnia adducturum in judicium. Vide 2. Volum. p. 303.

48. Probatur ex novo.

In novo Testamento apertissime carnis resurrectio prænuntiata est. Matth. XXII. 31. *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Joan. V. 28. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt*

runt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii: & Martha Joan. XI. 24. *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Act. XXIV. 15. Paulus Felici præsidi profitetur credi à se, *Resurrectionem futuram justorum, & iniquorum.* Luculenter idem Paulus in 1. ad Corinth. XV. hoc demonstrat I. Ex resurrectione Christi versu 12. *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* II. Ex veritate Apostolicæ prædicationis ac fidei, versu 14. *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* III. Ex quo, nisi resurrectionis & melioris vitæ spes superesset, Christiani forent omnium mortalium miserrimi, versu 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* IV. Ex comparatione Adæ v. 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

49. Probatur ex traditione Patrum.

Traditionem Catholicorum Patrum nemo unus negabat. Polycarpus apud Eusebium lib. IV. H. Eccl. 15. morti proximus ait: *Benedico te, qui me in hunc diem, & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in consortium Martyrum, & in calice Christi tui, in resurrectionem vitæ æternæ, animæ simul & corporis in incorruptione Spiritus sancti.* Justinus resurrectionem asserit in 2. Apologia. Athenagoras & Tertullianus de hoc argumento librum integrum conscripserunt. Irenæus futuram resurrectionem probat libro v. adversus hæreses. S. Pater Augustinus exquisite hanc quæstionem adversus Gentiles pertractat in locis superius laudatis, quod & præstant alii Patres, Ambrosius lib. 2. de fide, Theodoretus lib. v. H. fab. cap. 19. &c.

50. Refutantur Sadducæi & Gentiles.

Facillimum est Sadducæos & Gentiles refutare opponentes hanc resurrectionem esse impossibilem. Ac 1. Augustinus XXII. de C. D. cap. 5. ingeniose demonstrat, id cum jam credatur ab universo fere mundo, non esse incredibile. 2. Justinus in Apologetico demonstrat non esse censendum impossibile Deo, quod est impossibile alicui, sicut naturæ impossibile est sine semine animans producere, quod tamen potuit Deus. 3. Scholastici demonstrant illum, qui compositum produxit ex nihilo, à fortiori posse illud restituere dissolutis quidem principiis, sed remanentibus. 4. Fridericus Episcopus Viennensis probat possibilitatem resurrectionis ex quo Elias suscitarit filium viduæ Sareptanæ, Elisæus filium Sunamitidis, Christus adolescentulum Naimi, puellam filiam Jairi, & Lazarum quatriduanum, Petrus Tabitham, Paulus Eutychum: quos olim suscitatos sacri libri commemorant. 5. Nec sapientes Ethnici id impossibile crediderunt; cum suscitatum Armenium quemdam scribat Plato in X. de Republ. Valerius Max. lib. I. cap. 8. Plutarchus Sympos. IX. 5. Macrobius, ac Tullius in Som. Scipionis. Resuscitatam mulierem scribunt Heraclides Ponticus in libro de Exanimi, Diogenes Laertius in Empedocle, Galenus VI. de locis affectis, Plinius lib. VII. cap. 32. Idem accidisse Aristæo narrant Herodotus in Melpomene & Plutarchus in Romulo: quas fabulas literis non mandassent, si incredibiles existimavissent, ut inquit Grotius lib. II. de Verit. Relig. Christ. cap. VII. Vid. Aeneam Gazæum in Theophrasto Tom. VIII. Bibl. PP. plura Gentilium testimonia proferentem. 6. Nequit in dubium revocari Christi resurrectio, ut demonstro lib. XXV. cap. 10. neque id negat ex Judæis Josephus lib. XVIII. Antiq. cap. 4. R. Jehuda in libro Arcanorum citato ab Huetio Dem. Evang. Prop. IX. cap. 142. & R. Bechai apud H. Grotium. 7. Omnes Platonici affirmarunt abstrusiora, opinantes Justorum animas facta oblivione veterum miseriarum, postquam cum diis requieverint, velle reverti ad corpora corruptibilia; quod, ut Augustinus observat serm. 143. de Temp. nunc 241. horruit etiam Virgilius, dum ait 6. Aeneidum Anchisi asserenti redituras ad corpora animas illustrium Romanorum, respondisse Aeneam admiratione perculsum:

O Pater, an ne aliquas ad cœlum hinc
ire putandum est
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora?

51. Oppositio Porphyrii solvitur.

Opponebat Porphyrius, omne corpus fugiendum esse: sed S. P. eodem sermone illum revincit, ex quo idem Porphyrius crederet mundum animal magnum præditum intellectu, & anima, quam appellabat aut Jovem, aut Hecatem. *Si ergo,* ait Augustinus, *æternus mundus, & sine fine manet mundus, & animal est mundus; anima ista semper tenetur in mundo. Quid est quod dicebas, Corpus est omne fugiendum? Ego dico beatas animas incorruptibilia corpora semper habituras. Tu qui dicis corpus omne fugiendum, occide mundum. Tu dicis, ut fugiam de carne mea; fugiat Jupiter tuus de cælo & terra.*

52. Refutantur Platonici. Platonicos vero negantes terrenum corpus posse consistere in cælo refutamus 1. quia si aves levitate pennarum portantur in aere, possunt quoque Divina virtute in cœlis immortalia corpora permanere. 2. Quia etiam homo sine pennis, cum sit terrenus, carpit vitam de superiori elemento. 3. Quia aut Dei, aut dæmonis virtute Vestalis virgo aquam continuit in cribro. 4. Quia & imbres antequam in terram decidant, pendent in nubibus. 5. Quia si plumbum ab artifice accipit formam, qua natet super aquam, potest omnipotens corpori humano talem qualitatem concedere, qua feratur in cœlum. His exemplis refellit Platonicos opponentes corporum gravitatem magnus Augustinus lib. XXII. de C. D. cap. XI. serm. 147. de Temp. nunc 242. Adde dotes corporis glorioſi, de quibus infra.

53. Probatur ratione. Nullâ ergo contrariâ argumentatione mortuorum resurrectio concutitur; eamque etiam ipsa ratio suadet. Spectatâ enim Divina retributione, ut anima simul & corpus moralia opera exercent, licet illa tanquam causa princeps, hoc tanquam instrumentum, ita debet utrumque pro sua conditione aut præmium aut supplicium referre. *Caro* (inquit Tertullianus de Resurr. cap. 7.) *dum ministra, & famula animæ deputatur, consors, & cohæres invenitur: si temporalium, cur non æternorum*? Et Aeneas Gazæus paulo supra laudatus, *Quo pacto justum non erit animæ bonis id corpus frui, cujus in adversis rebus societatem nunquam declinavit*? Vide & Chrysostomi in Epistolam ad Corinth. Hom. 38. & 39. Accedit argumentum Apostoli petitum ex comparatione Adami cum Christo. Illud urget Tertullianus eodem libro cap. 48. Prætermitto argumentationem depromptam ex Apostolorum ac Martyrum tolerantia; quam adhibet idem Apostolus versu 32. præcitati capitis XV. versatque eleganter Auctor Responsionis ad objecta Græcorum inter Opera S. Justini. Hactenus autem primum assertum satis, ut arbitror, confirmatum est.

54. Probatur futuram resurrectionem in eodem corpore. Deinde affirmo resurrectionem futuram in eodem corpore, quod morte dissolvitur: atque id proxima argumenta corroborant. I. Ipso Resurrectionis vocabulo ostenditur, quod excidit, hoc resurgere. II. Mortuos, qui in monumentis audient vocem filii Dei, nemo, inquit, Tertull. cap. 37. poterit interpretari nisi corpora & carnem, quia nec ipsa monumenta aliud sunt, quam cadaverum *stabula*. III. Christus, ait Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. 6. invenit resurrectionem, *ut redintegraret cœleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum*; ideoque restituendum est idem corpus, quod ablatum est morte. IV. Non omnes resurgentes immutabuntur, ut docet Apostolus eodem cap. vers. 51. quoniam multi in ictu oculi requiescent, & revivi-scent, ait S. P. Augustinus lib. XX. de C. D. cap. 20. Si autem hi in proprio corpore surgent; cur non alii? V. In resurrectione Christi, & Lazari, quæ sunt typus universalis, suscitatum idem corpus membrorum contactu, epulisque probatum est. VI. Hoc, non aliud corpus effecit quæ animus cogitavit, ideoque & istud aut pœnæ reservatur, aut gloriæ.

55. Objectiones circa resurrectionem in eodem corpore. Mirum quanta hoc loco objiciunt increduli! Primo, inquiunt, si corpus in cineres resolutum est; quomodo iterum coagmentabitur? Deinde quædam corpora mare deglutivit, quædam vorarunt feræ ac pisces, & in membra & carnem aliorum animantium conversa sunt. Præterea cui bono suscitatio abortivorum fœtuum, atque monstrorum? Rursus si ulterius non erunt nuptiæ, & concubitus, cur resurgent fœminæ? Ad quid sexus discrimen? Num ut flectat ad libidinum oblectamenta? Insuper si idem surgat corpus, habebit pilos, ungues, humores excrementitios, & sanguinem; quæ iterum inducent corruptionem, ac mortem. Denique, nisi in altera vita paratæ sint epulæ turpesque voluptates, superfluum est ad illam corporalia membra evocare.

56. Solutio 1. At respondeo hæc omnia revinci sola fide in summam Dei potestatem. Brevi ad singula aliquid reponamus. Ad primum Apostolus affert comparationem seminis, quod putrefactum humorem circumfusum attrahit, radices figit, emittit florem, erigit culmum, aristas nutrit, resuscitatque extinctum jam triticum. *Seminatur corpus animale*, inquit Paulus v. 44. *surget corpus spiritale*. Mire explicat hanc seminis comparationem in suo Theophrasto, sive Dialogo de Resur. mort. Gazæus. Vide & Tertullianum cap. 52. S. Paulinus de obitu Celsi pueri satis apposite.

Nullus eram & faciente Deo sum natus ut essem,
Nunc jam de proprio semine rursus ero.
Nam licet in tenuem redigantur & ossa favillam,
Corporis integri semina pulvis habet.

Idem

57. Solutio 2. Idem dicendum de membris dissipatis, atque dispersis. Tertullianus cap. 63. ait carnem *in suam matricem terram, quasi per ambages reforberi, ut rursus ex illa repræsentetur.* S. Pater Augustinus, *Absit* (inquit de C. D. lib. XXII. cap. 20.) *ut sinus ullus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem.* S. Paulinus ibidem:

Sed licet è membris in humum transmissa ferinis,
Membra hominum vivo semine salva manent.

58. Solutio 3. Affirmandum idem est de pueris, monstris, & abortivis anima informatis, quos omnes suscitandos Divina potestate integris membris, atque ætate perfecta, non est incredibile: quoniam, ut ait S. Pater Augustinus eodem libro, cap. 14. *Hunc perfectionis modum sic habent omnes, ut cum illo concipiantur, atque nascantur: sed habent in ratione, non in mole; sicut ipsa jam membra omnia sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint.* Fæminas in proprio sexu resuscitandas dicimus, cum eodem Augustino seq. cap. 17. quia *non est vitium sexus fœmineus, sed natura:* neque ex fœminarum aspectu consequetur oblectamentum libidinis; *nam prius, quam peccassent, nudi erant, & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illa vitia detrahentur, natura servabitur:* ait ibidem Augustinus. Haud vereor, quin S. Patris opinio verior sit, quidquid visum aliquibus: adstipulantur enim illi Tertull. cap. 60. Ambros. de Resurrect. Hieronymus Ep. ad Pammachium, Eugenius, & Julianus Tolet. lib. III. Προγνως. cap. 24. Scholastici fere omnes in IV. sent. dist. 44. Porro quod nonnullos movet dictum Matth. XXII. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur;* & ad Rom. VIII. 29. *conformes fieri imaginis filii sui*, nequit trahi ad fœminei sexus abolitionem; cum unum de sexus usu accipiendum sit, alterum de immortalitate, & gloria prædestinatorum. Humores deservientes tantum generationi ac nutritioni, nec non excrementitios non adfuturos in corpore resurgentium ultro assentimur. Erunt tamen reliquæ partes, quia licet plures pristina non exercebunt officia, ut alvei gurges & ubera, spectant tamen ad corporis decorem, & complementum. Ita inquit Tertullianus cap. 60. *Omnis compago pristina necessaria est soli navis saluti, licet vacaturæ.* Recte ergo Prudentius in fine Apoth.

Qui modo vivit, erit: nec me vel dente, vel ungue
Fraudatum removet patefacti fossa sepulchri.

59. Instantia & Solutio. Si opponas quod ait Apostolus versu 50. non semel laudati cap. XV. ad Corinth. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt;* Respondeo carnem, & sanguinem eo loci poni secundum mortalitatem, sive carnis & sanguinis corruptionem; nam sequitur, *Neque corruptio incorruptionem possidebit;* id est, significari corpus, quale nunc habemus, fluidum & fragile: sive etiam intelligi opera carnis & sanguinis, quamvis de incorruptione loqui Apostolum patescat ex verbis proximis, & fusiori explicatione demonstret summum vas scientiæ Augustinus Epist. 146. nunc 205. ad Consentium. Sed otiosum erit amplius in hac secunda thesi versari.

60. Probatur corpora in resurrectione fore incorruptibilia & immortalia. Tertio loco dicendum est de qualitate corporum resurgentium. Futura hæc incorruptibilia & immortalia, probatur cum ex Apostolo v. 52. *Canet tuba, & mortui resurgent incorrupti;* tum ex fine Resurrectionis, qui est, ut qui bona egerunt simul cum corpore transferantur in vitam æternam, qui mala in gehennam ac sempiternum opprobrium, Dan. XII. 2. Matth. XXV. 46. Joan. V. 29. Accedit ratio, quoniam otiosa mors esset, si in vitam eandem iterum esset redeundum; inquit Aeneas Gazæus citato Dialogo, qui inscribitur Theophrastus. De futura itaque immortalitate bonis malisque communi non est ullatenus dubitandum.

61. Quomodo Beatorum corpora incorrupta. Non erunt tamen utrisque eædem omnino affectiones. Beatorum corpora comitabitur incorruptio. De hac Apostolus v. 42. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione:* & Ambrosius de fide Resurrect. *Flos resurrectionis immortalitas est.* Consequetur decor & venustas; de qua Apostolus v. 43. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria:* & ad Philipp. III. 21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Affert Gazæus pulchram similitudinem Artificis, qui statuam Achillis æream minutissime confractam conflat & expurgat in aurum, & inducta priori forma videtur aureus idem ille Achilles, qui fuerat æreus. Ad gloriam hanc demonstrandam utuntur scripturæ comparatione ignis, stellarum, & solis, Sap. III. 7. Danielis XII. 3. Matth. XIII. 43. quod

hæc corpora sint cæteris splendidiora. Imitabor ego laudabilem moderationem Augustini scribentis lib. XXII. de Civ. Dei cap. 21. *Quæ sit autem, & quam magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne, quod de illa profertur, eloquium.* Propterea corpora beatorum mirabili prædita erunt agilitate; de qua Apostolus versu proximo: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Et S. Pater cap. ultimo ejusdem libri, *Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus.* Iisdem denique corporibus erit subtilitas, quam innuit Apostolus versu 43. dicens *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*: quo in loco non solum innuitur puritas purgata ab omni labe terrena, & facultas densos obices permeandi, verum etiam perfecta subjectio spiritui, unde orietur tranquillitas, impeccantia, & cessatio ab operationibus mere animalibus, iis scilicet, quæ non solum perficiuntur corporeis organis, sed & ad animalem vitam sunt necessariæ: quamvis perseverent actus corporei, quos sine labe exercet sentiens animus, ut videre, loqui, audire, moveri. Atque hæc est interpretatio Augustini de Fide & Symb. cap. 6. & D. Thomæ in IV. contra Gentes cap. 86. Ex his constat dotes corporum beatorum esse carere corruptione, opacitate, pondere, atque crassitie, quibus afficitur corpus hoc animale.

62. Objectio & Solutio.

Objiciebant Gentiles: Si corruptio non erit, quare post resurrectionem manducavit Christus? quare surrexit cum suorum vulnerum cicatricibus? At magnus Augustinus respondet, quod manducavit, potestatis fuisse, non egestatis: manducasse etiam Angelos incorruptibiles ab Abraham, & Tobia susceptos hospitio: exhibitas cicatrices vulneris, ut sanaretur vulnus incredulitatis. Legatur sermo 147. de Temp. nunc 242. n. 2. & 3.

63. Quomodo corpora damnatorum incorruptibilia.

Ut de corpore damnatorum dicamus aliqua: Gerardus Vossius disp. XIX. num. 28. ait D. Thomam in illud Apostoli, *Et mortui resurgent incorrupti* sensisse reprobos non resurrecturos cum istorum corporum vitiis. At falso, & audacter. Doctor enim Angelicus in loco citato à Vossio, id est, in cap. 15. Epist. 1. ad Corinthios, lect. 6. ait tantum Sanctos fore incorruptos, non solum eo sensu, quod illorum anima non dividetur à corpore, *quam incorruptionem habebunt & corpora damnatorum*, sed etiam quia *nullam habebunt noxiam passionem sive ab interiori, sive ab exteriori.* Libro autem IV. contra Gentes cap. 89. ubi hanc quæstionem dissolvit, principio ait verba Apostoli, *Mortui resurgent incorrupti*, de omnibus debere intelligi *tam bonis, quam malis*: ideoque & ipse cum Hieronymo, quem illi immerito opponit Vossius, verba Apostoli interpretatur de statu immortalitatis. Deinde S. Thomas ait, quod corpora damnatorum non erunt spiritualia, id est spiritui subjecta: non agibilia, sed ponderosa; non impassibilia, sed magis, quam nunc sint, obnoxia passionibus; non luce perfusa, sed tenebrosa & opaca: optimamque rationem profert, quia & reproborum anima experietur carnis affectus, aversa erit à Deo, acerbissime excruciabitur, & à lumine Divinæ cognitionis erit aliena. Quare Vossius & in hoc iniquus est, quod D. Thomæ præfert Durandum scribentem in IV. dist. 44. art. 6. reprobos cum iisdem vitiis corporum surrecturos; cum hac in re Durandus Magno Aquinati non disconveniat. Eidem nos pollice utroque subscribimus. Atque hæc est nostra *de Resurrectione carnis* dissertatio: de qua si videmur pingui minerva, & jejuna oratione dixisse, adeat Theologus Patrum, & Scriptorum, quos in hoc articulo laudavimus, ornatas fusasque lucubrationes.

XII. Articulus.

64. Articulus 12.

Ultimus articulus est, *Vitam æternam.* Non explicat hunc articulum Rufinus, nec Venantius Fortunatus: vel quia in eorum symbolis desit, vel quia ex prædictis obviam habeat intelligentiam. Neque nos hic immorabimur. In quo sita sit vita æterna sanctorum diximus superiori libro cap. 6. nunquam post mortem corpora interitura dictum est articulo præcedenti; perpetuas fore pœnas damnatorum ostendimus lib. X. cap. 17. Circulum ac transmigrationem animorum refutavimus libro XII. capite 6. Nunc duobus verbis damnamus Epicureos negantes animæ immortalitatem, Pythagoricos asserentes reditum, fluxumque perpetuum vitæ, & interitus, Gnosticos inficiantes remunerationem meritorum, Origenistas statuentes finem exilii, suppliciique reproborum. Verbo dicam; credimus Evangelio Mat. XXV. 46. *Et ibunt* (impii) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*; in quem locum Juvencus:

Æternum miseri pœnâ fodientur iniqui,
Æternumque salus justis concessa manebit.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS TERTIUS,

De Theologalium Virtutum natura, atque exercitatione,

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.

1. Ratio Ordinis.

FACILE ex præmissa Symboli Apostolici expositione conjicitur nihil esse Christiana fide præstantius, nihil utilius; quoniam Divinâ illius claritate perfusi, quæ nec Athenienſium philosophorum assidua contemplatio, nec idololatrarum gentium excogitavit religio, Divini cultus præcepta, morum institutiones, virtutum officia, & firmissimam atque inconcussam Theologicorum dogmatum doctrinam absque ulla erroris caligine assequimur, tradimus, propugnamus. Sed cum sit miserrima illorum hominum conditio, quibus aut non affulget hujusce fidei supernum lumen, aut sponte sedentibus in tenebris & umbra mortis inest pœnalis cæcitas, animique increduli sordes ac dedecus; illorum tamen deterrima via, ac suprema malitia est, qui fidem non consummantes operibus, nec posito fundamento superædificantes probatæ dilectionis aurum, & pretiosos piorum operum lapides, thesaurizant sibi iram in futuro, amittunt sperandarum rerum substantiam, nec adhibent omnem curam, ut peregrini & hospites super terram ad Civitatem, cujus artifex & conditor Deus, indefesso labore, invictoque studio contendant. Ab iis enim, quibus ampliora collata sunt beneficia, usque ad minimum quadrantem reddendam esse rationem docent Evangeliorum parabolæ, commonstrant dispersæ Judæorum reliquiæ, flagitat, acriterque postulat ingratissimæ oblivionis meritum singulare. Posteaquam ergo Catholicæ fidei ac religionis munus accepimus, mysteria cognovimus, firmitatem & vidimus & audivimus & contrectavimus; danda est opera, ne fides nostra sit inanis & mortua, sed vividæ spei, & flagrantissimæ charitati conjuncta adipiscatur repromissionem: nec ulterius per speculum & in ænigmate, sed ablato velamine, & facie ad faciem, quod firmissime credimus, atque expectamus, mente apertissime intueamur, corde jucundissime degustemus. Hujus rei gratiâ quomodo credendum sit, quomodo sperandum, quomodo diligendum proxima dissertatione explicabo, Divinæ Sapientiæ, quæ pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei mater est, numine suppliciter demisseque implorato.

CA-

CAPUT I.

Quid sit illa virtus, per quam prædictis, cæterisque Ecclesiasticis dogmatibus præstatur assensus?

SUMMARIUM.

1. Nomen fides unde derivatum.
2. Definitio fidei.
3. Explicatio Definitionis.
4. Definitio fidei à S. Paulo statuta approbatur.
5. An assensus fidei sit liber, supernaturalis & discursivus.
6. Evidentia datur duplex.
7. Objectum materiale fidei.
8. Objecta fidei secundum substantiam accepta non crevêre successu temporis.
9. Objecta fidei explicitè accepta creverunt.
10. A temporibus Christi, & Apostolorum objecta fidei fuerunt manifestè revelata.
11. Quodnam formale objectum fidei.
12. Fides dividitur in actualem, & habitualem.

SYMBOLO, & Orthodoxæ Religionis cuilibet veritati adeo firmiter assentimur, ut, quamquam sensum omnem humanum excedant, magis inconcussa & consistentia credamus, quam ea, quæ aut tangimus, aut videmus. Id virtutis, quam *Fidem* dicimus, effectus est: & de hac virtute differentes, nomen, definitionem, & objectum quanta fieri potest perspicuitate inquiremus.

1. Nomen Fides unde derivatum.

A nomine ut ordiamur, dicta est fides *à Fio*, quod fiat, quod dictum est, inquit in 1. de Off. Tullius. Eo nomine significantur apud Latinos constantia promissorum, patrocinium & clientela, auctoritas, fiducia, veracitas: unde consuetum est dicere, fidem interponere, fidem liberare, in fidem & amicitiam se conferre, fidem fallere, fidem tribuere. Etiam Gen. XLIV. 32. Judas de Benjamin ait: *In meam hunc recepi fidem;* significans promissionem factam patri illum reducendi: & de vadimonio, aut fidejussione Prov. XI. 15. *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo.* Hic autem fidem accipimus, pro illa animi qualitate, qua firmissime, & absque ulla fluctuatione assentimur iis, quæ à Deo revelata sunt; de qua Gen. XV. 6. *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam*; & ad Hebræos XI. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.*

2. Definitio fidei.

Hanc fidem definit Apostolus cap. citato versu 1. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Erasmus putat hic fidem laudari, non definiri. Juenin Tom. VI. pag. 163. ait hanc esse definitionem descriptivam, non essentialem: L'Herminier pariter Tom. VIII. p. 34. ait definitionem hanc esse minus accuratam; quod probat primo quia Apostolus non explicat naturam fidei per genus & differentiam, quod enim dicatur sperandarum rerum substantia, in hoc certe commendatur fides, non definitur: cum idem sit, ac basis, & fundamentum spei Christianæ. 2. quia fides non se extendit ad res sperandas tantum; fide enim credimus etiam infernum, quem timemus. 3. quia fides non modo versatur circa inevidentia, sed & circa res evidentes, puta Dei existentiam, & immortalitatem animorum. Accuratam ergo hi putant solam definitionem illam scholasticam: *Fides est virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter assentitur iis, quæ à Deo revelata sunt, propter ipsius revelantis auctoritatem.*

3. Explicatio definitionis.

Etsi vero Apostolus definitionem verbotenus non tradat more Dialectico-rum; si tamen sensum inspiciamus, definitionis utriusque eadem vis est; & Apostolica longe sublimior, & accurratior. Græce ad hunc modum se habet, Ἐστὶ δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις. Hypostasis, sive subsistentia, aut substantia dicitur fides triplici titulo: primo quia adeo firmam rerum sperandarum persuasionem gignit, ut iis tam firmiter assentiamur, ac si jam subsisterent, ac præsentia ante oculos nostros obversarentur. Substantia ergo dicitur metonymice, sive per transnominationem, quasi dicatur *Virtus faciens subsistere in intellectu.* Hanc interpretationem tradunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, aliique Græcorum, necnon Estius, ac Tyrinus, & nos etiam Tom. III. p. 563. Quidquid ergo Scholastici allata definitione expressere, id affirmavit Apostolus uno vocabulo *hypostasis.* Hujus vocis altera significatio est, quod fides sit spei nostræ *basis ac fundamentum*: atque juxta hunc sensum communiter traditum intelligimus virtutem fidei, quæ salutis initium est, non esse fiduciam illam, quæ est actus spei, atque fidem præexistentem supponit. Tertio apud Lyranum fides dicitur *substantia*, quoniam est inchoatio beatitudinis, & quemadmodum substantia est in rebus qualitatum omnium substratum, ita fides est prima virtus infusa, cui aliæ superaddun-

duntur. Nomine *rerum sperandarum*, intelligitur fidei objectum, Deus primum, in quem tendimus, gloriam, resurrectionem; & ne quis putet hæc tantum esse credenda, addit Apostolus: ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, *argumentum non apparentium.* Ἔλεγχος non solum est *indicium*, sed etiam *firma persuasio*, & *assensus firmissimus:* ideoque sensus est, sicut in dialecticis est Elenchus, sive ratio explorandi argumenta, unde pendet scientiæ firmitas, ita in credendis fides est illa, per quam habetur certa probatio eorum, quæ non apparent, nec movent sensum.

4. Definitio fidei à S. Paulo statuta approbatur.

Respondemus itaque negantibus accuratam esse definitionem Apostoli, in ea vocem *hypostasis* accipiendam metonymice, ideoque non tantum significare Christianæ spei fundamentum ac basim, sed etiam virtutem, ac supernaturalem qualitatem, quæ causa est firmissimæ illius persuasionis, per quam revelata mysteria menti nostræ constantissime inhærent. Est enim *substantia* metonymice idem ac virtus, & causa, quæ facit subsistere. Ad 2. dicimus; ideo Apostolum addidisse *argumentum non apparentium*, ut demonstraret, plura ad fidem spectare, quæ non sperantur, eaque omnia, quæ revelata sunt, & non apparent. Ad tertium vero respondemus immortalitatem animorum, existentiam Dei, & alia nobis evidentia, spectare ad fidem in quantum creduntur ob solam Divinam revelationem, etiam ab iis qui demonstrationis vim non percipiunt, non in quantum à nobis certo argumentorum genere comprobantur.

5. An assensus fidei sit liber, supernaturalis, & discursivus.

Ex dictis sequitur assensum fidei esse firmissimum; per quod ab opinione, quæ penitus non excludit animi hæsitationem, secernitur. Quæri solet an hujusmodi assensus sit liber, an supernaturalis, an discursivus. Si enim articuli fidei, & Religionis Christianæ rudimenta ut diximus cap. 3. evidentissime sunt credibilia, quomodo possumus, dum explorata sunt credibilitatis motiva, cohibere assensum? cur autem voluntas gratiæ munere trahenda est, dum inest menti immutabilis persuasio, Deum hæc revelasse, & non posse mentiri? quid vero in hujusmodi assensu eliciendo opus est ratiocinatione, ac discursu?

6. Evidentia datur duplex.

Respondemus aliam esse evidentiam Divini testimonii divinæque revelationis, aliam evidentiam objecti & rei revelatæ. Evidens nobis est, Deum nec falli nec fallere; institutam ab ipso Apostolicam Ecclesiam, hanc ejus spiritu duci, certissimum proinde esse quidquid ea proponit, puta Trinitatem, Incarnationem, Eucharistiam. At hæc obscura sunt, ac tenebris obvoluta; sensum enim subterfugiunt, & supergrediuntur rationem, nec ad ea investiganda possumus in hac peregrinatione pertingere. Itaque assensus fidei est liber, quoniam licet explorata sit auctoritas revelantis, non est evidens objectum, sed impervium, reconditum, obscurissimum. Est etiam supernaturalis, tum ratione revelationis, quia nullo quantumvis perspicuo rationis lumine fidei mysteria Deo non revelante possunt apprehendi; tum ratione firmissimæ certitudinis, quia hæc nulli naturali momento innitur, sed Apostolicæ prædicationi, miraculorum virtuti, & subministrationi Spiritus sancti: tum denique ratione piæ motionis, quia ad hunc constantem firmumque assensum voluntas trahi debet repugnantibus rerum sensibilium imaginibus, humani intellectus angustiis, superstitionibus gentium, philosophorum placitis, & hæreticorum machinamentis. Denique assensus fidei discursivus est suo modo; quoniam ab evidenti Divina revelatione mens ad credendam rem latentem inflectitur, atque ex noto exploratoque principio subinfert veritatem, quæ nequit ex naturalium scientiarum præceptionibus hauriri.

7. Objectum materiale fidei.

Sequitur etiam ex dictis objectum *materiale* fidei esse omnem veritatem à Deo revelatam, sive ad credendum proposita: quæ si inevidens sit, & excedat sensum humanamque rationem, cujusmodi est Trinitatis Mysterium, est fidei objectum necessario ac per se, quia nisi revelatum esset, non posset à nobis extorquere certum & constantem assensum: si autem sit aliunde evidens, ut Dei existentia; est objectum fidei tantum per accidens, & in quantum ei præstatur assensus propter auctoritatem Dei revelantis, cum tamen firmissime ea veritas per naturalem quoque philosophiam comparetur, & attingatur. Atque hinc liquet prorsus inutilem esse eam quæstionem, an quod evidens est, possit subesse fidei, sive, quod idem est, an fides consistat cum evidentia objecti.

8. Objecta fidei secundùm substantiam accepta non crevêre successu temporis.

Disputatur in Scholis, an objecta credibilia creverint successu temporis. Antiquiores Scholastici, Magister, D. Thomas, Scotus, Aegidius, & alii tenent fidem quoad substantiam credibilium semper, etiam à mundi exordio fuisse eandem. Recentiores, ut L'Herminier pag. 167. & Cardinalis de Laurea in 3. Sent. disput. 3. art. 4. tenent usque ad

Apostolos & adventum Spiritus sancti semper per novas revelationes objecta fidei crevisse, post illud autem tempus eandem semper fidem perseverasse. Puto utramque sententiam veram esse, sed adhibendam distinctionem. Si objecta fidei secundum substantiam accepta intelligantur præcipua mysteria, aut explicite, aut implicite saltem credenda, eadem semper fuere; una est enim fides, sine qua est impossibile placere Deo, omnesque Patres veteris Testamenti eundem cum nobis spiritum fidei habuerunt, ut inquit Apostolus: ideoque *tempora variata sunt, non fides*, ait Tract. 45. in Joannem S. P. August. Omnes siquidem, ab Adam usque, in Deum, & in futurum Mediatorem crediderunt, etsi non adeo aperte revelata esset Trinitas divinarum personarum, & Christi passio ac divinitas, sed veluti semen continet arborem latentem, & post temporis intervalla explicandam, primæva illa fides esset paulatim exponenda, & insinuanda mortalium animis.

9. Objecta fidei explicitè accepta creverunt.

Si vero objecta fidei accipiantur *explicite*, & veluti rami è sua radice foras emissi, atque inter se distincti numero; haud dubium, quod semper creverint usque ad Evangelii promulgationem. Plura enim in lege naturæ Abrahamo, Jacobo, aliisque Patribus revelata sunt: plura per Moysen ac Prophetas innotuerunt; plura, quæ sub cortice veteris legis latebant, & antiquis mysteriis fuerunt promissa, sub Christo patefacta sunt & completa. At non proinde substantia credendorum immutata est, quemadmodum non est diversa substantia ac materia humani corporis membris nunc perfectis & aspectabilibus compacti, ab ea, quæ antea occulta & invisa in maternis visceribus latitabat, ibique primum fuit indigesta & informis, postea suis distincta partibus, consolidata, in lucem edita, enutrita, perfecta.

10. A temporibus Christi & Apostolorum objecta fidei fuerunt manifestè revelata.

A temporibus autem Christi & Apostolorum omnia fidei objecta fuerunt adeo expressa, & manifesto revelata, ut nonnisi contingens & accidentalis mutatio facta fuerit aut particularium rerum eventu, aut singularium propositionum definitione, semper perseverante eadem perspicua plenissimaque veritate, in qua omnia religionis capita, & universalia dogmatum omnium fundamenta certa & invariata consistunt. Oportebat enim, ut Christus Ecclesiam suam adversus omnes hæreses valide præmuniret, & quemadmodum spoponderat, missus ab illo Paracletus, Joan. XVI. 13. doceret Apostolos *omnem veritatem*. Quare quidquid temporis decursu aut à Romano Pontifice, aut à plenariis Conciliis statutum est, ex Apostolica traditione, divinisque scripturis proponitur ac decernitur. Frustra ergo à nonnullis objicitur non semper spectasse ad fidem plura dogmata, quæ nunc refellere nefas est; E. G. Epistolam Judæ esse canonicam, Sanctorum animabus statim post mortem conferri gloriam, Sacramenta esse numero septem, Papam in factis dogmaticis esse infallibilem, Tridentinum Concilium esse Oecumenicum, Clementem XII. esse legitimum Petri successorem; & alia hujusmodi, quorum aliqua antiquitus definita non erant, aliqua etiam ignota. Enimvero propositiones universales, quas modo tenemus spectare ad fidem, semper in Ecclesia Apostolica obtinuerunt, licet nonnullæ à privatis quibusdam in dubium fuerint revocatæ, cujusmodi sunt, Recipienda est doctrina Romanæ Ecclesiæ circa Canonem Scripturarum, circa Beatorum statum, circa numerum Sacramentorum: particulares vero ex universalibus deducuntur; ut ex quo Papa sit fidelium pastor, & irrefragabilis auctoritatis, sequitur errare non posse in definiendis quæstionibus ad fidem, moresque pertinentibus: ex quo œcumenicum sit omne Concilium plenarium & legitime convocatum, infertur, talem esse Synodum Tridentinam; ex quo omnis Romanus Pontifex canonice electus sit Divi Petri successor, consequitur hoc honoris ac dignitatis loco habendum esse Clementem XII. Quod pari argumentatione de omni orthodoxa veritate concluditur.

11. Quodnam formale objectum fidei.

Quodnam sit objectum fidei *formale*, Theologi non consentiunt, quibusdam affirmantibus esse summam Dei veracitatem, quibusdam vero Divinam revelationem. Movet prioris sententiæ auctores, quod incommutabilis Dei veritas, sive Deus ipse, in quantum fallere & falli nescius est, nos ad assentiendum propositionibus revelatis pertrahat, id est, idcirco credamus, quoniam revelantur ab Auctore, qui incapax est erroris ac deceptionis. Econtra alii inquiunt objectum *formale* esse revelationem Divinam, quod hæc sit ratio, sub qua fides attingit suum objectum materiale, & per quam fides à scientia & ab opinione distinguitur. Sunt qui utramque opinationem conciliant, dicendo summam Dei veritatem esse objectum formale *quod*, illud nempe quod credendo perpendimus in objecto *materiali*; cujusmodi est color respectu potentiæ videntis;

&

& revelationem esse objectum formale, *quo*, scilicet rationem illam, sub qua virtus fidei objectum proprium attingit, cujusmodi est lux comparate ad facultatem videndi. Placet nobis, omissis tot metaphysicis partitionibus, priorem sententiam amplecti, & revelationem potius appellare medium, per quod nobis ea, quæ credenda sunt proponuntur, quemadmodum demonstratio est medium ad acquisitionem scientiæ, & lumen ad visionem corporum coloratorum. Videtur enim Divinam revelationem esse potius effectricem causam fidei, quam *formalem*; & ad credendum necessariam esse, sicuti requiritur ad instituendum puerum præceptor aut pædadogus: quod fortassis innuit Apostolus scribens ad Rom. x. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi:* quibus verbis ostenditur, per Dei verbum, sive revelationem ad nos Apostolica prædicatione transmissam percipi auditu quæ sunt credenda: ex ipso auditu fidem in cordibus generari.

12. Fides dividitur in actualem, & habitualem.

Reliquum est, ut nonnulla dicamus de fidei divisione, quæ est in fidem *actualem*, & *habitualem*. Et *actualis* quidem est ipse assensus, quem auxiliante Divina gratia præstamus propositionibus à Deo revelatis: *habitualis* vero est permanens in anima affectio, per quam in eundem assensum facilius prorumpimus, & fideles dicimur, tametsi non semper à nobis actus fidei eliciatur, sicut per *habitum* gratiæ & charitatis justi Deoque chari efficimur, & per *habitus* naturalium scientiarum philosophi aut mathematici. Ita hæc fides etiam in pueris ac dormientibus reperitur, & nullo peccato, nisi infidelitatis & hæresis, deleri potest. Jure itaque meritoque à gratia sanctificante, & à charitate distinguitur; & amissâ per peccatum justitiâ remanet, ut definit Tridentina Synodus sess. 6. cap. 28. Dicitur tamen sine charitate & sine gratia fides *informis*, quoniam charitas forma est, & perfectio virtutum cæterarum: ideoque si fides ab ordine amoris sejuncta sit, non est talis virtus, quæ reddere possit hominem in genere moris perfectiorem, licet adhuc sit virtus intellectualis inclinans animum ad assensum supernaturalium veritatum. Econtra fides gratiæ & charitati conjuncta dicitur fides *formata*: quæ nomina licet sint à Scholasticis post sæculum XII. adinventa, utiliter retinentur ad refutanda dogmata hæreticorum, adversus quæ libro undevicesimo disceptavimus. Tandem hæc fides quatenus in ipsa justificatione cum spe & charitate inseritur, ut evenit in Baptismo, ex Trident. Conc. sess. 6. cap. 7. appellatur *infusa*; quatenus repetitis actibus gignitur & roboratur, dicitur *acquisita:* dum per dilectionem operatur, *viva* est; sine operibus, ut inquit Jacobus cap. II. 26. *mortua est*, & quasi sine spiritu corpus.

CAPUT II.

Non resolvi assensum fidei in humanam rationem, neque in solam Scripturam, neque in privatum spiritum, internamque singulorum hominum persuasionem, sed in auctoritatem Ecclesiæ ea, quæ credenda sunt, definientis ac proponentis.

SUMMARIUM.

1. De resolutione fidei, & analysi.
2. Opiniones Hæreticorum circa fidem.
3. 4. & 5. Propositio probatur.
6. 7. & 8. Solutio Objectionum.

1. De resolutione fidei, & analysi.

QUÆSTIO, quam pertractant omnes Scholastici de fidei resolutione, & analysi, si à controversiis, quæ inter nos hæreticosque versantur abstineremus, aut contentiosa esset circa verba altercatio, aut inutilis prorsus, & compendio expedienda rei satis apertæ definitio. Ego enim omnia, quæ ad fidem animo inserendam concurrunt, breviter repetens animadverto me adductum motivis efficacissimis ad credendum; religionem Christianam, sive congregationem fidelium sub Romano Pontifice Christi cultum ac legem profitentium esse divinitus institutam, & in doctrina & morum institutione immaculatam, ejusque præcepta esse rectissima atque inconcussa, propterea quod auctorem habeant ipsum Deum, ac primam incommutabilem veritatem. Quare illud constantissimo assensu probo, quod mihi per Rectorem suum Ecclesia ipsa, tanquam divinitus traditum, credendum exhibet. Ipsa vero Ecclesia

ne in fidelium suorum regimine subjiciatur errori, præter promissam sibi Divini Spiritus assistentiam, quam gravi qualibet controversia emergente suppliciter invocat, tenet dijudicandorum regulam invariabilem, Scripturam nempe Divinam & Apostolicas traditiones. Resolvitur ergo fides in motiva credibilitatis, tanquam in præviam quamdam dispositionem, quæ necessaria est, ut certus sim de veritate revelationis Divinæ, nec imprudenter, & levi corde iis, quæ mihi proponuntur, assentiar: resolvitur in auctoritatem Divini testimonii, tanquam in objectum fidei *formale*, cujus causâ præstitus assensus redditur præ omni alio fixus ac stabilis: resolvitur in Divinam revelationem, tanquam in medium, per quod ea quæ credenda sunt Ecclesiæ innotescunt: resolvitur denique in auctoritatem Ecclesiæ, tanquam in causam proponentem, id est, tanquam in vivum Judicem, ad quem spectat de fidei quæstionibus sententiam pronuntiare. Atque ita Scholastica disputatio de Resolutione fidei, quæ alioquî videtur implexa, inter Catholicos nullo negotio dirimitur, si hæc accurate distinguantur, motiva credendi, objectum, ut inquiunt, *formale*, Judex credenda proponens, & regula, sive criterium ab ipso Judice adhibitum, nimirum Dei verbum scriptum, ac traditum.

2. Opiniones hæreticorum circa fidem.

At non adeo facile hæc quæstio expeditur; si adversus hæreticos disputemus. Horum enim aliqui nulla Ecclesiæ, ac divinarum Traditionum ratione habitâ, totum fidei stabilimentum in humana ratiocinatione constituunt, asserentes nihil esse credendum, nisi quod rationi consentaneum est, obvium, ac manifestum; adeo ut nemo debeat altitudine mysteriorum terreri, nec fides ante rationem sit imperanda, sed credendum sit duntaxat discussa, & enodata veritate. Hi ergo fidem, tanquam in regulam dijudicandi, in solam rationem resolvunt; eaque de Scripturis Divinis, earum sensu, cæterisque fidei capitibus neglecta alterius Judicis sententia definiunt. Hujus generis fuerunt olim Manichæi, de quibus S. Pater lib. de util. credendi c. 1. His accessit Abaelardus, ut scribit ad Innocentium S. Bernardus Epist. 190. postea eadem vestigia calcarunt hæreticorum omnium pernicio sissimi Sociniani. Cæteri autem hæretici unam fidei regulam statuunt, Divinam Scripturam, prout privato spiritu, & divinitus immissâ persuasione unicuique clarescit, rejectis Apostolicis traditionibus, spretisque Pastorum Ecclesiæ decretis. Ergo, ne tam nefaria placita absque ulla discussione prætereant, eliminandus principio est error Socinianorum; tum instituenda quæstio, an ad dirimendas controversias fidei sufficiat sola Scriptura, aut privatus, quem hæretici jactant, spiritus, an potius recurrendum sit ad Ecclesiæ judicium, & auctoritatem: postremo inquirendum est, an præter verbum Dei scriptum admittendæ sint, tanquam optima, & minime fallax fidei norma, transmissæ ad nos traditiones. Atque, ut à priori dissertatione incipiamus, quoniam de ea perpauci scripserunt, Sociniana autem hæresis nimium serpsit, fuditque venenum lethiferum, illam ex sacris literis, ex Patribus, atque ex iis, quæ attulit adversus Manichæos Augustinus, & contra Petrum Abaelardum Bernardus, summatim simul, ac naviter profligabo.

PROPOSITIO I. Statui nequit norma, & libella, ad quam fides exigenda est, in sola humana ratione. 3. Propositio I.

Probatur 1. nam Christus Matth. XI. 25. ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: & cap. XVI. 17. *Beatus es Simon, Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Paulus in priori ad Corinth. II. 4. *Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei;* atque I. ad Thess. II. 13. *Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Collegit hæc, aliaque testimonia huc pertinentia Suaresius de Fide disp. III. sect. 1. & Card. de Laurea disp. VII. 1. Ex his vero argumentum istud conficio. Si naturalis ratio esset fidei norma & criterium, non essent mysteria fidei abscondita sapientibus, sed ad ea percipienda magis idonei essent illustres viri, qui multum sapere videntur, quam mansueti & humiles demisse intellectum in obsequium fidei captivantes: non opus esset ad credendum Divina revelatione, sed sufficerent hominum ratiocinia, & argumenta philosophorum: non confirmanda Apostolica prædicatio patratis in Christi nomine signis, sed eruditione, qua utitur hominum sapientia: non insereretur fidei donum virtute Dei, Probatur 1. contra Socinianos ex S. Scriptura.

&

& munere Spiritus ſancti, ſed animum pervaderet tanquam humana inſtitutio, ingenita ac naturali vi intelligentiæ. Atqui juxta Chriſti, & Pauli apertiſſimum teſtimonium, fidei arcana latent ſapientes ingenioque acutiſſimo præditos; revelantur, pro ſuo beneplacito, à Patre luminum illiteratis, carentibus acumine & hebeſcentibus; animoque ingenerantur non dialecticis artificiis, non humanarum ſcientiarum uſu atque exercitatione, ſed vi & efficacia Divini verbi. Igitur naturalis ratio nequit eſſe rerum credendarum regula ac norma.

4. Probatur ex Patribus.

Deinde probatur Sanctorum auctoritate. Baſilius enim hom. in Pſ. 115. appellat fidem *aſſenſum nulla prævia inquiſitione nitentem.* S. P. Auguſtinus Tract. 40. in Joan. *Credimus*, inquit, *ut cognoſcamus, non cognoſcimus, ut credamus: quid enim eſt fides, niſi credere quod non vides?* Athanaſius lib. de ſalut. adventu, *Non enim fides de re evidenti concepta, fides dici poterit.* Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 3. *Rationem præveniat fides.* Greg. Magnus in 1. Regum cap. 4. *Fide velut fama Deum cognoſcimus:* & hom. 26. in Evangelia, *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

5. Probatur ratione.

Præterea Socinianos acutiſſimos quidem dialecticos, ſed captioſos Sophiſtas ipſa ratione revincimus. Ac primo: Fides aut definitur, aut commendatur, quod ſit convictio rerum non apparentium; at quæ ratione percipiuntur, non ſolum apparent, ſed etiam ſcientiam generant. Ad fidem ergo neceſſarium non eſt, ut quæ credenda ſunt, ratione percipiantur. II. Si fidei capita ratione expendantur, aut occurrent menti argumenta probabilia, aut certæ demonſtrationes: ſi argumenta probabilia, opinionem gignent, non fidem corroborabunt; neque habebimus firmiorem propheticum ſermonem, ſed circumferemur omni vento, & diſtrahemur hæſitatione: ſi autem invictæ demonſtrationes, nullum erit fidei meritum, nec Chriſtiana religio ſublimior erit Græcorum philoſophia, ut diximus Volum 11. pag. 28. III. Si non eſſent credenda ea, quorum rationem reddere non poſſumus; tanquam falſa ea ſingula habenda eſſent, quorum cauſam non valemus oſtendere, ut quod narrant de Agrigentino Siciliæ ſale, qui admotus igni flueſcit, in aqua vero tanquam in igne crepitat: de fonte Debris apud Garamantum, diurnis horis frigidiſſimo, nocturnis tam fervido, ut tangi non poſſit: & de aliis naturæ mirabilibus, quæ commemorat S. Pater lib. xxi. de Civit. Dei cap. 5. his verbis perſtringens infideles negantes æternitatem pœnarum, quod rationem ſuperet corpora perpetuo vivere, & infernalibus ignibus concremari, *Hi tamen fidei reprehenſores, exactoresque rationis, quid ad iſta reſpondent, de quibus ratio reddi ab homine non poteſt, & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria?* IV. Vel norma fidei eſt ratio, qua mens convertitur ad communes ideas & ingenitas atque anteceptas; vel à ſenſibus hauſtas, factitias, & ſingulares: ſi illud affirmes, idem eſt Chriſti fides, ac Platonis vel Carteſii phiſiologia; ſi alterum aſſeris, ut una non eſt ſingulorum idea, nec ratio inde petita, ita una non erit fides, ſed pro ſingulorum perceptione multiplex, & tanquam Schola Athenarum in ſectas diſciſſa. V. Quemadmodum animal premente corporeo plasmate ad æthera volare non poteſt, ita mens conſortio carnis depreſſa nequit ad myſteriorum agnitionem elevari. At quamvis nonnulli poſſent ratione certa huc pertingere, quoniam id impoſſibile eſt inſipientibus & univerſæ credentium multitudini, ſtatuenda eſſet communis quædam fidei norma in gravis auctoritatis imperio; *ſicut etiam ii, qui* poſſent volare, *ne cui eſſent periculoſo invitamento, deberent pauliſper incedere, qua etiam cæteris tutum eſſet,* inquit magnus Auguſtinus de util. credendi cap. x. num. 24. VI. Neque in amicitia, & ſocietate generis humani absque ſumma impietate contemni poteſt quidquid certa ratione non demonſtratur; patrem enim noſtrum credimus interpoſita matris auctoritate, ipſam vero matrem plerumque obſtetricibus, nutricibus, famulis enuntiantibus, qui proculdubio poterant parienti filium furari, ſpuriumque ſupponere: quanto ergo magis credendum eſt Catholicæ Eccleſiæ auctoritati, etiamſi myſteria omnia ratione non aſſequamur; cum illam Divina teſtimonia immunem ab omni deceptione pronuntient? Vide eo loci num. 26. doctorem maximum Auguſtinum. VII. Si ad fidem neceſſaria eſſet diſquiſitio rerum quæ proponuntur, omniaque eſſent ad rationis trutinam revocanda, neque aliàs exploratæ auctoritati eſſet obſequenter acquieſcendum; immerito laudaretur Abraham, qui Divinis promiſſis de futura ſeminis ſui propagatione emortuo jam corpore contra ſpem in ſpem credidit: immerito ſanctiſſima Dei Genitrix, quæ Angelo nuntianti, ad ea verba *Non erit*

impossibile apud Deum omne verbum, rationem fide præveniens humilem præbuit assensum: immerito Apostoli, qui ad unius vocis imperium secuti sunt Dominum; immerito denique Patres omnes, qui ad hæc usque tempora ineffabile Trinitatis mysterium sola auctoritate contra hæreticos propugnarunt. Commendanda potius foret Sara, quæ ait: *Num vere paritura sum anus?* Commendandus Zacharias, qui fidem ratione tentavit; nec increpandi erant discipuli ob duritiam cordis, quando credere noluerant Christi resurrectionem. Atque hoc argumento utitur contra Petrum Abaelardum S. Bernardus: imo & Apostolus cap. XI. ad Hebræos, ubi fidem ex actis veterum Patrum magnificentissime laudat. Vide & Du-Amelium Tom. IV. Tract. I. cap. 4.

6. Objectio. Objicies. Nisi omnia, quæ credenda proponuntur ad rationis normam essent ponderanda; non esset recte ab Ecclesiastico scriptum cap. XIX. 4. *Qui cito credit, levis est corde;* & ab Joannne I. Ep. IV. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Ratio itaque norma est credendorum; & Catholici ad auctoritatem Ecclesiæ confugiunt, ut plebem superstitione deterreant, ac inserant animis sub mysteriorum nomine absurda, atque aciem ingenii obruant, & efficta imagine religionis perstringant.

7. Solutio I. Resp. servanda Ecclesiastici, & Apostoli monita, dum nos alloquuntur homines dubiæ fidei, pseudoprophetæ, & novorum dogmatum auctores; non vero dum proponuntur credenda ab Ecclesiæ summis Pastoribus, quos in definiendis, ac dijudicandis controversiis novimus duci irrefragabilis veritatis afflatu; quod si alicui Religio Christiana primum annuntiaretur, ei revocanda ad rationis libram motiva credendi, ut prudenter se gerat, ultro concedimus. Sed aliud est requiri rationis criterium in eligenda religione; aliud nihil esse credendum, nisi quod ratione percipitur, & ipsam religionem conculcare, quia plura deprædicat, quorum apertam causam reddere non valemus, atque in ratione, non in auctoritate locare fidei disquisitionem. Ecclesiasticus eo loci, *non de fide in Deum, sed de mutua inter nos loquitur credulitate*, ait cit. Epist. D. Bernardus. Revera quantum hominibus invidis, subdolisque credere afferat detrimenti, ex Josue à Gabaonitis decepto, & ex Crispo, & Hippolyto injusta cæde sublatis, demonstrat in hunc locum A lapide. Quidam ea verba *Qui cito credit*, ita accipiunt, ac si diceretur, *Qui se committit*, scortis, scilicet, & fornicariis, de quibus est sermo. Joannes accipiendus est de pseudoprophetis, qui à fide Christi JEsu tunc temporis abducebant, negantes hunc venisse in carne. Horum quidem & similium pseudoprophetarum scita probare debemus, an catholicis institutionibus conveniant. Privatorum quoque hominum placita, nova præsertim, & obscura rationis libramento sunt ponderanda, hujusque rationis momenta æquâ lance juste rectèque pensanda sunt. Cæterum religione perspectâ, hujus dogmata sunt, quantumvis sublimia appareant, firmissime suscipienda, non ad libellam pensitanda lascivientis ingenii. Ita Apostoli postquam virtutes ac signa præcesserant, & in Christo demirati fuerant occultæ divinitatis majestatem, ita ut dici non posset, quod irrationabiliter sequerentur vocantem, sese illi singulari fidei merito subjecerunt. Vide & Hieronymum in cap. IX. Matthæi.

8. Solutio 2. Honoratum Manichæorum ore mussantem, quod Catholici suadeant absurda, & à ratione aliena, ita S. Pater alloquitur, cap. VII. n. 17. *At absurda ibi, dicis, videbantur. Quibus asserentibus? Nempe inimicis, qualibet causa, qualibet ratione, non enim hoc nunc quæritur, tamen inimicis. Cum legerem, per me ipse cognovi. Itane est? nulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine Magistro attingere non auderes: Asper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta possit intelligi, cujus carmina & theatri plausus videntur captare: tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen, divinarumque rerum pleni prope totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam?* Eadem à Socinianis præstat in præsentia reposcere.

CA-

CAPUT III.

Sequitur quæſtionis pars altera, ſcilicet an ad dirimendas controverſias fidei ſola Scriptura ſufficiat.

SUMMARIUM.

1. Opinio Hæreticorum de S. Scriptura.
2. Hæretica perſpicuitas ſcripturæ una eſt externa, alia interna.
3. Scriptura, Judex, norma, & regula inter ſe diſtinguuntur.
4. 5. & 6. Propoſitio 1. probatur.
7. Effugia Hæreticorum diluuntur.
8. 9. 10. & 11. Propoſitio 2. probatur.
12. 13. 14. 15. Propoſitio 3. probatur.

1. Opinio hæreticorum de S. Scriptura.

POSTREMA verba Auguſtini aperte docent, ſacros, divinarumque rerum plenos libros non eſſe absque duce & præceptore revolvendos. Hæretici econtra, inquiunt Divinam ſcripturam adeo eſſe apertam ut unusquisque, exigui licet ingenii, dogmata ibidem tradita nullo proponente ac declarante aſſequatur. Sibrandus, & Hunnius aliique citati à Jacobo Gretſero viro Societatis JEſu doctiſſimo lib. III. defen. Bellarm. cap. 1. inquiunt falſo à nobis hoc dogma ipſis hæreticis tribui, cum & iidem fateantur in ſcripturis permulta occurrere ſcitu difficillima, & quæ non idiotis tantum, verum etiam viris doctiſſimis plurimum negotii faceſſant. Sed imperitos ſpecioſis verbis decipiunt homines callidiſſimi. Etſi enim alicubi Scripturam intellectu difficilem fateantur, & donum quoque interpretationis Eccleſiæ prorſus non denegent; nihilominus contendunt dogmata quæque ad ſalutem neceſſaria in ſacris literis contineri, ea obſcura quidem eſſe ſuperbis & infidelibus, non autem humilibus, & qui gratiæ fideique ſpiritu aguntur; hos uno verbi ſcripti præſidio omnia quæ ſunt credenda dijudicare; ſi quid abſtruſum ac perdifficile in uno ſcripturæ textu ob implexam ſignificationem verborum invenitur, illud alio in loco absque ulla ambiguitate expedite ac dilucide contineri: difficultatem denique, non rerum eſſe, ſed verborum, quibus per Grammaticas inſtitutiones, ac peritiam hebræorum, græcorumque ſyntaxeos expoſitis, adinſtar ſolis nubibus omnibus diſſolutis, catholicam doctrinam ſingulari nitore, nimiaque perſpicuitate affulgere. At nos ex adverſo ſolam Scripturam ad controverſias fidei componendas ſatis eſſe, atque res omnes in ea traditas per ſe cuique fidelium apertas eſſe negamus, aſſerentes temere, ac imprudenter ſe gerere quisquis Eccleſiæ auctoritate neglecta arrogat ſibi munus interpretationis, confugitque ad divinorum librorum oracula, tanquam ad Judicis definientis tribunal.

2. Hæretica perſpicuitas Scripturæ una eſt externa, alia interna.

Diſtinguunt etiam hæretici duplicem ſcripturæ perſpicuitatem, externam unam, quæ ſita eſt in verbi miniſterio, & in ipſius Scripturæ propoſitione; interiorem alteram in ſcrutatione & cognitione fidelium: ac de prima inquiunt, omnia per illam producta eſſe in lucem apertiſſimam; de altera vero fatentur interdum eſſe enthuſiaſmum quemdam, interdum Divinam inſpirationem, ſed ab his, qui ſpiritum Dei non habent, negant vel unum jota percipi poſſe: quo miſero falſitatis perfugio utitur poſt Reformatæ, ut vocant, Eccleſiæ anteſignanos Jacobus Piceninus in Triumph. cap. 2. quem poſt P. Semery, Hyacinthum Tonti, & Cardinalem Vincentium Gotti, in Epiſtolis Polemicis refutavit Abbas Benedictus Baccini methodo brevi, expolita, ac plurimum elaborata.

3. Scriptura, Judex, norma, & regula inter ſe diſtinguuntur.

Ut quæſtionem hanc pro inſtituti noſtri ratione facile diſſolvamus, prænotandum eſt nos inter ac Novatores convenire, quod ſacra Biblia tanquam Fidei norma ſint agnoſcenda: ſed illi normam ipſam & Judicem imperite confundunt; nos unum ab altero diſtinguendum meliori, ſanoque judicio exiſtimamus. Hæreticorum vox una eſt, *Scriptura, Judex, norma & regula agnoſcitur, ad quam, ceu ad lydium lapidem omnia dogmata exigenda ſunt, & judicanda*: & Piceninus cap. 13 Apologiæ abutitur ad errorem hunc venditandum auctoritate S. P. Auguſtini in Pſalm. XXI. n. 30. ubi tamen, quemadmodum animadvertit Bacchinus 2. Epiſt. Polem. num. 3. accurate S. P. diſtinguit allata comparatione litigantium, inter teſtamentum & Judicem, ſive inter judicii criterium, & Judicis ſententiam pronunciantis auctoritatem. Auguſtini verba paulo infra in 2. prop. afferentur. At vetus eſt hæreticorum conſuetudo ad ſolas ſcripturas provocare, easque pro libitu in ſenſum, quem ipſi approbant, detorquere,

quere, ut S. Pater scribit de Arianis lib. 1. contra Maxim. cap. 1. & de Pelagianis de Nat. & Grat. cap. 39. apud præclarum Ordinis Scriptorem Taddæum Caluschi Mediolanensem in Examine Reformatæ, ut appellant, Ecclesiæ art. 6. Nos itaque Scripturam esse fidei normam, licet non unicam, profitemur, esse norman simul ac Judicem denegamus.

4. Propositio 1. PROPOSITIO I. Sacra Scriptura non est adeo aperta, & perspicua, ut sola ad omnia dogmata definienda sufficiat.

Probatur 1. ex Scriptura. Hanc assertionem fusiori stylo propugnant omnes Controversiarum Tractatores, Bellarminus lib. III. cap. 1. & Gretserus in ejus Defensione, Thomas Stapletonus lib. XI. Becanus Opusc. 2. Tom. 5. & in Manual. lib. 1. q. 4. Macedo de Clavibus Script. Controv. 3. aliique innumeri. Probatur autem primo Scripturâ ipsâ. Cur enim David fidelis quidem, & humilis, Psalm. CXVIII. 18. ait: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua?* & v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam?* Cur discipulis proficiscentibus in Emauus Lucæ XXIV. 27. *incipiens* (JEsus) *à Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Cur Spado Reginæ Candacis legens Isaiam, interrogatus à Philippo num lecta intelligeret, Act. VIII. 31. respondit, *Quomodo possim, si non aliquis ostenderit mihi?* Cur inquam, si scriptura, solis instar, se ipsâ unicuique splendescit? Sane reponere non possunt Heterodoxi sanctissimum Davidem, Christi discipulos tristitiâ ob illatam Christo mortem affectos, & loquentes de iis quæ acciderant in Hierusalem, atque Eunuchum discendi cupidum, & sacrorum librorum cultorem, fuisse superbia tumidos, & omni fide destitutos. Neque regerent perculsos tantum difficultate verborum; cum linguam callerent hebraicam, neque hujus, sed latentium mysteriorum poscerent expositionem. Insuper nec externam revelationem & ministerium verbi petebant, cum non semel hanc nacti fuissent, sacrosque libros haberent præ manibus. Qua ergo via hæretici se expedient? Num dicent Davidem, Eunuchum, Discipulos nondum in fide corroboratos? At de Davide hoc sentire non licet. Spado vero, & Discipuli, quamquam non omnia completæ Redemptionis mysteria firmiter percepissent, attamen sacram scripturam esse verbum Dei fatebantur. Cur hanc recipientibus Prophetarum oracula non fuerunt aperta? Ac si in fide nutantibus plura apparent ambigua, hi quomodo ad fidem pertrahentur? Ministerio verbi? istud nondum assequuntur. Interna revelatione? hæc enthusiasmus est, ac non semel, fatentibus hæreticis, fallax deceptio. Dicent forte scripturarum perspicuitatem apparuisse tantummodo post promulgationem Evangelii, & adventum Spiritus sancti? Neque id solidi crepat aliquid. Nam in veteri testamento, si scriptura, solis instar, se ipsâ discernitur, ministerio verbi proposita debebat singulis illucescere. Præterea ex verbis Pauli 2. ad Corinth. III. 15. *usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum;* atque ex Petro scribente 2. Epist. III. 16. de Epistolis Pauli, *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas,* liquet etiamnum perseverare, nisi aliud lumen adhibeatur, antiquam Scripturarum obscuritatem.

Probatur 2. ex PP. Atque, ut mittam Clem. Alex. lib. 2. Strom. cap. 6. Origen. Hom. 12. in Exodum, Basilium Epist. 75. ad Neocæsarienses, & alios, quos improbo labore collegit Coccius; S. P. Augustinus, quo præsertim abutuntur hæretici, Præf. in Psalm. CXL. scribit: *Sunt in scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Et in 2. de Doctrina Christ. cap. 6. *Sed multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum esse divinitus non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* In Epistola quoque ad Volusianum III. nunc CXXVII. ait: *Tanta est enim Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Quid Patres commemoro? Ipsi hæretici parum sibi constantes hanc veritatem confessi sunt: nam Lutherus Præf. in Psal. ait: *Scio impudentissimæ esse temeritatis eum, qui audeat profiteri unum scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.* Witakerus q. 4. cap. 1. *Concedimus multa loca obscura esse, & scripturas egere explicatione, & ob hanc*

5. Probatur 2. ex Patribus.

gau-

causam ministros Dei audiendos esse, & scripturæ peritissimos esse consulendos. Brentii & Kemnitii antilogias vide apud Bellarm. cit. loco.

6. Effugia hæreticorum diluuntur.

Tertio refelluntur hæreticorum subterfugia. Inquiunt enim obscuritatem scripturarum verborum esse, non rerum. At Augustinus citata ad Volusianum Epistola, inquit: *Tanto non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit.* Deinde in eo Evangelii testimonio, in cujus intelligentia nunquam Lutheri, & Calvini discipuli convenire potuerunt, *Hoc est corpus meum*, quodnam verbum obscurum est? quidnam pronomine illo usitatius? quæ propositio hac planior? cujus vocabuli magis, quam *corporis*, explorata perceptio? Mysterium itaque Eucharisticum, non verborum involucra, deterret Calvinianos. Eadem est ratio verborum illorum, *Verbum caro factum est*, quæ in oppositum sensum trahunt Nestoriani, & Eutychiani. Undenam, nisi ex Mysterii altitudine, illorum hæreticorum halucinatio? Apostolicam quoque sententiam, *Arbitramur justificari hominem per fidem*, quis dixerit involvi difficultate tantum grammatica? Et tamen quid sit hæc fides, quid hominis justificatio, quid ad hanc requiratur, gravissima quæstio est, in qua nobiscum, & invicem Novatores pugnacissime bellum gerunt. Omittimus alia istiusmodi innumera. Affirmant præterea hæretici unum scripturæ textum ex alio innotescere. Sed quid agendum erit, cum plures invicem videbuntur pugnare? Si expendamus utrumque, crescat necessum est hæsitatio: si unum duntaxat locum excipiamus, & viget adhuc mentis perplexio, & sacrilege Dei verbum repudiatur. Quo insuper jure unum locum alteri præferemus? Tandem inquiunt veritatis lucem humilibus affulgere: sed quomodo nobis persuadeamus fiduciam illam ab Heterodoxis jactatam non esse audacissimam temeritatem, nec spiritus humilitatis vicem gerere spiritum cœnodoxiæ, affirmante Apostolo non singulis in Ecclesia datam esse discretionem spirituum? At de his paulo infra.

7. Probatur 3. ratione.

Postremo, nisi Deus scripturæ interpretationem commisisset Ecclesiæ illamque omnium menti lucidissimam, apertissimamque exhiberet, quisnam inter pastorem, & gregem discerneret? quo jure idem Apostolus in 1. ad Corinth. affirmasset non omnes doctores esse, non omnes interpretes? quis non posset sibi arrogare munus docendi, Apostolicam missionem, onus presbyterii, Evangelistarum sanctorumque ministerium? Audent quidem tantum facinus hæreticorum complures; sed reclamat eo loci, cap. XII. 29. Apostolus: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores: nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Nota & corporis membrorumque, quæ simul juncta sunt, ibidem traditam comparationem: ut enim tolleretur auditus, *si totum corpus* esset *oculus*, & corporis disrumperetur compago, si omnia membra haberent eundem actum; ita abjicitur verbi ministerium, si omnes Scripturam percipiant, & scinditur unitas Ecclesiæ, si unicuique detur eadem interpretationis auctoritas. Quamobrem hæc supremis Pastoribus collata est, *Et Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore*, inquit ibidem Paulus. Revera nulla secta hæreticorum sibi de Scripturarum perspicuitate blandientium potuit hactenus tenere unitatem; quoniam iste ad hunc sensum, ille ad alterum eadem verba detorquens, dogmata pro libitu unusquisque subvertit. Ad Ecclesiæ ordinem accedit ejusdem Divinæ Scripturæ dignitas, quæ postulat ut fidei mysteria absque arrogantia credantur, & Dei oracula assiduâ contemplatione versentur. Ita illustriores poetæ, & philosophi præstantissimi fabulas, & naturæ scientiam, ne vulgata vilescerent, peregrina phrasi, ac mirabili artificio obducere studuerunt. Ne repetam Augustini alloquium; ipse Lutherus morti proximus, ut refert Aurifaber, *Virgilium in Bucolicis*, inquit, *non potest intelligere, nisi qui fuerit quinque annis pastor: Virgilium in Georgicis non potest intelligere, nisi quinque annorum agricola: Ciceronem in Epistolis non intelligit, nisi viginti annis versatus sit in aliqua Republica insigni. Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse, nisi centum annis cum Elia, Elisæo, Joanne Baptista, & cum Christo & Apostolis Ecclesiam gubernarit.*

8. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Judicium de fidei quæstionibus nequit ex solis Scripturis repeti, sublata vivi Judicis auctoritate.

Probatur 1. Demonstratur 1. quoniam potest in quæstionem venire ipse canon scripturarum hæc autem quæstio quomodo è sacris literis componi poterit? Sit impius aliquis, qui utrumque testamentum repellat, per quam alterius Testamenti auctoritatem poterit controversia ista resolvi? Pervulgatum est hoc argumentum, allatumque à Cano lib. 11. cap. 7. & ab aliis. Sed accipe quanto verborum pondere illud urgeat Augustinus lib. x1. contra Faustum cap. 2. *Si non de aliqua particula, sed de toto audies contradicentem & clamantem, Falsus est: quid ages, quo te convertes? quam libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis, & nihil valebis; & vides in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie & tot populorum consensione firmatur.* Ratione consimili si de *autographia* unius libri, aut unius textus oriatur contentio, neque occurrit in alio libro, puta Historiam Susannæ, aut Adulteræ; undenam componi poterit hæc disceptatio? Si præterea à disputantibus varii textus citentur, & unus neget alterius auctoritatem, & dicat, *Illud quod per te sonat falsum est*, (inquit ibidem Augustinus) *hoc autem quod contra te est, verum est;* quò adversarius confugiet? Contendat insuper aliquis recipiendos in canone libros apocryphos, aut ab hæreticis confictos, ut inductos à Basilide Prophetas, Bartholomæi, & Nicodemi Evangelia; aut à nonnullis Patribus commendatos, ut Hermam, Epistolam Barnabæ, Apocalypsim Petri, qua scriptura commonstrante hos inter apocrypha scripta rejiciemus? Detur præterea antiquiorum librorum autographiam comprobari testimonio posteriorum: hos quorum auctoritate adversus impios possumus vindicare? Quæstio itaque de canone scripturarum, nisi ad judicium Ecclesiæ confugiatur manebit semper ambigua. Atque hinc est, quod Athanasius in Synopsi rationem afferens, cur non recipiamus Evangelium Thomæ, respondet, *Quia non est in Catholico canone.* Et S. Pater lib. 1. serm. Dom. in Monte cap. 3. scribit à nobis censeri apocrypham Apocalypsim Pauli, quoniam illam *Ecclesia sana non recipit.* Econtra libros Machabæorum, aliosque ab hæreticis rejectos ipsius Ecclesiæ auctoritate retinemus, juxta regulam S. P. Augustini lib. 11. de Doctrina Christ. cap. 8. & lib. xviii. de Civit. Dei c. 36. Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod Novatores aliquos veteris testamenti libros rejiciunt, quia non extiterunt in canone Judæorum, ideoque non ad sacrarum literarum judicium, sed ad Synagogæ tribunal, ut discernant sacrorum librorum auctoritatem, confugiunt, non denegantes Ecclesiæ Judæorum quod temere negant Catholicæ, & Orthodoxæ. Adversus nos etiam objiciunt quod recipiamus libros ab Ecclesia priorum sæculorum nequaquam probatos, à se vero omnes illos retineri, quos ante magni Gregorii tempora Ecclesia ipsa probabat, ut Piceninus ait in Triumpho cap. 2. num. 26. Vel Ecclesia hujus controversiæ Judex est, vel non est. Si primum affirmant cur ad solam scripturam nos provocant? Si Ecclesia caret judicandi auctoritate; quid ad veterem Synagogam, quid ad Ecclesiam priorum sæculorum appellant?

Deinde probatur thesis, quia potest 9.
institui disputatio circa intelligentiam Probatur 2.
unius Scripturæ textus, quem utraque pars contendat diversum habere sensum. Sit in exemplo, *Hoc est corpus meum;* quæ verba proprie & literaliter accipiunt Lutherani, Calvinistæ autem figurative, & symbolice: aut hæc alia, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*, quæ Anabaptistæ de solis adultis, alii de omnibus promiscue accipienda esse docent. Si ex sola Scriptura hæc controversia dirimitur: quare hæretici eundem sensum non assequuntur? quare idem dogma unanimiter non propugnant? Si allati textus ambigui sunt, cur non proferuntur alii tam expressi, & aperti, ut pars contraria acquiescat? At etiamsi proferrentur, nonne responderet Adversarius, ut Fausto Augustinus lib. x111. cap. 4. *Quomodo ille, cui non credo profert mihi scripturas, quibus de illo credam; & eis ipse conatur dare auctoritatem, cum ego ipsi non credam?* Quomodo, inquiet Calvinista, affert adversus me Lutheranus Divinam Scripturam, qua ipsi credam, si ipse scripturæ sensum non percipit? quomodo conatur illam explicare, si mihi obvia est oppositа interpretatio? Similia reponet contra adversarium suum Lutheranus. Atque ita, si talis judiciorum forma præscribatur, ut nullum præter ipsam scripturam judicium expectandum sit, nullus litigiorum finis erit, &, quemadmodum comprobat experimentum, perpetuo dissidia inter Heterodoxos crudescent.

Accedit tertium argumentum. Di- 10.
stinguendum quippe est, ut possint Probatur 3.
utrinque litigantium rationes audiri, Judex, & Norma. Sit in exemplo, dum con-

condito testamento, ac viro defuncto, qui de hæreditate dispositi, propinqui nequeunt ad concordiam revocari, norma quidem ad litem dirimendam sunt tabulæ à Notario conscriptæ, sed neuter jure bona testatoris acquiret, si unus aut neget producta instrumenta, aut ex his petat causæ suæ patrocinium, neque sit vivus Judex, qui expendat pugillaria, audiat dissidentes, & sententiam pronuntiet. Ita post Christi mortem intentarunt nobis litem ad hæc usque tempora hæretici, nec fuit eorum quispiam, qui testamentum, sacram scilicet divinamque Scripturam non proferret; hanc & nos tanquam Dei testamentum recipimus, hanc normam fidei, & veritatis regulam esse fatemur. At quomodo poterit dignosci, ad quos pertineat hæreditas, ad quos spectet Ecclesia, ad quos custodiendum fidei depositum, si proferentibus nobis libros aut Sapientiæ, aut Ecclesiastici, aut Machabæorum, respondent Sectarii, Non est testamentum Domini; aut promentibus Evangelia, reponunt aliam esse mentem Testatoris? Judicis vivi sententia necessaria est, qui decernat sacrorum Codicum germanitatem ac sensum. Apposite Augustinus in Psalmum XXI. num. 30. *Quare litigamus? Non intestatus mortuus est Pater: fecit testamentum, & mortuus est. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum; & cum prolatum fuerit, tacent omnes: ut tabulæ aperiantur, & recitentur. JUDEX intentus audit, advocati sedent, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui.* Nota halucinationem Picenini ex hoc loco, ut diximus, probantis scripturam esse controversiarum omnium *normam*, & *judicem;* cum Augustinus tam aperte *Judicem* à *testamento*, secernat.

II. Probatur 4. Comprobatur Catholica veritas eventu rerum. In veteri namque lege, quisnam, nisi summus Pontifex controversias dijudicabat? Non ad mortuos codices remittebantur dissidentes, sed ad *Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui erat illo tempore*, Deut. XVII. 8. Mentiuntur autem Sectarii, dum ajunt ad Sacerdotes non spectasse judicium de controversiis fidei, sed tantum de legalibus. Eorum quippe erat pronuntiare. *Ubicunque quæstio esset de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus.* 2. Paralip. XIX. 10. Ipse Herodes *congregans principes Sacerdotum, & Scribas populi*, Matth. II. 3. ut sciscitaretur de loco, ubi nascitur erat Messias, redarguit pervicaces, qui ajunt Sacerdotes nonnisi de ritibus ac ceremoniis protulisse judicium. Josephus in 2. adversus Appionem ait: *Omnium rerum inspectores, & controversiarum Judices constituti sunt Sacerdotes.* Vide Levit. X. 10. Ez. XLIV. 23. & Malach. II. 7. Si ad historiam novi testamenti mentem convertamus, orta quæstione de necessitate circumcisionis Act. XV. circa annum 49. Ae. V. Antiocheni non appellarunt ad Scripturam, sed ad Apostolos, qui tum temporis Jerosolymis morabantur: atque hi coacto Concilio se illius controversiæ idoneos Judices declararunt, dicentes: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*, versu 28. Eadem judicii forma, non ad Scripturam, sed ad Ecclesiam appellando, anno 198. finita est causa Quartodecimanorum. Simili judicio damnati anno 255. Novatiani, anno 266. in Concilio Antiocheno Samosatenses anno 325. in Synodo Nicæna Ariani, anno 431. in Ephesina Nestoriani. Quid singulas repetam controversias? Nulla hæresis per solam Scripturam damnata est, nulla causa finita, nulla disceptatio absque vivorum judicum sententia, & examine, terminata.

PROPOSITIO III. Non est idoneum judicium, quod fit ex privato spiritu, & interiori cujusque fidelis persuasione. 12. Propositio 3.

Probatur 1. Demonstratur primo: Incertum est, num spiritus iste privatus sit à Deo: & quamvis nonnunquam donum interpretationis sit alicui collatum, ut de Antonio sancto, perfectoque Aegyptio Monacho in Prolog. lib. 1. de Doct. Christ. scribit S. P. Augustinus, nullus habet proprii spiritus certam, exploratamque persuasionem, & qui hanc se habere præsumit, insigniter inflatus est, ac superbus. Esse enim Prophetas, *qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident*, affirmat Ezech. XIII. 3. eum, *qui loquitur mendacium, ex propriis loqui, quia mendax est & pater ejus*, inquit ipsa Veritas, Joann. VIII. 44. atque in corpore Ecclesiæ omnibus à Spiritu, qui ubi vult spirat, non dari *interpretationes sermonum*, scribit Paulus in 1. ad Corinth. XII. 28. 30. Spiritum autem hæreticorum non solum ob hanc rationem incertum esse probatur, sed etiam esse spiritum mendacii, præsumptionisque sacrilegæ, cum sibi temere attribuant, quod Christus nonnisi supremis Ecclesiæ rectoribus repromisit. Testem appellamus illius incertitudinis Zwinglium, qui in Lutheranis palæstris edoctus ad Sacramentarios circa doctrinam

Cœnæ defecit, alio *spiritu* interpretatus verba consecrationis; monitoremque habuit in somniis, de quo ipsemet scribit in *Subsidio de Euch.* non meminisse, *ater is fuerit, an albus.* Præsumptionis vero exemplum singulare tribuit Lutherus scribens initio libri contra Regem Angliæ, *Nactum se spiritum insignem contemptorem tam fraudis, quam furoris Papistici.* Et quodnam majus præsumptionis indicium, quam sibimet arrogare auctoritatem interpretandi Scripturam, illamque auctoritatem Romano Pontifici, & plenariis Synodis denegare? Interpretatio itaque facta privato spiritu, tanquam ambigua, fallax, & temeraria debet esse suspecta. Ac licet fieret Divino spiritu afflante, non esset tamen ad faciendam fidem idonea, nisi accedente Ecclesiæ comprobatione: nam & Paulus Evangelium acceperat per revelationem Jesu Christi; & nihilominus illud cum Apostolis contulit, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset,* ut ipse scribit ad Galatas II. 2. scilicet, *ne secundum illos credidisset, & ne secundum illos evangelizaret,* ait in IV. contra Marcionem Tertullianus etiam à Grotio laudatus. Quare S. P. Augustinus lib. XXVIII. cap. 4. contra Faustum, *Quis est ergo tam demens,* inquit, *ut credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos & amplius annos venienti . . . . . cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet?* Atque hujus argumentationis hæc summa est: Spiritus privatus aut est spiritus mendacii, aut veritatis: si mendacii, idoneus non est ad rectum judicium pronuntiandum: si veritatis, suam, ab Apostolica Ecclesia postulat dijudicationem, nisi sui causâ, illorum saltem, qui sunt instruendi; ideoque nullatenus privatus ille spiritus est ad formandos dirigendosque fideles sufficiens.

13. Probatur 2. Deinde privatus ille spiritus, vel omnibus communis est, vel peculiaris. Si communis est, cur non conveniunt in singulis fidei dogmatibus Heterodoxi? cur ea verba *Hoc est corpus meum,* in tam diversas sententias distrahunt? cur Saxonici Lutherani in Colloquio Altemburgensi an. 1568. judicium Melanchthonis respuerunt, Electorales Melanchthoni subscribunt? Privatus est ergo ille spiritus, & qui eo ducuntur, proprio innituntur judicio, neglectis aliis. At quis non videt idem esse huic spiritui fidem substernere, & libertatem unicuique facere illud, quod magis libet, comminiscendi? Et quidem nonne quod libuit commentus est Lutherus, quod libuit Zwinglius, quod libuit Osiander, quod libuit hæretici omnes? Rectissime ajebat de Præscript. Tertullianus, *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare:* meritoque Staplet. lib. X. c. 4. hanc hæreticorum de privato spiritu assertionem comparat opinioni Socratis, unde Sectatores, ut scribit Augustinus VIII. de Civit. Dei cap. 4. *quod cuique placuit, sumpserunt.* Præterea ille spiritus, cum privatus sit, erit humanus; & revera Divinus esse nequit, qui diversis diversa dictat, inspiratque dogmata omnino pugnantia. Quomodo ergo mihi persuadebunt hæretici idoneum esse judicem hunc spiritum humanum, subdolum, multiloquum, dum ipsi audent asserere obnoxium errori spiritum totius Ecclesiæ, hac tantum de causa, quod humanum putent, & hominibus insidentem? Rursus si incertus sum hunc Scripturæ sensum esse intentum à Deo, cur incertus non ero hunc spiritum privatum à Deo inspiratum esse? Quænam habet validiora argumenta, quænam ampliora veritatis indicia sensus metaphoricus, quem Calvinus affricat verbis consecratoriis, quæ non habet spiritus quo idem Calvinus sensum illum præfert & approbat? At si utrumque incertum est, quomodo per spiritum privatum Scripturæ sensum dijudicabo, incertum scilicet per incertum? Si certam persuasionem requiras, hanc hæretici omnes Calvino adversantes jactitabunt: si velis spiritum esse humilibus precibus petendum, se petiisse reponent: si firmissimam fidem exigas, ajunt omnes se credere. Qualem ergo hæreticorum spiritum, dum in contrarium sensum Scripturam trahunt, censeas alteri præferendum? Ad hæc privato illo spiritu carent proculdubio infideles; nam si hi spiritu recto ducuntur, nihil erit tam sacrilegum & nefarium, quod non sit patratum spiritu sancto inspirante. Infidelis ergo quomodo ad fidem perduci poterit? Prædicatione, inquis, & Scripturarum sanctarum lectione: at dum audit, vel legit credendum esse Deum in Personis Trinum, & Dei filium natum ex Virgine, crucique suffixum, hærebit animo neque tam reconditam doctrinam assequetur. Ipse enim privato spiritu caret,

si

si verum est per illum dirigi solam mentem perfecte credentium. Itaque ut credat, postquam certis indiciis veram Ecclesiam detexit, debet se imbuendum ac dirigendum illius auctoritati committere. Paucis hæc omnia complectar: Privatus spiritus humanus est, fallax, errori obnoxius, multiloquax, non communis, non sibi constans, sed mortalium opinioni se attemperans, varius, levis, dissensionis plenissimus; ideoque non ad componendas controversias conducit, sed ad magis ciendas, atque implicandas.

14. Probatur 3. Insuper sapienter scriptum à Basilio Epist. ad Neocæsarienses, *Oportet, ut eadem sint animi industria præditi, & qui alienas scripturas judicaturus est, & qui illas conscripsit:* idque S. Doctor probat, quoniam nec de agrorum cultura potest judicare qui nunquam exercuit munus agricolæ, nec de rythmis, notisque musicis, qui mathematicis non fuit imbutus. Scripturæ ergo afflante Divino Spiritu editæ, nonnisi Spiritus sancti diffuso lumine possunt intelligi. Forte id non denegabunt hæretici, sed quomodo nobis persuadeant privatum spiritum esse Spiritum sanctum? Hoc etiam Pseudoprophetæ audacter præsumunt. Oportet ergo, demonstrent se non esse Pseudoprophetas, ut privatum ipsorum spiritum comprobemus: quod nunquam propriæ persuasionis testimonio poterunt demonstrare. Hinc Petrus 2. Epist. 1. 20. ex quo Prophetæ locuti fuerint Spiritu sancto inspirati, infert propheticam scripturam non esse privato ingenio exponendam. *Omnis prophetia scripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit*, monetque eo loci à Pseudoprophetis cavendum. In hoc Petri testimonio ea verba *Prophetia scripturæ* significant scriptorum propheticorum, seu verbi Divini expositionem, ut ad Ro. XII. 7. prima ad Corinthios XIII. 8. 1. Ad Thessalon. v. 20. nec videtur proprie per *Prophetiam scripturæ* ipsam scripturam propheticam, non scripturæ explicationem significari, ut in hunc locum observat Estius; nec vocabulo Ἐπιλύσεως, quamvis interdum alia significentur, melius & in sacris literis frequentius aliud demonstratur, quam interpretatio & expositio. Itaque allati testimonii sensus est, *Scripturæ sacræ explicatio propria interpretatione, sive privata doctrina & auctoritate non fit:* ut inquiunt Estius, & Tirinus in hunc locum, Bacchinus Epist. 2. num. 4. Quod etsi *Prophetiam scripturæ* intelligamus eandam scripturam propheticam, sensus erit nullam scripturam exponendam esse privato ingenio; qui sensus confluet in præcedentem. Non sunt ergo Scripturæ privato sensu interpretandæ, sed exponendæ eo spiritu, quo scriptæ sunt, spiritu nempe Divino, quem Christus promisit Ecclesiæ.

15. Probatur 4. Denique hæretici suorum testimonio possunt revinci. Henricus enim VIII. Anglorum Rex anno 1540. decrevit neminem præter Ecclesiæ Doctores posse Scripturas interpretari, inhibuitque populo ne illas exponere, aut ex illis ratiocinationes inferre auderet. Videatur Bossuet in Hist. Variat. lib. VIII. num. 64. Zwinglius ad refellendos Anabaptistas lib. 1. de Baptismo p. 72. demonstrat non ad illos, sed ad Ecclesiam spectare scripturarum expositionem. Idem scribit Bucerus in Rat. can. exam. pag. 223. Cur demum hæretici ad controversias dirimendas non semel Synodos coegerunt, si unusquisque à proprio, privatoque spiritu debet dirigi? Respondere nequeunt ad Synodum convenire ad statuendam Ecclesiasticam disciplinam, non ad dogmata definienda; nam Synodus Jenensis habita fuit adversus Zwinglianos, Dordrectana contra Arminianos, Carentonensis contra Calvinianos: & in singulis Novatorum conventibus actum de Eucharistia, de Baptismo, de Justificatione, cæterisque grassantibus controversiis. Quid etiam definiunt, nisi fidei dogmata, tot Confessiones ab hæreticis divulgatæ? Ipsi ergo velint, nolint, præter Scripturam, & privati spiritus persuasionem coguntur vivum Judicem adire, quem nullibi invenient, nisi in visibili, & Apostolica Ecclesia.

CAPUT IV.

Explicantur Scripturæ loca, quibus ad veritatem oppugnandam abutuntur Sectarii.

SUMMARIUM.

1. Usque 12. Solutio objectionum Hæreticorum.

1. Objectio 1. Hæreticorum & Solutio.

AT Scripturam fidelibus singulis apertissimam esse hæretici demonstrare conantur sequentibus argumentis. Principio, inquiunt, Deuteronomii xxx. 11. legitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* Divinæ ergo legis volumina, & consequenter sacri omnes libri, unicuique fidelium perspicua sunt. Verum hujus argumentationis falsissima est consequentia; nam asseritur tantum hoc loco, Deum non dedisse mandata impossibilia, sed literis consignasse eadem præcepta, quæ lex naturæ inscripserat singulorum hominum cordi: quare non urgent nos laudata Deuteronomii verba, sed ipsos hæreticos asserentes tam difficile esse implere mandata legis, quam caucasum transvolare. At legis præcepta æquissima sunt, levia, jucunda, & lata nimis, *Si charitas, quæ est plenitudo legis habitet in corde*, inquit Augustinus q. 54. in Deut. Hanc interpretationem confirmant proxima verba versus 14. *Juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Imo & in verbis præcedentibus, ubi legimus *mandatum non supra te est*, habet Hebraicus Codex, נִפְלָא־הוּא מִמְּךָ, *Non est separatum à te*, scilicet, *inscriptum cordi.* Ipse Fagius Volum. 1. Crit. Sacrorum p. 237. ait: *In corde dicit, quia legem cordibus Judæorum inscripserat Dominus, priusquam in tabulis lapideis Decalogum insculpsisset. Vel in ore tuo*, id est *in ore Levitarum, qui è populari-bus tuis sunt: nam labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ejus ore requirent*, Malach. II. 7. Hæc Fagius. Itaque nihil poterunt hinc evincere Protestantes, nisi Divina præcepta volentibus eadem implere esse levissima atque facillima.

2. Objectio 2. & Solutio.

Deinde objiciunt: Ps. XVIII. 9. legitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Ps. CXVIII. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Ac Petrus II. Epist. I. 19. *Habemus firmorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Apertissimus est ergo, ac per se nitidissimum effundit lumen sacrorum librorum codex. Resp. Scripturam quidem lucernam esse, & pedibus ac semitis, id est, peragendis operibus regulam exhibere, sed revelatione suppositа, & Doctorum Ecclesiæ præmissa declaratione; quod idem Psalmista affirmat citato Psalmo CXVIII. 18. dicens: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, & v. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Petrus quoque non frustra caliginosum locum commemorat, sed ut demonstret, opus esse, ut qui lucem non habet, ab aliis, qui sacras literas callent, illam fœneretur; quemadmodum fecit Hieronymus dum perrexit Alexandriam ad Dydimum, & ab eo scisitatus est quæ in Scripturis omnibus dubia habebat. Videatur idem Hieronymus Præfat. Comment. in Epist. ad Ephes. Ipsum Hieronymum de Scripturarum quæstionibus difficillimis consuluerunt Damasus Papa, Evagrius, Dardanus, & totius fere Orbis viri Clarissimi. Similiter S. P. Augustinum Volusianus, Marcellinus, Bonifacius, Honoratus, Simplicianus, alii. Atque his exhibita est in caliginoso loco lucerna, quam Sectarii contemnentes interpretamenta eorum, quibus à Domino dictumest, *Vos estis lux mundi*, facti rebelles lumini abjiciunt, & in explicandis textibus omnium expressissimis inter se more Andabatarum decertant.

3. Objectio 3. & Solutio.

Rursus opponunt. Isaiæ VIII. 20. mandat Dominus, ut in rebus ambiguis, recurramus tanquam ad judicem, *Ad legem magis, & ad testimonium.* Et Jeremiæ XXXI. 33. ne quis alienum judicium quærat, ait: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Respondemus autem, apud Isaiam eo loci damnari illos, qui ad pythones ac maleficos confugiunt, ut cognoscant futurorum eventus, quod districte prohibetur in lege Domini, Deut. XVIII. 9. Atque id liquet ex verbis proxime præcedentibus, *Et cum dixerint ad vos: Quærite à pythonibus, & à Divinis, qui stridٍent in incantationibus suis.* A Jeremia autem prædicitur novum Testamentum, in quo non solum lex forinsecus terret minitando, sed etiam gratia intrinsecus adjuvat amorem justitiæ inspirando, neque cordi inscribitur *atramento, sed Spiritu Dei vivi*, ut inquit Apostolus 2. ad Corinth. III. 3. Audiatur Augustinus de Sp. & lit. cap. XXI. num. 36. *Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & perfectio finis?*

4. Objectio 4. & Solutio.

Insuper objiciunt. Joannis v. 39. Christus non ad Ecclesiæ judicium, sed ad solam scripturam remittit Judæos, ut veritatem Incarnationis jam peractæ, & Messiæ adventum cognoscerent, dicens, *Scru-*

Scrutamini scripturas. Resp. Nihil ex hoc testimonio contra nos evinci posse. Primo quia nec Romana Ecclesia prohibet, ne veritatis amatores sacrarum literarum studiis incumbant, sed hoc magnopere commendat, Dei verbum tanquam normam fidei, & fontem veritatis perennem nobis proponendo. At aliud est Scripturam expendere, scrutari, discutere, & ex ea veritatem inquirere; aliud ipsius authenticitatem dignoscere, sensum ambiguum definire, & de fidei controversiis absolute sententiam pronuntiare. Deinde eo loci Christus non remittit Judæos ad solam Scripturam, sed primo ad testimonium Joannis v. 33. postea ad opera à se patrata v. 36. ulterius ad testimonium, quod de illo perhibuit Pater v. 37. Quomodo ergo solam Scripturam hæretici hoc loco abutentes deprædicant? Præterea unde Judæi scripturas acceperant, nisi ex Traditione Majorum, & Ecclesiæ auctoritate? Insuper quomodo probant per illa verba, *Scrutamini scripturas*, Judæos ad sacrorum librorum lectionem remitti? Si fides habenda est Erasmo, non minus Græcis, quam nobis incertum est, utrum *Scrutamini* imperandi modo dictum sit, an indicandi. Idem scribit Vatablus. Cameron contendit esse potius indicativi, temporisque præsentis, imo & hæc est sententia Cyrilli apud citatum Erasmum. Erit ergo verborum illorum sensus, Vos scrutamini scripturas, sed iisdem, quod in eis præcipuum est non creditis, cum enim illæ de me testimonium perhibeant, *non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ex quibus infertur hoc argumento sententiam hæreticorum oppugnari; nam quemadmodum Judæi, licet scrutarentur Scripturas, quia non receperunt Joannis testimonium, non crediderunt Christi miraculis, non audierunt vocem Patris, obcæcati sunt, & videntes non viderunt; ita hæretici solam scripturam perlegentes, & sanctorum testimonia, miraculorum virtutem, & vivam Dei vocem ore summorum Ecclesiæ Pastorum prolatam pervicaciter contemnentes, veritatem pessumdant, & in tenebris delitescunt.

5. Objectio 5. & Solutio. Præterea arguunt hæretici. Act. XVII. 11. Beroenses, ac nobiliores Thessalonicæ ad prædicationem Pauli *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Si Apostoli verba ad scripturarum judicium revocata sunt, quidni fas erit ex Scripturis de Pontificis Romani definitionibus judicium ferre? Resp. Beroenses non ad scripturas legendas se convertisse, ut crederent Paulo, jam enim verbum cum omni aviditate susceperant; sed ut in fide proficerent, videntes omnia, quæ de Christo ab Apostolo enuntiabantur, fuisse prædicta vaticiniis Prophetarum. Vidit id etiam Grotius, quem tanti faciunt Novatores, scribens in hunc locum Tom. 2. Op. Th. p. 630. *Non quod dubitarent de veracitate Pauli, & Silæ, sed ut Prophetica scripta cum illorum verbis conferendo, magis magisque in veritate confirmarentur, & haberent unde alios convincerent.* Hac intentione, animoque proficiendi unicuique fas est scripturas expendere, & ex illis veritatem investigare, judicio discussionis, non judicio definitionis, quæ duo callide heterodoxi confundunt. Adde diversam esse rationem illorum, quibus nova doctrina proponitur, & illorum, qui jam alicui Religioni se nuncuparunt. Illi enim si prophetias, si miracula, si rerum consonantiam, si auctorum fidem explorant, prudenter se gerunt, cum nemo teneatur credere, priusquam *motiva credibilitatis* ad trutinam revocaverit. Tales fuisse Beroenses conjicit Comment. in hunc locum Jo. Lorinus. At qui jam fide imbuti sunt, & Christi Religionem susceperunt, debent in ea supremi Judicis agnoscere auctoritatem; sine qua Religionis unitas nequit consistere.

6. Objectio 6. & Solutio. Sextò contendunt probare in novo Testamento omnia fidelibus aperta esse, quoniam Apostolus in 2. ad Corint. IV. 3. scribit, *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum.* Et in Apocalypsi v. 9. dicitur *Agnus*, id est, Christus aperuisse *librum*, & solvisse *signacula ejus*; ideoque post Christi mortem nullum amplius mysterium latet. Verum Apostolus tantummodo affirmat prædicationem Evangelii, & Christi fidem discipulorum opera per orbem terrarum diffundi, & si permulti Redemptionis mysteria non percipiunt, hæc illis abscondi, quia idololatriæ, flagitiisque dediti dignos se præbent, quos princeps hujus sæculi, sinente Deo, in errorem adducat: quod ex sola Paulinæ Epistolæ lectione obvium est. In Apocalypsi autem dicitur Agnus occisus accepisse librum, & solvisse signacula ejus, quoniam in Christi morte completi fuerunt typi veteris Testamenti, ut demonstravit etiam scissio veli, juxta communem Patrum ac Interpretum expositionem: cui addimus primo, librum ab Agno apertum in medio seniorum & quatuor animalium, Evangelistarum nem-

nempe, & Apostolorum, quibus Dominus aperuit sensum, *ut intelligerent Scripturas.* Deinde cum aperuisset Agnus unumquodque de septem sigillis, ait unum de quatuor animalibus, *Veni, & vide*: quæ sunt verba Petri principis Apostolici cœtus Joannem alloquentis, quia & dignioribus summus Ecclesiæ Rector pandit oracula. Tandem in libri aperitione significantur hic decreta Dei pertinentia ad Judæos, quæ Christus summatim prædixit Matth. XXIV. & Lucæ XXI. Si Novatorum aliquis petat, Quisnam hic loci Petrum specialiter nominari existimet, quis expositionem hanc tradat? Respondeo, Grotius tuus, quem appellas illustrem, eximium, & singulis Romanensibus præferendum. Videsis Tom. III. Op. Th. pag. 1178. Si reponat hæreticus Grotium decipi; fateatur necesse est etiamnum librum iis, qui à Novatoribus doctiores habentur, obsignatum.

7. Objectio 7. de spiritu privato & solutio.

Addunt quædam loca, quibus videtur comprobari privati spiritus judicium. Hujusmodi sunt quod scribit Apostolus in priori ad Corinth. II. 15. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* Joannes Epistola prima, II. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.* Et in Evangelio cap. VII. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet ex doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* At neque ista juvant Heterodoxos. Pro intelligentia testimonii Apostolici oportet inquirere quid sit *animalis* homo, quid *spiritualis.* Animalis homo dicitur, qui solum sensum, & naturale rationis lumen, per quod homo factus est in animam viventem, dijudicando sequitur, nulla imbutus Christianæ fidei doctrina, ut Ethnici aut omnino rudes, aut humana instructi philosophia. Spiritualis econtra est, qui fide, & illuminatione Spiritus sancti est illustratus. Sensus ergo est, quod nec philosophi, nec sensuum ductum sectantes percipiunt Trinitatem, Incarnationem, & alia Fidei mysteria, quæ credentes assequuntur; & quod hi optime deprehendunt deliramenta philosophorum negantium aut unius Numinis existentiam, aut animorum immortalitatem, aut rerum creatarum administrationem ac productionem; neque humana philosophia est adeo sublimis, ut possit de Christianorum rudimentis judicium ferre. Verum non ait Apostolus spiritualem hominem proprio spiritu omnium Scripturarum arcana pervadere, & ad omnes difficillimas quæstiones definiendas idoneum esse: quod licet alicui eximiæ sanctitatis viro aliquando concessum fuerit; nos cavere debemus, juxta Augustini monitum in Prolog. librorum de Doct. Christ. *tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magisque cogitare & ipsum Apostolum Paulum, licet Divina & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ. Et Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, & eleemosynas respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret.* Accedit quod ea verba, ἀναιρίνει τὰ πάντα, *judicat omnia*, non sunt idem, ac, *omnia definit*, sed, *recipit, approbat*, piaque affectione *dijudicat*; ut est in Proverbio apud Arist. III. Eth. 15. ὁ σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, *Probus de omnibus recte judicat*: quod explicat D. Thomas Lect. III. in cap. 2. Epist. 1. ad Corinth. comparatione vigilantis, qui recte judicat se vigilare, & alium dormire, quoniam revera, *non sunt res quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti.* Alioqui si imbutus fide judicat omnia, cur non expedit difficillima theoremata? cur indiget cum Eunucho, & discipulis euntibus in Emmaus expositore, & interprete? cur non eum Apostolo, & Cornelio ad Ecclesiæ magisterium accedit? Præterea haud male conjicit Cl. Estius Paulum in Epist. ad Corinth. *spiritualem* hominem apellare perfectum & jam Apostolicis documentis instructum, quemadmodum ad Galatas VI. 1. inquit, *Vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Consequenter docet *animalem dici*, qui credit utique, sed ob mentis imbecillitatem nondum percipere potest altiora mysteria, cujusmodi sunt pueri, ac rustici, quibus exposita Fidei Catechesi, inepte proponerentur quæstiones Theologicæ. Atque id colligit ex Apostoli scopo, vorborumque complexu; nam principio ejusdem capitis rationem producens, cur non prædicaverit Corinthiis recondita fidei mysteria, inquit, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Atque hanc responsionem tradit etiam Canus lib. II. cap. 8. de locis. Ex qua adversus hæ-

hæreticos retorquetur argumentatio. Enimvero sunt in Ecclesia complures in Christo parvuli, adhuc carnales, & qui ad instar Corinthiorum nondum escam, id est, sublimiorem doctrinam recipiunt, licet sint & spirituales permulti, qui traditas sibi doctrinas sensu ac ratione assequuntur. Igitur non omnes in Christum credentes habent spiritum, non solum interpretationis, sed nec discussionis ac discretionis. Quod autem ait Joannes in Epistola 1. verissimum est, etenim per spiritum fidei, & internam unctionem poterant Parthi dignoscere quidquid illis in implendis mandatis præstandum erat, necnon distinguere Pseudoprophetas negantes Verbi divinitatem & Incarnationem; sed illis hæc mysteria jam per Apostolicam prædicationem innotuerant, affirmante ibidem Joanne: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Ex hoc itaque loco tantum infertur habentes spiritum & unctionem Dei, nisi suis desint partibus, scire quid sibi ad salutem sit necessarium, nec in errorem ab hæreticis induci, si teneant acceptam ab Ecclesiæ Pastoribus institutionem. Addo internam unctionem non excludere externum Ecclesiæ magisterium, sed adjuvare mentem, & inspiratione occultæ virtutis efficere, ut quæ forinsecus dicuntur, formentur in corde, sicuti, ut arbor poma ferat, præstat internus vigor, sed necessarium est tamen, ut agricola forinsecus operetur, adhibeatque diligentem culturam. Si magisterium Ecclesiæ non requiritur, *Quid ergo nos facimus, quia docemus? Si unctio ejus docet nos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus*, inquit S. P. Augustinus Tract. 111. in Epist. Joan. paucisque interjectis ita ipsum Joannem alloquitur: *Tu dixisti, quia unctio ipsius docet vos de omnibus, ut quid talem Epistolam fecisti? quid illos tu docebas? quid instruebas? quid ædificabas?* Ac subinde producit allatum agricolæ exemplum. confirmatque illud verbis Apostoli 1. ad Corinth. 111. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Addo etiam sermonem Joannis dirigi ad Ecclesias, non ad fideles singulos in particulari, hoc sensu, Spiritus sanctus vestras Ecclesias docet, nec opus est, ut Pseudoprophetæ, quorum multi exierunt in mundum, se apud vos intromittant quasi veritatem docturi. Vide Sylvium Opusc. v. lib. 1. q. 3. art. 6. ad 5. Eadem responsione expeditur quod depromitur ex Evangelio ipsius Joannis. Qui enim fecerit voluntatem Dei, doctrinam sibi in suo statu necessariam habebit cognitam ac perspectam, non tamen sine doctore externo; quemadmodum Judæi, quos Christus alloquitur, Evangelium tantis argumentis annuntiatum & comprobatum recepissent, si Divinis præceptis obtemperassent, dum Deus illis dederat Filium suum in ducem, ac præceptorem.

Denique, inquiunt Sectarii, cum Scriptura sit verbum Divinum nequit ab homine testimonium accipere, nam & Christus Jo. v. 34. dixit, *Ego autem non ab homine testimonium accipio.* Quid enim magis absurdum, quam Divinam auctoritatem ab humana robur accipere, & confirmari? Respondemus autem, τὴν μαρτυρίαν λαμβάνειν, *testimonium accipere*, apud Joannem duplicem habere sensum; primus est, *alterius testimonium admittere:* secundus *alterius testimonium requirere, eoque indigere.* Priori sensu ait Joan. cap. 111. 32. *Testimonium ejus nemo accipit*, & Ep. 1. v. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* In altero sensu inquit Christus, *Ego non ab homine testimonium accipio:* de ipso enim propria opera perhibebant testimonium, ut ibidem ait, *majus Joanne.* Nego itaque quod Christus non admittat aliud testimonium, etsi illud non ita requirat, quasi aliunde ipsius veritas non consistat. Eo enim loci versu 32. ait: *Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quod verum est testimonium, quod perhibet de me:* & cap. xv. 27. Apostolos alloquens, ait, *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Igitur Christus & Joannis, & Apostolorum testimonium accepit. Ab hoc autem testimonio veritas non habet in se robur ac firmitatem, sed explicatur, proponitur, exhibetur. Præterea Christus Joan. v. sermonem instituit de propria divinitate ac missione; quam cum probassent tot prodigia ab ipso patrata, testatus esset apud Jordanem cælestis Pater, ac olim prænuntiassent recepta à Judæis prophetarum oracula, non opus erat humano testimonio corroborare. Nunc vero si ambiguum sit judicium de scripturis, de dogmatibus, de emergentibus controversiis, quomodo spreta Ecclesiæ auctoritate poterit veritas definiri?

8. Objectio 8. cum Solutione.

Objectant præterea hæretici sanctorum Patrum auctoritatem. Etenim asserere videntur Scripturam unicuique apertam esse, & non indigere vivis judicibus Justinus, Joannes Chrysostomus, & S. Pater Augustinus. Et Justinus;

9. Objectio 9. ex Patribus.

ſtinus quidem cum Tryphone diſputans eundem ſolis propheticis teſtimoniis revincit, eaque tam enucleata eſſe contendit, ut auditione ſola, non interpretatione opus habeant. Chryſoſtomus hom. 3. in 2. ad Theſſalonic. affirmat *omnia ex Scripturis Divinis plana eſſe.* S. autem Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. VI. ait: *Magnifice & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.* Quæ ergo in uno Scripturæ textu apparent intellectu difficilia, aliorum textuum collatione enodantur.

10. Solutio. Reſpondeo perperam Sectarios ad Patrum auctoritatem confugere. Quomodo enim, ſi Scriptura clara eſt, neque indiget Eccleſiæ approbatione, latere in illa divinorum myſteriorum theſauros omnes aſſeruerunt? Quomodo obſcuriſſimam appellarunt Irenæus lib. 11. cap. 47. Origenes lib. 3. contra Celſum, Clemens Alexandrinus, & Baſilius ſupracitati? Quomodo Chryſoſtomus ait eſſe agrum in quo abſconditus eſt ſapientiæ theſaurus, ejusque profunditatem miratur hom. 40. in Joannem, 19. in Acta, & in Epiſtolam ad Philippenſes? Quomodo Ambroſius Epiſt. 44. ad Conſtantium ſcribit eſſe mare habens in ſe profundam altitudinem propheticorum ænigmatum? Quomodo Hieronymus ſcribit ad Paulinum, eam ſine magiſtro ac doctore intelligi non poſſe, & quæſt. x. ad Hedibiam, tantis obſcuritatibus involutas eſſe Epiſtolas Pauli, ut ad illas intelligendas Spiritus ſancti indigeamus auxilio? Quomodo ſanctiſſimus parens Auguſtinus eodem, quem objiciunt, loco inquit quædam Scripturæ dicta obducere caliginem denſiſſimam, & edomandam eſſe labore ſuperbiam, atque in illius Operis prologo Pauli Apoſtoli & Cornelii nobis exemplum proponit, ut nos Eccleſiæ magiſterio imbuendos ſubjiciamus, vitemusque præſumptiones ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas? Itaque Juſtinus loquitur de Meſſiæ adventu, & cum Judæo recipiente prophetarum oracula, quibus evidenter demonſtratur veniſſe promiſſum in lege Reparatorem: unde tantum infertur quædam in Scripturis prænuntiata poſſe propugnari adverſus inimicos veritatis, dummodo & hi ex majorum ſuorum traditione Scripturas ipſas recipiant. Chryſoſtomus intelligendus eſt de ea Scripturarum parte, quæ continet moralia præcepta, quæ ut plurimum dilucide proponuntur: quamquam in iis etiam Eccleſiæ inſtitutionem aliquibus neceſſariam agnoſcit, dum ait citata hom. 3. *Si non potueris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad Doctorem.* S. P. Auguſtinus, neque de omnibus Scripturæ locis accipiendus eſt, ut liquet ex illa particula, *fere*; neque commendat Scripturas absque Eccleſiæ auctoritate & conſultatione: ſed de hac ſcribit proximo capite VIII. *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur.* Ac lib. III. ejusdem Operis cap. 2. *Conſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit.* Similiter libro primo contra Creſconium cap. 33. *Quisquis falli metuit obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat.* Quid plura? Trita eſt omnium ſermone præclara Auguſtini ſententia cap. 5. contra Epiſtolam Fundamenti: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.*

11. Objectio ultima ex ratione. Poſtremo hæretici argumentantur à ratione, nobisque objiciunt vitioſum circulum. Enimvero probamus Scripturam ex Eccleſia. Eccleſiam autem unde probamus? Ex Scriptura. Agimur itaque in fallaci circulatione, non minus ac inepte & ſtolide vagaretur, qui comprobaret matris alicujus honeſtatem ex teſtimonio filii: & interrogatus, undenam ſciat filium eſſe teſtem idoneum ac probum, reponeret id patefieri atteſtatione matris. Addunt penes Eccleſiam nullam haberi auctoritatem irreformabilem, cum omnis homo ſit mendax, ideoque minime aptus ad ferendum judicium de verbo Dei, quod ſubjici nequit errori.

12. Solutio. Reſpond. Si aliquis imperite argutando fallaci ambitu circumagitur, hunc eſſe Paræum, aut Cælviniſtam alium ſimilia adverſus Catholicos effutientem. Nam unde probant Sectarii eſſe normam ad Scripturam dijudicandam privatam inſpirationem? Ex ipſa Scriptura? Unde norunt Scripturam eſſe Divinam, atque hoc, vel illo ſenſu exponendam? Ex privati ſpiritus perſuaſione. Ipſi ergo hæretici vitioſo ambitu circumaguntur. At nos nequaquam tali circulo agi conſtat, quia *circulus* committitur, quando hoc per illud, & illud viciſſim per hoc probatur apud illum, qui neutrum concedit, atque ita circulatur

qui

qui apud Judicem probare nititur honestatem matris testimonio filii, & honestatem filii testimonio matris, cum tam filii, quam matris honestas inexplorata sit & ambigua: circulantur hæretici, qui nobis contendunt demonstrare privatum spiritum ex Scripturis apertissimis, easdemque Scripturas ex persuasione privati spiritus, dum nos utrumque negamus, & Scripturas quas proferunt esse apertissimas, & privati spiritus persuasionem ad Scripturas dijudicandas idoneam esse. Versaremur & nos in tali circulo, si ad refellendum Paganum comprobaremus veritatem Religionis Christianæ ex Scripturis, veritatem Scripturarum ex fide, quæ viget in Religione Christiana, dum Paganus ille utrumque præfracte denegat. Hunc non tali methodo ad fidem pertrahere studeremus; sed propositis argumentis III. cap. quæ dici solent *motiva credibilitatis;* ac demonstrata summi Dei revelantis auctoritate, illum adigeremus ad præstandam fidem Ecclesiæ ob eandem Dei auctoritatem, implorata, à qua fides est, Christi gratia. At inimicos veritatis, qui ex fidei controversiis aliquam nobiscum propugnant, ex veritate quam probant nitimur refutare. Negant Manichæi vetus testamentum? Manichæos confutamus ex testamento novo quod approbant. Negant Lutherani auctoritatem Ecclesiæ? Lutheranos revincimus ex utroque testamento quod non abjiciunt. Negat Catholicorum aliquis incompertum sibi dogma? Catholicum convincimus auctoritate Ecclesiæ, cui se submittit. Atque id non est circulando vagari, sed recta aggredi oppugnatorem. Ubi autem Novatores omnia fere Romanensium Theologorum dogmata impugnantes nobiscum decertant, non utimur nos uno duntaxat Scripturæ textu; sed ubi negant Ecclesiæ judicium, urgemus testimonia Evangelii: ubi Traditiones, opponimus Epistolas Pauli: ubi Scripturarum canonem, obtrudimus & Traditiones, & Ecclesiæ judicium, quæ duo jam ex Scripturis comprobavimus. Atque ita non ex ignotis ignota, sed ex probatis ea quæ negantur inferimus. Quod si unum Scripturæ locum ex ipsa Scriptura explicamus, confugimus ad contextum magis expressum; ad sacri Scriptoris scopum, ad magis probatam Versionem, ad linguarum etiam proprietatem atque syntaxim, & ex iis quæ nota sunt, ea quæ ignota erant interpretamur, recepto tamen, quod spernunt Sectarii, vivorum Judicum magisterio. Si hoc sit vagari circulatione; nulla est, quæ non laboret tali vitio, in qualibet scientia ratiocinatio.

Dum objiciunt omnem hominem esse mendacem, qui aliud probant, nisi mendacem esse Lutherum, mendacem Calvinum, mendacem cujusque hæretici spiritum, qui proculdubio est humanus? Et quidem hujus mendacii argumentum est arrogantia, vanitas, pervicacia, contradictio, & quæ paulo supra redarguimus. At summus Ecclesiæ Rector, licet homo sit, Divino Spiritu dirigitur, juxta factam beato Petro promissionem, quod nunquam deficiet fides ejus, & nunquam portæ inferi adversus eum prævalebunt. Cæteris directio Spiritus sancti non adest, nisi cum ipso Ecclesiæ Capite conjuncti sint; ac propterea controversiarum fidei supremus Judex est solus Romanus Pontifex; cujus auctoritatem alibi vindicabimus.

CAPUT V.

Præter Divinam Scripturam sacras quoque Traditiones esse admittendas.

SUMMARIUM.

1. Quinam Hæretici traditionibus opposuit.
2. Quid sit traditio.
3. Traditionum multiplex genus.
4. Regulæ pro dignoscendis traditionibus Christi & Apostolorum.
5. 6. usque 18. Probatur, admittendas esse traditiones.

1. Quinam Hæretici Traditionibus oppositi.

NOVATORES, ut diximus, solam Scripturam judicandorum dogmatum normam & regulam statuunt, quoniam illam pro libito in pravum sensum detorquentes facilius veritati repugnant, erroremque suum insolenti pervicacia tutantur, facti veterum omnium hæreticorum imitatores. Nam post Sadducæos, qui ante Christi adventum in Hebræorum gentem plures hæreses intruserunt, temere negantes quidquid veteris Testamenti scriptis non continetur, ut scribit Josephus lib. XIII. Antiq. cap. 18. nullam præter Verbum Dei scriptum fidei regulam agnovere priorum duorum sæculorum hæretici,

tici, Valentiniani præsertim, & Gnostici, apud D. Irenæum lib. III. cap. 2. Idem præstiterunt Ariani rejicientes *Homoousion*, propterea quod in nullo sacro librorum scriptum sit, ut liquet ex Epistola S. P. Augustini ad Pascentium, & ex I. adversus Maximinum libro: idemque Macedoniani, & Eunomiani refutati à Magno Basilio in Opere ad Amphilochium, Eutychiani, ut liquet ex Act. I. Concilii Chalcedonensis, Pelagiani, apud S. Patrem August. de Nat. & Grat. cap. 39. aliique hæretici omnes. At præ cæteris bellum Traditionibus indixere Lutheri, Calvinique gregales: & ex his majori fortassis audacia, extremoque conatu Chemnitius, Dallæus, Georgius Callixtus, ac Basnagius. Innumeri ex adverso pii, doctique Theologi Verbum traditum propugnarunt: cumque communia hæreticorum argumenta diluant Canus, Bellarminus, Valemburgenses, aliique sacrarum Controversiarum Tractatores; Chemnitium refutavit in libris Stromatum Wilelmus Lindanus: Dallæo satisfecit Nicolaus L'Herminier Tom. 8. pag. 194. & Natalis Alexander dissert. XVI. 2. Sæculi, ac Samueli Basnagio Abbas Benedictus Bacchini in Epistolis Polemicis vernacula lingua contra Jacobum Piceninum conscriptis. Ut ex Nostratibus aliquos recenseam, præter Hyacinthum Tonti, & Taddæum Caluschi superiori capite commemoratos, dignus est qui legatur Carolus Moreau Tom. III. Tertull. pag. 716. & seqq.

2. Quid sit traditio.

Ut præsens quæstio dilucide resolvatur, præmittendum est, quid sit Traditio, quotuplex, & quibus notis discerni possit. Ac primo appellantur Traditiones illa quoque dogmata, quæ in Scripturis sanctis continentur: quo sensu falsi testes Act. VI. 14. de Stephano dixerunt: *Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum illum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Deinde Traditio accipitur pro doctrina, quæ primum prædicatione Apostolorum propagata est, postea sacris etiam literis consignata: ut I. ad Corinth. XI. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, &c.* Tertio Traditio accipitur prout verbo Dei scripto non continetur, sed ore à patribus derivatur ad posteros: atque de hac Traditione cum hæreticis ad solam Scripturam provocantibus decertamus, affirmantes plura à nobis de fide tenenda esse, quæ in Verbo Dei scripto minime inveniuntur expressa.

3. Traditionum multiplex genus.

Traditionum autem genus multiplex est. Aliæ sunt Divinæ, quæ nonnisi à Christo Domino ducunt originem, ut quæ spectant ad formam & materiam Sacramentorum, à Deo homine, qui solus potuit gratiam sensibilibus signis alligare, institutorum. Quædam sunt Traditiones Apostolicæ, quæ ab Ecclesiæ incunabulis, ab Apostolis Divino Spiritu afflatis Ecclesiis fuerunt propositæ, ut jejunium quadragesimale in Christi memoriam, animarumque medelam primitus institutum, & fidei symbolum recitandum à Catechumenis sacro lavacro expiandis. Aliæ sunt traditiones Ecclesiæ sano, providoque consilio inductæ, & paulatim receptæ, cujusmodi sunt ritus in Sacramentorum administratione servandi, ordo precum, festorum plurium institutio, & alia id genus permulta: in quibus distinguendum est, quod servat universalis Ecclesia, & quod in usu est apud Ecclesias peculiares, ut de jejunio sabbati scribit S. Augustinus in Epistola ad Casulanum, & de cantu Ecclesiastico lib. IX. Confess. cap. 7. Non contendimus adversus hæreticos servandas esse traditiones omnes singularium Ecclesiarum, sed Divinas, Apostolicas, & universalis Ecclesiæ usu, & auctoritate probatas: in cæteris dicimus sequendum morem illius Ecclesiæ, apud quam commoramur. Harum traditionum quædam ad doctrinam spectant, ut dogma de canone Scripturarum, & de perpetua Deiparæ Virginitate: quædam ad mores, ut jejunium, Sanctorum cultus, Monachalis institutio: quædam ad disciplinam, ut baptismi collatio per immersionem, vel ablutionem. Postremum locum tenent traditiones humanæ, quæ, ut ab Ecclesiasticis discernuntur, sunt instituta hominum pro libito inducta, ac sæpenumero legum præscriptionibus adversantia; ut de traditionibus Pharisaicis diximus hujus voluminis pagina 22.

4. Regulæ pro dignoscendis traditionibus Christi, & Apostolorum.

Ad discernendas Christi, & Apostolorum traditiones his regulis utimur. I. Si universa Ecclesia tanquam fidei dogma amplectatur, quod nonnisi solus Deus potuit constituere, etsi scriptum illud non sit, descendit tamen ex traditione Divina. Hujus regulæ ratio est, quia cum Ecclesia universa non possit errare in fide; quidquid tanquam de fide credendum proponit, id certissime à Deo revelatum est. Traditur hæc regula ab Irenæo lib. III. adversus hæreses cap. 2. à Tertulliano de Præscript. cap. 28. à Cypriano lib. III. Ep. 13. & à S. P. Augustino lib. 2. de

de Baptism. cap. 7. II. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Deprompta est hæc regula ex S. P. Augustino lib. IV. de Baptismo contra Donat. cap. 24. hujusque regulæ ratio aperta est, quoniam vetusta consuetudo, cujus institutionem ac initium non invenimus, ad Apostolorum usque tempora debet referri. III. Doctrina, quam Ecclesia universa quovis sæculo propugnavit, aut si in aliqua particulari Ecclesia viguisse non constet, perpetuo tamen servata est in Ecclesiis præcipuis, atque Apostolicis, ex Christi, & Apostolorum traditione manavit. Desumpta est hæc regula ex Irenæo lib. III. cap. 2. & 3. & ex Vincentio Lirinensi cap. 2. Commonitorii: & liquet; nam dum servamus antiqua dogmata Ecclesiarum Apostolicarum, ab his sensibus nullatenus recedimus, quos majores, ac patres nostros habuisse comperimus. IV. Si uno ore viri Ecclesiastici testentur dogmata aut consuetudinem ab Apostolis derivasse, aut contrarium asserentes tanquam hæreticos reprobent; Divinæ aut Apostolicæ traditionis certum est argumentum. Ita docuerunt PP. Septimæ Synodi art. 6. Hieronymus in Epist. ad Pammach. & Leo Papa Epist. 13. ad Augustam: quod & rationi consentaneum est, quia dum adhæremus doctoribus Ecclesiasticis, & disjungimur ab hæreticis, sequimur Spiritum veritatis, rejicimusque Pseudoprophetas, hominesque mendaces. Vide Melch. Canum libro III. cap. 4. Franc. Sylvium lib. II. Controv. Q. III art. 5. Casp. Juenin. Dissert. IV. q. II. cap. 3. &c. Econtra traditio Divina, aut Apostolica censenda non est, si non ab universa Ecclesia servetur, sed vigeat duntaxat in aliqua Ecclesia particulari: si perantiqua non sit, ejusque institutionis designetur origo: si à perpaucis, licet antiquis, Scriptoribus commemoretur, sed repugnent alii numero, doctrina, & auctoritate præcipui: si denique viri Ecclesiastici, & Apostolica præsertim Ecclesia, tanquam novellam adinventionem illam repudient, atque proscindant. Legatur S. Vincentii Lirinensis Commonitorium cap. 20. 21. 22. 28. His præmissis sit.

5. Propositio. PROPOSITIO. Admittendæ sunt Divinæ, & Apostolicæ Traditiones.

Probatur 1. Demonstratur primo; quoniam nemo sanæ mentis negare potest, Ecclesiam antiquiorem esse Scripturis, & aliquamdiu solam traditionem veræ fidei normam fuisse. Etenim in lege naturæ nulla Scriptura extitit, quæ Divinam haberet auctoritatem. Primus omnium canonicos libros ad Ecclesiæ institutionem aut Jobus scripsit, aut Moyses, nam librum Enoch, aliosque vetustos neque Synagoga tanquam Divinos unquam habuit: & nihilominus ad notitiam usque nostram pervenerunt sacrificia, quæ obtulit Abel, Dei cultus confirmatus ab Enos, immolata à Noe holocausta, acceptum à Deo mandatum circumcisionis, & posteris Abrahami annuntiatum, altaria à Jacob erecta, aliaque legis naturæ instituta, absque membranis, tabulisque servata. In lege itaque naturæ fidei regula non erat verbum scriptum, sed traditum, per quod filii à parentibus religionem, ritumque colendi Deum edocebantur; quemadmodum innuit S. David, dicens: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera &c.* Ps. LXXVII. 5. In lege autem Moysi, etsi plura sacris literis fuerunt conscripta, plura tamen alia fide certissima tenebantur ex sola traditione majorum. Atque ut mittam, quæ negant hæretici, ut sacrificia pro defunctis, quæ ante Machabæorum tempora nulla Scriptura legis expresserat; aut quæ speciatim designare non possumus, ut remedium pro femellis ad originalem maculam expiandam: undenam acceperunt Judæi Moysen esse Auctorem librorum, qui sub ejus nomine circumferuntur, eosque fuisse Deo inspirante exaratos, nisi ex traditione? unde cæterorum sacrorum librorum, nisi tradente Synagoga, canonem habuerunt? unde cruentis victimis didicerunt præsignari Christum Reparatorem? Profecto ex Patrum institutione, de qua idem Regius Vates Psalm. XLIII. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis.* Si denique de Evangelica lege sermonem instituamus, Christus Dominus nihil scripsit, quod canonicum esse sciamus; nec Apostolis præcepit, ut literis mandarent Evangelica dogmata, sed ut ea universis hominibus annuntiarent, adeo ut Christi fides, juxta Prophetarum vaticinia, prius cordibus, quam tabulis inscripta fuerit, Præcessit itaque Traditio Scripturam, & aliquando Ecclesia & Religio absque Verbo Dei scripto subsistiterunt.

6. Probatur 2. Demonstratur secundo; nam, ut liquet ex præcedenti capite sola Scriptura non est dijudicandorum dogmatum norma. Sine Ecclesiæ auctoritate Evangelio nemo prudens assentiretur: illius judicio canonicos libros secernimus ab

Apocryphis, & sensus Scripturarum ambiguos non privato spiritu definimus, sed docente Ecclesia tantummodo, sine erroris periculo assequimur. Arbitror id paulo supra fuisse sufficienter comprobatum. At Ecclesia qua regula uti potest sive ad canonem sacrorum librorum definiendum, sive ad sensum obscurum perplexumque enodandum, nisi forte traditione Majorum? Ipsa commonstrante quatuor tantum Evangelia suscipimus, & spuria ac fictitio nomine intrusa repellimus, ut lib. VI. H. E. cap. 10. & 19. probat Eusebius testimonio Serapionis, & Origenis. Neque est necessaria aliorum testium auctoritas; postquam vidimus inepte probari ex scriptura scripturæ ipsius canonem, aut inspirationem. Idem asserendum de Scripturarum interpretatione; quam ex unanimi Patrum sensu petendam esse, jure meritoque scribit Agatho Papa in Epistola, quæ extat Act. IV. Synodi sextæ. *Si enim*, ut verbis utar Lyrinensis cap. 38. *Divinis eloquiis, sententiis, promissionibus Diabolus & discipuli ejus utuntur: quid facient Catholici omnes, & matris Ecclesiæ filii quonam modo in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commentarii istius sanctos, & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut Divinum canonem secundum universalis Ecclesiæ Traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur.* Traditio itaque tam ad discernendas Divinas Scripturas ab apocryphis, quam ad illarum sensum legitimum disquirendum est summopere necessaria.

7. Probatur 3. Tertia demonstratio sit. Plura nobiscum hæretici propugnant dogmata, quæ nequeunt ex Scripturis probari, cum ibidem aut nullo pacto, aut nonnisi obscure contineantur. Perpauci sunt, qui adversus Helvidium non fateantur perpetuam Deiparæ virginitatem, & contra Apollinaristas descensum Redemptoris ad inferos. Baptizandos pueros ante usum rationis defendunt adversus Anabaptistas cum Lutherani, tum Calviniste: utrique censent valere collatum ab hæreticis baptismum. Nequeunt hæc ex sola scriptura demonstrari. Alia ex scriptura quidem inferuntur; at non si traditionem contemnas: processionem Spiritus sancti à Filio, divinarum personarum in una, eademque substantia æqualitatem, Sacramentorum numerum, aliaque multa non ita expresse in canonicis Scripturis invenies, ut inde possint adversarii prorsus refelli. Imo si quæ in Scripturis expressa sunt, facile in contrarium sensum detorquentur, Patrum traditone rejecta. *Et jam Protestantes* (inquit Grotius in Annotatis ad Consult. Cassandri) *quæ tuentur, ea non sunt omnia αὐτολεξεὶ, ad verbum, in sacris literis. Dicunt admittendas consequentias. At ipsi consequentias sæpe admittunt ex privato cujusque ingenio: unde tot & tam gravia inter ipsos dissidia, & quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus Ecclesia antiquo, & universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura & in Traditione, quæ mutuo facem sibi allucent.* Vidit hujus argumenti firmitatem etiam vir ille peracutus, à communione nostra alienus.

8. Probatur 4. Quartum argumentum depromitur ex confutatione hæresum, quæ non solum Scripturis, verum etiam Traditione, & hac præsertim fuerunt refutatæ. Gnosticos refellit S. Irenæus lib. III. cap. 3. primum ex Traditione Ecclesiæ Romanæ, cujus dogmata probat esse inconcussa ex legitima successione Pontificum à Petro usque ad sedentem eo temporis Eleutherium; deinde ex Traditione Ecclesiæ Smyrnensis, quæ Episcopum ac magistrum habuit virum ab Apostolis edoctum, & cum eisdem conversatum, sanctissimum scilicet, invictissimumque Christi martyrem Polycarpum: tertio ex Traditione Ecclesiæ Ephesinæ, quam fundavit Paulus, ac diu rexit Joannes, & quæ poterat traditionis Apostolicæ verax testimonium præbere. Confutatos Arianos in magna Nicæna Synodo ex vetustis Episcopis, & Scriptoribus, qui ante eandem Synodum eos, qui Filium Dei facturam esse dicerent, non autem Patri consubstantialem reprehenderant, scribit libro I. H. E. cap. 8. Theodoretus. Quinta Synodus, sive Constantinopolitana II. can. 9. anathematizavit Nestorianos autumantes Verbum incarnatum adorandum non esse eadem adoratione cum assumpta humanitate, *sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est.* In Sexta Synodo, seu Constantinopolitana tertia, discussa sunt omnium præcedentium Patrum testimonia ad evincendas duas in Christo voluntates, & profligandam hæresim Monothelitarum, ut liquet ex Act. IV. X. & XVIII. Septima vero, id est, secunda Nicæna nonne in definitione fidei confirmavit sacrarum Imaginum cultum ex Ecclesiastica Traditione? Idem præstitisse adversus subortas alias hæreses posteriora Concilia, neque hæretici denegant. Tenuerunt eandem viam

viam sancti Patres, de quibus paulo infra. Incredibile autem est Ecclesiam Christi in refellendis hæresibus usam fuisse incertis, fluxisque argumentis. Si ergo adversus inimicos veritatis semper objecit Veterum Traditiones; sunt istæ Ecclesiasticorum dogmatum fulcrum firmissimum atque inconcussum.

9. Probatur 5. ex Scriptura.

Sit argumentum quintum petitum ex sacris literis. Pro verbiorum 1. 8. legitur: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*; quod de Traditionibus sanctæ matris Ecclesiæ interpretatur laudandus infra Epiphanius. Joannes ultimo: *Sunt & alia multa quæ fecit JEsus, &c.* ex quo loco Traditiones comprobat S. Thomas III. p. q. 83. art. 4. Apostolus Paulus 1. ad Corinth. XI. 3. commonstrans se plura Corinthiis traditurum, quæ in Epistola prætermittebat, *cætera*, inquit, *cum venero disponam*: hinc enim S. Pater in Epistola ad Januarium 118. nunc 54. cap. 6. probat ex Apostolica traditione descendere quod Eucharistia nonnisi à jejunis accipiatur, & ab Apostolis ordinatum esse quod universa per orbem servat Ecclesia, neque ulla morum diversitate variatur. Idem Apostolus 2. ad Thessalonicenses II. 14. ait: *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* De quo testimonio Orat. IV. Chrysostomus: *Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per Epistolas, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censemus esse fide dignam. Est traditio: nihil quæras amplius.* Similia Damascenus lib. IV. cap. 17. Timotheum vero idem Apostolus II. Epistola cap. 1. ita alloquitur: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum.* Quo in loco apertissime traditiones commendare primo testatur prælaudatus Chrysostomus scribens in ea verba: *Non modo per literas, sed etiam verbis discipulo quæ essent agenda dictavit: quod plurimis aliis in locis ostendit, dicens: Sive per verbum, sive per Epistolam, quasi per nos missam. Ne igitur minus aliquid doctrinæ habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit, quæ illi modo ad memoriam revocans, dicit, Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti.* Deinde quid est *depositum*, nisi doctrina per manus tradita, & quasi thesaurus alteri creditus, ut inquit Vincentius Lirinensis cap. 27. Commonitorii? His itaque, aliisque Scripturarum sanctarum oraculis Traditiones Apostolicæ commendantur.

10. Probatur 6. ex Patribus.

Sextum argumentum sententiis sanctorum Patrum construitur. Ex illorum autem numero seligam, quos hæretici magna doctrinæ laude celebrari, ac summa præstare auctoritate non denegant, & quos ad se trahere irrito conatu nituntur, Irenæum scilicet, Tertullianum, Epiphanium, Basilium, Cyprianum, Augustinum. Nam de Papia Hieropolitano, Ignatio Martyre, & Clemente Alexandrino, aliisque sat est, si loca breviter indigitando aliquid contracte dicamus. Igitur Irenæus lib. III. cap. 2. demonstrans eam esse hæreticorum hominum vafritiem, ut dum Scripturis arguuntur, in accusationem convertantur ipsarum Scripturarum, *Cum autem*, inquit, *ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ successione Presbyterorum in Ecclesia custoditur provocamus eos, adversantur Traditioni:* atque ex his infert hæreticos neque Scripturis, quas pro libitu temerant, neque Traditioni, quam repellunt, consentire. Cap. autem III. Valentinianos primum traditione, deinde Scripturis confutaturus, illius firmitatem his verbis corroborat: *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui recta velint videre: & habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur.* Atque eo loci præfert Irenæus traditionem Romanæ Ecclesiæ à duobus Apostolis Petro & Paulo erectæ & constitutæ, nec non Ecclesiæ Smyrnensis, & Ephesinæ, quarum illa à Polycarpo, hæc à Joanne Evangelista edocta fuit. Refutatis postea Gnosticis ex Traditione, S. Irenæus cap 5. eosdem Scripturis impetens ait: *Traditione igitur quæ est ex Apostolis sic se habente in Ecclesia, & permanente apud nos, revertamur ad eam quæ est ex scripturis ostensionem.* His respondere nequeunt hæretici Irenæum Traditionem accipere pro ipsis Scripturis, aut pro Fidei Symbolo, ut comminiscitur Grabius. Enimvero aperte Irenæus Traditionem à Scriptura distinguit, & duplici telo Valentinianos confodit: deinde ait hanc traditionem etiam sine charta & atramento ab innumeris barbarorum gentibus, quæ in Christum crediderunt, custodiri: ulterius affirmat ordinem traditionis fuisse tenendum, etiamsi Apostoli Scripturas non reliquissent nobis. Vide Irenæum eodem

dem libro cap. 4. Symbolum autem qua fronte nunc callidi hæretici obtrudunt, cum ab Apostolis editum denegent, & si editum fateantur, admittant nihilominus dogmata, quæ in Symbolo non continentur, ut parvulorum baptismum, & originalis peccati propagationem?

11. Renatus Massuet defenditur contra Joannem Buddeum.

Hæc cum erudite pertractaverit Renatus Massuet suis in Irenæum Adnotationibus, ac præsertim prævia dissertatione III. art. 3. effugiumque omne adversariis præcluserit, id ægre ferens Joannes Franciscus Buddeus irrito conatu Massuetum refellere aggressus est. Ait primo eruditissimum virum dum initio dissertationis scribit, *Scripturas sacras esse regulam veritatis certam, & immutabilem, cui nihil addere, vel detrahere fas est*, confiteri opus non esse traditionibus. Sed quid insulsius, ineptiusque potuit proferri? Divinæ quidem Scripturæ sunt istiusmodi regula, eisque non licet scripturas alias apponere, neque eas fas est interpolare, & mutilas reddere; sed ad hanc regulam Massuetus adjicit alteram, quam ab Irenæo prædicari invicte demonstrat, ut nonnisi scurriliter se gerat Buddeus affirmans confessionem Massueti sibi esse gratissimam, dum vir clarissimus exornat hæretici dogmatis refutationem. Deinde Buddeus ex verbis Irenæi asserentis hæreticos dum scripturis exagitantur confugere ad Traditiones, infert hæreticos esse, non orthodoxos, qui traditiones ipsas recipiunt. Firmum sane hæreseos præsidium, dignumque, ut est in proverbio, patella operculum! Enim vero S. Irenæus lib. III. cap. 2. num. 1. scribit Valentinianos, dum Scripturis premuntur, in accusationem converti ipsarum Scripturarum, affirmantes recipiendam esse traditionem, de qua Apostolus ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos*; verum hanc traditionem, ac sapientiam ab unoquoque adinveniri, *ut digne secundum eos sit veritas aliquando quidem in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Basilide; unusquisque enim ipsorum omnimode perversus semetipsum regulam veritatis depravans prædicare non confunditur.* Post hæc Irenæus n. 2. provocat Valentinianos ad eam traditionem, quæ est ex Apostolis, quam ex successione Episcoporum demonstrat persistere in Ecclesia Romana; cujus Pontifices enumerat usque ad Eleutherium tunc temporis sedentem. Apertissimum ergo est, S. Irenæum hæreticos appellare qui rejiciunt traditiones Romanæ Ecclesiæ, probantesque doctrinam post Apostolos ab hominibus excogitaam, ut Valentini deliramenta nunquam Romæ ante Hyginum audita, atque rejectâ veritatis regulâ semetipsos, propriamque adinventionem deprædicantes: cujus generis sunt Novatores sectantes placita Lutheri, aut Calvini, contemnentes Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrinam, atque ad normam proprii spiritus Scripturarum sensum dijudicantes. Nemo quippe nescit, ut dissert. VI. in libros Irenæi cap. 5. animadvertit Nicolaus Nourry, paganos, atque hæreticos contra nascentem Christi Ecclesiam usos traditionum suarum argumento, cum tamen hæ traditiones ex corruptissimo nefandi erroris fonte manaverint, & admittendæ sint illæ traditiones tantummodo, quæ ab Apostolis ad nos transmissæ probantur. At, inquit Buddeus, eo tempore adhuc ex traditione colligi poterat Ecclesiæ sententia, quam Irenæus opponeret Gnosticis adeo inflatis, ut se Apostolis sapientiores esse jactarent. Principia hæc adversantur hujus Scriptoris scopo; neque cohæret, Irenæum loqui contra hæreticos assertores traditionum, & traditiones tunc temporis fuisse inconcussas, atque ad revincendos hæreticos ab Irenæo recte, sapienterque productas. Præterea Irenæus traditiones ad nos transmissas probat ex legitima serie Episcoporum, scribens cap III. n. 3. *Hac ordinatione & successione ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos: & est plenissima hæc ostensio unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata; & tradita in veritate.* Ex eadem legitima Episcoporum successione Apostolicam doctrinam dignosci scribit lib. IV. cap. 36. Nequit ergo demonstrari in Ecclesia Romana adulterata Traditio, cum in ea perseveret legitima Episcoporum successio. Ac tandem cum traditiones Apostolicæ in universam Ecclesiam antiquitus dimanaverint, si illas Romana Ecclesia labefactasset, id ex aliarum Ecclesiarum traditione deberet commonstrari, ideoque adhuc persisteret Traditionum fundamentum firmissimum atque inconcussum. Hactenus de Irenæo, qui tam aperte refellit hæreticorum figmenta.

12. Tertullianus stat pro traditionibus.

Tertulliani Latinorum antiquissimi testimonia adeo sunt invicta, ut excuti nulla ratione valeant. De cultu fæm. cap. 3 ait: *Cum Enoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum posteris suis traderet: igitur sine dubio potuit Noe in prædicationis suc-*

successione deligere. De jejunio cap. 10. *Eorum*, inquit, *quæ ex traditione observantur tanto magis dignam rationem afferre debemus, quantum carent Scripturæ auctoritate.* Idem de Corona cap. 4. pluribus commemoratis, quæ ad baptismum, Eucharistiam, oblationesque pertinent, *Harum*, inquit, *& aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* In v. contra Marcionem cap. 17. Sermonem instituens de Epistolis Pauli, ait, *Ecclesiæ veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos*, & de Carne Christi cap. 2. ex traditione evincit *originalia esse instrumenta*, quæ delere ausus est Marcion. Demum de Præscript. 28. protulit pervulgatam illam sententiam, *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Plura colligit Carolus Moreau Tom. 3. v. *Traditio.* His autem constat Tertullianum Traditionem comprobare ex primævæ legis institutis: ex traditione repetere Ecclesiasticos ritus: traditione autographas Scripturas secernere à suppositis; traditiones quoque criterium statuere, multarum, scilicet Ecclesiarum consensionem. Tertullianus itaque omnia, quæ supra dicta sunt, collustrat, confirmat, corroborat.

13. Etiam Epiphanius.

Quid autem Epiphanius? Is H. 60. pag. edit. Petavianæ 511. inquit: *Sed & traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat. Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis. Item, Si meministis, &c.* indigitans loca in quinto argumento præcitata. Atque H. 76. pag. 912. *Potest vero*, inquit, *quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? quemadmodum à Salomone scriptum est, Audi fili sermonem patris tui, & ne repellas legem matris tuæ. Quibus Patrem, hoc est unigenitum Deum cum Spiritu sancto declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse: matrem vero nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi evertique nequeunt.* His pariter, quibus nil proferri potest expressius, quintæ argumentationi robur accedit.

14. Etiam Basilius.

At Basilius in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium tam splendide, & enucleate Traditiones adstruit, ut nullum alium effugium suppetat Refractariis, quam aureum illud opus magno Basilio abjudicare: quod incassum tentari etiam ex ingenua suorum confessione ostendi lib. VIII. cap. 9. Ergo Basilius cit. libri cap. 27. ait: *Dogmata, & instituta, quæ in Ecclesiis prædicantur quædam habentur, ex doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione; quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit quisquis sane, vel tenuiter expertus est quæ sint jura Ecclesiastica.* Enumerat ibidem aliqua, quæ ex traditione servantur, ut communire se signo crucis, præmittere preces consecrationi Eucharistiæ, delinire unctionis oleo neophytum, abrenuntiare in baptismate Satanæ & angelis ejus, aliaque plura, quæ confirmat exemplo Moysis statuentis profanos extra cancellos, quem imitati sunt Apostoli ac patres, à quibus plurima in occulto, & sine scripto fuerunt tradita, ut mysteriis suam servarent dignitatem, nec dogmatum cognitio propter assuetudinem veniret in contemptum. Atque hæc à Nebulone quodam inserta perperam jactat Hermannus, cum allata Basilii verba integra proferat in 1. Orat. de Imagin. Jo. Damascenus, & Erasmi conjecturæ, quæ deceperunt Hermannum, Scultetum, ac Protestantium alios, sint, ut alibi diximus, nimium futiles. Cap. 29. ejusdem libri, *Arbitror*, inquit Basilius, *Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit, vos quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis: & illud, Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam.* Quo in loco Basilius interpretatur de Traditione non scripta textus Apostoli paulo supra citatos. Addit Basilius satis idoneam comparationem; si enim legibus revinci nequeat adversarius, consuetudine refutatur: *Ergo*, ait Basilius, *si apud Tribunal probationibus è scripto destituti multos vobis testes produceremus, nonne sententiam absolventem à vobis consequeremur? Quid si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostenderimus, annon videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam jure nobis intendi?* Atque hæc comparatio movit etiam Hugonem Grotium, ut liquet ex ejus discussione Apologetici Rivetiani; ubi illam confirmat auctoritate Callistrati, & Pauli Jurisconsulti. Non poterat ergo Basilius de sacris traditionibus loqui magnificentius, quàm illis parem cum

verbo scripto vim tribuere, illis fulcire sacrorum mysteriorum dignitatem, illis denique religionis, fideique causas definire.

15. Etiam Cyprianus.

Dicamus nonnulla de Cypriano. Hunc propugnasse sententiam de Rebaptizandis innixum suppositæ traditioni liquet ex Epistolis ad Pompejum, ad Quintum, ad Jubajanum, ad Stephanum; & licet erraverit pro traditione obtrudens consuetudinem solius Africæ, asseruit tamen definiendi dogmatis normam esse consensum, & auctoritatem Majorum: quare Epistolæ omnes à Cypriano de hoc argumento conscriptæ & Traditiones commendant, & simul commonent has in Ecclesiis Apostolicis requirendas. At inquis, nonne Razmundus Missorius palam fecit Epistolas illas doctrinamque de Rebaptizandis Cypriano supponi? Dixi alibi non unum esse de sententia Missorii judicium Eruditorum: virum esse H. E. peritissimum, emunctæ naris criticum, ejusque stylum perspicuum ac perpolitum, non solum Rotignus scribit, verum etiam qui ediderunt Acta Eruditorum Lipsiæ an. 1736. pag. 60. Idem fateri debet quisquis limatam, elaboratamque dissertationem perlegerit. At S. P. Augustinus, quemadmodum ait non deesse, qui hoc Cyprianum non sensisse contendant, sed sub ejus nomine à præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum, perspectaque hæreticorum fraude aliquando de hac re hæsitet fluctuetque: ita ubi opinionem suam profert, aperte literas ac de Rebaptizatione sententiam adjudicat Cypriano, ductus duplici argumento; quorum unum petitur è stylo S. Martyris singulari, & quasi certis, quibus distinguatur, affectus delineamentis; alterum ex unitate Ecclesiæ ipsis Epistolis Cyprianicis vindicata, quam sane tanto studio minime servasset Epistolarum illarum architectus, si fuisset aliquis Donatista. *Nos tamen*, inquit S. Pater Epistola ad Vincentium Rogat. 48. nunc 98. num. 39. *Nos tamen duas ob res non negamus illud sensisse Cyprianum: quod & stylus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci; & quod ibi magis contra vos nostra causa monstratur invictior, vestræque separationis præsumptio, videlicet ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate subvertitur, cum apparet in literis Cypriani communicata esse cum peccatoribus Sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam, qui secundum vestram, & sicut vultis, illius sententiam baptismum non habebant, & tamen Ecclesiam non periisse, &c.* Addo Augustinum Epistolas Cyprianicas suo auctori absque ulla hæsitatione tribuere lib. VI. de Baptismo cap. 7. num. 10. & lib. 1. de An. cap. 9. num. 11. Meminit etiam Concilii opera Cypriani celebrati lib. III. de Bapt. cap. 3. num. 4. & lib. VI. cap. 6. num. 9. Cum Epistolas, tum Concilium commemorat S. Hieronymus in Altercatione Orthodoxi & Luciferiani edita an. 378. Tom. IV. pag. 303. & 305. edit. Martianæi. Verum quidquid de his censeas; Cyprianus alibi traditionem aperte commendat scribens ad Cecilium: *Admonitos autem nos scias, ut in Calice efferendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

16. Etiam Augustinus.

Sanctum parentem Augustinum comprobare sacrarum Scripturarum autographiam ex traditione, & auctoritate Ecclesiarum quæ fundatæ sunt ab Apostolis, habentque seriem sibi succedentium Episcoporum, demonstratum est Prop. 2. capitis x. ex lib. adversus Faustum, de Civitate Dei, & de Doct. Christiana. Idem Augustinus lib. 2. contra Julianum cap. 1. ait Pelagianorum dogmata esse *Eloquiis redarguenda Sanctorum.* Peccatum originale & futuri Reparatoris adventum antiquis Justis, etiam ante diluvium ac datam legem per traditionem innotuisse affirmat lib. 2. de peccat. Origin. cap. 24. Libro IV. de Baptismo cap. 24. tradit præclaram dijudicandæ traditionis regulam superius allatam, meritoque à PP. Maurinis grandiusculis literis editam. Scripserat præcedenti libro II. cap. 7. de consuetutudine non repetendi baptismum: *Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem (sicut multa quæ inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur) hanc ergo saluberrimam consuetudinem, &c.* Sunt enim Augustini etiam quæ clauduntur parenthesi, licet absint à plurimis Mss. ut commonstrat repetitio illius vocabuli *consuetudinem*, ob orationem parenthesi interclusâ distractam. Libro V. ejusdem Operis cap. 26. loquens de Cypriano inquit: *Quo autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Recte à Benedictinis adnotatum in Margine: *Certissima regula veritatis explorandæ Apo-*

Apostolica traditio. Idem Augustinus Epistola ad Januarium 118. nunc 54. num. 1. *Illa*, inquit, *quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia.* Adeat qui plura cupit Hieronymi Torrensis Confess. Aug. libro 1. cap. 7. art. 5. & 6.

17. Etiam cæteri Patres.

Cæteros Patres Traditionibus suffragari est exploratissimum. De Ignatio Martyre, Papia, Polycarpo, & Clemente Alexandrino id testatur Eusebius in Eccles. H. collegitque loca omnia Nat. Alexander. Hieronymus Traditiones commendat adversus Luciferianos Tom. IV. edit. PP. S. Mauri p. 304. scripserat supra pag. 294. *Nam & alia multa quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Vide & Epistolam 52. ad Lucinium eodem Tomo pag. 579. Plura collegit in Confessione Hieronymiana Cornelius Schultingus. Sed hæc & genuina, & invicta. Afferunt Patres reliquos Bellarminus lib. IV. cap. 7. & ibidem Bellarmini Vindex Gretserus, Jodocus Coccius in Thesauro libro VI. cap. 2. Moreau in Tertull. Tom. 3. pag. 716. Laurea in III. sent. tom. 3. disput. 4. DD. superius laudati, aliique plurimi; ut nullum sit dubium, quin Traditio unanimi sanctorum Patrum sensu probetur.

18. Probatur ultimo.

Postrema argumentatio sit. Ipsi quoque hæretici, velint, nolint, ad Traditionum præsidium, dum inter ipsos gravia emergunt dissidia conantur confugere. Quomodo enim Peyrerium Systematis Præadamitici auctorem refutarunt, nisi Traditione Majorum, quod ipsum impulit ad Calvinianam sectam ejurandam, ut ipse testatus est in sua ad Alexandrum VII. Deprecatione? Socinianos sensum Scripturæ pervertentes nonne testimoniis Patrum confodiunt? Nonne vindicata Antenicænorum fide Georgius Bullus, aliique sese tandem ad Majorum placita inquirenda converterunt, ne his abdicatis tanquam novæ doctrinæ assertores insimulentur qui aut Presbyterianis adhærent, aut certæ Religioni nomen dandum esse fatentur? David Blondellus Apologiam pro sententia, ut putat, Hieronymi, de primitiva Episcopi & Presbyteri ἰσοτιμίᾳ contexit testimoniis Clementis, Hermæ, seu Pastoris, Justini, Papiæ Hieropolitani, Irenæi, aliorumque, inanem dans operam ut evincat sententiam oppositam Ecclesiasticæ traditioni adversari. Simplicius Verinus, id est Salmasius, nititur Transubstantiationis dogma impugnare coacervatis verbis Cyrilli, Theophylacti, Augustini, Eusebii Cæsariensis, Theodoreti, aliorumque ætate posteriorum. Hæc tantum exempla sat est protulisse. Accedit hæreticorum confessio; nam Calvinus contra Pighium, *Non difficulter*, inquit, *inter me, & Pighium in hac de Traditionibus contentione conveniri posset, si modo Ecclesiæ traditionem ex certo & perpetuo Sanctorum & Orthodoxorum consensu demonstraret.* Philippus Melanchthon apud Grotium Tom. IV. Op. Th. pag. 724. *Universalis consensus omnium temporum est testimonium quod hæc ordinatio est Apostolica.* Chemnitius in Examine Conc. Trid. pag. 306. scribit: *Hanc traditionem qua nobis in manus dantur sanctæ Scripturæ libri reverenter suscipimus*, Drusius, Grotius, & alii docent Paulum ex traditione Jannis & Mambris magorum Pharaonis nomina didicisse. Ex eadem traditione notum Petro lapsum angelorum, scribit in ejus Epistolam 2. Thomas Smith. Trinitatis mysterium traditione Judæis innotuisse testatur in Hist. Relig. Jud. Jacobus Basnagius. Bucerus adversus Latomum pag. 224. profitetur se in hac quæstione de Traditionibus loqui de novis noxiisque inventis, non de iis, quæ sancti Patres, & Ecclesiæ auctoritas tradidit. Vide citatum Grotium ad Consultationem Cassandri pag. 569. Hic vero cum eo loci, tum in Animadversionibus adversus Andream Rivetum, & in discussione Apologetici nobiscum plane in hac quæstione consentit. Jacobum quoque Piceninum asserere sacros libros recipi ex traditione priorum sæculorum dixi cap. X. prop. 2. Confirmatur ergo catholica veritas etiam hæreticorum hominum lucubrationibus, & consensione.

CAPUT VI.

Hæreticorum adversus Traditiones præcipua argumenta.

SUMMARIUM.

1. usque 15. Argumenta varia Hæreticorum.
16. Quatuor regulæ pro explicandis Patrum testimoniis.
17. usque 24. Argumenta reliqua.

1. Objectiones Hæreticorum ex SS. Scriptura.

NITUNTUR principio Sectarii evertere Traditiones Scripturarum sanctarum præsidio. In Deuteronomio, inquiunt, cap. IV. 2. & cap. XII. 32. præcipitur ne Verbo scripto addatur aliquid, vel detrahatur. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, &, *Nec addas quidquam, nec minuas.* Id in novo quoque Testamento præceptum esse liquet ex postremo Apocalyps. cap. V. 18. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Traditiones à Pharisæorum secta intrusas legi Divinæ adversari conqueritur Dominus Matth. XV. 6. & 9. eosdem Pharisæos alloquens, *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones vestras*, &, *Sine causa me colunt docentes doctrinam, & mandata hominum:* quod & monet Apostolus scribens ad Colossenses cap. II. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* Idem Apostolus intrudentibus præter Evangelium ex humana traditione doctrinam ad Galatas I. 8. infligit pœnam segregationis atque anathematis, dicens: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et jure quidem: enimvero ad formandos mores, fidem inferendam, refellendas hæreses, impiosque arguendos, teste eodem Apostolo in 2. ad Tim. III. 16. *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est.* Quænam alia inquirenda sunt documenta? Etsi innumera Dominus Jesus fecit, & docuit non omnia tamen Evangelistæ mandarunt literis, sed ea tantum, quæ videbantur sufficiens fidei fulcimentum; unde ait Joannes cap. XX. 31. *Hæc autem scripta sunt ut credatis.* Hæc rhetoricantes hæretici, ut imperitis fucum faciant, in differendo versuti & vaniloqui amplificant. Si nefas est, inquiunt, Verbo scripto adjicere aliquid, si hæc Traditionum additio Pharisæorum inducit morem, legisque contemptum, si inani fallacia infirmam decipit plebem, si contra illam Apostolus intorquet vibratque fulmen anathematis, si literis sacris, præceptionibusque Evangelicis in fide satis instruimur; cuinam commodo, nisi forte pravorum, novorumque dogmatum patrocinio invectæ in Ecclesiam traditiones deserviunt?

2. Solutio 1. Resp. Hæc omnia à Novatoribus aut callide, aut imperite urgeri contra Catholicum dogma. Etenim in Deuteronomio præscribitur ceremonialium, & sacrificiorum exacta observatio, quam nihil immutando curare debebant Levitæ, necnon præceptorum Domini inviolata custodia: nam statim additur cap. IV. *Custodite mandata Domini Dei vestri*, & XII. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.* Tantum dixit, ne Judæi in Idololatrarum regionem ingressi superstitiosos ritus sectantes Religionem idolorum cultu commacularent. Vide ibidem versu 30. Si his vetitum alia tradere; curnam Prophetarum recipimus vaticinia? cur Evangeliorum volumina? cur Epistolas Apostolicas, quæ tanto post Deuteronomium intervallo fuerunt conscripta? Cur etiam novæ institutæ festivitates, quas sacræ Judith, Estheris, & Machabæorum commendant historiæ? Ergo in Deuteronomio legis præcepta integre servanda proponuntur, rejectis Gentium moribus, idolorumque superstitiosis immolationibus. Quis præterea ignorat *verbum* דכר, non solum Divinam Scripturam, verum etiam latam ore legem significare? Vidit, irrisitque Sectariorum cavillulam etiam Grotius Arminianus scribens ad IV. Deuteronomii: *Hoc dictum neque traditionibus scriptum interpretantibus, neque præceptis humanis legem sepientibus repugnat.* Idem dic de verbis Apocalypseos: in quibus etiam notandum est τὸ *ad hæc*, ἐπ' αὐτὰ, quibus repellitur additio ipsi libro, ejusque vaticiniis apposita. At nemo est, qui istud, aut aliud Volumen sacrum audeat temerare, nisi magnopere audax heterodoxus.

3. Solutio 2. Pharisæorum traditiones & nos repudiamus, spuriæ enim sunt, ineptæ, ani-

aniles fabulæ, & Divinis præceptis contrariæ. Quædam enim Phariſæi ſervabant ex continua & à Moyſe derivata diſciplina, quædam ex inſtitutis Sammai, & Hillel, unde exorti ſunt, ut inquit Hieronymus lib. III. Comment. in Iſaiam Tom. III. pag. Edit. Martianæi 79. Traditiones prioris generis perutiles erant, aliæ vel iniquæ, vel futiles, nec dignæ obolo. Primæ etiam à Chriſto commendantur Matthæi XXIII. 2. ut obſervat in Pſalmum 2. Hilarius: ſecundæ rejiciuntur Matth. XV. 6. Illæ ab univerſa Synagoga, exceptis Sadducæis, recipiebantur: iſtæ in ſola Phariſæorum ſecta vigebant. De illis traditionibus perantiquis, & à tota Synagoga receptis pertractat R. Moyſes Maimonides in libro, quem *Chazakah* inſcripſit, & vir eruditus Joſeph de Voiſin de Lege Divina cap. 9. ſpectantque ad benedictionum, & expiationum ritus. Alias Phariſæorum traditiones à Sammai, & Hillel inductas, & quas Salvator appoſite indigitavit iis vocabulis *propter traditiones veſtras*, probus quilibet irridet. Harum nonnullas adverſas filiorum erga parentes pietati explicavimus hujus voluminis pag. 35. atque de his liquet ſermonem inſtitui cap. XV. Matthæi. Alias cum fœdas, tum riſu dignas recenſet Magnus Hieronymus in Epiſt. ac Algaſiam pag. 207. Tom. IV. ejusdem Editionis Martianææ, ſcilicet, ignominioſam conſuetudinem probandi guſtu munditiem ſanguinis menſtruatæ, & ambulare in domo unaquaque ſabbatorum bis mille pedes. Inter has traditiones, quas Hieronymi ætate vocabant δευτερώσεις, connumerandum eſt, quod ſcribit S. P. Auguſtinus lib. 2. contra Adverſ. legis cap. 1. *Judæos* habere *quasdam traditiones ſuas, quas non ſcriptas habent, ſed memoriter tenent; inter quas illud eſt, Deum primo homini duas creaſſe mulieres.* Revera in Talmud Babylonico, quod Auguſtino ſuperſtite nondum prodierat, abſolutum enim dicitur anno 473. in libro *Erubin*, & in libro *Ben-Sirae* commemorantur duæ illæ Adami uxores, Lilit dæmonum genitrix, & Eva protoparens hominum: quod ad intelligentiam illius Auguſtiniani loci non abs re fuerit adnotaſſe. In Talmud pariter libro *Sanhedrin* cap. 10. habetur duo illa Phariſæorum capita Sammai, & Hillel gloriam ſuam gloriæ Dei præferentes feciſſe ſchiſmata in Iſrael. Quod ergo objiciunt ex traditionibus Phariſæorum hæretici, hac ratione repellitur; nam Chriſtus damnat à Sammai, & Hillel inductas, non derivatas à Patribus, ac præſertim erga Parentes impietatem. At vide lib. XX. cap. 6. harum noſtrarum lucubrationum.

Ait Clericus in Prolegomenis ad H. Ec. ſect. 1. cap. 2. ſepoſita Divina Chriſti auctoritate conſtare è Judæis ſcriptoribus, Phariſæos *multa quaſi legitima tradidiſſe populo accepta à Patribus, quæ non ſunt ſcripta in legibus Moyſis.* Fateor: id Joſephus ſcribit Antiq. XIII. c. 18. ſive 10. num. 6. in poſtrema Editione Amſtelædami Tom. 1. pag. 663. Verum quid Criticus iſte contendit? Num, qui Traditiones propugnant, ſequuntur conſuetudinem Phariſæorum? At eo loci Joſephus ait Patrum traditiones rejici à ſecta Sadducæorum. Atque Sadducæos fuiſſe Phariſæis longe deteriores, quoniam negabant Deum auctorem bonorum, & permanere animas, & præmia, ſuppliciaque dari apud inferos, idem Joſephus ſcribit Antiq. XVIII. 1. & de Bello II. 8. Reſpuentes itaque Traditiones æquiparandi ſunt Sadducæis, Clericus maxime liberi arbitrii cum Sadducæis oſtentator. Verum Joſephus Phariſæorum, quibus addictus erat, ſectam nimium celebrat. Quamvis hi Traditiones optimas tenerent, V. G. de immortalitate animorum, & reſurrectione corporum, quas Paulus probat Act. XXIII. 8. iſtis traditiones alias humanas, & paulo ante Chriſtum excogitatas commiſcuerunt. Si petas, qua norma hæ ab antiquis poſſent ſecerni; Phariſæos ipſos interroga: qui, ut Hieronymus ſcribit citata ad Algaſiam Epiſtola, q. 10. illorum mores redarguentibus ſolent reſpondere: *Barachibas: & Simeon, & Helles magiſtri noſtri tradiderunt.* Hieronymo, ut diximus, conſentit Talmud.; & perperam Druſius de tribus ſectis Jud. lib. 2. c. 10. & Baſnagius Tom. 1. Annal. pag. 549. contendunt Hieronymum errare, quia Hellel fuit centum ante excidium Templi annis, nec Judæus, ſed Babylonius; quaſi non poſſit idem nomen pluribus convenire. Ita ergo quæ ab hominibus tradita, neque antiquitus in Apoſtolica Eccleſia viguiſſe comperimus, hominum adinventa amandamus: atque in iis certum judicii criterium requirimus; ne quis nos decipiat *per philoſophiam, & inanem fallaciam*, juxta D. Pauli præmonitionem.

4. Inſtantia Clerici. Reſolutio 1.

In Epiſtola ad Galatas Apoſtolum loqui de illis, qui ab Evangelio abducebant, contendentes cum lege Chriſti jungendam circumciſionem & cæteras ceremonias, Epiſtolæ argumentum evincit. Ergo verſu 8. particula *præter*

5. Reſolutio 2.

idem est, & *contra quam.* Ita S. P. Augustinus scribens libro xx. contra Faustum cap. 22. *Longe aliud annuntiat Faustus, aliud Paulus. Sed quoniam quisquis vobis evangelizaverit præter quam quod accepistis, anathema sit: verum dicit Christus in Paulo, anathema sit Manichæus in Fausto.* Vide & Enarrat. in Psalm. 115. Consentit Hieronymus Tom. IV. pag. 228. Extat in Græco παρ' ὅ. Particulam παρὰ interdum esse *contra*, liquet ex Lexicis Constantini Medici, Henrici Stephani, & Joannis Scapulæ. Tria exhibet exempla in Solone Plutarchus. Παρ' ὅ, ut hic extat, valere *contra quam*, probat in Commentariis Linguæ Gr. Guil. Budæus pag. 246. Similia promit Grotius ex Act. XVIII. ac tribus in Epistola ad Romanos expressis locis. Versio Arabica, & Aethiopica habent: *Si nos, aut Angelus de cælo annuntiet vobis quidquam diversum, &c.* non solum in Bibliis Max. Tom. XV. pag. 6. verum & in Waltonianis N. Test. pag. 756. Oecumenius utique, ac Theophylactus docent reprehendi à Paulo non tantum qui contraria addunt, sed etiam qui adjiciunt *aliud quodlibet parum à prædicto diversum*, sed accipiendi sunt de iis, qui licet Evangelio non opponantur aperte, illud tamen, ut inquit Chrysostomus, quem sequuntur ipsi Oecumenius & Theophylactus, *prædicatione corrumpunt.* Ac tales erant qui Galatis imponebant simul Evangelium, Moysisque legitima. Demum Verbum evangelizatum tam Scripturam complectitur, quam Traditionem.

6. Resolutio 3. Recte idem Apostolus in 2. ad Timotheum appellat Scripturam idoneam atque perutilem, at non ait Scripturam solam sufficere: nam in eadem Epistola IV. 11. Marcus dicitur *utilis in ministerium*, nec tamen supervacanei erant Lucas, Titus, Timotheus, Onesimus. Utilis est etiam cibus ad nutriendum, nec tamen rejiciendus est potus. Adde loqui Apostolum de scripturis veteris Testamenti, nam præmittit, *Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*; Timotheus vero infans non legit Testamentum novum, quod nondum erat conscriptum, & sacrarum Scripturarum canoni agglutinatum. Vide in hunc locum Estium, ac Sylvium Opusc. V. q. 2. art. 1. Becanum etiam in Manuali lib. 1. cap. 2. Sensum Apostoli paucis expressit Syrus: *Omnis Scriptura, qua à Deo inspirata est, utilis est etiam ad docendum.*

7. Solutio 4. Simili ratione Joannes in cap. Evangelii vicesimo ait, *Hæc autem scripta sunt, ut credatis:* non quod Evangelium omnia credenda contineat, nam alioquin ipse nec Epistolas, nec Apocalypsim edidisset, & supervacanea essent pariter, quæ literis mandavit Paulus, quæ Lucas, quæ Jacobus, quæ Judas; sed quia enarrata in Evangelio Joannis, & à Christo facta in conspectu discipulorum, postquam surrexit à mortuis, abunde comprobant ipsum esse Dei Filium, plenissimamque fidem faciunt legentibus de veritate Evangelii, & resurrectionis eventu. Atque hanc explicationem traditam à Cyrillo, & D. Thoma in Joannem ipsa Evangelici textus lectio confirmat. Ex quibus liquet Catholicum de Traditionibus dogma nec veteris, nec novi Testamenti locis ullatenus concuti, qualescunque nugas garriant, oblatrentque Sectarii.

8. Objectiones hæreticorum ex Patribus. Traditiones non posse ex libris PP. comprobari contendunt hæretici proximis argumentationibus. Primo ignoramus num Patrum scripta haud mutilata, nec spuria ad nos temporis vicissitudo transmiserit. Negari quippe non possumus interpolata fuisse Acta Conciliorum, veteres Liturgias, ac Patribus codices plures adulterinos suppositos: quod non solum asseruit Dallæus, Rivetus, Clericus, sed etiam erudita dissertatione ostendit Germon. Quæ ad nos incorrupta pervenerunt, ut plurimum ambigua sunt, nec exhibent sacrorum dogmatum integritatem: nam invenies in libris Veterum repudiatum homousion à Synodo Nicæna probatum, & usiam, hypostasim, aliaque plura diverso plane sensu prolata. Etiam Corpus pro substantia usurpavit Tertullianus. Præterea Patres à priscis sæculis falsa dogmata pro legitima traditione venditarunt. Papias apud Eusebium ex traditione non scripta intrusit peregrinas Salvatoris parabolas, regnumque Chiliasterum. Impegere in eundem scopulum Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius. Tertullianus de Corona ait cap. 3. vetitum ex traditione die dominico *de geniculis adorare.* Cyprianus adversus Stephanum traditione contendebat tinctos ab hæretico rebaptizandos. Trinam in baptismo immersionem servandam ex Apostolica traditione docuerunt Alcuinus Epist. 81. ad Paulinum, & Walfridus libro de Rit. Eccl. cap. 26. quod tamen Synodus IV. Toletana abrogavit. Mitto exempla alia. Traditio itaque dogmatum puritatem commaculat. Insuper si ex traditione Patrum comprobatur doctrinæ veritas, nulla erit hæreticorum secta quæ

quæ propugnari non possit. Nam Basilides, Valentinus, Marcion, aliæque pestes se audivisse Apostolorum discipulos gloriabantur. Pro nihilo itaque valet in fidei definitionibus antiquorum auctoritas.

9. Solutiones.

Resp. ad 1. temere dici interpolatos Patrum libros universos, etsi nonnulli aut amanuensium incuria, aut fraude hæreticorum fuerint vitiati: neque ex his, quæ dubiæ sunt fidei, dogmata confirmamus, sed ex receptis, vindicatis, & qui Scriptorum aliorum magnæ in Ecclesia auctoritatis testimonio non refragantur. Quamquam etiam sine scriptis Patrum traditio potest constare, ut de barbaris gentibus inquit lib. III. cap. 4. Irenæus: *Cui ordinationi assentiuntur multorum gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes.* De codicibus, qui depravati creduntur, vide Vindicias doctissimi Patris Constant. Quod sequitur de varia significatione vocabulorum, facile expeditur; percipiuntur enim singula, si Scriptorum ætatem, grassantes hæreses, styli consuetudinem, & interdum verborum penuriam, qua laborant qui græca latine reddunt, sedulo perpendamus, maxime autem Apostolicæ Ecclesiæ judicium: nam Traditionis regula nemo bene utitur, qui Ecclesiæ spernit auctoritatem. Proximum ex ipso Basnagio, qui argumentum istud urget, diluitur. Differt. enim IX. adversus Tradit. exornata n. 16. agens de canone Scripturarum, ait, quod etsi complures de Epistola Judæ, de Jacobæa, & de Apocalypsi olim dubitarunt, non tamen *in eam calamitatem incidit Ecclesia; ut communi omnium Christianorum conspiratione liber qui Divinus esset canone pelleretur.* Idem tenent Novatores alii ex Ecclesiæ conspiratione Scripturarum canonem, ut inquiunt, recipientes. At eo prorsus pacto traditio à Papia evulgata homine ingenii exigui, dogma communi aliorum sensu probatum commaculare non potuit, ut ostendi lib. III. cap. 9. præsertim cum ipse Papias apud Eusebium lib. III. H. E. aliique Chiliastæ Traditiones comprobarint, tametsi minus accurate inductas à Cerinthianis cum veris & Apostolicis intruserint. Tertullianus autem in 3. de Corona labitur, traditionem appellans, quod repugnat Scripturæ Act. XX. 36. cum utrumque tenendum sit, Verbum scriptum ac traditum; & traditio repugnans aperte verbo scripto nequeat esse Apostolica. Illud vero quod de trina immersione additum est, spectat ad disciplinam & ritum, non ad dogma: potuitque variari, quoniam sicut trina immersio significat *triduanæ sepulturæ sacramentum*, ita una commonstrat *in tribus subsistentiis unam substantiam*, inquit Epist. 41. Magnus Gregorius; cujus auctoritate freti Patres Toletani decreverunt c. 45. ut conferretur baptisma sive *trina, sive simpla mersione.* Ergo id reprehendere non debebant post annos fere 200. Alcuinus, & Walfridus: quorum zelum coercere studuit an. 868. Synodus Wormaciensis confirmans canone 5. Toletanæ definitiones. Sed legendus Martene de Antiq. Rit. libro 1. art. 14. Ipse Basnagius, qui hæc post Dallæum objectat, num. 29. scripserat num. 24. *Dum pietatis dogmata morumque præcepta salva maneant, de ceremoniis pax esse poterit.* Postremum de hæreticis facillimæ est solutionis; illi quippe cum traditione, tum scriptura abutuntur; sed quemadmodum Scripturæ canonem debemus inquirere in Apostolica Ecclesia, ubi est continuata ab Apostolis Episcoporum successio; ita ibidem, juxta Irenæi & Augustini documenta superius producta, legitimæ traditiones custodiuntur.

10. Objectio ex Irenæo & Solutio.

Deinde objiciunt hæretici innumeras Patrum sententias. Ac primo inquiunt Irenæum lib. III. cap. 1. hæc habere: *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum.* At liquet eo loci Irenæum Traditiones non excludere, sed refellere Marcionitas, qui Apostolicis scriptis alia præferebant à se mutilata, *gloriantes emendatores se esse Apostolorum*, nec in Apostolis Spiritum sanctum locutum, sed *reperiri veritatem aliquando in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Cerintho;* ut ibidem ait Irenæus, necnon Tertullianus lib. 2. adv. Marcionem, & Epiphanius hæresi 42. Insistunt hæretici: Nonne Irenæus proximo capite inquit Valentinianos, dum è Scripturis arguuntur, ad Traditiones converti, *quasi non possit inveniri, veritas ab his, qui nesciunt traditiones?* Reponimus autem istic Irenæum eos insectari, qui obtrudunt traditiones humanas explosis Apostolicis: sequitur namque num. 2. *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ*

est

est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem. Vides quantum hæc cum superioribus cohæreant. Sed heterodoxi regerunt: Irenæus lib. 2. cap. 47. ait *scripturas perfectas esse*; ac lib. IV. cap. 66. inveniri in illis *universam actionem, omnem doctrinam, & omnem passionem Christi.* Nihil tamen hæc probant; nam lib. 2. cap. 47. sive ex distinctione Massuet 38. num. 4. invehitur in eos, qui adversus scripturas aperte unum Deum annuntiantes, commenti Ennææ, & Verbi, & Vitæ nativitates, ipsum Dominum dicebant *labis fructum, & ignorantiæ prolationem.* Hi erant Valentiniani fabricatores Aeonum. Lib. autem IV. cap. 66. ex distinctione Massuet 34. num. 1. refellit Marcionitas autumantes ab altero Deo esse prophetas, ex quo hi à Christo facta prædixerint, & novum Testamentum vaticiniis antiqui consentiat. *Legite*, inquit n. 1. *diligentius id, quod ab Apostolis est Evangelium nobis datum, & legite diligentius prophetas, & invenietis universam actionem, & omnem passionem Domini nostri prædictam in ipsis.* In subjecta itaque materia, de qua cum hæreticis decertabat Irenæus Scripturas commendat, non rejectis traditionibus, sine quibus nec Scripturarum ipsarum persisteret auctoritas.

11. Objectio ex Tertulliano & Solutio.

Provocant præterea nos ad Tertullianum, qui contra Hermogenem cap. 22. *Adoro*, inquit, *scripturæ plenitudinem*; paucisque interjectis, *Væ illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum.* At ibidem refutatur Hermogenes asserens mundum ex præjacente materia conditum contra apertam Geneseos historiam, quæ initio Factorem manifestat & facta, illis nempe verbis. *In principio creavit Deus cœlum & terram*; quibus allatis ait Tertullianus, *An autem de reliqua subjacente materia mundum fecerit nusquam legi. Væ illud adjicientibus*, id est mundum esse factum ex materia Deo coæterna, *aut detrahentibus destinatum*, scilicet in principio Deum è nihilo cælum terramque condidisse: væ scripturam, qua plenissime Deus asseritur Conditor universorum, temere mutilantibus. Solet opponi & quæ scribit de Carne Christi cap. 7. *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers.* Sed notandum est Marcionem, ne humanam Christi fateretur generationem, pluribus Evangelii verbis rescissis, versum 47. cap. XII. Matthæi, *Ecce mater tua, & fratres tui, &c.* hac ratione eludere studuisse, *Tentandi gratia nuntiaverant ei matrem & fratres, quos non habebat:* hæc ibidem Tertullianus, qui ostendens laudato in versu non esse materiam tentationis, ut est cap. XIX. 3. & XXII. 35. *Non recipio*, inquit, *quod de tuo infers*, nuntiatum Christo, *Ecce mater tua, & fratres tui*, non quod haberet matrem, fratresque, sed tentandi animo: quibus non traditiones eliminat, sed miserrimum Marcionis effugium. Idem Tertullianus de Rusurrect. Carnis cap. 3. arguit hæreticos, quod cum Ethnicis sapiant, nec de Scripturis solis quæstiones suas sistant. Verum quid sibi velit, satis explicat dicens, *Interstruunt unde sciunt facile capi mentes de communiori favorabili sensuum*, nimirum hæretici, licet Scripturas recipere videantur, more Ethnicorum probant tantummodo obvia sensibus, nec solis scripturis nituntur, sed humani sensus fallacia. Quare mirandum est Novatores tam confidenter abuti verbis Tertulliani; cum is de Præscript. demonstret hæreses refellendas ex quo aliquid novi in Religionem intrudant, viamque confutandi illos scripturis esse longam ac perdifficilem, quia vel sacros libros non recipiunt, vel corrumpunt ac temerant, vel sensus pravos illis affingunt; inquirendam ex successione Episcoporum Ecclesiam, cui scripturæ concreditæ sunt, & antiquissimam ejus doctrinam tenendam, nuperam vero repellendam tanquam extraneam & falsam; ne repetam quæ attuli capite præcedenti.

12. Objectio ex Cypriano & Solutio.

Urgent & Cypriani verba ex Epistola ad Stephanum 74. in qua ad illam sententiam Pontificis, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*, respondet Martyr sanctissimus: *Unde est ista traditio? Ea facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur.* At Cyprianus ad sacras literas provocat, quoniam hoc loco arbitratur Traditionem præscriptam à Stephano commentitiam esse, scripturisque unam Fidem, & unam Ecclesiam commendantibus repugnantem, paratus tamen recipere traditionem perantiquam & Apostolicam, ut ait sub finem ejusdem Epistolæ: *Si in aliquo vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & ad Evangelicam, atque Apostolicam traditionem revertamur.* Liquet etiam ex Epistolis Cyprianicis ad Pompejum, & Jubajanum, sanctum martyrem opposuisse consuetudinem, traditionemque Ecclesiæ Africanæ; ut etiam S. Pater Augustinus

stinus animadvertit lib. v. de Baptismo cap. 23. sed huic consuetudini præferendam *consuetudinem universæ Ecclesiæ etiam Conciliis universalibus roboratam*, ex ejusdem Cypriani sententia, ut S. Pater Augustinus scribit proximo libro VI. cap. 7. Haud repetam quæ protuli ex Epistola 63. ad Cæcilium de Calicis consecratione, scripta à Cypriano jam Episcopo, ut ex Auctore Annalium Anglorum probat Dupinius.

Obtrudunt & Basilium, quo nullus Traditiones commendavit expressius. Inquiunt illum in Regulis brevioribus n. 95. asserere de Episcopo, *E Divinis literis ediscat rectum, & necessarium.* At præterquamquod ex Paulinis Epistolis potest Episcopus illud etiam addiscere quomodo sit custodiendum *depositum*, quomodo traditiones servandæ, ut idem Basilius scribit ad Amphilochium, in breviori illa Regula 95. ait posse Episcopum ediscere ex prima ad Corinth. IV. 1. ut sit *minister Christi, & dispensator mysteriorum Dei;* & ex 2. ad Thessalonicenses II. 16. ut fratres *confirmet in omni opere, & sermone bono:* quæ duo Episcopum rectum, probumque constituunt: sed ut his polleat, opus illi est doctrina sana, vitæ integritate, & sacræ eruditionis ornatu. Objectant & Basilii Epistolam 80. ubi ait: *Stemus arbitratui inspiratæ à Deo Scripturæ.* His tamen verbis cautos nos reddit, ne ad libitum, & ante Ecclesiæ definitionem sacra dogmata explicemus vocabulis ambiguis & apud Patres inusitatis, & *quæ ejusdem generis essent, ut præter vocis novitatem, sensum etiam nobis novum, & inusitatum afferrent, & apud sanctos Viros nusquam in usu fuisse reperirentur:* quibus an traditiones evertat, an roboret, judicet cordatus lector. Addunt Basilium in Asceticis *de vera ac pia fide* commonere ut fugiamus *omnem à Dominica doctrinam alienam, & vocem & sententiam*, &, *infidelitatis manifestissimum indicium esse Scripturis adjicere, & ea quæ non sunt scripta introducere.* At hæc sive Basilius, sive Eustathius Sebastenus, cui Ascetica tribuit lib. III. cap. 15. Sozomenus, scripsit adversus hæreticos; de quibus Joannis x. 5. præscriptum Christi ovibus est: *Non noverunt vocem alienorum.*

13. Objectio ex Chrysostomo & Solutio.

Ex Chrysostomo hæc promunt. Primum ait ille in Psalmum 95. *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum coguitio claudicat.* At istic eos vellicat, qui sacras Conciones struunt profana tantum loquentia, aut è suo cerebello ratiocinationes effingunt, *sine testibus, solaque animi cogitatione*, inquit ibidem Chrysostomus: in quem lapidem impingunt tam qui paradoxa eructant, quam ii, qui è suggestu nihil crepant, nisi Tullium, Boccacium, Casam, nacti auditores à Paulo prænuntiatos, & auribus prurientes. Addit Chrysostomus, inquiunt, Hom. 49. in Matth. *Volentes firmitatem accipere fidei ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas.* At de his auctor homiliæ, quem alium esse à Chrysostomo, & Ariana labe inquinatum, Sixtus Senensis, Savilius, Bellarminus, Maldonatus, Labbeus, Dupinius, Alexander, omnesque consentiunt; de his, inquam, loquitur, qui Antichristo adveniente nullum alium Redemptorem agnoscent, nisi quem viderint palam descendentem de cælo, juxta Divina oracula Matth. XXIV. 27. Imo in eadem homilia pag. editionis Commelinianæ 954. affirmatur nos in fide fore perfectos, si non tantum *Scripturis*, verum etiam *doctrinæ Sacerdotum assidui fuerimus.* Præterea objiciunt quod in Hom. XIII. in 2. ad Corinthios appellat Scripturam exactam rerum omnium *lancem ac normam*: quod de ipsa Scriptura dici ego fateor, sed agit eo loci Chrysostomus de præceptis, moribusque ad illorum præscriptionem formandis, ac præsertim de divitiarum contemptu, allatâ parabolâ divitis & pauperis Lucæ XVI. 19. & sententia illa Matth. XIX. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Scripturam autem esse formandorum morum exactam regulam, maxime Patrum commentariis collustratam, non est qui deneget.

Veniamus ad Hieronymum. Inquiunt præclarissimum hunc Ecclesiæ Doctorem scripsisse in Psalmum 86. Tom 2. pag. 350. *Quamvis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos: quamvis disertus sit, non habet auctoritatem.* Respondemus asserere istic Hieronymum privata scripta non esse Apostolicis comparanda, & quæ *paucis scripta fuerunt*, abscindenda à canone eorum, *quæ principes Ecclesiæ, & principes Christi non scripserunt paucis, sed universo populo.* Rejicitur ergo à Hieronymo privata commentatio, non universalis Ecclesiæ traditio. Deinde opponunt quod scribit in cap. 1. Michææ Tom. III. pag. 1503. egressam non esse Ecclesiam *de finibus suis*, id est, *de scripturis sanctis.* Sed inepte & imperite;

14. Objectio ex Hieronymo & Solutio.

reprehendit enim ibidem hæreticos, qui contortis explicationibus sacras literas pervertentes, *domum suam* non in scripturis construunt, *sed in vicinia Scripturarum:* quod mirifice adversariis nostris convenit. Addunt Hieronymum in 1. Aggæi eodem Tom. p. 1690. hæc habere: *Quæ absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Optime: quæ sponte *confingunt* hæretici, nec à majoribus acceperunt, ut *observationes varias, Chameunias*, id est, *humi dormitiones*, & ξηροφαγίας, id est, aridas epulas, ineptiasque *de Taciani radice crescentes*, quibus *hæreticorum conciliabula deceptis populis blandiuntur.* Nil ergo hoc loco efficit auctor Apologiæ Anglicanæ. Objiciut & quod ait contra Helvidium Tom. IV. pag. 141. *Ut hæc quæ scripta sunt non negamus, ita ea quæ non sunt scripta renuimus.* At quænam isthæc sunt? *Mariam nupsisse post partum;* quod tradidit ante Helvidium Ebion, & Theodotus Byzantinus. Accedit quod ibidem Hieronymus scribit posse Helvidium etiam traditione refutari. *Nunquid non possum tibi*, inquit, *totam veterum Scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, multosque alios Apostolicos, & eloquentes viros?* Sed Scripturis garrientem appositè iisdem armis revincit. Rursus opponunt, quæ Hieronymus habet in Caput 23. Matth eodem Tom. IV. pag. 112. *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Verum quid est *Hoc*? Zachariam filium Barachiæ occisum inter templum & Altare, esse Zachariam patrem Joannis, quod aliqui affirmabant *ex quibusdam apocryphorum somniis:* quare ibi refelluntur scripta apocrypha, non legitimæ traditiones. Demum Hieronmus in caput 1. Epist. ad Titum eodem Volumine pag. 419. inquit: *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem:* quæ cum scripta sint adversus subdolos, qui destituti præsidio veritatis nituntur *perversam doctrinam etiam Divinis testimoniis roborare*, non pugnant adversus nos, qui præter Scripturam utimur Traditione; sed contra garrulos subversores, Scripturarum auctoritate, sine qua non haberent fidem, hæresim disseminantes, uti fecerunt quidam de circumcisione Judæi, ut adversus nascentem Ecclesiam præcepta legalia introducerent.

15. Objectio ex Augustino & Solutio.

Proximus est Augustinus, ex quo sex loca producunt facillimæ singula expeditionis. Ac primus est, ut librorum teneamus ordinem juxta PP. S. Mauri editionem Parisiensem, in Epistola ad Hieronymum 82. alias 19. ubi num. 3. ait solis Scripturarum libris hunc honorem deferendum, *Ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse*, firmissime credendum sit. Quo in loco istud tantum Augustinus contendit, nullius privati Scriptoris libros excipiendos, *tanquam Prophetarum & Apostolorum: de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* Ita S. Pater eadem Epistola, eodemque numero, pag. 190. Tom. II. Quid vero de iis, quæ *non scripta, sed tradita* à Catholica Ecclesia custodiuntur? Hæc, *vel ab Apostolis, vel à plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta* esse, ideoque inviolabiliter servanda, eximius doctor scribit eodem Volumine, pag. 124. in Epistola 54. olim 118. ad Januarium. Alter locus extat Tom. III. de Doctrina Christ. lib. II. cap. 9. num. 14. ubi ait: *In iis enim, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.* At hæc accipienda esse de præceptis, fideique mysteriis, quæ unicuique perspicua sunt in Christi Ecclesia, non de complexu dogmatum universorum, liquet ex quo ibidem sequatur, *Spem scilicet atque charitatem;* & ex quo S. Pater lib. V. de Baptismo cap. XXIII. num. 31. scribat: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Vide Tom. IX. pag. 156. Tertius petitur ex eodem Tom. III. 2. p. pag. 619. id est, Tract. 49. in Joannem, ubi hæc leguntur: *Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Ast horum verborum sensus est, sufficere signa in Evangelio enarrata, imo solam Lazari resurrectionem, ut *datis velut suæ virtutis indiciis, credamus* in Christum; nec ibi sermo est de credendorum dogmatum plenitudine. Depromptus est quartus ex libro de Bono Viduitatis c. 1. num. 2. Tom. VI. p. 269. *Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit.* Verum neque his verbis dispungitur Patrum traditio; neque de alia re agitur, nisi *de quæstione ad vitam moresque pertinente*, de professione scilicet viduitatis. Quintus habetur Tom. VIII. p. 704. sive libro II. contra Maximinum c. 14. n. 3. Est autem: *Sed nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium.*

Nec

Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Sed ibidem Augustinus hæreticum nullo in pretio habentem Concilium Nicænum, illique opponentem Ariminense, compellit ad recipiendum *Homoousion* auctoritate Scripturarum, id est, versu 20. capitis v. Epistolæ 1. Joannis: *Hic est verus Deus, & vita æterna;* non quod Augustinus aut Concilia nauci faciat, aut Traditionem contemnat, nam ibidem ait: *Hoc est illud Homoousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos à catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est:* sed ut confugientem ad Scripturas, scripturis vellicet, & confodiat. Recole quæ diximus cap. præcedenti: argum. IV. probatum in Nicæna Synodo ab Athanasio *Homoousion* ex Patrum traditione, ut inquit Theodoretus lib. 1. cap. 8. pag. edit. Moguntinæ 29. Postremus locus occurrit Tom. X. pag. 70. id est libro 11. de Peccat. mer. cap. 36. num. 59. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio nihil faciens in partem alteram declinando.* Utilissimum quidem monitum in quæstionibus obscurissimis (qualis tunc erat de animorum traduce eo loci pertractata) à differentibus religiose servandum, *ut magis*, inquit ibidem sanctus Pater, *inquisitio cauta laudetur, quam præcipitata reprehendatur assertio.* At negamus quæstionem esse obscurissimam, ubi sit explorata Apostolicæ Ecclesiæ traditio.

16. Quatuor regulæ pro explicandis Patrum testimoniis.

Eruuntur ex dictis quatuor Regulæ ad quælibet alia Patrum testimonia explicanda: quarum prima est: Patres dum ad solas scripturas provocant hæreticos, solis illis catholicam fidem asserere, quoniam in subjecta materia, id est, ad errorem illum refellendum sufficiunt, posteaquam Traditione Ecclesiæ assecuti sumus Scripturarum ipsarum Canonem, & sensum. Ita Irenæus Scriptura revincit Marcionem, Tertullianus Hermogenem, Augustinus Maximinum: atque ita Athanasius orat. 3. contra Arianos, & magnus Constantinus apud Theodoretum lib. 1. cap. 7. inquiunt scripturis comprobari Verbi divinitatem. Altera regula est, ut distinguantur ea quæ ab omnibus promiscue credenda sunt, ut Deum esse unum, & Trinum, Verbum hominem factum, ab iis quæ custodiuntur ab Ecclesia, ejusque Rectoribus, ut hanc Scripturam esse Canonicam, illam Traditionem perantiquam: & de iis, quæ generatim ad singulos spectant, accipiamus sententias Patrum, ubi docent in Scripturis omnia contineri. Atque hac regula explicamus non solum Basilium in Regulis brevioribus, Chrysostomum hom. 13. in 2. ad Corinth. Augustinum 2. de Doct. Ch. 9. verum etiam Cyrillum Jerosolymitanum in Catechesibus, aliosque permultos. Regula tertia est, ut dum nihil præter Scripturas probandum asserunt, & sacrorum librorum exigunt auctoritatem, eos accipiamus sive de quæstionibus obscurissimis, quæ traditione nequeunt resolvi, sive de hominum in sacris disciplinis nudo infirmoque ratiocinio, sive de historiolis è scriptura apocrypha haustis, sive denique de novitate dogmatum innixa libris spuriis ac suppositis. Atque hoc sensu loquitur Hieronymus in cap. 23. Matth. Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 6. num. 7. necnon Theophilus Alexandrinus in 2. Paschali, Theodoretus in 2. Dialogo, imo & Origenes Hom. 1. in Hierem. & in cap. 3. Epist. ad Rom. quo loco abutuntur Prædicantes, ut liquet ex Colloq. Ratisbonensi sess. 8. Postrema regula est, ut dicta Patrum intelligantur de Scripturis rite explicatis, juxta sensum, quem tenet Romana Ecclesia, ut docet Catechesi IV. Cyrillus scribens: *Disce ab Ecclesia, quinam sint veteris testamenti libri, quinam novi, nec leges, institutaque Patrum evertes.* Quam regulam tradi etiam à D. Patre Augustino in 11. de Doctr. Christ. cap. 8. non semel diximus. His ergo regulis fabulonum procacitatem contundito.

17. Objectiones hæreticorum circa traditiones.

Deinde hæretici nituntur demonstrare Romanam Ecclesiam in custodiendis traditionibus infidam esse, & ignaram. Nam nonnullas antiquavit, ut de lacte & melle porrecto Neophytis, de Eucharistia privatis in domibus sumpta, de eadem sub utraque specie laicis ministrata. Nonnullas econtra Traditiones tanquam Apostolicas intrusit, ut jejunium quatuor temporum, Sanctorum cultum, Crucis adorationem, immaculatam Conceptionem Deiparæ. Nonnullas denique in oppositas commutavit, ut de Animorum beatitudine ad judicii diem differenda, & de vinculo matrimoniorum indissolubili; pro quarum prima adulteravit D. Leonis collectam, alteram innumeris dispensationibus labefactavit. Hæ vero traditiones non spectant

ctant ad solum ritum aut disciplinam, ut aliquæ superius commemoratæ.

18. Solutio 1. Resp. traditiones prioris generis utique ad solam disciplinam, ritumque spectare, ideoque admittere, ut inquit lib. de Velandis Virg. cap. 1. Tertullianus, *novitatem correctionis, operante, & proficiente usque in finem gratia Dei.* Usus tribuendi baptizatis lac & mel non solum probatus fuit ætate Hieronymi, ut liquet ex ejus Dialogo adversus Luciferianos; sed etiam perduravit usque ad medium sæculum nonum, perseveratque, etiamnum apud Aethiopes, ut ostendit Martene de Antiq. Ritibus lib. 1. cap. 1. cap. 1. art. 5. At tali usu sublato, sicut & immersionis, persistit fidei integritas, mellisque ac lactis symbola sunt augustioribus ceremoniis expressa; illa vero recte sublata, posteaquam insani homines ea adhibuere etiam in Calicis consecratione, ut olim Ethnici in sacris Leoninis. Eucharistiam ad privatas domus deferri cœptum sævientibus persecutionibus, ne absque Communione quis obiret, & dum unica missa, cui omnes adesse non poterant, celebrabatur; invaluitque diutius id consuetudinis apud anachoretas: at sumendam de manu *præsidentium*, id est, sanctorum ministrorum, ait olim Tertullianus cap. 3. de Corona militis; demandatumque illam dispensandi munus Diaconis constat ex Ambrosio lib. 1. de Offic. cap. 41. & Magno Leone serm. 2. de S. Vincentio. Institutam propterea optime, ut sacris in ædibus manu presbyterorum, si adsint, dispertiatur. Communionem sub utraque specie nec Apostolorum ætate, nec priscis sæculis semper servatam alibi demonstrandum, quemadmodum & justis de causis laico interdictam.

19. Solutio 2. Nec Romana Ecclesia falsas unquam traditiones intrusit. Etenim jejunium Quatuor temporum, sive à Victore, sive à Callisto institutum, eo sensu dicitur à D. Leone serm. 47. cap. 1. descendere *ex traditione Apostolica*, quod ab Ecclesia, cujus definitiones dicuntur Apostolicæ, sit *in consuetudinem devotionis receptum*; ut inquit ibidem Leo: aut quia jejunium Apostoli commendarunt, Ecclesia autem statuit jejuniorum fixos dies, ut ait Lupus in Notis ad Synodum Victoris. De Sanctorum cultu, & adoratione Crucis alibi. Ad instituendum festum Conceptionis B. M. V. sat est pia fidelium opinio; nec fide Catholica adhuc creditur, quod nefas est oppugnare. Non est tamen certa traditio opposita; nam Patres, qui aliter videntur sensisse, exponi possunt de debito contrahendi peccatum. Non fuit Occidentalis Ecclesia, quæ omnium prima coluerit Deiparæ Conceptionem: sed longe ante Latinos illam celebrarunt Græci. In Hispania institutum hoc festum à D. Jacobo scribit Flavius Dexter in Chronico. Auctor suppositus est, ac narratio fluxa nimis ac dubia. At quid plura? Religiosum est Deiparam venerari, & momento illi plaudere, quo Reparatrix Generis nostri procreata est. Id fidelium pietatem commendat, id confratrum sodalitia, id Scriptorum præconia, id sacramenta Theologorum, quæ anno 1574. Parisiis tanto ardore Maldonatus exagitavit.

20. Solutio 3. Traditio de Sanctorum præsenti beatitudine à nobis lib. 3. fuit propugnata. In antiqua beati Leonis Collecta Sancti Pontificis animæ non essentialem gloriam, sed accidentalem deprecabatur Ecclesia, ut diximus eodem libro, Tom. 1. pag. 166. Non tamen inficias ibo olim deprecatam etiam pro sanctis Confessoribus, scribente Augustino de Virginit. cap. 45. num. 46. *Notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur*; & serm. 17. de Verbis Apost. nunc 159. num. 1. *Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est pro Martyre orare, &c.* Aliquando ergo etiam pro sanctis Confessoribus orare consuetum fuit. At male hinc Dallæus infert, errare modo Ecclesiam, dum orat tantum pro animabus Purgatorii, non eadem ratione pro Sanctis: nam aliquando in vetustissimis diptychis Martyrum Confessores eximiæ virtutis commemorantur; licet tria essent distincta, diptycha Martyrum, diptycha defunctorum fidelium, diptycha vivorum. Quare orationes olim factæ pro sanctis Confessoribus neque oppugnant oblationes pro mortuis, neque præsentem Sanctorum gloriam. Legi poterunt viri doctissimi Mabillonius Præfat. ad v. sæculum Benedict. §. 6. & Martene in Antiq. Rit. lib. 1. cap. IV. art. 8. & 12. Matrimonium rite celebratum nunquam Ecclesia dissolvit: dispensationes justa de causa impertitur: majorum statuta propugnat acerrime; ac frustra hæretici ad illam collidendam conatus omnes impendunt.

21. Objectio Hæreticorum ex ratione. Postremo hæretici pugnant nobiscum ratione. Apostoli, inquiunt, *missi* dicuntur, nec aliud homines docuerunt, quam expressam in Evangelio Magistri doctri-

doctrinam. Quis enim à Rege legatus alia præter Regis præscripta audeat populis intimare? At si quid aut Apostoli ipsi, aut successores superaddiderunt, quod persistente fidei integritate non fuit in dogmate, humanum istud erat, mutationi obnoxium, temporisque exiguo intervallo interiturum; nec aliquid istiusmodi potest esse fidei Divinæ fulcrum, & horti concluſi, id est, immaculatæ Ecclesiæ propugnaculum ac sepimentum. Quid, quod ea quæ transeunt de aure in aurem continuam subeunt immutationem? Adde tam longam annorum seriem ab Apostolorum ætate ad hanc usque, antiquorum indiligentiam, nec non exilia, dispersiones, simplicitatem, summamque ignorantiam: quamobrem non potuit humana aliqua traditio incorrupta ad nos pervenire. Demum si talis sit norma credendi, ut quidquid traditum est, illud recipiatur; Pythagorica erit disciplina nostra, non Christiana, imo Saracenorum more, Arabumque instar, pseudomagistris præbebitur à nobis assensus; quod ducti infideli & incerta traditionum regula miserando experimento verum esse confirmant.

22. Solutio 1. His respondemus, audacter, ignominiose, imperite hæc putido ore Novatorum effundi. Apostoli missi quidem sunt, & Legati, sed cum potestate præcipiendi, & quemadmodum Consul & Imperator plura præter consilium & imperium faciunt, suo tamen officio convenienter, ita illi multa præter mandata Evangelica præscribere poterant dummodo iisdem mandatis utilia, nec Apostolorum nomine indigna. Atque ita Regum missi, ut recte fungantur commisso munere, ad præscripta principum universalibus institutis comprehensa, quædam particularia, quæ tempus & occasio postulant, non pugnantia, sed cohærentia adjiciunt sano, perutili, providoque consilio. Sed & falsum est Apostolis nihil præter Evangelica scripta commissum; cum econtra nec scripta tunc extarent, quando dictum est eis, *Prædicate Evangelium*, nec Christus illos omnia prorsus docuerit, antequam in cælum conscenderet: imo ait, Joan. XVI. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ecquid vero Spiritus docuit, nisi quæ nondum acceperant, & quæ ante adventum ejusdem Spiritus portare non poterant? Multa ergo, quidquid Calvinus blateret, Apostolis Spiritus sanctus suggessit nondum audita: & nemo jure negabit commentatione Calviniana æquiorem esse interpretationem Augustini Tract. 98. in Joannem num. 8. *Quod itaque ait Dominus, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, adjicienda illis fuerant quæ nesciebant, non quæ didicerant evertenda.* Enimvero, ut ibidem Augustinus demonstrat, non relinquitur fundamentum dum alia adduntur ad construendum ædificium, neque evertitur fides si ad ipsius incrementum, & Scriptura, & traditio, & utilia documenta plurima post ascensum Christi accesserunt.

Cum autem Traditiones, sive Apo- 23. stolicæ, sive Ecclesiasticæ à Spiritus san- Solutio 2. cti inspiratione descendant, temere & inique ad hominum inventa amandantur: alioquî humanum esset Testamentum per Moysen constitutum & promulgatum, humana Evangelia ab hominibus literis conscripta, humanæ Epistolæ Pauli manu exaratæ: quod nemo dixerit, nisi qui deneget Moysen, Prophetas, Apostolos fuisse afflatos Spiritu sancto, adversus testimonium Petri Epistola II. cap. 1. 21. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Homines ergo sunt Traditionum promulgatores, non auctores, eisque testimonium addunt, non firmitatem, & quemadmodum qui regia diplomata exhibent, ita qui Apostolicas institutiones proponunt, promerentur fidem, & hi eo majorem, quo politicorum ministrorum munus antecellit doctrina, ac pietas sacerdotum. At homines, inquis, hi sunt. Quid vero inde? Recipis ab his Scripturas, non recipis Traditiones? Si conspirare non potuerunt omnes in sacris libris mutilandis, suppponendis, eradendis; suspicaris ad confingendas Traditiones in Ecclesia per orbem diffusa singulos consensisse? Non patitur Spiritus sanctus, quos posuit regere Ecclesiam Christi, omnes simul deficere. *Quidquid ergo vel omnes, vel plures uno, vel eodem sensu, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo formaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.* Tene præclarum istud Lirinensis Commonitorium.

Sed regeris, nonne potuerunt tanto 24. annorum intervallo, in tanta rerum vi- Instantia & cissitudine, quæ excipiuntur auribus ex- Solutio. cidere, & variari? Si providentiam, ac solicitudinem, quam de Ecclesia sua Christus gerit, tu perneges, nec ver-

bum traditum, nec scriptum servatum esse fateberis; nam ut illud disperdi in auribus, & linguâ vitiari potuit, ita istud potuit amanuensis adulterare, tinea corrodere, ignis incendere, & injuria temporum depravare. Si providentiam curamque illam confitearis; illâ utrumque Verbum, Scriptum ac Traditum servatum est. Adde singularia Traditionum adminicula, perpetuum Ecclesiæ usum, successionem Episcoporum, Conciliorum canones, scripta Patrum: quibus ea quæ transeunt de aure in aurem firmantur moribus fidelium, consuetudine, disciplina, præceptionibus, & munimentis literarum, ut deleri non possint oblivione. Scitum Pythagoræ, ut discipuli responderent, *Ita visum Magistro*, etiam Christifidelis probat dum hanc dogmatum suorum rationem profert, *Ita tradiderunt Apostoli*; & nisi hæc ratio sit inculpabilis, in recipiendis quoque Scripturis est irrationalis & rusticus, quippe illarum canonem definivit Ecclesia: sed absit, ut id effutiamus; cum ad credendum Ecclesiæ certa nos pertrahant momenta, quæ non habebat ad credendum Pythagoræ juventus Athenienſis. Vide hujus libri cap. III. & V. In II. demonstrata est falsa Saracenorum Religio: quæ una cum omnibus hæresibus etiam ex hoc refutatur; quoniam figmentum humanum est quidquid antiquæ Traditioni adversatur. Verum hæc disputatio concludi jam potest; nam satis ostendimus servandum vetustum morem, & perantiquum dogma,

Quod semel invectum est Majorum TRADITIONE,

inquit in Carmine Eucharistico Paulinus.

CAPUT VII.

De interioris fidei ad salutem necessitate.

SUMMARIUM.

1. De Necessitate fidei ad salutem.
2. Requiritur in adultis fides interna.
3. An fides explicita tam ad justificationem, quàm salutem necessaria.
4. Propositio 1.
5. Probatur.
6. 7. & 8. Solvuntur Objectiones.
9. Propositio 2. Probatur.
10. Propositio 3. Probatur.
11. Usque 15. Solutio Objectionum.

1. De Necessitate fidei ad salutem.

CONTRA Ebionæos, Arminianos, Libertinos, aliosque hujus farinæ homines quarto hujusce libri capite demonstravi veram non esse Fidem aut Verbi Divini Incarnationem, aut individuam Trinitatem negantium. Nunc inquirimus, an hæc fides ita ad salutem sit necessaria, ut qui ejus inculpabili ignorantia laboraret, eam tamen haberet in animi præparatione, quamvis hæc mysteria non profiteretur *explicite*, adhuc salutem sempiternam consequeretur. Nam qui in Ecclesiæ gremio nutritur, & sensuum pollet integritate, si mysteria hæc negligat, neque gratia Sacramentorum, neque gloria, ob voluntarium negligentiæ crimen, donari compertum est. Imo huic Ecclesiastico Jure præscribitur, ut etiam memoriâ teneat Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam: *Nescio* enim *qua froute se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel oratione Dominica parare dissimulat;* inquit Serm. 265. num. 2. Ap. Augustinus, aut Cæsarius. In cæteris servandi canones Cap. XI. lib XXI.

2. Requiritur in adultis fides interna.

Haud dubium est, quin in adultis requiratur fides interna; cum scribat Apostolus ad Rom. X. 10. *Corde enim creditur ad justitiam*, & ad Hebr. XI. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo:* cum insuper hæc fides necessaria sit ad justificationem, ut definit sess. 6. cap. 6. & 8. Synodus Tridentina, & nos demonstravimus Tom. III. pag. 313. Neque potest id de fide exterius tantum expressa intelligi, quoniam Apostolus præcipit fidem *cordis*, Tridentina Synodus fidem, qua *libere*, animoque *movemur in Deum credentes quæ divinitus revelata, & promissa sunt:* neque Deus attendit sermonem oris, sed voluntatis affectum. Deberet quidem hæc fides in nobis continua esse, & si non actu, virtute; ut omnia opera in Dei cultum, ac in finem ultimum referrentur, ideoque excitanda est actuum frequentatione: hi saltem repetendi dum Sacramenta recipiuntur, maxime Eucharistia, dum urget adversus fidem tentatio, dum solemni ritu ab Ecclesia recoluntur sacra mysteria; nec memoria excidat, quod Scriptura ait; *Justus autem meus ex fide vivit:* ad Rom. I. 17. & proscripta ab Innoc. XI. propositio, *Sufficit mysteria fidei semel credidisse.*

3. An fides explicita tam ad justificationem, quàm salutem necessaria.

Igitur de hac interna fide quærimus, an ita debeat esse *explicita*, ut necessitate *medii* ad salutem necessarium sit cre-

credere Deum unum, ac Trinum, & Verbum Deum & hominem pro nobis crucifixum ac mortuum. Illud autem dicitur à Theologis necessarium necessitate *medii*, sine quo finis nulla ratione potest haberi, ut baptismus, sive martyrium pueruli, Sacramentum pœnitentiæ adultis post lapsum; quemadmodum appellatur necessarium necessitate præcepti, quod adhiberi debet, quando id fieri potest; at si non possit, sat est votum ac desiderium, ut adultis sacramentalis Confessio, Communio, jejunium, Sacrum. Instituitur vero quæstio tam de veteris, quam de legis Evangelicæ statu, & de hoc quidem an fides explicita tam ad justificationem, quam ad salutem necessaria sit; sunt enim qui ad salutem illam requirunt, sed ad justificationem non aliam fidem, quam Dei auctoris gratiæ, sine explicita Incarnationis ac Trinitatis exiguut. Tribus ergo thesibus quæstio universa concluditur.

4. Propositio 1. PROPOSITIO I. In veteri Testamento necessaria erat fides Mediatoris, sed non *explicita* in ejus divinitatem, ac individuæ Trinitatis Mysterium.

Probatur 1. Demonstratur 1. ex Apostolo scribente ad Galat. III. 12. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est; quia justus ex fide vivit:* & ad Hebræos XI. 2. *In hac enim testimonium consecuti sunt senes.* Profecto loqui Apostolum etiam de fide Mediatoris liquet ex cap. III. Epist. ad Romanos, ubi versu 22. inquit: *Justitia Dei per fidem JEsu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio.* Et de hac fide paulo infra: *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* II. Probatur ex D. P. Augustino, qui Epistola 157. ad Hilarium num. 14. inquit, *etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est Incarnationis Christi.* De Catechiz. rudibus 28. *Ipsum antiqui sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, & prophetaverunt: & sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi efficimur credendo quia venit:* & de Nat. & Grat. cap. 44. num. 51. *Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei, & hominum hominis JEsu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis, & resurrectionis ejus.* III. Confirmatur ratione, nam fides est una, & unum spiritum ingenerat, eandem salutem affert, & ab exordio generis humani fuit semper una & invariata, ut idem S. Pater commonstrat in Epistola ad Deogratias CII. XII. ad Optatum CXC. 6. & in Psalmum I. 17. Hoc loci aliam rationem S. Pater indigitat, quia nemo sine Christo salvari potuit. Videsis Act. Apost. IV. 12. & quæ scripsimus cap. 4. hujus libri.

5. Probatur 2. fidem explicitam Divinitatis Christi non fuisse necessariam.

At non fuisse necessariam fidem *explicitam* divinitatis Christi liquet I. ex Apostolo scribente ad Hebræos X. 1. legem habuisse *umbram futurorum bonorum.* II. ex Augustino scribente ad Dardanum Epist. 187. cap. XI. num. 34. *Erat tamen antiquis justis aliquod occultum, cum tamen & illi eadem fide salvi fierent, quæ fuerat suo tempore revelanda.* III. ex discrimine utriusque Testamenti, in quorum primo mysteria, quæ nunc sunt revelata, legalium involucris tegebantur.

6. Objicitur contra primam partem.

Opp. adversus primam partem. At qui lege destituti erant? Hi per rationis lumen absque ulla fide legem implebant, ideoque salutem consequebantur. Id affirmat Apostolus ad Rom. II. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Confirmat Joannes in Apocalypsi VII. 9. connumerans præter Judæos turbam magnam, *ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Asserit & Clemens Alexandrinus inter electos recensens in 6. Strom. Græcorum Philosophos præstantissimos.

7. Solutio.

Resp. eos, qui lege destituti erant, nisi singulari beneficio supernum illis lumen affulsit, periisse. De Verbis Apostoli in 2. ad Romanos plura diximus Tom. III. pag. 254. & 263. nec necessum est ea repetere. Absque fide exercentur aliquando officia virtutum, at non quæ vitam sempiternam promereantur; & Apostolum loqui de Gentibus ad fidem conversis demonstrat Augustinus de Spiritu & lit. cap. XXVI. num. 44. & seqq. De iisdem Gentibus, quæ sunt spolia Israelitarum, & linguis, populisque sejunctæ, fit sermo in Apocalypsi, ut recte idem Augustinus in III. de Doctrina Christ. cap. XXXV. num. 51. Ipsæ enim simul cum electis Judæorum constituunt Sanctorum universitatem, de quibus eodem cap. 7. Apocalypseos V. 14. *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Clemens Alexandrinus docet tantum Gentilium philosophorum aliquos divinitus luce fidei illustratos, quamquam extra Judæorum fines, salutem fuisse consecutos, quod & Origenes, & Chrysostomus alicubi docuerunt; sed Gratiam fidei cuique necessariam Clemens affirmat

mat in 11. Strom. pag. edit. Morelli 364. & Chrysost. hom. 2. in Epistolam ad Rom. pag. edit Commel. 22. Idem disertissime Origenes lib. 4. in Epist. Pauli pag. edit. Frobenianæ 387.

8. Objicitur contra 2. partem, & respondetur.

Adversus 2. partem objicies. Sacerdotes Math. XXVI. 63. Christum interrogarunt, *Dicas nobis si tu es Christus filius Dei*? Nathanael Joan. I. 49. ait: *Tu es filius Dei.* Martha Joannis XI. 27. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quomodo nisi *explicite* in Christi divinitatem Judæi credidissent, tam singularis confessio? Estius in dist. 25. lib. 3. §. 4. respondet fortassis Nathanaelem non intellexisse *filium naturalem;* censendum quippe est aliquid minus enuntiasse, quam Petrus Matthæi XVI. 16. Probo responsionem Estii: de Nathanaele namque idem scribit Augustinus Tract. VII. in Joan. num. 20. Aliter asserendum de Martha cum eodem D. Patre Tract. XLIX. num. 15. Sed hæc pia mulier quamdiu à Domini ore pependerat? Caiphas hæcne à semetipso dixit? Si id putas, dico aut principi Sacerdotum aliquid manifestum quod plebs ignorabat, aut illum commemorasse attributum à Patribus Messiæ characterem non tamen sibi plane compertum. Si afflatu Divino locutus est, ut dum ait Joan. XI. 50. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo;* nil urget opposita argumentatio.

9. Propositio 2.

Propositio II. In hoc novæ legis statu necessaria est ad salutem fides *explicita* Dominicæ Incarnationis, ac Trinitatis.

Probatur.

Quod hæc fides necessaria sit demonstratum est supra c. IV. p. 223. idemque firmatur præcedenti propositione. Quod vero hæc fides debeat esse *explicita* probatur primo ex Scripturis; nam Marc. XVI. 15. legitur: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Evangelium autem fidem *explicitam* Incarnationis ac Trinitatis insinuat, eamque fidem Matth. ultimo vers. 19. profiteri debemus in suscipiendo baptismate, sine quo Dei regnum non obtineri affirmat Dominus Joan. III. 3. Deinde confirmatur ex Augustino, qui Epistola 157. num. 24. ait: *Postea vero quam magnum pietatis sacramentum manifestum est in carne, & vocandis omnibus Gentibus Christi adventus illuxit, in quem & illi Patres crediderant, sed hujus fidei olivam suo tempore manifestandam, in illius arboris, de qua Apostolus loquitur, tamquam radice servabant, &c.* Ac Epist. 177. num. 12. *Puto autem fidem Christi, quæ postea in revelationem venit, in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum, per quam tamen etiam ipsi Dei gratia liberati sunt.* Et infra num. 14. *Cum dicit,* Apostolus, *manifestata est, ostendit quia tunc erat, sed tanquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifestata.* His Augustinus fidem, quam, ut vidimus supra, in utraque lege requirit, nunc ob Evangelii revelationem, exigit manifestam, apertam, *explicitam.* Accedit ratio: etenim in hoc lex nova differt à veteri, quod tunc Christus sub legalium cæremoniarum nube promittebatur, nunc annuntiatur venisse, divinitatem suam comprobasse, ac antiqua vaticinia complesse. Ut ergo Judæi sub legis velamine implicitam fidem habebant, ita Christianis Evangelii lumine effuso, fides explicita necessaria est.

10. Propositio 3.

Propositio III. Hæc fides non solum ad salutem, sed etiam ad justificationem omnino requiritur.

Probatur.

Demonstratur primo ex Apostolo ad Galatas II. 16. *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JEsu Christi: & nos in Christo JEsu credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Et ad Hebr. X. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* II. Ex Tridentino sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata ac promissa sunt; atque illud in primis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu.* III. Ex magno Augustino de Nat. & Grat. cap. 2. num. 2. *Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.* Et de peccato Originali cap. 24. num. 28. *Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi JEsu, sine fide inquam resurrectionis ejus, quam Deus hominibus definivit, quæ utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter credi: sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari veritas Christiana non dubitat.* IV. Ex ratione; enimvero si quis absque

que fide in Christum potest justificari, poterit etiam salvari, quoniam & de justificatione & glorificatione idem prorsus tradunt Divinæ literæ ac Patres, fidem in Christum ad unam atque alteram requirentes; & justus nisi à gratia excidat, habet arrham promissionis, & adoptionem filiorum, ideoque & jus ad gloriam: quare si salus est ex fide Christi; etiam vita, etiam gratia, etiam justitia, dicente Apostolo, ut redeat, unde processit oratio, *Justitia Dei per fidem JEsu Christi.*

11. Objectio I. Opp. 1. Necessitas fidei in Christum *explicitæ* nequit ex Scripturis evinci, primo quia indiscriminatim loquuntur tam de justis antiqui Testamenti, quam de Christi fidelibus, & consequenter si illi per fidem in Christum *implicitam* justificati sunt, sat est hæc fides in præsenti quoque statu. Atque idem dicendum est de Augustino exigente in omnibus justificandis cum Apostolo *eundem spiritum fidei* pro quacunque, sive vetusta, sive nunc labente hominum ætate, ut liquet ex prima propositione. Rursus quia Act. x. 22. Cornelius Centurio dicitur *justus, & timens Deum*, nec tamen tunc erat per Apostolum Petrum fide in Christum *explicita* imbutus. Deinde Apostolus ad Heb. xi. 6. non aliam fidem necessariam affirmat, quam in Deum remuneratorem; nam ait: Credere enim oportet *accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Non ergo fides saltem *implicita* ad justificationem necessaria est.

12. Solutio. Ad primum respondeo non solum Apostolum & Augustinum agnoscere unum spiritum justorum omnium, unam Christi fidem, unumque Mediatorem, verum etiam affirmare legem veterem fuisse umbram futurorum, & fidem Christi tanquam pluviam in vellere, nunc autem manifestatam ac revelatam, & quasi pluviam in area. Quare sicut ex unitate fidei, Mediatoris, & justificantis gratiæ infertur antiquis justis, necessariam fuisse fidem Christi, & gratiam Reparatoris: ita ex utriusque Testamenti discrimine in quorum uno latebant, quæ fuerant in altero suo tempore revelanda, concluditur fidem olim *implicitam*, nunc apertam & absque velamine requirendam. Quod sequitur hac ratione expeditur. Aut Cornelius nondum manifestata Evangelii veritate habebat fidem *implicitam*, ut inquit S. Thomas 2. 2. quæst 10. art. 4. aut si Evangelium jam promulgatum erat, habebat quidem justitiam operum per gratiam actualem, at non justificationem per gratiam *habitualem*, & Spiritum sanctum inhabitantem. Hoc secundum videtur conforme Augustino, qui de Prædest. SS. cap. VII. num. 12. ait Cornelii acceptas fuisse eleemosynas & exauditas orationes antequam credidisset in Christum, *nec tamen sine aliqua fide orabat, & donabat:* nimirum quia per gratiam moventem & fidem *implicitam* recte operabatur: at nondum fuisse justificatum affirmat S. Pater verbis sequentibus: *Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus.* Potest tamen utraque sententia ad concordiam revocari, dicendo quod sicut Cornelius vixit, cum legis fieret translatio, ante promulgationem Evangelii justificatus erat per fidem *implicitam*; Evangelio promulgato in justitia confirmatus est per fidem *explicitam*. Neque enim Augustinus ait, *si fuisset justus*, ut legit Aurelius Piette Tom. III. pag. 293. sed, *si posset sine fide Christi esse salvus.* Necessarium quippe erat ad salutem, ut qui per fidem *implicitam* fuerant ante promulgatum Evangelium justificati, eo promulgato in ædificium Christi per fidem *explicitam* coaptarentur. Ait quidem S. Pater Cornelium justificatum ante baptismum Quæst. 84. in Levit. & 33. Num. 9. necnon lib. IV. contra Donat. cap. 21. num. 28. & cap. 22. num. 29. At si putas Cornelium ante Petri prædicationem non fuisse sanctificatum, dicas Augustinum loqui de tempore, quo ante susceptum baptismum jam fide imbutus erat, & Spiritum sanctum acceperat, ut legitur Act. x. 44. Si justificatum velis, antequam ad Petrum accederet, explicabis Augustinum de justitiæ augmento, & de visibili Spiritus sancti descensu. Proximum hac ratione diluitur. Aut Apostolus illa duo tantum commemorat, quia non agit de fide justificante ex toto, sed nominat quæ potissimum exstimularunt antiquos justos ad pie Deum colendum, & adversa toleranda, quod nempe Deum ante oculos haberent, & remunerationem sperarent: aut si exponit fidem quæ ad salutem sufficiat, ea verba *Inquirentibus se* etiam fidem Mediatoris comprehendunt, in quantum debemus Deum inquirere ipsum orando pro salute, pro justitia, pro remissione peccatorum eo modo & ordine præstandis, quo ipsi visum fuerit. Ita in Paulum Estius.

13. Objectio 2. Præterea objicies. Haud credibile est, Deum, qui *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, damnaturum eos, qui legem naturalem servantes nequeunt audire Evangelium, laborantque mysteriorum fidei ignorantia invincibili. Ob quam enim culpam inter barbaros degentem, honestamque ducentem vitam justus & misericors Dominus deseret? Sane, etsi Evangelium per universum orbem dicitur annuntiatum, non desunt tamen juxta Augustinum de Nat. & Grat. cap. 2. *ultimæ gentes, licet, ut perhibetur, pauciſſimæ*, ad quas nondum Christi nomen pervenit. Hanc Augustini opinionem, quamvis ei dissentiant nonnulli, comprobant remotissimæ à nobis gentes adhuc magna ex parte Christianam fidem penitus ignorantes. Saltem iis sufficiens erit fides *implicita*, aut in animi præparatione; nam si credentibus sat est baptismus in voto, quando re ipsa applicari non potest: cur facientibus quod in se est non erit sufficiens fidei votum ac desiderium, quando *explicita* fides nequit haberi? Postremo si puer baptismate regeneratus derelinquatur in sylvis, aut mutus ac surdus sit, neque Evangelium perveniens ad usum rationis valeat audire, nonne saltem iste Christi sacramento expiatus, & ornatus inhærente justitia salutem consequetur? Non est ergo fides in Christum *explicita* adeo necessaria, ut in aliquo saltem casu nequeat sine hujusmodi fide haberi justitia, regnumque cælorum.

14. Solutio. Resp. Non sufficere ad salutem, si quis naturalem legem non frangat, quamquam & id absque gratia actuali, & aliqua in Christum fide, juxta sententiam nostram alibi confirmatam fieri non possit, *ut oportet*, & omnium consensu fieri non possit, ut sufficiat ad justificationem. Enimvero, *si de lege, quam accepit gens una Judæorum ait Apostolus* (ad Galatas II. 21.) *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est, quanto justius dicetur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum*? inquit Augustinus cit. cap. 11. De Nat. & Grat. num. 2. Vult quidem Deus salutem hominum universorum; sed non voluntate absoluta, efficaci, &, ut inquiunt, consequente. Hæc ad solos spectat prædestinatos. *Ac per hoc*, ait S. Pater de Corrept. & Grat. cap. 7. num. 11. *& qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt, quoniam ipse dicit. Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à patre meo: & qui per ætatem parvulam non credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Barbaræ ergo gentes reprobatæ propter originale peccatum justo Dei judicio in massa perditionis derelinquuntur, nec tamen damnantur ob ignorantiam invincibilem Christianæ fidei, sed vel *reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis*, ut ex ipsomet Augustino dixi pag. 161. Quod si gentes illæ sint ab originali damnatione Divinæ gratiæ largitate discretæ, *Non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant*: inquit idem S. Pater citato cap. VII. num. 13. Ex his liquet quid dicendum sit de puero. Si post baptismum ad usum rationis perveniat, nec Deum voluntaria transgressione deserat, ei Evangelium annuntiabitur aut ab homine, aut ab Angelo, aut per intimam divinamque inspirationem. Ostendit enim Deus in Cornelio, in spadone Reginæ Candacis, & in Macedone, quem vidit per noctem Paulus Act. XVI. 9 quantam electorum suorum curam gerat. Si decedat ante rationis usum, aut suscipiendæ prædicationis sit incapax, salvabitur per Sacramentum regenerationis: in quo, *vi sacramenti & Divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ*, dum parvuli *fidem per verba gestantium quodammodo profitentur*, constituuntur *fideles*, & *eorum per quos renascuntur justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt*, sicut *eorum, per quos nascuntur caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt.* Vide Augustinum de peccatorum meritis lib. I. cap. 19. num. 25. & lib. III. cap. 2. num. 2. Quid vero, si ad gratiam baptismi non perveniant? Jam audisti sanctum Parentem: *Non sunt ab illa conspersione discreti.*

15. Instantia & Solutio. At enim, inquis, sufficit baptismus in voto: ergo sufficit fides *explicita* in voto. Non video hujus consequentiæ æquitatem. Principio, in ipso voto baptismatis est fides in Christum *explicita*; nemo enim cupit baptizari, nisi ut consepultus cum Christo ipsius justitiâ vivificetur. Deinde fides in voto est fides *expli-*

explicita, quæ enim non creduntur, nec desiderantur; sicut non desideraretur baptismus, nisi crederetur ipsius necessitas & efficacia. Præterea susceptio baptismatis, cum sit actus à voluntate *imperatus*, & exercendus extrinsecis adjumentis, potest absque voluntatis culpa impediri, secus fides, cum sit actus *elicitus*, si quis velit credere, nequit ab aliqua exteriori causa à fidelium corde amoveri. Prætermitto vulgarem objectionem de iis, qui absque fide *explicita* Deum super omnia diligerent. Sententia enim nostra, ut diximus lib. XIII. cap. 4. *hæc dilectio est à Deo Patre per JEsum Christum in Spiritu sancto.* Imo & ii, qui docent posse sine gratia Christi diligi Deum tanquam auctorem naturæ, fatentur quod diligi nequeat ut auctor gratiæ absque ordine ad Christum, & sine ipsius gratiæ largitate, ita ut dilectio sine fide non possit ad justificationem sufficere. Addo tantum pro hujus quæstionis coronide, Sanctum Franciscum Xaverium percontanti Japoniæ Regi cur illuc accessisset, hoc dedisse responsum, eò se missum *Divinæ legis prædicandæ gratia, quippe cum nemo, quin Deum ejusque filium JEsum Christum omnium gentium vindicem ac Salvatorem caste, pieque coleret, salvus atque incolumis esse non posset.* Ita Indorum Apostolus Epist. 7. libri III. ab Horatio Tursellino latine reddita, pag. edit. Rom. 115. Revera si absque fide in Christum qui Evangelium non audierunt salutem consequi possunt, cur Xaverius Japoniam, cur è nostratibus Didacus Ortiz, Joannes Ximenes, Estathius, aliique Mexicanam ac Peruanam, & regiones reliquas barbarorum incultissimas ac remotissimas, Apostolorum exemplo, adierunt? Jure itaque Facultas Lovanienſis vetuit ne edoceatur in hoc statu fidem *explicitam de Deo Trino, & Salvatore Christo JEsu non esse ita necessariam, ut sine tali fide non possit obtineri salus*, ut refert in Thesibus Lovanienſibus anni 1721. Antonius Rolliers. Jure Innocentius XI. declaravit prop. 64. non esse capacem absolutionis qui ignorat sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis mysteria. Jure denique Ecclesia in Symbolo, quod tribuitur Athanasio, iisdem mysteriis expositis inquit: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

CAPUT VIII.

De externa Fidei Confessione.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1.
2. Probatur.
3. Solutiones objectionum.
4. Propositio 2. Probatur.
5. Quando detur superstitio, quando civilis tantùm consuetudo.
6. Probatur, Christianum posse persecutores fugere.
7. Probatur, illicitum esse fugere, si causa fidei aut salus christiana periclitatur.
8. Objectiones solvuntur.

DIXIMUS de interno fidei actu, nunc de externo dicendum est: atque inquirendum primo an liceat fidem negare; deinde an saltem fides dissimulari possit servando infidelium ritus, & consuetudines: tertio an Tyranno interroganti fas sit fidem occultare; postremo an liceat in persecutione fugam arripere. Omnia hæc uno capite expediemus: nam libro Vicesimo cap. x. agentes de simulatione in servandis legalibus omnia fere argumenta diluimus.

PROPOSITIO I. Nunquam licitum est negare fidem.

1. Propositio 1. Est hæc thesis contra Elcesaitas, qui apud Eusebium lib. VI. H. E. cap. 38. & S. Patrem Augustinum de Hæres. h. XXXII. docuerunt fidem in persecutione negandam ore, & corde servandam: contra Priscillianistas, qui apud eundem Augustinum h. LXX. propter occultandas contaminationes & turpitudines suas habebant in dogmatibus ea verba,

Juva, perjura, secretum prodere noli;

& contra Georgium David Anabaptistam, Anglosque Libertinos.

Probatur 1. ex Scripturis. Ait enim Apostolus ad Rom. x. *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Oris ergo confessio necessaria est. Quo autem tempore, nisi eo potissimum, cum interrogante Tyranno, atque de religione percontanti debemus fidem nostram profiteri, & aperta confessione Christo debitum obsequium reddere? Deinde cur Salvator nos tam ardenti oratione Mat. x. hortatur, ut imitemur prudentiam *serpentis*, id est Capitis nostri tueamur honorem, etiamsi corpus nobis dilanietur? Cur ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt*

2. Probatur ex S. Scriptura.

sunt occidere? Cur non inquit potius, Servate interiori animo fidem, si forte necessum sit ad evitandam tyrannorum sævitiam, aut dejerare, aut uti simulatione, aut mentiri? Præterea quid proferri potest expressius dominica illa sententia, citato capite x. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, aut altera Lucæ IX. 24. *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet illam?* Etiam Apostolus in 2. ad Timotheum II. 12. *Si negaverimus*, inquit, *& ille negabit nos.* Secundo demonstratur auctoritate Ecclesiæ: quæ, ut colligitur ex libro Cypriani de Lapsis, *Libellarios*, scilicet habentes de facta idolis immolatione chirographum, quod sæpenumero à tyrannis ad evitandam mortem pecunia extorquebant, etiam scelere non patrato, ad pœnitentiam vix recipiebat post vehementem notissimamque concepti doloris amaritudinem. Innocentius XI. & ipse propositionem illam num. 18. confixit: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; ut peccaminosum per se non damno.*. Tertio confirmatur S. Patris Augustini doctrina: nam ait S. Pater de Fide, & Symbolo num. 1. *Fides officium à nobis exigit & cordis, & linguæ.* Tract. LXVI. in Joannem: *Qui negat hominem Christum, non reconciliabitur per Mediatorem Deo*; & Tract. CXIII. *Petrus si negato Christo iret, quid aliud, quam periret?* Augustino omnes alii consentiunt. Denique probatur ratione. Cum enim quodlibet mendacium iniquum sit, & veritati contrarium: quale putas flagitium esse, cum magno Christiani nominis dedecore aut Christi fidem, aut, quod perinde est, se ejusdem discipulos abnegare? Si vitam animæ tribuit, auctore Augustino Tract. in Joannem 36. Christum profiteri, nonne maximum detrimentum afferet negare ipsum Christum? Postremo, ut adversus Priscillianistas scribit Doctor sanctissimus lib. contra Mendacium cap. 2. sententia propugnans quod cum iis, qui nobiscum non sunt societate ac religione conjuncti, liceat loqui mendacium, nonne *Martyres exhonorat*, *imo vero* non *aufert sancta omnino martyria?*

Auctoritate Ecclesiæ.

ex S. Augustino.

Probatur ratione.

3. Solutiones objectionum.

Contraria argumenta digna non videntur, quæ proponantur Theologiæ candidatis. Inquiunt Adversarii, scriptum esse Psalmo XIV. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo*, tanquam id ad justitiam sufficiat; at sequitur in Psalmo, *Qui non egit dolum in lingua sua:* & inquit Apostolus, *Ore autem confessio fit ad salutem.* Addunt Christum interroganti Herodi, ac Præsidi Lucæ XXIII. 9. & Joannis XIX. 9. nullum dedisse responsum. Verum tunc non de fide Dominus interrogabatur, ut supra Lucæ XXIII. 3. & Joann. XVIII. 33. quando ad interrogata respondit; fuitque in cæteris silentium ejus humilitas singularis, summa prudentia, atque derisionum, contumeliarum, mortisque contemptus. Asserunt Tyrannum non esse judicem legitimum, cui necessum sit reddere fidei nostræ rationem: Sed nisi confessionem sinceram exigat obsequium debitum Potestati, eam postulat veritas, religio, & honor illi exhibendus, qui etiam de mercede pacisceus, *Qui confitebitur*, inquit, *me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Quamobrem istiusmodi argutiolas, gerrasque Siculas prætermittimus.

4. Propositio II. Nunquam fas est usurpatione rituum, ciborum, vestium, nominumque gentium idololatrarum, ubi sint superstitiosi cultus indicium, religionem callide simulare.

Propositio 2.

Probatur ex S. Scriptura.

Demonstratur 1. ex Scripturis. Enimvero 2. Machab. VI. Eleazarus hortantibus amicis *iniqua miseratione* commotis, ut simularet vesci sacrificii carnibus, respondit non esse ætati suæ *dignum fingere*, sed futuram potius simulationem illam senectuti suæ *maculam & execrationem:* & quod præcipuum est, *Etsi*, inquit versu 26. *in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manus omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.* Narratur proximo capite VII. illustre septem fratrum ob eandem causam martyrium. Apostolus in 1. ad Corint. x. 28. ait: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam.* Ad hæc non solum Matt. x. prohibemur negare Christum, sed etiam jubemur illum confiteri: & Lucæ IX. 26. *Qui me erubuerit*, inquit Dominus, *& meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*, &c. At fidem simulare est illam non confiteri, & Deum pro nobis crucifixum erubescere. Prob. II. ex Patribus: vescentes enim immolatitias carnes, quamvis illas simulate manducassent, Irenæus lib. 1. cap. 1. Tertullianus de Idololatria cap. 13. Cyprianus de lapsis, S. P. Aug. de Bono conjugali cap. 16. aliique omnes, imo & antiqua Concilia damnant, ac reprobant. Deinde docent confessionem fidei faciendam nulla ambiguitate, nullaque

Probatur ex Patribus.

que adhibita simulatione: *Non enim satis est*, ait S. Ambrosius lib. x. in Lucam, *involuta responsio confitentis JEsum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse?* S. Pater Augustinus contra Mendacium cap. 6. retundens illorum consuetudinem, qui ut facilius hæreticos, ethnicosque vitent & refellant, horum dogmata & ritus approbant mentiendo, ait: *Sed multo facilius, inquies, eorum latibula penetramus, si quod sunt nos esse mentiamur. Hoc si liceret aut expediret, potuit Christus præcipere ovibus suis, ut lupinis amictæ pellibus ad lupos venirent, & eos hujus artis fallaciis invenirent.* Plura ibidem Augustinus ad rem nostram utilissima. Fulgentius lib. 1. ad Trasim. cap. 1. inquit. *Compertum esse non ambigo apud eos, qui Christianæ gratiæ participatione redempti sunt, pene id esse fidem nolle asserere, quod negare.* Et infra: *Cum de Deo res agitur non levis reatus est, si quod ad salutem pertinet taceatur.* Corroboratur III. præsata thesis ratione. Nam veritas postulat, ut unusquisque talem se exhibeat exterius, qualis est; id enim veritatis idea suadet, traditque D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. Atque ideo pag. 57. omnem simulationem esse illicitam pronunciavimus. Accedit, quod sicut interiorem animum patefaciunt non solum verba, sed etiam cætera signa: ita eodem crimine se obstringit, qui verbis orisque confessione, & qui moribus, consuetudine, ritibus tali ratione se gerit ut Christum videatur aut negare, aut erubescere. Argumenta, quæ videntur positionem hanc oppugnare petita ab observatione legalium, ab auctoritate Græcorum Patrum, à nonnullis divinarum Scripturarum, nec non Ecclesiasticæ Historiæ exemplis, soluta à nobis sunt lib. xx. cap. 10. ubi de concertatione S. Parentis Augustini cum beato Hieronymo liberiori stylo disputatum est.

Probatur ratione.

5. Quando detur superstitio, quando civilis tantum consuetudo.

Duntaxat animadvertendum est, quando ritus, signa, verba, epulum, vestimenta, aliaque hujuscemodi superstitionem redoleant, quando vero civilem tantummodo consuetudinem. Nam qui necessitate coactus templum profanum ingreditur, ac domino etiam thura adolenti exhibet famulatum, ut diximus de Naamano, & contingere interdum potest cuilibet barbarorum mancipio, is dummodo non prætergrediatur civilis obsequii jura, nullumque exhibeat cultum idolis, ab omni culpa est immunis. Ab his pendet gravis de Sinensibus Ritibus controversia tanta animorum contentione agitata: nam quæ cultum politicum referunt, ut die natali coram parentibus procumbere, & Imperatoris quoque nomen mensæ impositum venerari, Confucium etiam in gymnasiis honore prosequi, tanquam philosophicæ disciplinæ præceptorem, non viderentur omnino flagitiosa. At inspiciendum, num cætera sint hujus generis, neque in his lateat specimen cultus idololatrici. Fas pariter erit juxta patrium morem Regem Angelorum salutare genuflexo. Vesci idolothytis, si absit periculum scandali, neque præseferat pravi animi suspicionem, licitum est. *Omne quod in macello venit, manducate*, inquit Apostolus in 1. ad Corinth. x. 25. secus si adsit scandalum, aut id jubeat princeps idololatra ad contesserandam religionem; ut diximus pag. 62. Imitari eo in casu debemus Eleazari fortitudinem, ac traditam ibidem ab Apostolo præceptionem: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare.* Idem asserendum est de Judæorum azimis, de conviviis hæreticorum, de fidelium in horum domo, templisque conventibus. Servanda est eadem regula in usu vestium; ut quæ regionis sunt, ubi opportunum est, adhibeantur: ita Apostolici viri aliquando Persicis, Indicisque, cum nun possint propriis incedere, induuntur. Idem asserendum de vestibus, quæ sunt honesti muneris, aut collatæ dignitatis argumentum; ut quas induerunt Joseph inter Agyptios, Daniel inter Chaldæos, & Jesuitæ, quos Mandarinos appellant, inter Sinenses. At cavendum, quod paulo supra monuit Augustinus, ne Christi oves pellibus lupinis se contegant; nam indumenta superstitionis *protestativa* sunt penitus abjicienda. Adhibenda autem hæc regula in rebus cæteris. Quidquid hæresim, aut impietatem redolet, fugiendum omnino: huc spectant interesse cœnæ Calvinistarum, suscipere à Lutherano ministro Eucharistiam, & extra casum necessitatis etiam Baptismum, communicare hæreticorum ritibus, adire illorum templa & frequentare conciones alio fine, quam irridendi, & refutandi doctrinam hæreticam: atque ita ratiocinandum de reliquis suapte naturâ Catholicæ, & Orthodoxæ fidei contrariis.

PROPOSITIO III. Inculpatim Christiani, etiam Episcopi, Persecutoribus se fugiendo surripiunt, nisi aliter suadeat Fidei causa, plebisque Christianæ periclitatio. 6. Propositio 3.

Probatur Christianum posse persecutores fugere.

Demonstrat apertissime hanc propositionem S. Athanasius in Apologia de fuga sua scripta anno 357. cum Leontius Antiochenus, Narcissus Neroniadis, & Georgius Laodicenus Ariani Episcopi ægre ferentes, quod Syriani Ducis cruentas manus evasisset, criminabantur illius fugam. Sunt autem argumenta Athanasii quæ sequuntur. Primum demonstrat pag. 326. Tom. 1. edit. ultimæ Parisiensis, quod fas sit in persecutione fugam arripere exemplo Moysis, qui fugit in terram Madian commendatus ab Apostolo ad Hebræos XI. 27. Davidis qui latuit in spelunca, ut Abimelechum, ejusque insidias declinaret, Heliæ qui Jezabelis & Achabi se subtraxit indignationi. Addit exemplum discipulorum, qui se occultarunt metu Judæorum perculsi, & Pauli qui ad vitandas insidias Aretæ Damasci præsidis per murum in sporta demissus est. Idem confirmat pag. 327. Christi doctrina & operibus, producitque fugam in Ægyptum, narratam Matth. II. 13. fugam de templo Joan. VIII. 59. fugam in Ephrem Joan. XI. 54. demonstrans ea, quæ de Salvatore secundum humanitatem scripta sunt, ad commune hominum genus referenda. Nec prætermittit Dominicam sententiam Matth. x. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam:* quam in Evangelica lectione repetit Ecclesia in ipsa beatissimi Athanasii festivitate. Profert etiam rationes perspicuas. Ac prima est, quoniam fugæ ærumnas perferre gravius aliquando est ipsa morte, ideoque fugam arripere non est semper inanis timoris argumentum: quod pag. 330. confirmat exemplo Jacob, qui fugiens à facie Esau præsentem mortem nequaquam timebat, & pag. seq. exemplo Apostolorum Petri & Pauli, qui cum aliquando persecutores vitaverint, Romam tamen venire non detrectarunt ibi mortis subituri supplicium. Altera ratio est, quod Deus Sanctis suis in ipsa fuga plures impertivit honores, ut Jacob, & Moysi. Postrema ratio est, quod ex ipsa fuga multum utilitatis accedit Ecclesiæ; nam qui prædicassent Evangelium, nisi fugam Apostoli arripuissent? Fugientes itaque sancti quasi medici in usus indigentium servantur. Has rationes proponit S. Athanasius pag. 332. & sequenti. Hæc satis assertum corroborant. Legi tamen poterit etiam Cyprianus de Lapsis pag. 375. edit. Baluzii, necnon Epistola 54. ad Cornelium pag. 173.

Dixi tamen nefas esse in Persecutione fugam arripere, dum fidei causa, & salus Christianæ plebis periclitatur. V. G. Si populus absque Rectore ullo sub Tyrannorum sævitia permaneat, & ad eum qui fugit cura ovium Christi pertineat, nec totus grex fugiens persecutoribus se surripiat. Egregie id commonet, probatque in Epistola ad Honoratum 180. nunc 228. S. Pater Augustinus. Primo ait num. 2. verba Domini dicentis: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, non ita servanda, *Ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit.* Ostendit in eo casu non valere exemplum Christi fugientis in Ægyptum, *quia nondum Ecclesias congregaverat*, nec Apostoli, qui per fenestram in sporta submissus est, quoniam *deserta non fuit Ecclesia quæ ibi erat necessario ministerio.* Deinde num. 3. urget præceptum Charitatis, de quo Joan. Epist. 1. cap. III. 16. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere:* commonstratque id non quadrare iis, qui *dum fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, & comprehensi patiuntur;* sed illis tantum, *Qui propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt.* Quod profecto per se satis compertum est. Præterea demonstrat num. 6. Episcopos nequaquam debere imitari mercenarium, *qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus;* ut Christus ait Joan. x. 13. *Cum enim* (inquit Augustinus) *plebs manet, & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur; quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus?* Excusat ibidem fugam Athanasii, de qua supra, quoniam fugit, *nequaquam à cæteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.*

7. Probatur illicitum esse fugere, si causa fidei, aut salus Christiana periclitatur.

Solvit eo loci Augustinus quæ possunt in contrarium opponi. Ajebat Honoratus nil aliud efficere Episcoporum præsentiam, nisi ut irritentur magis persecutores, ita, ut spectantibus pastoribus viri cadant, fœminæ constuprentur, incendantur Ecclesiæ. At respondet S. Pater, propter ista quæ incerta sunt non debere nostri officii esse certam desertionem: si certa mala ista forent, omnes fugam arrepturos, atque Antistiti tunc non futuram manendi necessitatem: magis timendum ne lapides vivi extinguantur deserentibus Episcopis, quam ne illis præsentibus incendantur lapides & ligna terrenorum ædificiorum: ma-

8. Objectiones Solvuntur.

majus fore detrimentum si interiori sensu pereat castitas fidei, quam si fœminæ violenter constuprentur in carne: in persecutione denique magnum fieri in Ecclesia utriusque sexus concursum, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, Sacramentorum confectionem, & erogationem. Hæc ad num. usque 8. Quærenti an liceat fugere, ut serventur alii, qui residuis fidelibus ministrent; respondet, quando est commune periculum, cavendum Episcopo ne magis fugiendi obsit exemplo, quam vivendi prosit officio: fugiendum si non desint alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium: si laici non quærantur ad mortem, posse ab iis occultari Clericos, & Episcopos suos; cæterum non tanti pendendam esse Ecclesiæ navim, ut debeant eam nautæ, & maxime gubernator periclitantem deserere, etiamsi in scapham transiliendo, vel etiam natando possint effugere. Atque hæc ad num. 12. Petenti denique quid agendum sit dum plebes decipiuntur, cum ideo non fugiant, quia manere suos præpositos cernunt; ait declinandam hanc invidiam alloquendo easdem plebes, eisque significando quod ideo Episcopi remaneant, ut fidelibus ministrent quidquid eorum saluti noverint necessarium; nec omittendam hanc orationem, si utile videatur ad loca tutiora migrare: si abire plebs nolit, aut non possit, aut eundem sit ad incerta suffugia, & non ad finienda, sed ad mutanda pericula, non esse Christiano ministerio deserendam: si autem abire maluerit, nec Episcopis manendum esse, qui propter ipsam plebem manebant. Hæc ad numerum usque postremum. Ergo cum Augustinus tam valide nervoseque quæstionem istam diluerit, recte ipsa Doctoris omnium præclarissimi documentis concluditur.

CAPUT IX.

Quænam sit de Sinensium ritibus controversia.

SUMMARIUM.

1. An Sinensium ritus superstitiosi sint censendi, an permittendi vi duorum Decretorum.
2. Probatur, Decretum 1645. emanatum mansisse in suo vigore.
3. Probatur, cultum Confucii superstitiosum fuisse.
4. Probatur Decretum Cardinalis de Tournon non vindicare ritus Sinensium à superstitione.

1. An Sinensium ritus superstitiosi censeri debeant, an permitti vi duorum Decretorum.

CONSCELERATAM non esse Sinensium rituum consuetudinem in iis, quæ referunt duntaxat cultum politicum & civilem, dixi prop. 2. Capitis præcedentis. An autem intersit idololatrica superstitio, ignarus rerum, ac tanta locorum intercapedine dissitus definire vix potest. Standum omnino Apostolicæ Sedis definitionibus: quæ spectatis diversis circumstantiis, & Missionariorum relationibus, diversa sancivit, judicio semper librato, atque irreformabili. Nam anno 1645. die 12. Septembris ad quæsita Patris Joannis Baptistæ Moralis Ordinis Prædicatorum, respondit Sinensium cultus esse illicitos: anno autem 1656. die 23. Martii affirmavit permitti posse, sublatis superstitionibus, fideique protestatione præmissa, audità tunc relatione P. Martini Martinii Societatis JEsu in Sinarum Regno Missionarii. Remanet ergo difficultas, an postremo decreto emanato Sinensium ritus superstitiosi censeri debeant, an permitti, & num decretum primum adhuc in suo robore maneat. Cum prò utraque parte innumera scripta prodierint, missus ad Sinas Reverendissimus Carolus Maigrot prohibuit anno 1693: cultum à Sinensibus Confucio, & Progenitoribus exhibitum, tabellas eisdem appensas, vocabulum *Xang Ti*, ac *Tien*, quo significant summum Deum, & inscriptionem alteram *King tien*. Gravè hinc subortum dissidium circa Edictum Domini Maigrot: ac pro usu ipsarum tabellarum scripserunt plures Apologistæ; plures quoque illas reprobarunt; horum autem Scriptorum illustriores paulo infra commemorabo. Tandem in Sinam profectus jussu & auctoritate Clementis XI. Carolus Thomas de Tournon, decreto suo emanato Pudicherii die 23. Junii anno 1704. complura alia Sinensium usu recepta proscripsit, postea Vaticanâ purpurâ ornatus: ejusque decretum confirmavit anno 1710. die 25. Septembris idem Clemens XI. & anno 1727. die 12. Decembris Benedictus XIII. Etiam de Cardinali amplissimo ætate hac disputatur, an consuetudines Sinensium satis exploraverit, an innocuas tanquam su-

superstitiosas deceptus errore inhibuerit: etenim de Confirmatione summi Pontificis, dummodo Cardinalis de Tournon explorate sententiam dixerit, nemo ambigit quin rata sit, & religiose servanda. Videtur ergo mihi amplissimam de Sinensium ritibus controversiam ad tria capita posse revocari; nimirum an juxta decretum Sacræ Congregationis anni 1656. Sinenses ritus permitti debeant: an edictum Reverendissimi Maigrot fuerit librate emanatum: an consuetudines proscriptæ ab Eminentissimo Cardinali de Tournon sint revera superstitiosæ.

Quantum ad primum caput attinet; dico per decretum anni 1656. non fuisse permissos ritus omnes Sinenses, sed tantum aliquos, qui ex relatione P. Martinii videbantur esse politici, ideoque decretum emanatum à S. Congregatione de Propaganda anno 1645. semper in suo robore viguisse. Probatur 1. quoniam Sacra Congregatio præfato anno 1656. censuit permittendas Sinensibus Christianis ceremonias à P. Martinio *prænominatas*, & *propositas*. At Martinius retulerat in cultu Confucii nullum interesse sacrificulum, nihil omnino fieri ab idololatris institutum, nullas oblationes, aut sacrificia, sed inclinationes tantum, quales fiunt viventi Magistro, neque in templo, & sacra æde, sed in aula, aut gymnasio: dissimulavit etiam inscriptionem tabellarum, de quibus infra: tametsi è Sinarum regno grande volumen detulerit, in quo omnes Sinensium consuetudines erant expositæ, ut ad illius ingenuam fidem comprobandam testati sunt PP. S. J. in supplici libello exhibito Summo Pontifici Innoc. XII. At quidquid in amplo illo volumine contineretur; nunquid Sacræ Congregationi significavit Confucio sacras ædes erigi, appendi tabellas inscriptas aureis literis, *Sedes animæ sanctissimi, & superexcellentissimi Confucii*, celebrari in ejus honorem solemnitates in æquinoctio veris, & autumni, fungi sacerdotum munere Mandarinos, adolere thurem, immolare victimas, offerre pilos & sanguinem porci, effundere calicem vini in homunculum è paleis fictum, comburere pannum sericum, nummosque papyraceos, literatos omnes gradibus initiatos in sacram Confucii ædem venientes accensis cereis quater genua flectere, prostratosque spiritum Confucii adorare, & frontem in terram percutere? Nunquid exposuit Sinenses parentibus avisque construere templa, locare ibidem tabellas inscriptas literis cubitalibus, *Sedes, aut thronus animæ, vel spiritus NN.* vere & autumno institui solemnia, patremfamilias gerere Sacerdotis vicem, mactare porcum capramque, effuso in aurem vino probare victimas, librare fructus, & legumina; & qui tenuis fortunæ sunt, eadem peragere aut privatis in domibus, aut extra urbes ad mortuorum sepulchra? Hæc, quæ à Sinensibus exercentur, ut non solum narrat Navarretta, & Varus inclyti Prædicatorum Ordinis, sed etiam docti viri Sinensium ceremoniarum Apologistæ, Didacus Morales, Jacobus Faber, Franciscus Brancatus, Bartholomæus Roboredus, aliique complures: hæc, inquam, Martinius alto silentio præteriit; ideoque vi decreti emanati anno 1656. censeri non poterant permittenda. II. Laudatum P. Martinium plura præteriisse silentio commonstrant ejusdem quæsita apposita ad calcem Apologiæ FF. Prædicatorum editæ typis Colonienſibus anno 1699. comprobant quæ apud Sinas evenerunt post Martinii reditum; nam, ut refert Navarretta Tom. 2. pag. 332. Pater Adamus Schaal Mandarinus S. J. decretum anni 1656. improbavit ob minus sinceram Martinii expositionem: quod & feciſſe P. Antonium à S. Maria Ordinis Minorum testatur in sua Epistola etiam F. Dominicus Sarpetri Jesuitarum partibus addictissimus: confirmat ejusdem P. Antonii à S. Maria juramentum, quo anno 1659. asseruit P. Martinium in Civitate *Nang Cheu* palam affirmavisse corruptelam exorandi animas defunctorum apud Sinas ab hinc retro trecentis annis inductam, cum tamen cultus proavorum esset ab antiqua institutione civilis tantummodo, & politicus. At hanc corruptelam Sacræ Congregationi, Romanoque Pontifici minime significavit. III. Anno 1669. die 13. Novembris in Congregatione Generali S. Officii Eminentissimi PP. declararunt, *Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide latum sub die 12. Septembris 1645. secundum tum expositâ in dubiis, esse in suo robore, neque per decretum S. Congregationis S. Officii latum sub die 23. Martii 1656. fuisse circumscriptum, sed omnino secundum quæsita, circumstantias, & omnia in dictis dubiis expressa esse servandum, ut jacet: quemadmodum servandum declararunt decretum Sacræ Congregationis S. Officii, latum ut supra die 23. Martii 1656. juxta quæsita, circumstantias, & omnia in eis expressa.* Similiter an. 1674. ad quæsitum P. Dominici Navarrettæ XIII. ex mandato ejus-

2. Probatur Decretum 1645. emanatum mansisse in suo vigore.

ejusdem S. Congregationis Clarissimi viri Laurentius de Laurea, postea S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis amplissimus, & P. Cajetanus Miroballus S. Officii Qualificator responderunt, *Quod si obsequia illa, quæ Confucio exhibentur sint mere politica, possunt permitti; si religiosa, nequaquam.* Ex quo ergo per decretum anni 1656. permittantur politicæ quædam ceremoniæ non consequitur permitti tabellas cum inscriptionibus paulo supra commemoratis, neque oblationes, neque adorationes factas spiritibus, aut progenitorum, aut Confucii, neque solemnia æquinoctiorum, neque alia quæ redolent superstitionem, & quæ decreto anni 1645. fuerant prohibita: sed utrumque decretum apposite, librate, & juxta Missionariorum quæsita latum fuit, nec unum alterum irritat, abrogatque: quod de iisdem decretis erat demonstrandum.

II.

3. Probatur cultum Confucii superstitiosum fuisse.

Edictum quoque Caroli Maigrot recte, provideque superstitiosos cultus eliminabat. I. Revera ædes Confucii templum est, non gymnasium, & oblationes ibidem factæ, præsertim in æquinoctio veris & autumni, superstitiosæ ac profanæ: primo quoniam Aedes illa Sinarum linguâ appellatur *Miao*, quo vocabulo appellantur quoque Bonziorum *Pagodæ*, sive templa idolorum: & revera fanum ac templum esse, scribunt Matthæus Ricci lib. 1. de Christiana expeditione apud Sinas cap. 10. pag. 108. Daniel Bartoli lib. 1. pag. 72. Kirkerus in suo libro, qui inscribitur *China illustrata* p. 3. cap. 1. aliique S. J. præclari Scriptores; tametsi Aedes Confuciana non sit templum commune, sed *fanum literatorum*, ac prope gymnasium erigatur. De laudato Matthæo Riccio Maceratensi tradunt primum fuisse, qui anno 1581. ad Sinas penetraverit; sed ibidem antea Evangelium prædicarunt Dominicani, nostrique ordinis Fratres, & præsertim anno 1575. P. Martinus Herrada, ut non solum affirmat Auctor Apologiæ FF. Prædicatorum pag. 109. sed etiam demonstratur ex libro, cui titulus, *Historia Regni Sinarum*, auctore nostro Joanne Gonzales de Mendoza edito Italâ linguâ Romæ an. 1586. pag. 136. Deinde Confucii cultum illicitum ac superstitiosum declararunt die 23. Novembris ann. 1669. ex mandato Sacræ Congregationis Laurentius Brancatus de Laurea, & Joannes Bona, uterque Romanâ purpurâ clarus, doctrinâ autem clarissimus: imo idem definivit Summus Pontifex Clemens XI. in Bulla emanata die 19. Martii, anno 1715. quæ incipit, *Ex illâ die*, Præterea cultum Confucio exhibitum esse superstitiosum, nonne evincit ipsius simulacrum cum adoratoribus pictum in libro Italo, *Raccolta de' varie principali Scritture de' PP. della Comp. di Gesù*, pag. 34. inscriptio tabellæ, oblationes, & libamina superius commemorata, & comparatio cum oblationibus factis idolo *Chin hoan*, sive Spiritui tutelari urbium, ab omni etiam aliorum rituum propugnatore damnatis? Sunt enim Confucio, & idolo *Chin hoan* eædem omnino sacratæ victimæ, iisdem ceremoniis, eademque ministrorum pompa, & actione; si verum refert auctor Historiæ Cultus Sinensium pag. 17. Denique Confucii cultum, & idololatricas ceremonias etiam Missionarii Jesuitæ interdixerunt anno 1628. decretis editis in urbe *Kia Ting* provinciæ Nankinensis, ut Navarretca demonstrat Tom. II. p. 110. ideoque falsum est à primo ipsorum in Sinarum regnum ingressu fuisse permissas. II. Idem asserendum de cultu progenitorum: quem politicum non esse liquet primum ex tabella, in qua non tantum defunctorum nomina inscripta sunt, quod tolerabile foret, verum & *Xin Goey*, aut, *Xin Chu*, quæ vocabula idem valere ac, *Sedes, aut thronus animæ, vel spiritus*, fatetur eruditus Apologista Tellier Tom. II. pag. 254. ideoque non sunt appositæ tantum ad excitandam, ut inquiunt, memoriam parentum, verum etiam ad commonstrandum, quod tabellis insideat spiritus defunctorum. Sufficeret enim ad revocandos parentes in memoriam filiorum inscriptio nominum demortuorum. Ad hæc fatentur Apologistæ superstitiosam rem fore, si à defunctis eorumque spiritibus viventes aliquid peterent & expectarent: & Martinius, ut diximus, cum tabellarum inscriptionem, tum expectatum à spiritu proavorum beneficium obticuit. At compertum est Sinas, cum ejusdem ceremoniis interfunt, bona & prospera à defunctis petere, neque id posse in dubium revocari; ut scribit Gregorius Lopez ordinis Prædicat. Episcopus Basilitanus, quem alias Apologistæ pro se laudant, apud Varum, & Scriptorem Hist. Cult. Sinens. pag. 42. imo idem affirmant Jesuitarum Historici Alexander de Rhodes lib. 1. cap. 27. Operis cujus inscriptio, *Relazione de' felici successi della S. Fede*, Joannes Maffei Historiarum Indicarum lib. 6. pag. 101. aliique narrantes impias Sinarum in defunctorum cultu ceremonias. Rhodes

des quidem de Tunkinenſibus loquitur; ſed Tunkinenſis ac Sinicæ gentis eundem eſſe circa demortuos cultum, haud diffitetur Tellier in ſua defenſione Parte 2. pag. 314. Ac Martinius ipſe, ut diximus, minime negavit corruptelam, & ſuperſtitioſam conſuetudinem exorandi ſpiritus defunctorum in politicos Sinenſium ritus irrepſiſſe. Quare ſi progenitorum cultus dubio omni procul ſuperſtitioſus eſt, cum aut ſpiritus inſidere tabellis creduntur, aut defuncti referuntur in Numina, aut ab illis ſine Chriſti fide demortuis temporalia beneficia expectantur, nequit iſtiusmodi cultus tanquam politicus permitti, quemadmodum anno 1674. de Laurea & Miroballus declararunt, & laudata Conſtitutione *Ex illa die*, definivit Pontifex Opt. Max. Clemens XI. Quis inſuper credat quod in ſuo Præludio edito anno 1682. nititur demonſtrare P. Franciſcus Xaverius Philippuci, oblationes ſuperius recenſitas, exhibitasque defunctis porcorum, caprarum, libaminum, ſuffimentorum, eſſe munera defunctis oblata, non ſacrificia? Ac ſi munera ſint, nonne qui illa exhibent, putant ſpiritus adeſſe qui munera illa recipiant? Quid ſi rogum, pyramque excipias, intereſt diſcriminis inter Sinenſium deliramenta, & parentalia ab Ethnicis celebrata, ut defunctorum animæ excitarentur, & oblata munuſcula gratanter exciperent? Parentalia illa ita in 11. Faſtorum narrat Ovidius:

Eſt honor, & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes: pietas pro divite grata eſt
Munere; non avidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis,
Inque mero mollita ceres, violæque ſolutæ.
Adde preces poſitis & ſua verba focis.

Sane parum diſcrepant iſtæ à Sinenſium ritibus ceremoniæ. De his propterea quærimus, cur ſuperſtitioſæ non ſint, & interrogamus:

Ecce Deos manes cur inficiaris haberi?
Ipſa patrum monumenta probant: Dis manibus illis
Marmora ſecta lego,

Cum Prudentio in priori ad Symmachum: at pro *marmore* ponam è ligno caſtaneo tabellam inſcriptam, *Xin Goey*. III. Opportune Maigrotius vetuit, ne Deus Sinica lingua appelletur *Xang Ti*, aut *Tien*, & ne templorum aris appendatur tabella cum inſcriptione, *King Tien*, & tabella hac prohibita decrevit appellandum Deum recepto à Miſſionum origine vocabulo *Thien Chu:* quæ omnia ſancivit quoque laudata in Bulla Clemens XI. Enimvero *Xang Ti*, quod latine reddunt, *Supremus Imperator*, auctore Nicolao Longobardi S. Jeſu in in lingua Sinica plurimum exercitato, conſtat ſignificare ſubtiliſſimam materiam, & quaſi quintam eſſentiam, quam Sinenſes idololatras ſummum Deum credere, nedum nos ſcripſimus libro 1. cap. 2. ſed & aſſerunt P. Alvarus Semedo in Relatione Monarchiæ Sinenſis P. 1. cap. 17. P. Jo. Maffejus Indicarum Hiſtoriarum lib. 6. p. 100. P. Ludovicus Le Comte de Præſenti ſtatu Sinici Imperii Tom. 2. pag. 181. oppugnatores vero Sinenſium Rituum prorſus omnes. *Tien* vero ſignificare cælum, & *King Tien*, idem eſſe, ac, *Cælum colito*, nullus negat. Quomodo ergo hæc nomina uſurpanda ſunt, quibus idololatræ percipiunt idem eſſe Chriſtianorum numen, & diffuſum ætherem, orbiumque cæleſtium gyros, & neophyti pariter & Chriſtianam religionem amplexi ante iſtiusmodi tabellas proſtrati antiquam retinent ſuperſtitionem? Deinde quod ajunt Apologiſtæ, & in ſupplici libello exhibito Innoc. XII. ampliſſima Societas Jeſu, Dei nomen à Sinenſibus proferri non poſſe latino vocabulo, etiam Dei nomen ab Ethnicis tributum cælo, lunæ, ſideribus, nec tamen à nobis repudiari, Divinam quoque Scripturam interdum cæli nomine Deum ſignificare, conſuetam eſſe locutionem iſtam, *Roma Pelagium damnavit, Curia hunc abſolvit*, perſuaſum denique eſſe Sinenſibus unum Deum à Chriſtianis coli, non cælum materiale: id inquam, nullum movere debet, poſtquam iis omnibus ponderatis, Apoſtolica Sedes præfata vocabula expreſſe prohibuit. Et quidem non jubentur Sinenſes adhibere latinum vocabulum *Deus*, ſed ab ipſis receptum *Tien Chu*, id eſt, *Cæli Dominus*: neque *Xang Ti*, ac *Tien*, nomina ſunt appellativa, quemadmodum eſt *Deus*, ut poſſint vero, falſisque nominibus convenire; nec quæritur quid prædicta vocabula poſſint metaphorice ſignificare, ſed quid nativa inſtitutione ſignificent, &

& an Christianis fas sit eidem tabellæ cum idololatris genua flectere, & profiteri se colere *Xang Ti*, ac *Tien*, numen scilicet, quod alii omnes tenent esse cælestem materiam: ideoque Apologistarum conjecturæ videntur futiles atque ineptæ. Postremo ipsi Missionarii Jesuitæ circa significationem, usumque vocabuli *Xang Ti* minime convenerunt: nam, ut dixi, Nicolaus Longobardi contendit significare subtilem, æthereamque materiam, Missionarii Societatis anno 1628. in Conventu celebrato in urbe *Kiating* statuerunt *Xang Ti* non esse verum spiritum: Palmerius Missionariorum visitator anno 1629. prohibuit ejusdem vocabuli usum. At Riccius qui anno 1581. ad Sinas pervenit, tradiderat vocabulum illud significare verum Deum: atque id in causa fuit, ut revocaretur in usum, & P. Franciscus Hurtado anno 1645. ad componenda dissidia scriptum P. Nicolai Longobardi flammis damnaret, si verum narrat Auctor Hist. Cultus Sin. pag. 121. Saltem ergo *Xang Ti*, tanquam significationis ambiguæ erat proscribendum: ac sapientissime Clemens XI. definivit admittendum esse *Tien Chu*, nomina vero *Tien*, & *Xang Ti* penitus rejicienda.

III.

4. Probatur decretum Cardinalis de Tournon non vindicare ritus Sinensium à superstitione.

Caput hujus disquisitionis tertium spectat decretum Cardinalis de Tournon à Clemente XI. & Benedicto XIII. confirmatum, quod universam controversiam definiret, si liquido constaret virum illum integerrimum vera ad Apostolicam Sedem retulisse. Id vero mihi non videtur in dubium revocandum. Enimvero idem Clemens XI. Pontifex Maximus decretum illud inviolabiliter observandum esse sancivit die 25. Septembris anno 1710. pro illius executione dedit Epistolas officii, & solicitudinis plenissimas ad Joannem Portugalliæ Regem die 20. Januarii an. 1711. Deinde accepto nuntio mortis Cardinalis eximii, in Epistola ad Franciscum Archiepiscopum Manilæ data sub die 15. Junii anno 1713. ipsum Cardinalem appellavit *magnum Catholicæ Religionis præsidium*, *magnum Apostolicæ Sedis propugnaculum*, *magnum Romanæ Ecclesiæ decus ac lumen*; atque Apostolicis verbis istud eidem contexuit elogium, *Bonum certamen certavit*, *cursum consummavit*, *fidem servavit*. Die denique 19. Martii anno 1715. Bulla, *Ex illa die*, post maturam discussionem, nec sola relatione Cardinalis de Tournon ad examen revocata, sed Missionariorum plurium cujusque Ordinis, etiam formulam juramenti præscripsit, qua omnes ac singuli in Sinarum regno missionem exercentes spondeant se ritus ac tabellas, & nomina superius exposita reprobaturos, & decreta servaturos Cardinalis præclarissimi. Quis ergo de tanto viro, tali Romani Pontificis commendatione exornato, ac post tam longam accuratissimamque dijudicationem, accedente etiam Benedicti XIII. sententia; quis inquam nisi audacter ac temere pronuntiabit, aut decreta edidisse rebus omnibus non inspectis, aut Sinensibus Christianis superstitionem affricasse, aut Sedi Apostolicæ imposuisse, maxime cum innumera pericula & vitæ rerumque discrimina invicto animo pro Catholica fide subierit? Quæ autem Edicto Cardinalis de Tournon inhibentur, scite, opportune, ac juste prohiberi demonstrat erudito Opere Aloysius Maria Lucini Ordinis Prædicat. S. Officii Commissarius Generalis: quem oppugnare conatur Scriptor Anonymus, Opere tripartito, cuso ante paucos annos typis Genuensibus. Hujus quidem Auctoris commendamus stylum, eruditionem, ingeniique acumen: sed in Causa Apostolicæ Sedis judicio finita parum valet mentis acies, verborumque delectus. Missis etiam quæ Lucinus nervose & luculenter pertractat: aperte damnat tesseram illam nuptialem cum imagine idoli *Polleyaris*, sola effigies apud eundem Scriptorem pag. 169. postremæ editionis, & resticula centum & octo filis contexta, & croceo succo delinita. Negantibus autem adesse effigiem idoli, præfixumque filorum numerum, ne illos arguamus mendacii, respondemus amplissimum esse Sinarum regnum, nec ubique coli nuptiarum genium aut *Dittam*, aut *Polleyarem*: at ubi colitur, tam apertam superstitionem eliminandam. Quis præterea æquo animo ferat institutionem festorum ob muliebria, dum primum fluunt in pubertate, & appareret puella apta viro? Quis ob sordidissimum fluxum templum, & Sacramenta mulieribus interdicat, tametsi eo decidente fas esset fæminam latitare? Quis in nuptiis arborem Arescioram, & palmæ nucem ad auspicia confractum patiatur in profanis simul, Christianisque conjugiis? Illud præterea, quod Missionarii accedere nolint ad Sacramenta ministranda infirmis infimæ conditionis, *Parreas* vulgo dicunt, qui à nobilioribus summo ludibrio habentur propterea quod boum carnibus vescuntur,

quas occidere Brahamanis flagitium est inexpiabile, ut Vincentius Maria Carmelita excalceatus scribit lib. III. pag. 314. illud inquam, aperte immanitatem, nobilium studium, ac superstitionem præsefert. Denique conspersos in fronte cineres confectos è vaccæ stercore, impressaque signa delineata in Opere Lucinii pag. 412. nescio quo jure possint à nota superstitionis excusari. Atque hæc est mea de Sinensium Ritibus persuasio. In quibus tamen, si nullum adesset superstitionis indicium, ut contendunt Aloysius Le Comte, Jacobus Faber, Scriptores librorum, qui inscribuntur, *Vera Sinensium sententia, Monumenta Sinica, Expositio facti oblata sacræ Congregationi jussu Innocentii XII. anno* 1699. aliorumque editorum anno 1700. atque si inconcussa essent testimonia Prosperi Intorcetta, Martini Martinii, & Dominici Mariæ Sarpetri, asserentium superstitionem omnem à Christianis vitari, possent Missionarii omnes facile convenire, eademque doctrinæ conspiratione commissum munus explere. Id gravi Concione nuper, id est, die XXI. Decembris præteriti anni 1739. in Quirinali aula coram Purpuratorum Patrum Senatu prolocutus est vir doctrina, ætate, exemplo plurimum venerandus F. Bonaventura Barberini Concionator Apostolicus, & Generalis *Capuccinorum.* Fieri id potest, si penitus rejiciantur vota, sacrificia, suffimina, ac libamenta,

Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam,

ut S. Paulinus scribit in quarta ad Ausonium Epistola.

CAPUT X.

An permaneat fides in homine impio, in homine hæretico, in homine vitâ functo.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur.
2. & 3. Responsio ad Objectiones.
4. & 5. Propositio 2. Probatur.
6. 7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.
11. 12. Propositio 3. Probatur.

INQUIRENDUM nunc de Fidei *subjecto:* nam Heterodoxi qui sanctificantem gratiam à fide non distinguunt, docent consequenter justum esse quisquis fidem servat; nec gratiam amitti nisi peccato apostasiæ & infidelitatis: eisque accedunt, qui autumant fidem divulsam à charitate non operari Christianas virtutes, neque fidem, quæ est bonum germen ac semen, esse absque amore & fiducia; ut habetur in propositione LI. & LII. Quenelliana. At in iis, qui in hæresim prolabuntur, & pravo dogmati hærent pertinaciter, fidem deficere communiter docent contra Durandum Scholastici: quamquam multi distinguant inter Catholicam, integram, inviolatamque fidem, & fidei partem, teneantque illam quidem in hæretico deperire, sed remanere fidem allquam, sive priorem supernaturalem illuminationem falsitati permixtam, ut docet S. Bonaventura, & probare videtur in III. dist. 23. §. 13. magni nominis Theologus Guilelmus Estius; etsi in utramque partem disputet, nec rem definiat. At istud inter Scholasticos dissidium facili ratione componitur, si quod appellant objectum *materiale,* & quod *formale* dicunt, dispescamus. Enimvero hæretici plura nobiscum tenent, ut Trinitatem, Incarnationem, Baptismum, quæ etiam Divina revelatione, non perceptione naturali ad illorum notitiam pervenerunt; sed his minime assentiuntur ob Divinam auctoritatem ab Ecclesia propositam, ideoque non fide Divina, sed humana duntaxat, acquisita, & historica. De illis autem, qui concesserunt naturæ, exceptis animis purgantium adhuc à cælesti patria extoribus, quæritur, num in iis ad ornatum, aut ad religionis symbolum *habitus* fidei persistat. Atque hæc congrua brevitate resoluturus de priori parte sic statuo.

PROPOSITIO I. Remanet fides in homine impio, dummmodo infidelitatis crimine non se commaculet. I. Propositio I.

Liquet primo ex Apostolo, qui in I. ad Corinth. XIII. 2. aperte fidem à charitate sejungit, quod & præstat Augustinus de Fide & operibus cap. 14. Produximus loca Volumine III. pag. 315. Accedit definitio Tridentini sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui* Probatur.

qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit. Huc spectat propositio 12. damnata ab Alex. VIII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana:* & 52. Quenelliana, *Fides non est absque amore & fiducia.* Suffragatur & ratio; nam fides & charitas diversum habent *objectum*, atque illa tendit in Deum ut verax est, hæc in Deum ut summe bonum; possumus autem odisse etiam ea, quæ existere non ambigimus, dummodo non sic appareant, ut animum ad se trahant necessaria & vehementissima dilectione, uti contingit in patria. At fides, etiamsi sit *rerum sperandarum substantia*, scilicet, summum bonum tam firma persuasione credat, ut de ejus existentia non hæsitet, non eo tamen præsente ac perspicue viso adeo allicitur, ut nequeat ab illo casta dilectione divelli. Adde nullum virtutis *habitum* in hac mortali vita deperdi, nisi per oppositam qualitatem; unde Synodus Tridentina cit. sess. 6. cap. 15. recte sancivit sola *infidelitate* ipsam fidem amitti.

2. Objectiones.

Moverunt adversarios nonnulla, quæ ex hactenus disputatis habent facillimam solutionem. Ajunt fidem, Scriptura Divina conclamante, sine operibus mortuam esse, & à charitate sejunctam esse nihil, nihil prodesse: addunt juxta Augustinum solam fidem, quæ per dilectionem operatur, mundare cor, piamque fidem sine spe & charitate non esse; ita nimirum S. Pater in Psalm. 31. num. 6. serm. 53. in Matth. cap. 9. num. 11. & Epist. 120. num. 8. Postremo, inquiunt, nulla, si desit charitas, datur virtus, quæ faciat Christianas actiones; nulla sine ordine amoris in Augustiniana Theologia vera virtus censenda est.

3. Responsiones.

Sed hæc nimium futilia sunt, & recocta. Fides enim sine charitate *informis* est, mortua est, & etiam ab actuali amore penitus separata ad justificationem non sufficit; sed numquid omnino extinguitur, & sine gratia sanctificante exercere nequit actus suos? Mortua sine hujus gratiæ ornatu appellatur, quia non est illa fides, qua justus vivit, qua promeremur vitam æternam, qua separamur ab immundis; at etiam in peccatore pios sine gratia habituali motus operatur, qui non imputantur, nisi inchoate, ad justificationem ac vitam: ad quam impii disponuntur, *dum credunt vera esse, quæ divinitus revelata sunt, atque illud in primis à Deo justificari impium per gratiam ejus;* ut loquitur Tridentinum. Recte proinde Augustinus affirmat piam fidem esse cum dilectione cor non emundari per fidem; quoniam *Fides per dilectionem operatur*, inquit Apostolus ad Gal. v. 6. &, *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest* 1. ad Corinth. XIII. 3. Igitur concludit fidissimus Apostoli interpres Augustinus Tract. 6. in Joannem n. 21. *Magna est fides, sed nihil prodest, si non habeat charitatem*, & alibi, *Fides sine charitate potest esse, non tamen prodesse.* Verum, inquis, quomodo id, si nulla absque charitate datur virtus? Principio ad virtutem non requirit Schola Augustiniana charitatem *habitualem;* sed ordinem dilectionis, qua virtus non sit inflata dum ad se ipsam refertur, nec vitio labefactetur dum marcescit cupiditate; de quibus plura lib. XVIII. cap. 3. Deinde profitetur *habitus* virtutum etiam supernaturalium à charitate distinctos; tametsi charitas actibus cæterarum virtutum tribuat formam, ac perfectionem: ut explicavi supra pag. 208. Denique contendit humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario ipsius amoris affectu, sive boni cupiditate, quæ nec deest in fide *informi*, auctore Divo Thoma 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2. sed non requirit ad cujuslibet virtutis actum *explicitum* illum amorem, qui tendit in Deum ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem, cæterisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur *Charitas.*

4. Propositio 2

PROPOSITIO II. Non permanet vera fides in homine hæretico.

Probatur ex Scriptura.

Solet à quibusdam hæc thesis comprobari verbis Apostoli in 2. ad Tim. II. 17. *Sermo eorum, ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt:* at non satis percipio hujus argumenti robur, docente ibidem Paulo Hymenæum ac Philetum aberrasse à fide resurrectionis, ut constat ex textu, ex Tertulliano de Resurrect. Carnis, & ex Augustino serm. 362. n. 22. an vero hi fidem omnem amiserint, hæc tantum verba minime evincunt. Videntur magis efficacia quæ idem Paulus scribit ad Galatas v. adversus asserentes legalium ad salutem necessitatem, dicens v. 4. *Evacuati estis à Christo*, scilicet *à spiritu fidei*, ut explicat versu proximo: cujus rei & rationem subinde affert, quoniam non auctoritatem Dei revelantis consectabantur, sed humanam, errorique obnoxiam opinionem: *Persuasio*, inquit, *hæc non est ex eo, qui vocat vos.* Quod sane faciunt hæretici omnes, dum privato spiritu, aut homi-

num doctrinis seducti ea duntaxat credunt, quæ proprio ingenio & voluntati magis consentanea sunt. Quare S. Pater Augustinus ita Manichæos alloquebatur lib. contra Faustum XVII. cap. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.* Addit laudatus Apostolus in 1. ad Corinthios III. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est:* quæ verba S.P. Augustinus in Enchirid. cap. 5. num. 1. explicans de fide Catholica inquit: *Neque hoc ideo negandum est proprium fundamentum esse fidei catholicæ, quia putari potest aliquibus hæreticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quæ ad Christum pertinent cogitentur, nominetenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt: re ipsa vero non est apud eos.* Ex quibus omnibus hoc pacto ratiocinamur. Qui credunt humana persuasione, nec fidei catholicæ fundamentum tenent, hi supernaturalem fidem nequaquam servant. At hujusmodi sunt hæretici.

1. Probatur ratione.

Ratio ex his depromitur manifesta. Fides enim non humanæ persuasioni innititur, non privato spiritui, non anteceptæ hominum insinuationi; sed cum sit Divina, eliciatque assensum immobilem, atque firmissimum, nititur Divinæ auctoritati per Ecclesiam propositæ. Cum ergo nullus hæreticorum unum aut alterum fidei articulum in dubium revocans, aut præfracte negans ad hanc inconcussam, certissimamque normam propriam fidem exigat: quomodo credit fide supernaturali ac Divina? Audiatur D. Thomas, cui major Scholasticorum pars assentitur, 2. 2. q. 5. art. 3. *Dicendum*, inquit, *quod in hæretico discredente unum articulum fidei non manet fides, quia species cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti, qua sublata species habitus remanere non potest. Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate prima. Unde quicunque non inhæret, sicut infallibili, & Divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, ille non habet habitum fidei.*

6. Objectio 1. cum Solutione.

At dicas: Discipuli, quibus Marci ult. versu 14. exprobravit Dominus *incredulitatem, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt;* & Thomas, cui Joan. xx. inquit, *Noli esse incredulus, sed fidelis*, nunquid fidem prorsus amiserant? Respondet Lyranus, utique discipulos, de quibus Marci ultimo, tunc fuisse incredulos, quoniam Resurrectio Domini pluribus argumentis fuerat declarata; nisi velimus dicere increpatam à Domino incredulitatem, quæ antea in illis fuerat, dum mulieribus, cæterisque discipulis credere noluerunt. Arbitror tamen per incredulitatem, qua aliquis non vult præstare fidem privato homini mysterium nondum sibi exploratum narranti, si habeat paratum animum credendi aut Ecclesiæ proponenti, aut Domino revelanti, fidem nequaquam amitti; & hanc fuisse incredulitatem Thomæ, aliorumque discipulorum, longe diversam ab hæreticorum pervicacia. Legitur quidem in vulgaribus libellis candelas, quæ in majori hebdomada extinguuntur significare extinctam in Christi morte fidem Apostolorum: verum id à Theologis explodi observat Gavantus sect. IV. cap. 13. n. 22. & Rupertus Abbas lib. v. de Divinis Officiis cap. 26. docet significare tenebras factas Christo mortuo super universam terram, Judæorum cæcitatem, & mortem Prophetarum, qui, ut candelæ post singulos extinguuntur psalmos, occisi sunt expleto prophetiæ suæ ministerio: candelam vero cæteris sublimiorem significare ipsum Dominum, tanquam unum ex prophetis occisum, & postea redivivum à mortuis: quod postremum probat etiam noster Angelus Rocca de Campanis cap. 25.

7. Objectio 2.

Præterea objicies: Augustinus de unico baptismo cap. v. num. 7. Judæo ad Ecclesiam venienti ait, *Tene fidem resurrectionis mortuorum sicut tenebas, sed crede jam Christum resurrexisse à mortuis quod non credebas:* ac similiter hæretico, *Tene Christianum baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sicut tenebas, sed agnosce Christi Ecclesiam, toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas:* agnoscit ergo Augustinus in Judæo veram fidem resurrectionis, & in Donatista veram fidem baptismatis. Idem S. Pater de Patientia cap. 26. num. 23. laudat patientiam Schismatici, qui *ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, &c.* & proximo num. demonstrat, non esse *viribus tribuendam voluntatis humanæ*, sed esse donum Dei, licet donum *exhæredatorum*, quoniam per elationem vel timorem, non per dilectionem operatur. Ac similia docet lib. III. de Baptismo cap. XIX. num. 27. Agnoscit ergo Augustinus in hæreticis & schismaticis fidem inter Dei munera computandam.

Resp.

8. Solutio.

Reſp. Sive in Judæis, ſive in hæreticis eſſe aliquam fidem *materialem*, inſpecto ſcilicet aliquo objecto, quod credunt, V. G. reſurrectionis articulo, & neceſſitate baptiſmatis; at non fidem *formaliter* talem, quæ nimirum aſſenſum præbet ob Divinam auctoritatem propoſitam ab Eccleſia: nam S. P. in libro de unico baptiſmo demonſtrat non ſolum in hæretico vel Judæo, verum etiam in idololatra aliquid eſſe, quod probat fides catholica; & quemadmodum dicitur Judæo, *Tene fidem reſurrectionis*, aut hæretico, *Tene Chriſtianum baptiſmum*, ita dicitur idolorum cultori, *Tene ab uno vero Deo mundum conditum eſſe, quod tenebas, ſed noli credere Deos eſſe ligna, & lapides, & ipſius mundi quaslibet particulas, quas colebas: Dei enim veritatem, qua credis ab ipſo mundum conditum, in tua detines iniquitate, qua Deorum cultor vis eſſe falſorum.* Ergo quemadmodum hæc idololatræ fides, qua credit mundum à Deo conditum, orta ex naturali philoſophia, ſupernaturalis non eſt; ita neque fides Judæi, vel hæretici acquiſita monitis parentum, atque hominum inſtitutis. Sed, inquis, hanc Auguſtinus computat inter Dei munera in libro de patientia, & in 3. contra Donatiſtas. Si naturam *objecti* inſpicias; fides etiam hæretici hominis, ſupernaturalis eſt, niſi enim Deus revelaſſet myſteria, nunquam ad ejus notitiam perveniſſent; at ſi ſpectetur *motivum credendi*, naturalis eſt, neque enim captivat voluntatem in Dei revelantis obſequium, ſed vel eſt coacta, & rerum evidentia, ut in Dæmonibus, naturaliter gignitur; vel imbecillis & fallax eſt, & humanæ innititur perſuaſioni. Agnoſco itaque librum de patientia tanquam genuinum Auguſtini opus, licet aliter viſum Eraſmo: & nego laudabilem eſſe aut patientiam ſchiſmatici, aut fidem hæretici, niſi ut laudatur Fabricius & Catilina: quod monuerunt in Præfat. ad hunc librum PP. Benedictini, & nos diximus Tom. III. pag. 245. quamquam eſt in fide hæretici aliquid Divini muneris ſenſu explicato. Atque ex his corruunt, quæ opponit Eſtius, fieri poſſe ut innoteſcant credenda ſine Eccleſiæ propoſitione, aut revelatione ſpeciali, ut Abrahamo; aut virtute miraculorum, ut Apoſtolis, aut ſine ullo hominum miniſterio, ut parvulis infunditur in baptiſmo fides *habitualis:* etenim quisquis hoc pacto vocaretur ad fidem, ſi recte crederet, haberet ſaltem animi præparationem credendi quidquid Divina auctoritate firmatur: quod non faciunt hæretici ab Eccleſia alieni, & tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa.

9. Objectio 3. & Solutio.

Quod ſi opponas: Nonne in hæreticis remanet eadem credendi facilitas, eademque immobilis perſuaſio? Reſpondeo in primis nec eandem fidei firmitatem manere, quoniam medio fallaci & labili, non fundamento Eccleſiæ fides hæreticorum innititur: atque hinc eſt tanta hæreſum variatio, tanta Apoſtatarum inconſtantia, tanta novorum dogmatum ſeges. Deinde cum doctiſſimo Cardinali de Laurea diſput. II. de Fide art. 14. præter fidem ſupernaturalem *infuſam*, admitto habitum fidei *acquiſitæ*, aut majorum inſtitutione, aut conſuetudine, aut Catechiſtarum doctrina: qua fide permanente, etiam habitu fidei ſupernaturalis per infidelitatem deleto, hæretici adeo nonnulla credunt, & tam firma adhæſione, ut pro illis fundere ſanguinem parati ſint, & martyrium affectent, quemadmodum de Donatiſtis ſcribit Auguſtinus in Breviculo, & in III. contra Creſconium, necnon de Montaniſtis Euſebius lib. V. H. Eccl. cap. 6. quod tamen Balduinus in Hiſtor. Carthag. Collat. pag. 364. recte appellat *fatuam* κενοδοξίαν.

10. Objectio 4. & Solutio.

Si denique objicias non deſtrui ſcientiam, per hoc quod in una concluſione aberretur, non violari omnia præcepta per hoc quod unum frangatur, non derogari fidem homini, per hoc quod in una re ipſi non præbeatur aſſenſus; optimam arbitror reſponſionem S. Thomæ cit. artic. 3. quod concluſionibus unius ſcientiæ aſſentimur propter diverſa media, fides autem propter unum medium, ſcilicet Divinam veritatem ab Eccleſia propoſitam, ſingulis inhæret articulis: & præcepta etiam ob diverſa motiva ſervantur; nam ſi quis unum transgrediatur ob motivum princeps, quod nolit Deo perfecte obedire, ut Jacobus inquit cap. II. 10. *factus eſt omnium reus.* Atque huic divi Thomæ reſponſioni addo, poſſe nos ſimiliter ratiocinari de fide *acquiſita*, & naturali, quæ diverſis motivis inniti poteſt; at non de ſupernaturali, quæ ob unam tantum rationem aſſenſum præſtat revelatis à Deo veritatibus. Cum Deo ipſo fallere & falli neſcio comparari nequeunt,

Cimmerias inter tenebras quod error opacat,
Vanaque pro vero ſe oſtentat opinio menti.

11. Propoſitio 3.

PROPOSITIO III. In animabus corpore ſolutis, ſuoque in termino conſiſten-

stentibus habitus supernaturalis fidei non permanet.

Probatur de Beatis, Vel enim de beatorum spiritibus loquimur, vel de in gehennam detrusis. Si de illis verba faciamus, saltem quoad præcipuum *objectum* fides non manet; quoniam non vident *per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem.* Videtur id ab Apostolo definitum in priori ad Corinth. III. 12. ubi etiam cæteris virtutibus præfert charitatem, eoquod nunquam excidat. Apostolo consentit Augustinus scribens lib. XIV. de Trinit. II. num. 4. *Neque enim jam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species qua videantur quæ credebantur.* Neque necessum est fidem beatis spiritibus tribuere ad ornatum, cum omnem ipsis decorem conferat splendor gloriæ; & virtutum munera ob supernaturalia præsertim opera sint collata.

12. Probatur de damnatis Si autem sermo sit de damnatis; hi omnium supernaturalium donorum ornamento exspoliantur, permanente duntaxat *charactere* quo fideles ab infidelibus secernuntur. Ait quidem Jacobus cap. II. 19. *Et dæmones credunt, & contremiscunt:* sed ut ostendat non prodesse ad salutem fides, qua malorum vindicem pertimescimus, nisi serventur mandata; non ut comparationem instituat inter fidem dæmonum, hominumque fidelium. Illi namque credunt perspicaci mentis acumine, rerum eventu, expletis vaticiniis, proprioque experimento coacti; isti Spiritus sancti illustratione, pio mentis affectu, ac libera voluntate.

CAPUT XI.

De Spe fidelium, ejusque necessitate, & certitudine.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine spei intelligatur.
2. Objectum materiale & formale spei.
3. Quomodo spes à fide & charitate distinguatur.
4. S. Paulus, & Augustinus quomodo de spe intelligendi.
5. Quomodo spes permaneat in peccatoribus, Beatis, animabus purgantibus, dæmone, damnatis, & hæreticis
6. Probatur spem persistere in eo, cui divinitùs revelata damnatio.
7. Probatur spem non posse in eo persistere, cui revelata damnatio.
8. Revelatio de damnatione foret tantùm comminatio, & sic non deberet spes deponi.
9. Revelatio autem de absoluta potentia foret definita, & immutabilis sententia.
10. Extra Hypothesin tenetur quisque sperare gratiam, & gloriam.
11. Unde sperantium fiducia & certitudo desumenda.
12. Certitudo spei timorem includit.

1. Quid Nomine spei intelligatur. EX *fide*, inquit S. P. Aug. cap. CLV. Ench. n. 30. *nascitur spes bona fidelium;* cum enim fides rerum sperandarum præstantiam statuat ob oculos, illarum gignit desiderium atque expectationem, sine qua humana studia, laboresque flaccescerent. Nam ut temporalium actionum altrix est præterfluentium bonorum fiducia, canente Tibullo,

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratri
Semina, quæ magno fœnore reddat ager;
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibos.
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus:

ita fideles bonis operibus vehementius insudant, dum *fiduciam, & gloriam spei,* juxta Apostoli monitum ad Heb. III. 6. *firmam* retinent. De Spe itaque hoc loco pertractandum est. Spei autem nomine non intelligimus rerum adversarum expectationem, ut Virgilius in IV. Aen. ab Augustino laudatus cap. 8. Ench. dum ait,

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,

& ipsemet Augustinus in Psalmum 64. scribens, *Profers spinas? ignem spera;* sed expectationem duntaxat bonorum: atque utimur hoc vobabulo *spei* non tantum ad significandum spei nostræ objectum, ut dum dicimus cum Psal. XIII. 6. *Dominus spes ejus est,* vel gratiam & auctoritatem eorum, quibus intercedentibus sempiterna bona speramus, ut dum quotidie salutamus his verbis Deiparam, *Spes nostra, salve;* verum etiam ad significandam inditam divinitus virtutem, qua pium desiderii & fiduciæ motum exerimus. Atque virtutem hanc definire solent Theologi: *Spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectamus:* aut cum Haymone,

mone, *Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia, & meritis præcedentibus.*

2. Objectum materiale & formale spei.

Hujus Spei *objectum*, ut appellant, *materiale* est ipse Deus, in quantum est immortalium animorum vita, merces & finis ultimus; nam alioqui spes non esset inter virtutes Theologicas connumeranda; cum illa sit virtus Theologica, quæ Deum habet pro objecto. At cum permulta nos ad Deum ipsum perducant, gratia præsertim, peccatorum remissio, & finalis perseverantia; etiam hæc sunt spei nostræ *objectum*, sed veluti secundarium, eoquod à nobis ratione ultimi finis tanquam media expetantur, neque cor nostrum attrahant, nisi ob summi boni consecutionem. Nam sicut fides Catholica, quæ Deum summam veritatem credit, etiam alias veritates complures profitetur sub ea ratione, quod ore ipsius Dei revelata sunt: ita spes, quæ in Deum ejusque beatitudinem tendit, respicit etiam gratiarum munera, quatenus viam sternunt ad ipsam beatitudinem capessendam; ac etiam charitas, qua Deum summum bonum diligimus, sese extendit ad proximum, quem tamen ob summum bonum directo amore prosequimur. Ac juxta hanc finis mediorumque distinctionem accipiendum est, quod vulgo à Theologis traditur, spem oratione Dominica, fidem Symbolo, charitatem decalogo contineri. Objectum autem *formale* spei non est in Schola nostra finis ultimi arduitas, sed potius Dei omnipotentia ac misericordia, quibus opitulantibus æternam vitam, quæ nobis repromissa est, acquirere possumus, & sine quibus arduitas illa animum nostrum potius excruciaret, ac deterreret. Extat in sententiis à Stobæo collectis pag. 460. illud Lini,

Omnia sunt speranda, nihil sperare negatum,
Nam nihil est, quod non valeat Divina potestas.

Potestati autem Divinæ si beneficentiam, misericordiam, largitatemque supremi Numinis addas, habes quo in spem vivam animus erigatur.

3. Quomodo spes à fide & charitate distinguatur.

Spes à fide, & à charitate distinguitur, etiamsi ad actum spei requiratur amor aliquis inchoatus, quo Deus diligitur, ut inquit Estius in III. dist. 26. §. 2. quatenus ab intellectu proponitur, ut summum ac beatificum nostrum bonum, licet semper non adsit amor charitatis, quo voluntas affecta cætera omnia summo bono postponat. Et spem quidem à fide distingui satis liquet, cum aliqua credantur, quæ spei nostræ objectum non sunt, sed potius horroris, atque timoris. *Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum? nec sperat tamen*, inquit cap. 8. n. 2. Enchiridii Augustinus. Distingui autem spem ab habitu charitatis docent Catholici omnes, atque his momentis evincunt. Primo Tridentina Synodus sess. VI. cap. 6. ait peccatores ad justificationem disponi, dum *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore:* & can. 3. definit posse hominem suffultum præveniente Spiritus sancti inspiratione & adjutorio, *sperare sicut oportet*; ideoque spes tanquam dispositio justificationem præcedit, & ab ipsa sejungitur. Deinde proscripta est à Clem. XI. 57. propositio Quesnellii, *Totum deest peccatori quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*; quam secundam propositionis partem *de amore Dei regnante*, scilicet de charitate, quæ justificat, recte exponit Fulgentius Bellelli postremo in Opere Vol. 2. pag. 192. Præterea S. P. Augustinus Tract. 83. in Joannem spem aliquam esse *informem* aperte affirmat his verbis: *Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit.* Postremo qui inops est meriti, sed illud tamen cupit propria industria, aliorumque beneficio comparare, etiam sine præsumptionis nota præmium expectat, non absolute & immediate, sed conditionate, meritoque præmisso. Hoc enim pacto laudabiliter adolescentes literis dant operam, ut scientia præditi acquirant virtutis mercedem atque ornamentum; & qui potest augere divitias, sperat ampliorem rei domesticæ possessionem. Quamvis ergo iniquus & scelestissimus nullum habeat gloriæ meritum, quia tamen donec vita fungitur, potest à Dei munificentia gratiam & remissionem obtinere, perseverat in illo virtus spei, qua confidit se æternam vitam consecuturum, conditionate tamen, & si respiscat; nam alioqui foret hæc inanis fiducia, ac temeraria præsumptio.

4. S. Paulus & Augustinus quomodo de spe intelligendi.

Itaque dum Apostolus ait ad Rom. v. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*; & dum Augustinus docet serm. 31. de Verbis Domini, nunc 110. *Solis filiis spem esse*, & in cap. 8. Enchiridii, *Spes*

vero esse sine amore non potest, cujus generis plura occurrunt in aureis ipsius libris frequentissima: si amorem & charitatem accipiamus pro gratia sanctificante; non intelligenda sunt hæc, & similia de spe *informi*, sed de spe *viva*, qua aliquis expectat beatitudinem *per merita*, *quæ jam habet*, ut exponit S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 4. ad 3. & Fulgentius Bellelli loco citato. Quamquam Augustinum loqui de amore tantum inchoato scribant viri alii in Augustiniana lectione exercitatissimi, Guilelmus Estius paulo supra laudatus, Joannes Lensæus lib. VI. Summ. Christ. Piet. cap. 3. Florentius De Cocq. Tract. IV. cap. 5. aliique permulti. Sane spem esse cum aliquo amore constat, quoniam nihil speratur si nulla ratione diligitur, & quemadmodum spes humana & carnalis non est absque amore humano, & carnali, ita spes Christiano homine digna, & spiritualis non est absque omni prorsus amore spirituali & recto, amore scilicet sempiternæ felicitatis.

5. Quomodo spes permaneat in peccatoribus, Beatis, Animabus purgantibus, Dæmone, damnatis, & Hæreticis.

Liquet ex his Spei *habitum* etiam in magnis peccatoribus permanere, uti erat ante justificationem in Publicano, quem dum adhuc premebat conscientia, spes sublevabat. In Beatis spes, saltem quoad *objectum primarium*, non adest; nam inquit Apostolus ad Rom. VIII. 24. *Spes autem quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Et S. P. Augustinus cap. 8. Ench. *Spes autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum.* Existere adhuc in illis spem futuræ gloriæ corporis, in qua Deo adhæreant vehementiori dilectione, potest propugnari; quamvis mihi oppositum videatur verisimilius, & quia sublato objecto principe necessum non est permanere virtutem; & quia in beatis expectatio futuræ glorificationis non solum est firma certitudine spei, sed eriam certitudine immutabilis cognitionis, orta ex æternæ vitæ securitate, ac statu patriæ. Aliter de animabus in Purgatorio degentibus asserendum est; nam in his quemadmodum fides, ita spes manet proculdubio. At in dæmonibus ac damnatis, quoniam extrema miseria non compatitur rerum meliorum expectationem, etsi ad maximum cruciamentum perseverat inditus animo amor beatitudinis, nullum spes locum habet. Quid vero de hæreticis? Qualemcunque hi fiduciam jactitent, nequit esse spes Christianorum; nam destituti sunt fide, quæ est *substantia rerum sperandarum.* Hinc S. Pater Tract. 45. in Joannem num. 2. ait: *Non est autem cuiquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quod est Christus, & per januam intret in ovile.*

6. Probatur spem persistere in eo, cui divinitus revelata damnatio.

Vertunt in quæstionem Scholastici, an spes in eo persisteret ulla, cui divinitus facta esset futuræ damnationis revelatio. Ac affirmativam partem tenent Hurtadus, Azorius, Gavardi; negativam Gonet, Suarez, Salmanticenses, cum quibus in partes cæteri discissi sunt. Nituntur vero qui affirmativam sententiam propugnant argumentationibus istiusmodi. Primo, inquiunt, stat cum certa revelatione salutis timor, ut in Paulo ad Corinth. IX. 27. ideoque consistere potest spes cum futuræ damnationis revelatione. Deinde revelatio hæc nequaquam everteret testimonia apertissima Scripturarum, quibus Divina misericordia pœnitentibus repromittitur; & consequenter essent in eo casu Divina eloquia Christianæ spei basis ac fundamentum. Accedunt PP. docentes de nullo esse desperandum, quamdiu in hac mortali vita deget impius. Videtur denique niti hæc sententia rationi, quoniam in hac hypothesi teneretur quisque vitare peccata, & legem implere, non enim præscientia futuris affert necessitatem, nec arbitrium evertit, nec legis naturam immutat: imo posset quis reprobari ob peccatum desperationis, quod adhuc teneretur effugere; ac proinde semper ei incumberet sperandi præceptum.

7. Probatur non posse spem in eo persistere, cui revelata damnatio.

Oppositæ tamen sententiæ assertores suis minime destituuntur præsidiis. Ac primo proferunt auctoritatem Augustini scribentis lib. XXV. de Civ. Dei cap. 15. Ecclesiam, si sciret quinam sint reprobati, pro eis non oraturam, *quemadmodum non orat pro dæmone.* At oratio spei invictissimum est argumentum. Addunt eundem Augustinum lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 17. & 18. affirmare Angelum non præscisse proprium lapsum, quia aliàs non posset sperare. At S. P. eo loci disputat adversus Genethliacos propugnatores fati, quo sane orandi causa & spes auferretur; unde locus ille ad hanc rem nihil valet. Producunt & D. Thomam q. 23. de Verit. art. 8. ad 2. ubi ait Deum non posse ordinata potentia revelare alicui suam damnationem, *quia talis revelatio cogeret eum desperare.* Addunt validam rationem, quia actus spei dependet à practico judicio, quo æterna salus nedum percipiatur possibilis, sed etiam proponatur tanquam probabiliter futura; *spes* enim, ut Augustinus ait, *est futurorum.*

Alio-

Alioqui si ad excitandam spem sat esset metaphysica beatitudinis possibilitas, sperare possent etiam dæmones ac damnati.

8. Revelatio de damnatione foret tantum comminatio, & sic non deberet spes deponi,

Sententia nostra est non posse hujusmodi casum contingere in hac rerum constitutione, in qua Deus decrevit unumquemque, quamdiu vivit, posse consequi salutem, præcepitque singulis ut gratiam & gloriam à Divina misericordia expectent: unde si alicui fieret damnationis revelatio, hæc nonnisi comminatio foret, & accipienda de rebus sic stantibus, nimirum si ad meliorem frugem non revocaretur peccator. Quare revelatione accepta non spem deponere deberet, sed Ninivitarum exemplo in cinere & cilicio agere pœnitentiam. Ille enim, qui iniquo diceret, *Imminet tibi inevitabilis perditio*, ait quoque: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Atque idem docet citato loco S. Thomas, necnon S. Bonaventura in 1. dist. 48. & in libro de Judicio animæ Richelius. At nonne, inquiunt, revelavit Deus sempiternum interitum Antichristi? Utique: præmonuit quomodo seductor ille dignoscetur, ait futurum ejus adventum in signis, & prodigiis mendacii, exitum ipsius miserrimum prænuntiavit. At quis Antichristum salvum fieri speraret? quis pro ipso oraret Deum? De Antichristo itaque, & cæteris hominibus impiis dissimilis ratio est; quia ille in hac rerum serie, in hac Scripturarum sanctarum revelatione est filius perditionis manifestus; alii occulti sunt, iisque indictum ut convertantur, ut ingemiscant, ut sperent.

9. Revelatio autem de absoluta potentia foret definita & immutabilis sententia.

At si de absoluta, ut inquiunt, potentia hæc fieret revelatio, nec in dubium posset revocari, nec esset comminatio, sed definita & immutabilis præscriptio ac sententia; subscribo iis, qui tenent spei locum non superesse: quoniam spei *objectum* non est bonum duntaxat possibile, sed quod apprehenditur tanquam futurum. Quis autem futurum esse probabili ratione percipiat, quod certa præscientia non futurum præsensit? Neque enim invictæ sunt argumentationes contrariæ. Nam Paulus dum ad Corinthios scripsit, non habebat plenam salutis suæ certitudinem, ut Gregorii Magni, & Prosperi auctoritate demonstrant Estius, Menochius, Tirinus, A Lapide, Tom. xv. Bibl. Max. pag. 473. Quamquam dicere poterat, *Castigo corpus meum &c.* non pertimescens damnationem, sed commonstrans afflictationes corporis ad illam evitandam requiri. Scripturæ, ac Patres universim loquuntur, rebusque sic stantibus: non vero in hypothesi, de qua disceptatur, nec de homine impio singillatim, ac in individuo. Ratio denique nihil evincit, quoniam ut quis teneatur ad implenda præcepta sufficit quod hæc possibilia sint, vigeatque libertas: at ad spem excitandam non sat est beatitudinem esse possibilem, nisi etiam prudenter apprehendi possit tanquam futura. In illa ergo hypothesi, quamvis nemo posset desperare *ex motivo contrario spei theologicæ*, ut inquiunt Salmanticenses, scilicet ex parte omnipotentiæ, & misericordiæ Dei, quod sane scelestum esset atque nefarium; nihilo tamen minus sperare non posset ex eo capite, quod beatitudo non esset futura, neque ut talis posset prudenti judicio proponi. Sed adeat qui adhuc dubitatione distrahitur recensitos, accuratissimosque Scriptores.

10. Extra hypothesin tenetur quisque sperare gratiam & gloriam.

Hac, quæ nunquam re eveniet, excepta hypothesi, tenetur quilibet sperare à bonorum omnium largitore gratiam & gloriam. Nam Paralip. 1. cap. x. 14. inter iniquitates Saul ea præsertim perstringitur, quod *non speraverit in Domino.* Sublata spe immortalitatis impios noxias tantum appetere voluptates, liquet ex cap. 2. Sapientiæ: & Alex VII. eam propositionem confixit: *Homo nunquam ullo vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum.* Revera quis non videat spem à nobis exigere Divina promissa, sacra eloquia, accepta hactenus beneficia, & in omnes profusam Salvatoris nostri Dei charitatem, misericordiam, & redemptionem? Sperandum est ergo, ac præsertim dum accedimus ad Sacramentum reconciliationis, & dum ad januam magni Patrisfamilias oratione pulsamus; nam spem ad justificationem disponere definit Sess. vi. cap. 6. Synodus Tridentina; & orationem esse spem, ac *desiderium pauperum*, ait in Psalmo ix. 17. regius Vates.

11. Unde sperantium fiducia & certitudo desumenda.

At quanta est sperantium certitudo ac fiducia? Maxima quidem, ac multiplici ex capite orta. Primum ex tam apertis Dei in sacra Scriptura promissis, de quibus Apostolus 2. ad Timoth. 1. 12. *Scio cui credidi & certus sum, &c.* & Augustinus in Psalm. 123. num. 2. *Spes autem nostra tam certa est, quasi jam res perfecta sit; neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli potest, nec fallere.* Deinde ex Christi Redemptione, dicente Apostolo Petro Epistola 11. cap. 1. 3. *Secundum miseri-*

ricordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem JEsu Christi ex mortuis; & S. Pater in 1. de Doctr. Chr. cap. 15. *Quanta se fiducia spes credentium consolatur considerans quantus quanta pro nondum credentibus passus sit*! Vide & serm. 157. alias 23. de Verbis Apostoli. Præterea ex collatis in nos innumeris benefactis, & accepta præsertim baptismatis gratia, & mortis Christi beneficiis quamplurimis: unde Paulus ad Rom. v. 5. *Spes*, inquit, *non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris:* & magnus Augustinus in Psalmum 148. num. 8. *Promissionis Dei tales arrhas accepimus, tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi, &c.* Atque ex his liquet quam imbecillis sit & infirma terrena spes, cujus nec objectum est certum, nec incommutabile, nec summe bonum: sponsor autem infidus, impotens, iniquus, & sine arrha, sine vade, sine futurorum eventuum præscientia.

12. Certitudo spei timorem includit.

Hæc tamen certitudo spei salutarem timorem minime excludit; ut adversus Heterodoxos demonstravi Tom. III. pag. 342. Cavenda est ergo inanis jactantia, ac temeraria præsumptio: & juxta Apostoli monitum ad Philipp. II. danda bonis operibus opera, *cum timore & tremore:* apprehendenda est disciplina, *ne quando irascatur Dominus*, ut inquit David Ps. 2. & humilitas exercenda, *ne homo, dum quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est*, ait de Nat. & Gratia cap. XXXII. num. 36. præstantissimus morum magister Augustinus. Illustria sunt etiam, nec prætermitti debent, verba S. Hieronymi de Custodia Virginitatis ad Eustochium. *Nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorem. Onusta incedis auro, latro tibi vitandus est. Stadium est hæc vita mortalibus, hic contendimus ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in cœlo: & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & spinas, quam serpens comedit?* Et infra: *Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum, nulla est certa victoria.* Plura ibidem Hieronymus scite & eloquenter, etsi affirmat nullam esse in illa Epistola *Rhetorici pompam sermonis.* Ex quibus patet quod definitum est alibi, certitudinem spei conditionatam esse, neque hæsitationem, & formidinem omnem expellere.

CAPUT XII.

Timorem Domini esse bonum, & commendandum.

SUMMARIUM.

1. An timor servilis sit bonus, utilis, & Donum Dei.
2. Quid timor naturalis, voluntarius, & rationalis, mundanus, servilis, filialis, & castus.
3. Timor servilis alius servili er servilis, alius ordinatus, & rectus.
4. Propositio 1. Timor mundanus vanus, perversus, & noxius est.
5. Propositio 2. Timor servilis ut bonus, utilis, supernaturalis. & Donum Dei.
6. Varia bona ex timore proveniendia.
7. Timor servilis est initium sapientiæ, donum Spiritus S. & non est peccatum.
8. 9. 10. & 11. Objectionum solutiones.
12. Probatur 3 Propositio.
13. Quomodo timor in sæculum sæculi permaneat.

1. An timor servilis sit bonus, utilis & donum Dei.

POST Lutherum, etiam Jansseniani pessime de timore Domini disseruerunt: quos præstat breviter hoc loco refutare: nam utrum timor ad talem perfectionis gradum perveniat, ut excludat omnem voluntatem peccandi, & sufficiat ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, non est loci hujus definire. Ostendam duntaxat timorem, quem *servilem* appellant, esse substantiâ suâ bonum, utilem, donum Dei, neque reddere hominem impium, neque viam sternere ad desperandum, neque sibi repræsentare Deum tanquam durum & intractabilem; ut hæretici, novique dogmatistæ contendunt. Exponam autem veram Augustini sententiam, quam præ cæteris assecutos arbitror beatum Thomam 2. 2. q. 19. D. Bonaventuram in III. dist. 34. p. 2. Aegidium nostrum lect. 25. in cap. 8. ad Romanos, Estium in distinct. 34. lib. 3. Joannem Morinum in posthumo Opere de Contrit. cap. 4. Christianum Lupum in Tract. ejusdem argumenti cap. 15. & ne cæteros persequar, Fulgentium Bellelli lib. v. adversus Bajanam & Jansenianam hæresim; tametsi ex uno Augustino curabo controversiam dirimere.

Ac

2. Quid timor naturalis, voluntarius & rationalis, mundanus, servilis, filialis & castus.

Ac principio timoris species accurate sunt distinguendæ. Alius est ergo timor naturalis incussus à malo, quod unusquisque naturaliter refugit, nec imperatus à voluntate; alius rationalis & liber, elicitus ex aliqua cognitione & amore. Naturalis timor passio animi potius dicendus est, quam liber ipsius animi motus: unde nulla ratione potest inter peccata connumerari, scribente Augustino q. 77. inter LXXXIII. *Omnis autem passio, in quantum ipsa passione patimur, non est peccatum; sic & si patimur timorem, non est peccatum.* Timor autem voluntarius & rationalis est, qui ex libero amore proficiscitur: vel ex amore, quo animus inhæret bonis fluxis ac mutabilibus, tanquam ultimo fini; vel ex amore sui ipsius; vel ex amore simul sui ipsius, & Dei; vel ex amore Dei tantummodo. Primus dicitur timor *mundanus:* de quo ait S. Pater in Psalmum 127. num. 7. *Tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illius ægritudo accidat, ne damnum, ne alicujus amissio chari, ne exilium, damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio.* Alter est timor *servilis*, de quo ibidem Augustinus: *Alius timet unde territ & Dominus. Audistis cum Evangelium legeretur, Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato: timent quidem, sed non amant justitiam.* Tertius est timor *initialis* medius inter servilem & castum, quo abstinens se à malo ob timorem pœnæ concipit aliquem Dei amorem, de quo sequitur Augustinus: *Cum autem per timorem continet se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amare.* Postremus est amor *filialis & castus*, non alia ratione timens, nisi quatenus filii timent offensam patris, & casta sponsa timet ne illam sponsus deserat; de quo S. Pater ibidem: *Jam incipit propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, sed successit timor castus.*

3. Timor servilis alius serviliter servilis, alius ordinatus & rectus.

In timore ergo *servili*, qui ita appellatur, quoniam servorum est ob timorem pœnæ dominis obtemperare, intervenit fides eundem timorem excitans, dum gehennam impiis proponit, æternumque supplicium, & amor quo rationalis homo bene sibi ipsi vult esse futuro in sæculo. Secundum hunc amorem timor inordinatus esse potest, atque, ut vocant, *serviliter servilis*; si nempe timens sui ipsius delectatione fruatur, atque ea de re pertimescat quidquid sibi tale damnum infert, nullam sentiens honestatis & justitiæ delectationem. Potest etiam esse ordinatus & rectus; quia potest formidare gehennam ob sui amorem, qui non sit vitiosa cupiditas, nec summum bonum sibi ipsi postponat, sed ita se ipsum diligat, ut in summi boni comparatione sibi ipsi vilescat. Quare *servilitas* ad substantiam timoris non pertinet; sed potest à timore *servili* sejungi: quoniam potest quis ita timere gehennam, ut tamen semetipsum non diligat inordinate. Timor ergo *servilis* naturâ suâ respicit duntaxat sempiternum gehennæ supplicium, & recte definitur ab Augustino serm. 18. de verbis Apost. nunc 161. cap. 9. num. 9. *Servilis timor est, quo times cum diabolo ardere.* Sed an id timeatur ob vitiosam cupiditatem, sive ob directum amorem sui, ad substantiam timoris non attinet. Quibus prænotatis sit.

4. Propositio I.

PROPOSITIO I. Mundanus timor vanus est, perversus, & noxius.

Probatur timorem mundanum vanum perversum, & noxium esse.

Ita sacræ literæ, Augustinus, omnesque Theologi. Divina enim Scriptura suadet, ut istum à nobis timorem pellamus. *Nolite*, inquit Dominus Mat. x. 28. *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et Petrus Epist. prima cap. III. 14. *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* S. P. Augustinus citato serm. 161. num. 7. ait: *Timor vanus est omnium hominum timentium amittere temporalia, quandoque migraturorum, & migrare trepidantium, volentium semper differre quod non possunt auferre. Vanus est iste timor hominum, & tamen est, & vehemens est, & resisti ei non potest. Hinc increpandi, hinc objurgandi, hinc lugendi homines timentes mori, & nihil aliud agentes, nisi serius mori.* Theologi idem probant, quoniam cum timor oriatur ex amore, *metuendi enim causa est, ne quod amamus aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum*, ut docet idem Augustinus q. 33. inter LXXXIII. nec non S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 3. mundanus timor procedens ex noxia cupiditate, & amore, quo rationalis creatura hæret tanquam fini fluxis bonis, nonnisi *ex vita a radice* gignitur, & malus est. Advertas tamen, quod si hujusmodi timor naturalis sit, neque ex perversa cupiditate, & præ-dominante rerum creatarum dilectione oriatur, nequaquam culpandus est, sed est innoxia *passio* naturæ imbecillis, atque infirmæ; ut paulo supra diximus

cum Augustino. Illud quoque animadvertas non esse timorem mundanum & malum eum, quo aliquis timet sæcularem potestatem, judicemque terrenum; dummodo hunc timeat, quatenus à Deo constitutus est, nec *sine causa gladium portat*, ut ait Apostolus ad Rom. XIII. 4. *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Nam istiusmodi timor rectæ rationi consentaneus est, neque naturâ suâ excludit amorem justitiæ. Sed ille est timor mundanus, qui innixus temporalium bonorum cupiditati corporis vitam vitæ animæ, & corporis interitum præfert gehennæ suppliciis; ideoque nec recta ratione ducitur, neque ullo amore æquitatis. *Timet enim carcerem, & non timet gehennam, timet quæstionarios tortores & non timet infernales angelos, timet cruciatum temporalem & non timet pœnas ignis æterni, postremo timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori:* inquit S. Pater eodem serm. 161.

5. Propositio

PROPOSITIO II. Timor servilis est bonus, utilis, supernaturalis, & donum Dei.

Probatur timor servilis ut bonus, utilis, supernaturalis, & donum Dei.

Hoc etiam commonstrat Divina Scriptura, Augustinus, cœtusque Orthodoxorum Scholasticorum. Et quidem ipse Dominus, postquam Mat. x. humanum timorem reprehendit, ad servilem his verbis hortatur, *Sed potuis timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Atque de hoc timore legitur Prov. XIV. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Et Isaiæ XXVI. 18. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus spiritum.* S. Pater laudato sermone 161. num. 8. adductis Evangelicis verbis, *Modo*, inquit, *cum dicis mihi, Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem:* paucisque interjectis: *Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem ingeminaverit, dicturus ego sum, Male timet ista? Non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.* Et in Psalmum 127. num. 8. delineato timore servili, quo aliquis *non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam*, de ipsomet timore inquit: *Bonus est & ipse timor, utilis est.* Eundem timorem commendat S. P. in libro de sancta Virginitate cap. 38. De Catechiz. rudib. cap. 5. num 9. serm. 13. de Verbis Apost. nunc 156. cap. 13. aliisque in locis. Et Augustino aperte consentiunt Tertullianus cap. 12. de Pœnit. Cyprianus de Lapsis, Basilius Hom. in Psalm. 33. & Patres omnes. Theologica autem ratio est, quod hunc timorem, ut diximus, excitet fides supernaturalis, qua credimus futurum judicium, & sempiterna reproborum supplicia, coerceat à malo, ac plura afferat salutis virtutisque adjumenta mox ex Augustino enumeranda: atque ex alia parte nullam naturâ suâ inferat perversam cupiditatem, respiciatque tantummodo pœnas à justo Judice reprobis infligendas, quas sine ulla noxia delectatione possumus pertimescere.

6. Varia bona ex timore provenientia.

Inter bona autem provenientia ex timore primum est, quod *saltem intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem*, ait S. Pater lib. 2. contra Epist. Petiliani cap. 83. Alterum, quod ita malam cupiditatem coercet, ut impium contineat, & quasi pædagogus legis, & animæ custos, *volentem peccare animo interiore non sinat.* Serm. de verbis Apost. 18. num. 8. Tertium, quod cohibendo cupiditatem, & continendo ab externo peccati actu eradicat habitus pravos frequentatione malorum actuum ingeneratos; & *præmissus timor in cor nostrum pellit inde consuetudinem malorum operum:* Epist. 120. ad Hon. nunc 140. Proximum, quod viam sternit charitati, quoniam *ex eo quia mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare:* Tract. IX. in Epist. Joannis num. 5. Postremum, quod adversus tentationes corroborat, dum ne impius relabatur in pristinum, instat Dominus *in occultis severa misericordia flagella ingeminans timoris, & pudoris:* Lib. VIII. Confess. cap. 11. Quamquam vero huic timori aliqua imperfectio permixta est, quoniam, auctore eodem Aug. de Nat. & Grat. cap. 57. ille, *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sensit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus à voluntate peccati*; id tamen non timoris vitium est, sed timentis, qui adhuc visco cupiditatis detentus timet ne damnetur, ne puniatur, ne crucietur, non vero ne offendat gaudium paternum, ne displiceat oculis amantis. Quod ubi paullatim exuit introeunte delectatione justitiæ, timor *servilis* fit *initialis*, remanetque substantiâ idem, *servilitate* abjectâ. Hæc proinde *servilitas*, quatenus congiutinata est pravæ cupiditati, non est à Deo, à quo tamen est timor in-

incussus horrore gehennæ : quod affirmarunt etiam Scholarum lumina S. Thomas, & D. Bonaventura : quorum ille 2. 2. q. 19. art. 4. ait : *Dicendum quod timor servilis ex parte servilitatis habet quod sit malus :* quod probat, *quia contra rationem servilitatis est quod aliquis ex amore operetur*; alter vero de VII. donis Spiritus sancti : *Timor dicitur servilis, quo quis magis timet pœnam, quam culpam : qui secundum essentiam dicitur esse à Deo, non tamen sub ratione qua servilis est, &c.* His subscribit cum Theologis, qui de Augustini nomine gloriantur, Estius in III. dist. 34. §. 7. dicens : *In timore servili duo consideranda, timor & servilitas; quorum alterum bonum est, alterum malum*, eadem allata ratione, *quod servilitas ista contraria sit charitati.* Verum hæc *servilitas*, ut præmonui, non est de essentia timoris, ideoque non efficit quin sit substantiâ bonus, supernaturalis, & donum Dei; quemadmodum fides supernaturalis & utilis est, licet *informis; quia*, ut inquit ibidem S. Thomas, *servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis*; sive quia *timor servilis secundum se non importat nisi timorem pœnæ.*

7. Timor servilis est initium sapientiæ, Donum Spiritus S. & non est peccatum.

Liquet ex dictis etiam hunc timorem esse *initium sapientiæ;* quoniam hinc incipit peccator resipiscere, dum timor parat locum charitati, & sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, *sic timor primo occupat mentem, ut introducat charitatem.* Ita docet Augustinus cit. Tract. IX. in Ep. Joan. num. 4. Et S. Franciscus Salesius Tract. de Amore Dei lib. V. cap. 16. Consequitur etiam esse donum Dei, & supernaturalem, quia alioqui non disponeret ad gratiam; ideoque merito Alex. VIII. perstinxit illam propositionem, *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Num vero sit connumerandus inter septem dona Spiritus sancti, licet sit à Spiritu sancto, DD. non consentiunt. Negat S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 9. cui plures subscribunt cum Florentio De Cocq Tract. 4. cap. 5. sect. 6. & Bellelli citato libro 5. cap. 3. propterea quod *servilis* timor pellitur à charitate, & habet annexam aliquando voluntatem peccandi. At affirmat S. Bonaventura in III. dist. 34. p. 2. art. 1. & Salesius eodem lib cap. 18. nec dissentit Estius in eandem dist. §. 7. quibus & ego assentior, nam *servilitas*, quæ à charitate pellitur, non est de essentia timoris, sed affectio timentis : ideoque D. Thomas loquitur de timore *servili* reduplicative, ut *servili;* nam substantiam timoris *servilis* cum charitate permanere docuerat præcedenti artic. 6. Sequitur tertiò jure Tridentinam Synodum definivisse sess. 6. can. 8. hunc timorem non esse peccatum, neque peccatores pejores facere, & eadem sess. cap. 6. nec non 14. cap. 4. docuisse esse donum Dei, & hoc timore utiliter iniquos concuti, & ad gratiam disponi : rectissime denique proscriptam à Clem. XI. in Bulla *Unigenitus* propositionem 60. Quenellii cum septem sequentibus, timorem gehennæ tanquam exitialem, nihilque boni afferentem temere deprimentis.

8. Objectio 1. & Solutio.

Corruunt ex his adversariorum argumenta omnia. Objiciebat Lutherus in Apologia articulorum suorum quod scribit Paulus ad Romanos V. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*, id accipiens de effectu legis, id est, de incussu pœnarum metu. At fallitur seductor. Aliud enim lex præstat : redarguit nimirum prævaricatorem, ut convictus ad Dei gratiam confugiat, sine qua lex nec affert justitiam, nec efficit quin magis concupiscentia exardescat : ut ait S. Pater q. 166. super Exodum, & de Sp. & lit. cap. 6. explanatque luculenter Estius in Paulum. Plura & nos de hoc Pauli loco adversus vituperatores legis pag. hujus voluminis 28.

9. Objectio 2. & Solutio.

Addunt hæretici verba Joannis Epist. 1. cap. IV. 18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* At hujus loci sensus legitimus est, quod dum timor excruciat animum, nisi per Spiritum sanctum charitas in cordibus nostris diffundatur, perseverat cordis nequitia. *Timor non est in dilectione, sed perfecta dilectio foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Torquet cor conscientia peccatorum, nondum facta est justificatio*; ait Sanctus Pater Tract. IX. in Epist. Joannis num. 4. Deinde significat Apostolus charitatem, quantum perficitur, tantum pellere timorem, non inspecta timoris substantia, & objecto, est enim etiam timor Sanctorum; sed spectata *servilitate*, & defectu quem importat non essentia sua, sed ex prava dispositione timentis; adeoque primum peccator concutitur timore gehennæ, sed adhuc prava detinetur cupiditate : tum incipit delectare justitia, & ad timorem pœnæ accedit detestatio offensæ : deinde hæc expiatur, regnatque charitas justificans : posthac perseveratur in gratia, & persistit timor ad charitatis custodiam tentationesque pellendas,

das, veluti in maris tranquillitate, inquit Salesius citato lib. v. cap. 17. remi, & dolones, si forte procellæ insurgant; ac denique in patria, ubi est charitas consummata, & secura, etiam hæc solicitudo, sive custos timor deponitur. Igitur charitas quo magis perficitur, timentis corrigit, roboratque infirmitatem, ita tamen ut timoris substantia cum ipsa charitate persistat. Recte Augustinus serm. 161. n. 9. *Illa intrante incipit timor exire: quanto plus illa intraverit, tanto timor minor erit. Intrat ergo charitas, pellit timorem, non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum castum permanentem in sæculum sæculi.* Demum timor, qui à charitate omnino pellitur, est timor mundanus, & noxius: de quo S. Pater in libro de S. Virgin. cap. 38. *Timor*, inquit, *non est in charitate; sed perfecta, sicut scriptum est, charitas foras mittit timorem, sed timorem hominum, non Dei, timorem temporalium malorum, non Divini in fine judicii. Noli altum sapere, sed time: ama Dei bonitatem, time severitatem.*

10. Objectio 3. & Solutio.

Præterea opponunt, Augustinum sæpenumero affirmare timorem tormentum habere, ut cit. Tract. 9. num. 4. timentem ardere igne sempiterno laudandum non esse, ut producto serm. 161. n. 8. non fieri ex corde quod fit formidine pœnæ, ut in Ps. 77. num. 10. & alia consimilia. At liquet ex præmissis id non ex timore proficisci, sed ex *servilitate* timentis, qui etiam timore perculsus retinere potest malam cupiditatem, quæ ad substantiam timoris non pertinet, sed per accidens, & ex prava timentis dispositione ei annectitur, cujusmodi est in fide *informitas*. Verum *servilis* timor etiam nondum *servilitate* depulsa, *bonus est, utilis est;* inquit S. Pater in Ps. 127. num. 8. *continet te, & volentem peccare animum interiorem non finit;* addit eodem serm. 161. n. 8. *locum præparat charitati;* ait Tract. 1x. in Epist. Joan. n. 4. Quomodo ergo filii perditionis asserunt timorem nihil prodesse? Igitur in eodem Tract. 1x. Augustinus docet timorem habere tormentum, quia *torquet cor conscientia peccatorum*: quia *sic vulnerat, quomodo medici ferramentum; putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere*: quia vulnus *plus dolet cum curatur, quam si non curetur*: In serm. autem 161. non ait laudandum non esse timorem, quem ibidem num. 7. appellat *utilem*, & n. 8. *custodem legis*: sed inquit: *Quia times ardere in igne sempiterno, nondum laudandus es: non quidem ita dolendus ut ante, sed tamen nondum laudandus.* Audin? Non te pejorem reddidit timor, cum non sis, ut antea, dolendus. Nondum tamen laudandus es, quia etsi bene timeas, nec sit aliquid, *quod magis timere debeas*, adhuc peccati labe inquinaris, & *formido est mali, nondum dilectio boni*: quod non est vitium timoris te custodientis, sed pravitas tui, nondum habentis *amorem non peccantem, amorem bene viventem.* Ita quod fit formidine pœnæ, non fit ex corde; quia *quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant iustitiam non furantur, & ideo pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate.* At cor pravum, & voluntatem malam nunquid tibi indidit timor? Invenit; atque ut curet vulnerat, stimulat, torquet, & quomodo medici ferramentum secat, ut succedat *charitas sanitas.* Bonus ergo timor, malum timentis cor iniquitate tabescens.

11. Objectio 4. & Solutio.

Denique objiciunt: Servilis timor provenit ex amore sui. Est ergo pravus. At falsa est consequentia. Nam amor sui non est semper inordinatus, & noxius. Si quis diligat se absque ullo ordine in Deum, perverse diligit: & dum illi incutitur timor gehennæ, hanc timet *ut principale malum*, & quia ipsum à voluptuaria vita, & temporalibus bonis sejungit. Malus timor. Si ordinate se diligat, timet gehennam, sed *non tanquam principale malum*, quia magis timet offensam Dei. Bonus timor. Sane timor *servilis* comparari potest ad *objectum*, scilicet ad pœnam impio infligendam, & ad *subjectum*, nempe ad timentem. Ab *objecto* mutuatur naturam *timoris*: à subjecto habet quod sit *servilis*, si regnet ibi prava cupiditas; quod sit *initialis*, si timeatur pœna, & inchoate diligatur justitia; quod sit *filialis*, si timeatur offensa patris, ac pœna in quantum ab illo separat. Amor ergo sui inordinatus non est de substantia & essentia timoris, quæ in quolibet *habitu* attenditur ex objecto; sed ad timorem indifferenter se habet: ideoque timor *servilis* substantia sua bonus est, & permanet etiam cum charitate; licet *servilitas*, sive pravus amor, per quem timens est adhuc servus peccati, sit mala; ut supra diximus. Atque hæc doctrina est D. Thomæ 2. 2. q. 19. art. 4. & D. Bonaventuræ in 111. dist. 34. p. 2. art. 1 q. 2. & 3. Ideoque dum Augustiniani Theologi propugnant in timore

ser-

servili esse aliquod vitium, quod se tenet ex parte timentis, non timoris; nec latum unguem distant ab Augustino, præcipuisque Scholæ Luminibus.

12. Propositio 3. PROPOSITIO III. Præ cæteris laudandus est timor castus, quo timet anima ne à Deo deseratur.

Probatur. De hoc enim timore legimus in Psal. XVIII. 10. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Hunc Augustinus serm. 161. num. 9. ait esse timorem charitatis. Eundem Tract. IX. in Epist. Joannis n. 6. & in Psal. 127. num. 8. comparat timori castæ uxoris timentis ne deseratur à sponso. De ipso timore proximo num. 9. sic loquitur: *Si diceret Deus, Faciem meam nunquam videbis: ecce omni ista terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris; quid vis amplius? Fleret quidem, & gemeret timor castus, & diceret, Imo tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret; Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret, Unam petii à Domino. Vide quomodo ardeat amor iste castus, amor verus, amor sincerus.*

13. Quomodo timor in sæculum sæculi permaneat.

Si quæras quomodo timor permaneat in sæculum sæculi; Respondeo pelli paulatim, ut diximus, à charitate imperfectionem timoris; cumque timor respiciat aut pœnam infligendam, aut patris offensam, aut majestatem cui reverentia exhibenda est; ac timor *servilis* spectet duntaxat pœnam, timor *initialis* pœnam simul & offensam, & timor denique *filialis* offensam ac reverentiam: in Patria, ubi regnat perfecta charitas, tollitur timor pœnæ & offensæ, permanetque timor reverentiæ; ideoque in beatis neque est timor *servilis*, neque *initialis*, neque *filialis* in quantum metuit offensam; sed tantum ut reverentiam Deo exhibendam præscribit. Atque ita secundum præstantiorem effectum *timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.*

CAPUT XIII.

Brevis Dominicæ Orationis Expositio.

SUMMARIUM.

1. Quid sit oratio.
2. Cur in oratione Dominica præmittatur: *Pater noster, qui es in cœlis.*
3. Petitio 1. Orationis Dominicæ.
4. usque 9. Petitiones reliquæ.
10. Amen quid dicat.

EA ad spem pertinere, quæ in oratione Dominica continentur, recte asseruit S. Pater cap. 114. Ench. num. 30. De oratione ergo, quæ Christianam spem fovet, atque exercet nonnulla dicam, præsertim de Oratione Dominica cæteris ob auctoritatem Institutoris, ob petitionum ordinem, æquitatem ac plenitudinem, & ob gravitatem brevitatemque verborum præferenda. Ac de oratione in genere plura Mystici. Eam definiunt aut cum Damasceno lib. III. de Fide Orthod. cap. 24. *Oratio est ascensio mentis ad Deum*; aut cum eodem Dam. ibidem, & cum D. Th. 2. 2. q. 83. art. 1. *Oratio est decentium à Deo petitio*; aut cum Augustino in Ps. 85. *Oratio est locutio hominis ad Deum.* Petuntur vero quæ decent, dum servatur ordo desiderii & amoris, & animus *temporalibus æterna præponit*; ut idem Augustinus docet Epist. 130. ad Probam num. 14. Hunc ordinem ipsa Dominica Oratio tenet, atque commonstrat. Eapropter etiam

1. Quid sit oratio.

sine lingua quis orat, dum recte diligit. Demonstrat orandi necessitatem Divinum præceptum, nostra à Deo dependentia, & divinarum gratiarum, maxime finalis perseverantiæ libera Dei collatio. Videatur S. Pater de Peccatorum meritis lib. II. cap. 4. De Corrept. & Grat. cap. 3. num. 5. Serm. 164. num. 12. Excitat in orantibus fiduciam ac spem quod Dei misericordia orantes prævenit, quod plura non rogatus donavit, vitam, rationalem animam, redemptionem, baptismum, filiorum adoptionem; quod Veritas dixit Joannis XVI. 24. *Petite, & accipietis*; quod denique ipse Christus sit hominum apud Patrem Mediator, & Patris apud homines fidejussor. At de his plura agentes de Mystica Theologia. Itaque nos brevi Orationem Dominicam explanabimus, ut fecimus de Symbolo spectante ad Fidem pag. 237. & de præceptis Decalogi pertinentibus ad Charitatem pag. 39. ut spem firmam fidelium anchoram orantes exerceamus.

Quæ subjicimus deprompta sunt ex Cypriano Tract. de Orat. Dom. Aug. citata Epist. at Probam, de Dono Persev. & libro 2. serm. Dom. in Monte, ex Commentariis in Matth. Lyrani, Estii, & Menochii, ex Venantio Fortunato in Expositione hujusmet Orat. & ex duobus illustribus Augustinianis Scriptoribus Augustino Triumpho, & Angelo Rocca, ex lib. 1. Martene de Antiq. Ritib. cap. 1. art. 12. & cap. IV. art. 11. Hi omnes Exegesim nostram collustrabunt.

2. Cur in oratione Dominica præmittatur Pater noster qui es in cœlis.

Præmittitur in hac Oratione præfatiuncula, *Pater noster, qui es in cœlis.* Aug. de serm. Domini in M. lib. 2. num. 15. docet usurpari *Patris* nomen ad benevolentiam conciliandam, & n. 16. ad excitandam charitatem. Apud Martenem in Expos. antiqui Missal. Gallic. dicitur vox plena libertatis, & plena fiduciæ: Lyranus id præmitti docet ob creationem, & gratiam adoptionis. Addit Augustinus Triumphus titulum gubernationis spectantis ad Patremfamilias. Estius notat quoque legis gratiam; quod veteres Patriarchæ Deum orantes minime uterentur Patris appellatione. Idem Angelus Rocca, animadvertens commendari his verbis legem amoris. Pronomen *noster* Aug. ibidem positum declarat, ut nos fratres esse cognoscamus: ideoque nullus hac oratione orat pro se tantum, ut animadvertit Venantius Fortunatus. Dicitur *Qui es in cœlis:* id est, juxta Augustinum ibi. n. 17. in sanctis & justis: non enim spatio locorum continetur Deus. Lyranus putat cœlos connumerari, quia ibidem Sanctos glorificat, tametsi ubique est per essentiam, præsentiam, potentiam. *Cœli* dicuntur plurali numero, quoniam non habent in Hebraica lingua singulare, inquit Estius.

I. Petitio.

3. Petitio 1. Orationis Dominicæ.

Omnium quæ petuntur primum est, *Sanctificetur nomen tuum.* Sic petitur, ut Dei nomen sanctum habeatur ab omnibus, ait Augustinus eodem lib. 2. num. 19. ut nomen ejus sanctificetur in nobis, addit ex Cypriano de Dono Persev. cap. 2. num. 4. ut benedicatur incessanter omnium linguis, & universis in locis, inquit Venantius: ut sanctificetur in nobis nostro actu, ait Expositio Anonymi ante annos nongentos apud Martenem: ut sanctitas ejus eluceat in creaturis, exponit Lyranus: ut longe lateque fama ejus pervadat, eique omnes obtemperent, explicat Estius. *Sanctificetur* dictum est, non *manifestetur;* quoniam Dei notitia omnibus naturaliter indita est, inquit Augustinus Triumphus. Oratio autem contestatio est gratiæ, ait S. Pater de Perfect. justit. cap. XIX. num. 40.

II. Petitio.

Sequitur, *Adveniat regnum tuum:* quibus verbis petimus primo, ut Dei regnum per doctrinæ propagationem manifestetur hominibus, ait Aug. de serm. Dom. num. 20. deinde ut perveniat ad nos beatitudo Sanctis omnibus præparata, inquit Cyprianus, & idem Augustinus de Dono Pers. num. 5. tum ut adveniat Christus Dominus universos judicaturus, ait Venantius: id tamen ratione beatitudinis, non supplicii; quoniam istud non spei objectum est, sed timoris, ut animadvertit Aug. Triumphus. Amplissima est petitio, at non præsumptuosa nimis, quia regnum illud nobis paratum est à constitutione mundi, ut habetur in Evangelio, & Christi sanguine ac passione acquisitum est, inquit vetus interpres apud Martenem. Humilitatis nostræ argumentum est, quod petimus ut prius ad nos veniat, quia viribus nostris assequi illud non possumus; ita Lyranus. Estius causam affert, cur in hac, & in præcedenti petitione non apponitur *nobis*; quia nempe oramus ut perveniat etiam ad alios. 4. Petitio 2.

III. Petitio.

Tertia petitio est, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Ad Divina præcepta refertur ab Augustino, maxime ad charitatem, per quam Angeli in cœlis Deo adhærent: de Serm. Dom. num. 21. addit num. 22. *sicut in justis, ita etiam in peccatoribus:* & num. 24. *sicut in Domino, ita & in Ecclesia.* Similia Triumphus cœli nomine intelligens Christum, Angelos, justos. Multa fiunt in terra pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro desiderio carnis, inquit antiqua apud Martenem Expositio. At in cœlo nil fit, nisi ob Dei gloriam. Commendatur etiam hac petitione gratiæ necessitas apud August. de Dono Persev. num. 6. nam idem est *Fiat voluntas tua*, ac, *Fac me facere voluntatem tuam*, & implere præcepta. Similia Venantius Fortunatus. Ideo Pelagius, inquit Estius, hanc petitionem derisit. 5. Petitio 3.

IV. Pe-

IV. Petitio.

6. Petitio 4. Proxima est petitio quarta, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Habent Codices plurimi, *supersubstantialem*, ex Græco ἐπιούσιον. At hoc vocabulum significat etiam panem *crastinum*; id est, necessarium pro tempore, quod imminet, alimentum, & idem demonstrat vocabulum מחר, in Evangelio Nazarenorum; necnon panem *advenientem*, apud Ambrosium lib. v. de Sacr. cap. 4. Augustinus de Serm. Dom. num. 27. interpretatur panem necessarium corpori, visibile Sacramentum, & invisibile verbum Dei. Cyprianus præsertim Eucharistiam; & hanc solam Expositio Missalis Gallicani. Græcorum Ἄρτος etiam edulium significat, Tob. I. 10. Haud male Trinus interpretatur *panem*, cibum frugalem vulgatum. Superflua ergo petenda non sunt. Triumphus observat hæc ad cultum corporis pertinentia peti post spiritualia bona; temporalia enim nonnisi propter beatitudinem sunt expetenda. Idem docet in Ench. cap. 115. S. Pater. Ea verba *Da nobis* commonstrant Dei liberalitatem, *qui dat omnibus affluenter;* ait Jacobus cap. I. 5. Plura in hæc Angelus Rocca. *Hodie* nimiam solicitudinem damnat: nam idem est, ac *in hunc diem:* est enim apud Lucam, cap. XI. 3. καθ' ἡμέραν. Demonstrat etiam preces quotidie repetendas.

V. Petitio.

7. Petitio 5. Quinta petitio: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Omnes *debita* interpretantur peccata, ob quæ pœnas debemus: unde Lucas posuit ἁμαρτίας. Monemur peccatores nos esse, dum pro peccatis orare compellimur, inquit post Cyprianum S. P. Augustinus de Dono Persev. num. 8. Quæ sequuntur demonstrant & nos veniam impertiri iis, qui in nos deliquerunt, juxta præceptum Domini paulo infra ab Evangelista repetitum cap. VI. num. 14. & olim ab Eccles. XXVIII. 2. Hanc petitionem etiam justi facere tenentur, cum in peccata saltem venialia frequenter labantur. De his permulta prompta ex Aug. diximus lib. XVIII. cap. 6. Quid vero de Christo? Talia orare poterat pro Ecclesia, membrisque suis. Etiam Virgo, quam sine labe conceptam tenet pietas fidelium, dicenda est hæc verba sæpenumero protulisse propter gratiarum actionem, propter aliorum absolutionem, propter Filii recordationem. Ita Augustinus Triumphus.

VI. Petitio.

8. Petitio 6. Post hæc habetur, *Et ne nos inducas in tentationem:* Quamvis Deus dicatur *tentare* homines, in quantum tentatio nihil aliud est, quam sumptum de illorum obedientia experimentum, quo sensu *tentavit Abraham*, Gen. XXII. 1. repugnat tamen Divinæ sanctitati tentare, in quantum tentatio est ad mala culpæ incitamentum. *Deus enim intentator malorum est*, inquit Jacobus I. 13. Facere tamen dicitur Deus quæ occulto judicio permittit: ut Exodi VII. 3. & ad Rom. I. 24. Orta est hæc phrasis ex proprietate verborum hebraicorum in constructione *Hiphil.* Itaque idem valet, *Ne inducas*, &, *Ne patiaris induci.* Ita legit Cyprianus. In tentationem induci est ita illecebris involvi, & periculis subjici, ut non extricemur. Non tentationes refutamus, sed ne succumbamus enixe petimus. ut recte Estius; aut ne contumaciter euntes ad tentationis laqueos Deus gratia sua derelinquat, ut Auctor perantiquæ Expositionis apud Martenem.

VII. Petitio.

9. Petitio 7. Ultima petitio, *Sed libera nos à malo.* Videtur membrum priori oppositum, & significare, *sed eripe nos à tentatore.* Sane Lucas id non apposuit, nec explicavit Venantius. Extat & in Græco ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *à maligno*; scilicet, à pravitatis auctore, ut legitur in Missali Gallicano. Expressiùs vetustior Interpres, *Hoc est à Diabolo, qui totius mali auctor est, & origo.* Consulas eruditum Martenem. Non dissentit Cyprianus: unde Estius putat hanc, & superiorem petitionem non esse distinguendas. At Augustinus, quem sequuntur recentiores Catechistæ, utramque distinguit, quia non solum orandum est ne inducamur in malum, quod sexto loco petitur, sed etiam ut liberemur ab illo, quod jam patimur. Vide lib. 2. de Serm. D. in Monte num. 35. Illustrat opinionem S. Patris Augustinus Triumphus: eandemque confirmat conveniens petitionum numerus: de quo idem S. Pater cit. libro de Serm Domini num. 36. S. Thomas. 2. 2. q. 83. art. 9. & Angelus Rocca Tom. 2. pag. 458. Nil in oppositum probat Græca lectio ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *à malo.* Derivari enim potest à neutro τὸ πονηρὸν, *malum.*

Hanc petitionem haberi in Græcis Lucæ codicibus affirmat pag. 419. laudatus Ang. Rocca: cui tamen non subscribo; nam desideratur in Græcis Oxoniensi, & Velesiano, in editis anno 1628. Parisiis, & in Bibliis Complutensibus: in Polyglottis autem Regiis, & Waltonianis appositis notis dignoscitur studio intrusa. Quare emendatissima est hoc in loco Vulgata; licet in quinque petitionibus Lucæ septem Matthæi contineantur, sicut in quatuor illius Beatitudinibus octo istius. Addunt Græci clausulam, sed cum orationi Dominicæ, tum Angelicæ salutationi superadditam: pie tamen; nam appositam Dominicæ Orationi approbat, explicatque Chrysostomus pag. Edit. Commel. 201. Lege & Exposit. Chromatii Tom. v. Bibl. PP. pag. 987. Hæc de Orat. Dominica, quam Juvencus Presbyter in Evang. Hist. his carminibus complexus est:

Sydereo Genitor residens in vertice cæli;
Nominis, oramus, veneratio sanctificetur
In nobis, Pater alte, tui: tranquillaque mundo
Adventet, regnique tui lux ampla patescat.
Sic cælo, ut terris fiat tua clara voluntas.
Vitalisque hodie sancti substantia panis
Proveniat nobis. Tua mox largitio solvat
Innumera indulgens erroris debita pravi.
Et nos haudaliter concedere fœnora nostris.
Tetri sæva procul tentatio dæmonis absit;
Eque malis tua nos in lucem dextera tollat.

10. Amen quid dicat.

Amen dictis succinit, petita approbat, atque ut fiant postulat. Hebraica vox, אמן, quam Græci reddiderunt γένοιτο, *profecto*, aut γένοιτο, *fiat*: Latini, *quæso*, vel *utinam*. Ex prima Pauli ad Corinthios cap. XIV. 16. liquet idiotas ab Ecclesiæ incunabulis respondisse *Amen* Sacerdotum benedictionibus, & orationibus: quod etiamnum servat fidelium consuetudo.

CAPUT XIV.

De Charitate, & dilectione Dei.

SUMMARIUM.

1. In oratione Dominica fides, spes, & charitas exercentur.
2. Charitas significat gratiam, benevolentiam, amicitiam.
3. Charitas alia habitualis, alia actualis.
4. Juxta Durandum benevolentia inter Deum & hominem per Charitatem non est amicitia.
5. Statuitur, hanc benevolentiam esse amicitiam sed per aliam amicitiæ Ideam.
6. Inter Deum & hominem justum datur amicitia aliis longè præstantior.
7. Objectionibus satisfit.
8. De Charitate actuali, quid sit, & quomodo Justificet.

1. In oratione Dominica spes, & Charitas exercentur.

AD orationem Dominus exhortans Lucæ XI. 11. ait: *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: nunquid porriget illi scorpionem?* Opponit panem lapidi, piscem serpenti, ovum scorpioni: quoniam in lapide dura corda quæ respuunt charitatem, & in pane charitas ipsa significatur: in serpente qui Evæ venenosa fraude persuasit ne Deo crederetur, infidelitas hæresumque tergiversatio; & in pisce propter aquam baptismi fides, quæ in hujus sæculi fluctibus integra est: in scorpione nunquam se in anteriora extendenti, & cui consuetum est retro respicere amor temporalium bonorum: atque in ovo, in quo vita pulli expectatur, spes futurorum. Ita oratione Dominica fides, spes, & charitas exercentur. Legite Augustini Epistolam 121. nunc 230. num. 16. & 18. Congruum est ergo, ut post fidem atque spem, charitatem omnium virtutum potissimam, excellentissimamque explicemus.

2. Charitas significat gratiam, benevolentiam, amicitiam.

Charitatis vocabulum significat *gratiam, benevolentiam, amicitiam:* & accipitur semper in bonam partem, secus ac *amor*, & *cupiditas*, quæ interdum usurpantur ad significandum pravum animi affectum; & *cupiditas* maxime. Proprie etiam

etiam commonstrat sanctificantem gratiam, qua regenerati, & justi redduntur Deo grati, & accepti: sed aliquando designat actum casti amoris, sive qui ad justificationem disponit, sive qui elicitur ab homine justo: nonnunquam etiam significat piam inspirationem, & cupiditatem boni, quamvis non sit actus dilectionis explicitus. Ipsa tamen charitas amor, & dilectio indiscriminatim appellatur, ut demonstrat S. P. lib. XIV. de Civ. Dei cap. 7. ideoque omnis charitas est amor, sed non econtra omnis amor charitas.

3. Charitas alia habitualis, alia actualis.

Dividitur ergo Charitas in *habitualem*, & *actualem*. De prima disputatum est libro XIX. & nihil est aliud quam *habitus* à Deo infusus, per quem voluntas redditur recta, & justa, & ad diligendum Deum propter se, & proximum propter Deum vehementiori nisu excitatur. De hac loquuntur Scripturæ, dum affirmant per charitatem nos reddi Dei filios, hæredes, amicos, signatos Spiritu promissionis sancto: ac Patres, dum charitatem describunt vitam, qua Deo copulamur, amicitiam hominis ad Deum stabilitam per inhabitantem Spiritum sanctum, Dei hominisque mutuam communicationem, atque his consimilia. Plura de hac *habituali* charitate disputantur; sed à nobis expedita citato libro XIX. ubi adversus hæreticos demonstravimus inhærentem esse, & habere æternæ vitæ condignum meritum, sed non importare firmissimam justitiæ certitudinem, ac posse in hac vita augeri, minui, deperdi; cum aliis Catholicorum Theologorum decretis, quæ modo non repetam. *Habitum* hunc à Deo infusum esse virtutem Theologicam, cum in Deum tendat, in quæstionem verti non potest. Hujus *objectum* præcipuum esse Deum, tum cætera quæ propter ipsum diligenda sunt ordine exposito in hoc volumine pag. 12. 130. aliisque in locis, allata Charitatis descriptio, omniumque consensio demonstrat. Quod pariter appellant *formale* objectum, esse summi boni præstantiam, quæ nos allicit, attrahitque, nequit controverti.

4. Juxta Durandum Benevolentia inter Deum & hominem per charitatem non est amicitia.

Restat tantum Scholastica quæstiuncula, num hæc per charitatem inter Deum hominesque firmata benevolentia sit vera amicitia. Negant cum Durando perpauci, cæteris omnibus assentientibus. Durandi opinio fulcitur his mentis. Primum est, quod in eo sita est amicitia, ut unus velit bonum alteri ex affectu erga ipsum: quod nequit excogitari in Deo respectu hominum, cum omnia nobis elargiatur ob sui gloriam. Alterum, quod amicus alteri benefacit: id vero convenire non potest homini erga Deum. Tertium, quod amicitia nonnisi inter æquales intercedit, juxta Aristotelis philosophiam.

5. Statuitur hanc benevolentiam esse amicitiam sed per aliam amicitiæ ideam.

Habemus nos aliam amicitiæ perceptionem ac ideam. Nihil aliud est amicitia, *quam rerum humanarum & divinarum cum benevolentia & charitate consensio*. Hanc amicitiæ descriptionem tradit lib. 3. contra Academicos cap. 6. & in Epistola ad Marcianum. 155. nunc 258. sapientissimus Augustinus. Consentit cum omnibus Platonicis Marsilius Ficinus in Platonis Epistolas, & in Lysidem. Aristoteles quoque lib. VIII. Moralium cap. 7. tradit speciem amicitiæ, quam appellat *supereminentiæ*, in qua eadem utrique ab altero neque exhibentur, neque sunt requirenda: talis est amicitia patris erga filium, & principis erga subditum. Etiam de amicitia bonorum scripserat Aristoteles capite tertio ejusdem libri, quod *bi mutuo sibi bona similiter volunt, quatenus sunt boni*. Quod est ergo per se bonum summum, & incommutabile, jure amicitiæ nil ab eo, quem redamat, petit, nisi ut se ipso fruatur. Legendus in hunc locum Aspasius pag. edit. Aldi 410. Idcirco autem inter hominem & hominem amicitia unius alteri benefacit, quoniam is beneficentiâ melior redditur. Beneficentiam ergo amicitia præstat, non quia amicitia est, sed quia alter amicorum miser est: & recte illam Augustinus constituit *in sola charitatis consensione*. Nec sola perfecta æqualitas amicitiam parit, sed vel æqualitas in animi pulchritudine, ut mutua Platonis Dionisque benevolentia: vel in moribus etiam ferinis & agrestibus similitudo, ut amicitia Orestis & Pyladis: vel in eruditione & doctrina, ut amor Socratis in Phœdrum & Alcibiadem. Recte Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 25. benevolentiam firmari docet *per bonæ voluntatis similitudinem*: quod eo firmius præstatur, quo voluntas perfectior est, & amor magis castus & vehemens.

6. Inter Deum & hominem justum datur amicitia aliis longè præstantior.

Est ergo inter Deum & hominem justum amicitia vera, cæterisque omnibus longe præstantior; quoniam inter utrumque est charitatis consensio: & si Deus nil vult propter hominem, tanquam finem ultimum, neque id vult justus, sciens longe melius esse hunc finem constitui in bono incommutabili, quam in creato & finito; & econtra si homo nil commodi Deo affert, neque id quærit

Deus, felix satis, ditissimusque se ipso: sed cum perfecta voluntas sit summo bono adhærere, eoque frui, utrumque vult tam homo justus, quam Deus. Excellentissima hæc est animorum consensio. Igitur amicitia vera, diuturna, mutua, jucundissima, optima. De qua amicitia loquebatur Sponsus his verbis Sponsam alloquens Cant. II. 13. *Surge Amica mea, speciosa mea, & veni.* Lucæ XII. 4. *Dico autem vobis amicis meis.* Joan. XV. 14. *Vos amici mei estis*; & alia complura.

7. Objectionibus satisfit.

Contraria itaque argumenta me nihil movent, quoniam legibus illis amicitiam non circumscribo, nisi ubi uterque amicorum potest alterius benefactis augeri: quod si ad veram amicitiam requirebant Gentiles Philosophi, ignorabant hi munera charitatis, divinumque consortium. Erit tamen qui ad primam objectionem respondeant facta distinctione finis *cui*, & finis *qui*: ad alteram reponent ad amicitiam sufficere mutuam benevolentiam in alicujus boni communicatione: ad postremam, æqualitatem præstari à Gratia sanctificante, per quam efficimur *Divinæ consortes naturæ*, ut ait Petrus Epist. 2. cap. 1. 4. Egi de hac æqualitate Tom. III. pag. 305.

8. De charitate actuali. quid sit, & quomodo justificet.

Veniamus jam ad charitatem actualem. Hanc S. Pater in III. de Doct. Christ. cap. 10. ait esse *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.* Brevis, perspicua, & expedita definitio. Hujus charitatis actus non semper in Augustiniana Schola est justificans, sed quemadmodum charitas *habitualis* justificat *formaliter*; ita actualis inchoate, & dispositive, plus, minusve, prout charitas vehementior est, aut remissior; ita ut dilectio tenuis & languida persistat cum peccato, licet in aliquo extremo casu cum voto Sacramenti justificet: vehemens tamen & flagrantissima Deo reconciliet priusquam Sacramentum actu suscipiatur. Quare nos dividimus charitatem in inchoatam & perfectam, & negamus omnem dilectionem Dei benevolam stata lege absque Sacramenti adminiculo conciliare Deo peccatorem. Charitatem perfectam consistere cum peccato defendi non potest, repugnatque Tridentino sess. XIV. cap. 4. Qua in re pessime erravit Bajus; & excessit etiam Guilelmus Estius. At dari charitatem inchoatam sine peccatorum remissione, ad hanc tamen disponere, haud obscure colligitur ex eodem Tridentino sess. VI. cap. 6. maxime si legatur Hist. Pallav. lib. VIII. cap. 14. & Tridentinum conferatur cum 2. Arausicano cap. ultimo. Demonstratur etiam exemplo Magdalenæ, quæ accessit ad Christum ægra ut rediret sana, Catechumenorum, qui ante baptismum, etsi Deum amore casto diligere incipiant, adhuc tamen portant sarcinam iniquitatis; nec non Augustini, quem Deus ante acceptam baptismi gratiam sagittaverat charitate. At hæc ad trutinam revocabuntur, ubi disputabitur de Pœnitentiæ sacramento. Interim sat est repetere verba S. Patris in postremo capite de Nat. & Grat. num. 84. *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est, &c.*

CAPUT XV.

Quomodo, & quando actualis erga Deum charitas sit exercenda.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur.
2. Objectiones Solvuntur.
3. Propositio 2. Probatur.
4. Quo tempore actus amoris eliciendus.
5. Propositio 3. Probatur.
6. Quomodo Deus ex toto corde diligatur.
7. Objectio & Solutio.

Fuerunt, qui præceptum diligendi Deum solis externis actibus impleri autumarunt; adversus quos calamum strinxit Merbesius in prima secundæ, Vanroy de Charit. cap. 3. Pietre q. 4. aliique permulti: extiterunt etiam qui docuerunt nullo unquam vitæ suæ tempore teneri hominem ad eliciendum charitatis actum: sunt fortassis, qui ignorant qualis à nobis dilectio exigatur. Magni momenti sunt ista, sed obvia: ideoque explicanda, brevi tamen.

I. Propositio 1.

Propositio I. Deus etiam interiori charitate diligendus est.

Probatur.

Probatur 1. His verbis præceptum dilectionis exprimitur: Deut. VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Repetitur Matthæi XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Quis adversus tantam lucem adeo cæcutiet, ut dicat Deum diligendum non esse affectu cordis? Deinde si proscripta est ad Innoc. XI. ea propositio, *Non tenemur proximum diligere actu interno:* quanto magis hæc damnatio ferit non diligentes interiori affectu summum Bonum, cum proximo aliquid externa officia afferant commodi, Deus autem voluntatem attendat, non censum? Ad hæc, si charitas est *motus animi*, ut supra diximus; si ad Deum graditur, ut ait S. Pater serm. 344. num. 1. *non pennis & pedibus, sed affectu:* quid est, nisi figmentum, illa sine affectu, & sine animi motu dilectio? Præterea sine charitate, qua creatura intellectualis Deo adhæreat, ut Augustinus ait lib. x. de Civit. Dei cap. 4. nullus est Dei cultus, nulla vera religio, nulla recta pietas, nulla Deo debita servitus. Postremo si externa sufficiunt officia; quomodo nobilior hominis pars Creatori suo subjicietur? quomodo erit sacrificium Deo cor humiliatum? quomodo adorabitur supremum Numen in spiritu, & veritate? quomodo abominabiles erunt qui Deum labiis honorant, cor autem eorum longe est ab illo? Facessat ergo fallax, perniciosa, ac stultissima eorum opinio, qui affirmare ausi sunt cordis dilectionem ad præceptum non pertinere: obbrutuerunt enim, factique rebelles lumini, nec inditam legem, nec ordinatam per angelos in manu Mediatoris, nec demonstratam à Luce, quæ illuminat omnem hominem, paululum inspexerunt.

2. Objectiones Solvuntur.

Nescio autem quid sibi velint frivolis ineptisque argutiunculis. Joannis XIV. inquiunt, legimus: *Si diligitis me, mandata mea servate;* nulla ergo præter observantiam præceptorum nobis dilectio injungitur. Adjiciunt: Nonne possumus implere omnia mandata ex solo timore pœnæ? Insistunt: At Bernardus Sermone 50. in Cantica scribit. *Est charitas in actu, & in affectu, & de illa quidem, quæ operis est, puto datam legem hominibus, mandatumque firmatum; nam in affectu quis ita habeat ut mandetur?* At nugæ hæ sunt, supra quam dici possit archetypæ, atque bullatæ. Enimvero Apostoli, quibus dictum est, *Si diligitis me, mandata mea servate,* jam proculdubio diligebant, eisque *imperatur ut diligant, & mandata conservent, ut accipiant,* manifeste, *Spiritum sanctum,* atque *innotescat quod habent.* Ita Aug. Tract. LXXIV. num. 1. Ergo non diligentibus præcipitur ut diligant: diligentibus vero ut dilectionem factis comprobent, in eaque proficiant. Qui autem præcipit argumenta amoris, vult potius amorem ipsum: ait enim S. Doctor in libro de Magistro, cap. IX. num. 25. *res, quæ significantur, pluris quam signa esse pendendas.* Timorem laudo, & legis pædagogum appello cum ipsomet Augustino serm. 161. n. 8. sed timendum est, *ut formido custodiat, & perducat ad dilectionem;* quæ, auctore Apostolo ad Rom. XIII. 10. est *plenitudo legis.* Ex divo Bernardo quid infertur, nisi charitatem actualem præceptam esse, eam vero quæ gustat, sapit, afficitque suaviter, & quam appellat charitatem *in affectu*, non ad meritum dari, sed ad præmium? *Neque hoc dico,* ait seq. num. 3. *ut sine affectione simus, & corde arido solas moveamus manus ad opera:* distinctaque triplici affectione, quam vocat carnis, rationis, & sapientiæ, *Igitur*, inquit, *per secundam opera fiunt, & in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potius actualis: quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit.* Charitas ergo *in affectu*, quæ datur in præmium, est juxta Bernardi sensum charitas reficiens post opera, & dulcis beatorum amor. Imo non negat S. Doctor pertinere etiam ad mandatum charitatem *affectualem*, dummodo non intelligatur charitas illa plena, & dulcissima, quæ est merces Sanctorum; ait enim: *Aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit, vel poterit adimpleri.* Quid plura? Docet animam non posse se ipsam toto nisu *ad Deum colligere, & Divino infigere vultui*, quamdiu eam huic fragili, & ærumnoso corpori intentam, & distentam, necesse est *subvenire:* sic enim se ipsum explicat Tract. de diligendo Deo cap. x. num. 29. At hæc non in gratiam contrarii argumenti, sed in melliflui Doctoris veneration dicta sunto.

PROPOSITIO II. Rationalis creatura semper debet aut actu, aut virtute Deum diligere. 3. Propositio.

Demonstratur; nam Ecclesiasticus XLIII. 18. ait: *Omni vita tua dilige Deum;* Probatur.

Deum : & S. Pater lib. 1. doct. Ch. cap. 22. docet *nullam vitæ noſtræ partem* relinqui, *quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut alia re velit frui, ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Rationem affert idem S. Pater de moribus Ecc. cath. cap. VIII. num 13. quia *Deus eſt nobis ſummum bonum : neque infra remanendum nobis eſt, neque ultra quærendum; alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt.* In hoc ſita eſt hæc dilectio continuo tenenda, ut nulli rei creatæ amore tanquam fini ultimo, & propter ſe inhæreamus : quod proculdubio humanos actus inquinaret; ſed ſtudeamus Bono incommutabili toto affectu adhærere, quod, ut docet eo loci S. Pater, reddit hominem optimum : aut ſaltem operemur ob inditam ingenitamque legem honeſtatis, ne opera moralium virtutum inani gloria, aut cupiditate labefactentur. Quamquam igitur actus dilectionis nequeat omni momento elici, neque ad hoc obligent præcepta *affirmativa*; ſic tamen ſemper affecti eſſe debemus, ut amor animi noſtri pondus cor ad fluxa bona non deprimat, neque à charitate Dei creatura aliqua illud prava cupitate divellat. Vide Riccium in Prop. damnatas diſput. 11. pag. 101.

4. Quod tempore actus amoris eliciendus.

Actus autem dilectionis quo præciſe tempore ſit eliciendus arduum eſt definire. Alex. VII. die 25. Septem. anno 1665. proſcripſit mores luxantem, pernicioſiſſimamque ſententiam, quod neminem id obſtringat aliquo vitæ tempore : & Innoc. XI. die 2. Martii anno 1676. quod ad hoc non teneamur ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis. Innovandum quotannis charitatis actum cenſuit Ledeſma : ſingulis feſtis diebus Merbeſius, à quo non recedit Vanroy. Urgere hoc præceptum ſtatim ac pervenitur ad rationis uſum demonſtrat S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. eo quod prima rationalis creaturæ inſpectio ſit præfigere ſibi finem, ad quem cætera ſunt referenda : quam ſententiam propugnant Noſtrates, & Dominicus Viva S. J. in Trutina damnatarum Theſ. Vol. 1. pag. 31. fatetur eſſe inconcuſſam. Perſuaſum nobis eſt requiri actum aliquem benevolæ dilectionis ut peccator Deo reconcilietur, etiam in Sacramento : quamvis oppoſitum teneant permulti. Præterea in mortis articulo conſtitutum teneri ad charitatis actum, perſpicuum eſt : tunc enim dirigenda potiſſimum eſt à nauclero navis, cum in portum conjicitur; illamque prædones diripere, tempeſtates frangere, & anguſtus aditus, litorisque ſtatio facile poſſunt in naufragium impellere. Si etiam advertas inſtitutionis feſtorum cauſam, Deum colendi, hoſtias immolandi ſpiritales, rebusque Divinis vacandi; haud improbabilis videbitur Merbeſii, Cabezudi, Vanroy, aliorumque ſententia. At in his, quod monet etiam Sauteſius de Charit. diſp. v. ſect. 3. ſequere prudentiorum conſilia.

PROPOSITIO III. Diligendus eſt Deus ex toto corde, in tota anima, in tota mente. 5. Propoſitio.

Hunc diligendi modum præſcribit Deut. VI. 5. & Matth. XXII. 37. Fit autem dum principuum ſtudium in eo locatur, ut ſummo bono adhæreamus : dum nihil Deo præfertur : dum creaturis utimur, ut Deo fruamur. Quod ſedulo implendum *ratio urget, & juſtitia naturalis*, inquit S. Bern. de dilig. Deo cap. 5. num. 15. Ratio petitur ex quo Deus ſit bonum qualibet alia re pluris æſtimanda; necnon ſit ipſe charitatis cauſa efficiens & finalis : nam ſolus *præcedit benignior, rependitur juſtior, expectatur ſuavior*, ait idem Doctor eodem libro cap. VII. num. 22. Juſtitia oritur ex plurimis ac maximis beneficiis, quibus nos cumulavit, atque ex illo maxime, quod *filii ejus nominemur & ſimus*, Joan. Epiſt. 1. cap. III. 1. noſtrique causâ Unigenitum ſuum dederit. Scite, qui ad Crucifixi imaginem in Florentino S. Spiritus Templo ſcripſit :

Probatur.

Hic me ſolus amor ligno confixit in alto.

Diligitur autem Deus ex toto corde, dum in eum referuntur omnia conſilia noſtra, omnis cognitio, omnis vita, omnis intellectus, & dilectio Dei nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. Vide Auguſtinum de Morib. Eccl. cap. VIII. num. 13. & in 1. de Doct. Chriſt. cap. XXII. num. 21. Paulini Epiſtolam ad Celantiam, Saleſium lib. 1. cap. 6. Diligit toto corde, qui omnem cognitionem in Deum confert : tota mente, qui intellectum Deo ſubjicit, ac tota anima, qui appetitus ſecundum Deum regit. Haud male in Matthæi viceſimum ſecundum Lyranus. 6. Quomodo Deus ex toto corde diligatur.

At dices : Si ita eſt, nullus in hac vita poterit implere dilectionis præceptum. Reſpondeo, quod aliquid ex toto corde, & in tota anima, in tota mente facere dicimur duplici ſenſu; primo ſi actio tanto charitatis ardore im- 7. Objectio & ſolutio.

impendatur, ut non possit vehementius intendi: secundo si in ea præcipuam curam studiumque collocemus. Primo modo non impletur præceptum dilectionis, nisi in patria, ut docet S. Pater Augustinus de Perfect. justit. cap. 8. & de Sprit. & lit. cap. ult. ac D. Bern. serm. 50. in Cant. & de dilig. Deo cap. 10. Altero modo impletur etiam in hac vita, etiamsi extinguere non possimus concupiscentiæ luctamen præpediens impetum casti amoris vehementiorem; dummodo nihil appetatur illicitum. *Aliud enim est totam non assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem:* inquit Augustinus eodem libro de Sp. & lit. num. 65. Legite Estium in III. dist. 27. §. 8. & in caput 6. Deut. Horstium in D. Bern. Annot. &c. Addo & sacra, & profana locutione dici aliquid fieri toto corde, & ex tota anima, quando in id mente intenti sumus. Nam de Josia IV. Regum XXIII. 3. legitur fœdus coram Domino percussisse custodiendi præcepta & ceremias, *in omni corde, & in tota anima:* de Davide Eccles. XLVII. 10. *De omni corde suo laudavit Dominum:* & III. Regum XIV. 8. *Custodivit mandata, & secutus est me in toto corde suo:* de cæteris justis omnibus Psal. CXVIII. 2. *In toto corde exquirunt eum.* Profana exempla ex Catullo, Thucydide, Antonino vide apud Grotium in Matthæum. Jure ergo meritoque Tridentina Synodus sess. VI. cap. 11. & can. 18. damnavit Sectarios autumantes mortalium neminem posse præceptum charitatis implere.

CAPUT XVI.

De Amore, ut vocant, puro, damnatoque *Quietismo.*

SUMMARIUM.

1. Varii errrores hæreticorum circa amorem.
2. Amor Quietismi & indifferentiæ.
3. Propositio 1. Probatur hujus pars 1ma.
4. Probatur 2. Pars.
5. Propositio 2. Probatur.
6. & 7. Oppositio Quietistarum, & responsio.
8. Propositio 3. Probatur.
9. Ac confirmatur.
10. 11. & 12. Solutiones objectionum.

1. Varii errores hæreticorum circa amorem.

POSTEAQUAM anno 1311. damnati fuerant in Viennensi Concilio Begardorum errores: posteaquam extincta fuerat Illuminatorum secta, quæ Hispali eruperat circa annum 1623. præcisusque anno 1656. surculus vetusti erroris, quo aliqui adeo se in Dei amore profeciisse jactabant, ut nacti spiritus libertatem, quidquid agerent, nunquam à charitate deflecterent, erupit idem error, pestiferumque venenum effudit, navante operam Michaele de Molinos. Pernicioſam is Mysticam scholam fabricaturus asseruit primo annihilandas esse potentias animæ, hanc non debere in aliquo opere active se gerere, debere se regendam committere Divinæ voluntati, nihil ab ea petendum, omnemque solicitudinem propriæ salutis, spem, timorem, desideria quæque virtutum deponenda. Ficta istiusmodi sine voluntatis actu indifferentia, consequenter affirmavit, animam in sua quiete orare etiam dum somno abripitur, dum impuræ occurrunt cogitationes, imo dum aut dæmonis instinctu, aut alterna maris & fœminæ solicitatione carnales actus exercentur, propterea quod hæc omnia, licet eveniant in vigilia & sine mentis offuscatione, non commaculent superiorem partem illius, qui semel Deo proprium subjecit arbitrium. Proscripsit tam nefaria dogmata in Bulla *Cœlestis Pastor*, emanata die 20. Novembris anno 1687. Innoc. XI. Romanus Pontifex.

2. Error Quietismi & indifferentiæ.

Non quidem in tam fœda & absurda, sed in *Quietismum* tamen incautus prolapsus fuerat Cameracensis Antistes Franciscus de Fenelon in libro Gallice inscripto, *Eplication des Maximes de Saints*, in lucem edito an. 1697. Quo in libro docuerat dari statum quemdam *habitualem* amoris Dei, qui est charitas *pura*. Hunc esse statum sanctæ indifferentiæ, in quo nec æternam salutem volumus: dari in eo extremas probationes, in quibus non solum spes omnis amittitur. verum etiam potest anima invincibiliter credere se juste à Deo reprobatam, & tunc mystica morte, & à Deo derelictam quasi cum Christo in cruce *spirare*: istam tamen perturbationem cieri inferiori in parte cæca, & involuntaria passione, ita ut in superiori regnet charitas, dum inferiorem percellit desperatio. Gravi censura per-

perstrinxerunt Cameracensis Archiepiscopi errorem amplissimi Antistites Parisiensis, Meldensis, & Carnotensis; pluraque scripta utrinque prodierunt eodem anno 1697. At proximo anno damnatis ab Innocentio XII. iis de Amore *puro*, & indifferentiæ statu documentis, horum auctor se Pontificis Maximi sententiæ submisit, erroremque suum palam, & è suggestu reprobavit. Quæritur ergo an in charitate proficientibus permitti debeat *oratio quietis*, sive interior vita absque facultatum animæ, sensuumque motione: an in hoc hoc statu sit animæ cum indifferentia, ac *puro* amore permanendum: an *purus* ille amor absque spe remunerationis, propriæque salutis solicitudine rectus sit, vel perversus.

3. Propositio 1. PROPOSITIO I. Datur aliquandiu animarum charitate flagrantium *quies*, sed ei, quam Molinosius invexit, è diametro opposita.

Probatur 1. Pars. Demonstratur pars prima. De Anima quippe Christi sponsa legimus in Cant. Cap. II. 7. *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit;* & cap. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* De Maria contemplantium typo, Lucæ x. 39. *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Ac de Joanne in ejus Evangelio, XIII. 23. *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu ejus.* At Mystici his *quietem* illam explanant, quâ anima, quasi dulci somno abrepta, & veluti puer innixus mammis, lactemque sugens, Divinæ dulcedinis jucunditate perfunditur, illamque exteriores potentiæ ac sensus ad objecta alia non distrahunt, nec evigilare faciunt, & avolare: sed colloquentem Dominum audit, & in sinu ejus recumbit; ut Sancti viri scripserunt, edocti præsertim experimento, Theresia, Joannes à Cruce, Salesius.

4. Probatur 2. Pars. Altera pars probatur 1. Oratio *quietis* à Mysticis comprobata, nihil est aliud quam, dum anima se ad cordis intima retrahens nec videt, nec sentit nisi Deum. Ite eam describit S. Bonaventura de stimulo Amoris p. 2. cap. 7. S. Theresia cap. 14. vitæ suæ, Salesius lib. VI. cap. 7. & 8. Harphius Theolog. Myst. lib. 3. p. 5. cap. 32. Balthasar Alvarez Tom. 3. p. 2. cap. 12. Card. de Laurea opusc. de Contemplat. cap. 6. In hac, ut inquiunt, recollectione cessat anima à terrenis tumultibus, & quiescit à cogitationibus supervacuis, ut docet de interiori domo D. Bernardus. At Michael de Molinos econtra, in sua *Quiete* vult animam cum indifferentia pati etiam dæmonum, si occurrant, violentias, turpesque libidinum incitationes, nec *quietem* illam turbari, tametsi animus alia videat, alia sentiat, etiam impura, & horrenda. II. Etsi in Oratione *quietis* à Theresia explicata, aliquando anima dulcedine charitatis perfusa quasi dormitans nil agere videatur; ait tamen cap. 14. potentias se interius retrahere, non tamen deperdi, aut abripi somno: & proximo cap. 15. docet *quietem* illam esse Divini amoris scintillulam, quam Dominus incipit in anima excitare, & accendere, & quæ servilem timorem expellit, inseritque filialem. Salesius quoque licet animam in oratione *quietis* constitutam comparet puerulo in sinu matris dormienti, & consistenti in sede simulacro, cap. 9. & 11. ejusdem libri; imo cap. 8. asserat voluntatem *nihil agere*, sed recipere duntaxat amoris dulcedinem, atque delectationem; ait tamen id evenire, quoniam non de se cogitat anima, sed de eo, cujus præsentia delectatur: eodemque cap. 9. explicat, quo pacto voluntas non exerceat potentias alias, operetur tamen superiori parte, & quamquam nullam habeat sensuum exercitationem, in delectatione tamen charitatis non dormitet. Falluntur ergo, qui aut ex Theresiæ, aut ex Salesii lectione probari autumant orationem *quietis*, in qua anima nihil agat; cum in ea quiete magis intellectus per fidem Deum intueatur, & voluntas per charitatem magis summo Bono adhæreat: quemadmodum dum ageretur de Theresiæ canonizatione, matura discussione operum ejus compertum est. Vide Annal. FF. Carmel. Discalc. lib. 2. cap. 44. & Cardinalem de Laurea opusculo paulo supra laudato. Huic ergo sanctæ *quietis* orationi directe illa opponitur, qua voluntas non colligit attrahitque potentias ne avolent, & vagentur, sed laxatis ipsarum habenis indifferenter se habet, nec fidei, spei, charitatisque actus elicit. *Ad quid enim*, inquit de Laurea seq. cap. 7. *homo se constituit ante Deum, si de eo nec vellet cogitare, nec eum amare, neque cum eo mentaliter alloqui, petendo, laudando, vel gratias agendo? Meo videri hæc actuum suspensio, si dari posset naturaliter, quod non credo, irreverentia potius esset in Deum, quam devotio. Operari ergo debet intellectus intuendo per fidem, & voluntas diligendo per charitatem.* III. Debet voluntas exercere in alias potentias imperium, & charitas cæteris affectibus dominari, ut Salesius demonstrat lib. 1. c. 6. ideoque castus amor præcipit singulis animæ facultatibus,

ne

ne contemplationis tempore divagentur, velùti domina ad se ornandam in penetralia se conjiciens famulas hortatur ad domus custodiam, & rege in aula commorante, ad januam milites agunt excubias: unde in Proverbiis cap. IX. 3. scriptum est, *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis.* Præcipit etiam, ut quamdiu in oratione *quietis* fruitur sponso, sileant sensuum tumultus, *ne evigilare faciant dilectam*, ut in Canticis semel, iterumque repetitur. Quæ est ergo illa Molinosii *quies* ementita, ac diabolica, in qua voluntas non regina, sed captiva nil imperat, eamque ancillæ tumultuosæ, atque errabundæ excitant, exturbant, à sponsi amplexibus separant, adulterisque amatoribus subjiciunt? IV. Tandem *quietem* à Mysticis probatam esse specialem Dei gratiam, quam nullus debeat præsumere, docet cap. XII. Christi Sponsa Theresia. At falsi Mystici commenti sunt frui hac *quiete* illos, qui semel arbitrium Deo subjecerunt, nec in posterum ulla angi ipsos solicitudine, specialia Dei beneficia, cuique quantumvis improbo, impurissimoque temere tribuentes.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Status *puri amoris*, & indifferentiæ, in quo anima nullam gerat propriæ salutis curam, vel tanquam à Deo reprobata, nullam habeat spem nullumque perfugium, atque à semetipsa divisa unice se Divinæ voluntati committat, *fanatismus* est, non charitatis perfectio.

Probatur. Demonstratur primo. Hæc de Amore *puro* doctrina à nullo antiquorum Patrum tradita est, ut fatebatur Cameracensis Antistes in damnata prop. 22. *Quamvis hæc doctrina esset pura, & simplex perfectio Evangelica, antiqui Patres eam non proponebant passim multitudini justorum.* At nulla Evangelica doctrina verbum salutis excludit; neque putandum est Ecclesiæ Pastores tanquam arcanum servasse necessaria *pure* amantibus documenta. Non est ergo Evangelica, quæ de Amore *puro* elapso tantum sæculo erupit, nova, & inaudita doctrina. Deinde non solum Evangelica non est, sed Evangelio repugnat: in quo diligentibus Deum præscribitur observantia mandatorum, Joan. XIV. 15. ac inter præcepta connumerantur fides, spes, charitas, pœnitentia, oratio, jejunium, aliqua virtutum officia à charitate, & amore imperata. Spes præsertim, quæ *puro* amori juxta pravam opinionem repugnat, nonne commendatur ab Apostolo in 2. ad Corinth. III. 12. ad Philipp. III. 14. ad Titum II. 13. aliisque in locis compluribus? Præterea cum sacri libri nos ad virtutum omnium exercitamenta exhortentur; nihil magis iniquum est, nihil scelestius, quam indifferenter se gerere, & studia bonorum operum relaxare: nec frustra alloquitur Paulus Philippenses IV. 8. *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Quæ monita charitati repugnarent, si nobis fas esset in *puro* amore indifferenter *quiescere.* Insuper indifferentia ista non charitatem purgat, sed trahit ad sempiternum interitum omnium hominum genera. Enimvero si propriam infirmitatem ac patrata scelera minime pensitamus, prolabimur in perditionem; cujus primus gradus est dissimulatio propriæ infirmitatis, alter ignorantia, qua vulnera animorum mortales non vident, tertius præsumptio, qua vulnera non esse contendunt, ut docet serm. II. in Psalm. *Qui habitat*, S. Bernardus. Si vero dicamus accepta libertate spiritus neque nobis orandum ut Deus nos adjuvet, nec peccemus; superbia est Pharisæi, quam ut evitemus vehementer hortatur lib. 2. de Peccat. meritis cap. 5. sapientissimus Augustinus. Quomodo ergo poterat in hominum mentem venire, nisi inspirante dæmone, illud nefarium dogma: *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet habere curam, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.* At hæc est *Quietistarum* sententia, ut liquet ex prop. 12. Molinosii. Ad hæc: derelinquit quidem ad tempus cælestis Sponsus, subtrahitque consueta spiritualis dulcedinis argumenta incusso quoque reprobationis timore, prædilectis sibi animabus; quemadmodum fecisse traditur Florentinæ Sanctimoniali Mariæ Magdalenæ quæ decus Carmeli est, Paziorumque prosapiæ gloria immortalis. At id præstat, ut tentationibus vexatæ præbeant exempla humilitatis ac patientiæ; neque illas penitus deserit: neque purificatur amor certa persuasione reprobationis; hæc enim est Caini, & Judæ peccatum, charitatem non purificans, sed extinguens. Quare Theresia cap. 17. Vitæ suæ ait, nunquam Christi sponsam, animam charitate flagrantem, sive in cœlum, sive in infernum absque Sponso cogitatione defer-

deferri. Ea ergo derelictio, qua anima *puro* affecta amore etiam desperando, ac se reprobatam invincibili persuasione credendo, superiori parte Sponso adhæreat, inferiori spiret atque tabescat, *fanatismus* est, singularisque deceptio. Denique nullus amor est rectus, qui Divinæ voluntati adversetur. At hæc est voluntas Dei, ut abstineamus ab omni immunditia, ut unusquisque vas suum possideat in sanctificatione & honore, ut habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, simus *solicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes: spe gaudentes;* Ad Rom. XII. 11. Itaque quisquis in statu indifferentiæ pigritiam, teporem, ignaviam, desperationem, aut turpitudinem aliquam approbat, specioso Charitatis nomine transgressionem Divinæ voluntatis condecorat.

6. Oppositio Quietistarum.

Opponebant *Quietistæ* exempla Christi, Moysis, & Pauli: quorum primus in cruce à Patre derelictus clamavit, Matth. XXVII. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Alter Exodi XXXII. 32. ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro viventium.* Tertius denique ad Rom. IX. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Igitur, *Quietistæ* ajebant, perfecta charitas omnem cum Christo patitur desolationem, & cum Moyse & Paulo etiam propriam reprobationem amori postponit.

7. Responsio.

At primum ab iis, qui in pravum sensum hæc exempla detorquent, petimus ubi eluceat hæc omnimoda indifferentia, si Christus desolationem illam refugit, & Moyses ac Paulus tam vehementer dolent de cognatorum suorum scelere, & damnatione? Neque enim inferior illorum pars orabat; sed superior pro inferiore, quam afficiebat desolatio, ac tristitia. His ergo exemplis non trahimur ad indifferentiam, & *quietem*, sed ad gemitum, & orationem, ut Deus ariditatem ac desolationem nostram dissipet rore, ac dulcedine amoris sui. Atque ita se gessit S. Maria Magdalena de Pazziis, quæ in majori spiritus desolatione magis lacrymabatur, & orabat, ut refert in ejus vita Vincentius Puccini cap. 38. & Act. Bolland. Tom. VI. Maji, cap. 6. Deinde non denegamus inferioris, ac superioris animæ partium separationem, cum sermo Dei sit *efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus;* ut inquit Apost. ad Hebræos IV. 12. sed negamus posse in summa parte spiritus esse indifferentiam, quæ conciliari possit cum desperatione, certaque persuasione reprobationis. De verbis Christi in Cruce pendentis, vide lib. XXVI. cap. 9. ubi demonstro supplicem illam fuisse Orationem cum spe & fiducia conjunctam, & exclamasse tantum ob ea quæ patiebatur humana natura, nullum accipiens à Divina pœnarum levamen. Sane desperasse Christum blasphemia est hæreticorum; & aperte refellitur, ex quo Patri paulo ante spiritum suum commendaverit. Quantum ad Moysen attinet; S. Hieronymus in Epist. ad Algasiam cap. 9. illius verba interpretatur de occisione corporis, & RR. Salomon, & Jonathan de libro Legis: & interpretatio Hieronymi liquet ex cap. XI. 15. Num. non enim aliquis de libro Prædestinatorum deleri potest; de qua re securum fuisse Moysen, & ratio commonstrat, & Augustinus affirmat in Psalmum CV. num. 21. Quare Estius cum Hieronymo ait Moysen locutum *de libro viventium hac vita præsenti*, tum in 1. dist. 40. tum in loca difficiliora Script. Quamquam fieri potest, ut hæc Moyses proloqueretur humano quodam affectu, rationi tamen non repugnante, ad confidentiam fiduciamque suam contestandam, ut Rachel marito Gen. XXXI. 1. *Da mihi liberos, alioquin moriar:* qua loquendi consuetudine amici familiariter uti solent, haud ignari nolle eos, à quibus impense diliguntur, se tanta anxietate torqueri. Atque hanc etiam responsionem tradit S. Pater q. 147. in Exodum. Utraque responsio aptari potest verbis Pauli, *qui optabat perire in carne, ut alii salvarentur in spiritu;* inquit eo loci Hieronymus. Videtur tamen Paulus revera loqui de separatione, & exitio animæ, non enim ait duntaxat, Optabam *anathema esse*, sed addit, *à Christo:* quare Chrysostomus negat Apostolum loqui tantum de corporis occisione; & sententia Chrysostomi multis aliis probatur. Verum nec Chrysostomus *Quietistas* juvat, nec ait posse aliquem reprobationem propriam expetere; sed primo observat, in Græcis extare, non *Optabam*, sed *optarim*, ηὐχόμην; deinde ait, precatum sibi Paulum anathema, hypothetice, *si modo fieri posset*, pro Dei gloria, ut cessarent Judæorum convitia. Vide Chrysost. in Paulum Tom. 1. pag. edit. Commel. 185. Sensus ergo Pauli est, Optarem discindi à Christo pro ejus gloria, si per legem, justitiamque Dei liceret: in quibus non desiderium apparet reprobationis, sed amantium emphasis, com-

commonstrata etiam pronominis repetitione, ut adnotavit Erasmus. Adde nonnullos charitate succensos exquisita tormenta desiderare, ut ipsorum aliorumque animæ summo bono agglutinentur: quo sensu ajebat Ignatius in Epist. ad Rom. n. 5. *Diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut JEsum nanciscar*; atque id non est propriam contemnere beatitudinem, sed vehementius illam appetere.

8. Propositio 3. PROPOSITIO III. Non repugnat charitati servare legem intuitu sempiternæ mercedis.

Probatur. Probatur primo ex Scripturis. David enim Psalm. CXVIII. 112. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Matth. VI. 10. Christus illam nos orationem docuit, in qua dicimus, *Adveniat regnum tuum;* & vers. 33. *Quærite*, inquit, *primum regnum Dei.* Apost. ad Coloss. I. 4. 5. *Audientes fidem vestram in Christo JEsu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cælis:* atque ad Hebr. XI. 26. loquens de Moyse, *Aspiciebat enim in remunerationem.* Confirmatur ex Tridentino sess. VI. can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Corroboratur PP. auctoritate: Ambrosii scribentis lib. v. in Lucam cap. 6. *Studia virtutum sine remuneratione torpescunt:* Augustini serm. 345. sive 32. inter Sirmondianos, *O tu, homo, si titubas in re, esto firmus in spe, si autem te opus turbat, erigat ipsa merces:* atque Ecclesiæ universæ in Natali Martyrum, *Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini.* Accedit postremo manifesta ratio. Finis quippe bonorum operum est vita æterna, & hunc finem non sibi constituit perversa cupiditas, sed statuit Divina liberalitas, proponit Evangelium, inquirit fides, præstolatur spes, & inviolata justitia rependit. Quis autem dixerit nefas esse hunc sibi finem præfigere tot, tantisque titulis commendatum? Aequum est igitur pro consecutione æternæ vitæ bonis operibus insudare.

9. Confirmatur. *Dixi pro consecutione æternæ vitæ*, quam sitam esse in Dei fruitione, non in qualibet re creata demonstravi libro XXI. cap. 5. neque in dubium revocari potest, quin pervertat ordinem charitatis quisquis Deo servit fallaci spe illectus, & intuitu temporalium fluxorumque bonorum. De istiusmodi fine operantibus Augustinus serm. XXXII. in Ps. 144. alias XX. de diversis, num. 22. interpretatur verba Davidis. *Dextera eorum, dextera iniquitatis*, scribens: *Dexteram enim iniquitatis dicit felicitatem hujus sæculi: non quia non invenitur apud bonos, sed boni quando illam habent, in sinistra illam habent, non in dextera. Felicitatem perpetuam habent in dextera, felicitatem temporalem habent in sinistra. Cupiditas autem rerum æternarum, & felicitatis æternæ non debet misceri cupiditati rerum temporalium, id est felicitatis præsentis, & temporalis.* Atque illa æterna felicitas mercesque Sanctorum, nihil aliud est præter ipsum Deum, animorumque nostrorum perpetuam cum illo unitionem. Quare idem Deus Gen. XV. 1. ait Abrahæ, *Ego merces tua magna nimis.* Ad hanc mercedem excitandum est desiderium illorum, qui nullum aliud præmium sibi repromissum opinantur, quam cæleste domicilium, societatem angelorum, & corporum immortalitatem: hæc enim confectaria sunt longe melioris felicitatis, quæ sita est in Dei perfecta contemplatione, & jucundissima charitate: atque hujus intuitu bonis operibus danda est opera, aliaque bona, non nisi ut medium, quo ad illud summum, & incommutabile pervenitur, à nobis sunt expetenda.

10. Objectiones. At objiciunt I. Amor perfectus est amor gratuitus, nec quærit charitas, quæ sua sunt. At qui operatur intuitu mercedis, non amat gratis, & quærit quæ sua sunt. Non ergo recte diligit. II. Amor, qui proprium commodum spectat, est amor concupiscentiæ, non charitatis. Qui autem æternam mercedem expectat, propriam diligit utilitatem. Igitur non charitate flagrat, sed amore concupiscentiæ. III. Quamvis justa merces possit & peti, & desiderari; magis tamen commendandus est amor liberalis, qui nullum impensi operis præmium quærit. Licet ergo fas esset operari propter retributionem; perfectius Deum amat qui ejusdem retributionis spem abjicit.

11. Solutio I. Resp. ad primum negando minorem: gratis enim amat, qui nullam aliam quærit mercedem præter bonum ipsum quod amat; quia tunc nulla alia re, nisi bono quod amat, delectatur ac fruitur. In hoc enim sita est natura amoris gratuiti, ut S. Pater Augustinus explicat serm. 340. alias 39. inter additos à Sirmondo, ubi ait: *Et tamen quia gratis amamus, quia oves pascimus, mercedem quærimus. Quomodo fiet istud? quomodo convenit, Gratis amo, ut pa-*

scam, &, Mercedem posco, quia pasco? *Nullo modo fieret hoc; nullo modo merces quæreretur ab eo, qui gratis amatur, nisi merces esset ipse qui amatur.* Habentur similia Tract. 51. in Joannem, & in Psalm. 53. Imo nisi sit spes adhærendi firmissima charitate summo Bono, in qua adhæsione consistit beatitudo, non erit amor gratuitus, quia verus & castus amor percipi nequit sine boni incommutabilis aut desiderio, aut fruitione. Qui ergo non habet spem beatitudinis, perfecte non amat, quia non desiderat frui summo bono. *Frui enim est amore inhærere alicui rei propter se ipsam:* inquit Sanctus Pater lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 4. Recte S. Thomas consimili argumentatione probat 1. 2. q. 65. art. 5. non dari veram sine spe (in hac vita) charitatem. Etiam S. Bonaventura in III. dist 26. art. 1. q. 1. docet gratuitum amorem non expectare temporalem mercedem, at non ita ratiocinandum de gloria æterna, *Quia maxima charitas maxime desiderat uniri Deo.* Hinc Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 8. eos qui dicunt, *Diligimus Deum, sed non quærimus præmium, ne mercenarii simus;* ait esse *tam stultos, ut se ipsos non intelligant,* eadem producta ratione, quoniam, *si aliud quæreres ab ipso, gratis non amares: sed non amares, si non desiderares.* Atque his diluitur etiam tertia objectio.

12. Soluio 2. Ad 2. respondemus hoc *concupiscentiæ* nomen significare tam pravum, quam rectum desiderium, ut explicavimus Tom. 2. p. 340. negamus autem amorem *concupiscentiæ*, sive spei, qui fertur in sempiternam felicitatem, tendere in creaturam rationalem tanquam in ultimum finem. Qui enim finem amoris, quo Deum diligit in propria utilitate constituit, impius est, & sacrilegus: & amor spei, quem dicimus amorem *concupiscentiæ*, debet esse amor *concupiscentiæ* in finem ultimum directæ, ita ut propriam felicitatem quisque amet comparate ad Deum, ut scilicet ipsi amore jucundissimo inhæreat. Ita docet S. Franciscus Salesius lib. 11. de Divino amore cap. 17. Quare amor concupiscentiæ, & spei, qui fertur in propriam beatitudinem, ac posset in pravum finem deflecti, non defectu ipsius spei, sed vitio sperantis, dirigi debet charitate; ita ut præcipuus finis sit Deus, id est, ut diligamus quidem æternam vitam, sed intentione adhærendi Deo summo, & incommutabili bono. Id vero fit, quando petimus ut regnum Dei adveniat, non ut Deus mutetur in nobis, veluti dum appetimus cibum; sed ut nos immutemur in Deo, & in ipso vivamus, perficiamur, beatificemur; eundemque perpetuo contemplemur, & diligamus. Quapropter sicut dum appetimus cibum, ut convertatur in carnis nostræ substantiam, illum appetimus causa nostri; ita dum æternam expetimus felicitatem, ut nos charitate convertamur in Deum, tenet ipse Deus ultimi finis, ac primæ causæ rationem. Docuit nos hanc præclaram doctrinam S. Pater Augustinus scribens lib. VIII. Confess. cap. 10. *Inveni longe me esse à te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso, Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me.* Legite librum inscriptum *Les veritables maximes de Saints*, editum Parisiis anno 1699. adversus illum, quem ante duos annos evulgaverat Archiepiscopus Cameracensis.

CAPUT XVII.

De Amore proximi, & ordine Charitatis.

SUMMARIUM.

1. Quomodo diligendus proximus.
2. Primo loco diligendi Parentes.
3. Secundo diligendi filii.
4. Tertio diligenda uxor.
5. Non licet uxori se alteri submittere consentiente viro.
6. An liceat viro usum Uxoris alteri permittere ad mortem evadendam.
7. Quarto diligendi propinqui & amici.
8. Quintò diligendi pauperes.
9. Qui teneantur dare Eleemosynam, quid dare, & quibus.
10. Eleemosynarum Ordo.

1. Quomodo diligendus proximus. CHARITATIS *secundarium objectum* esse proximum, liquet ex præc. cap. 14. ac proximum diligendum esse propter Deum, demonstrat ipsemet ordo charitatis. Insinuatur præceptum dilectionis proximi Levit. XIX. 18. Matth. XXII. 39. Joannis XIII. 34. & Epist. 1. cap. IV. 21. aliisque in locis compluribus. Exercetur autem cum proximo charitas, dum hoc cum eo agitur, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum, juxta Au-

Augustini doctrinam in 1. de Doct. Ch. cap. 22. Decipitur quisquis putat se proximum diligere, dum externa tantum amoris exhibet argumenta, neque illum interno affectu prosequitur: quæ fallax opinio, ut diximus cap. 15. ab Innoc. XI. proscripta fuit. Nam primo charitas non est, quæ ex corde non oritur; sed charitatis dissimulatio, improbata ab Apostolo 2. ad Corinth. VI. 6. Deinde præcepta recto fine servari debent; atque non habetur finis rectus absque charitate sinceri cordis, auctore eodem Apostolo 1. ad Timot. 1. 5. Præterea nisi omnia membra compatiantur & congaudeant, quod non fit absque interiori amoris sensu, aut mortua sunt, aut est in corpore schisma, ut inquit idem Apostolus cit. Ep. ad Corinth. XII. 25. Igitur non *verbo, vel lingua* diligendus est proximus, *sed*, (inquit Joan. 1. Ep. III. 18.) *opere, & veritate*; id est, cum sinceritate cordis, tum operum exhibitione. Quænam sint hæc opera novit quisque puerulus ex Christianis catechesibus: nec paucioribus verbis queunt ad memoriam revocari, quam vulgari districho:

Visito. Poto. Cibo. Redimo. Tego. Colligo. Condo.
Consule. Carpe. Doce. Solare. Remitte. Fer. Ora.

Dixi pag. 12. cur latum non sit speciale præceptum diligendi se ipsum; sed hoc comprehendi in dilectione proximi facile demonstratur, quoniam cum dictum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, simul & tui abs te dilectio non est prætermissa. Deinde ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo & vero perfruatur bono: ideoque actum satis de amore sui ipsius, ubi præscriptus est amor Dei; ille quippe solus se novit diligere, qui Deum diligit. Agnoscis, opinor, scita S. Patris ex 1. de Doct. Christ. cap. 26. & ex libro de Morib. Eccl. cap. item 26. mutuata. Nisi homo se ipsum diligat, ut perfecto amore inhæreat Deo; erit amor, qui tantum differt à charitate, quantum à virtute vitium, eritque cupiditas radix malorum, quæ non habet Deum creatorem, sed hominis deceptorem. Appellari solet *amor proprius*, quo homo vel se, vel quæ sunt extra se, diligit propter se. Ne subrepat tam perniciosus amor; gaudendum hominibus de prole temporali, si spiritu junguntur Deo, ut docuit Christus, quando mulier clamavit, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti*, Lucæ XI. 27. Lucere debet splendor doctrinæ, vel probitatis; ut quibus lux illa affulget, *glorificent patrem, qui in cælis est*: ait idem Christus Mat. v. 16. Laudanda est animorum virtus, corporum pulchritudo, decus auri, *cum pietate venerandi Creatorem, non cum libidine possidendi creaturam*: inquit S. Pater lib. IV. contra Julian. cap. 14. num. 66. Contemnendum denique quidquid ad Dei charitatem non refertur; divitiæ, fama, incolumitas, cultusque literarum: nam & improbus amator Nemesis ajebat Elegia 4. libri II.

Ite procul Musæ, si non prodestis amanti.

2. Primo loco diligendi Parentes.

Tenent in proximorum ordine priorem locum Parentes; quorum tamen amor Divino præferri non debet, cum & illos præcipiamur deserere, quando in via salutis experimur adversarios. Videsis IV. præcepti exegesim pag. 43. In hac dilectione præsertim servandus est ordo amoris commendatus in Cant. II. 4. quià in diligendis parentibus, filiis, uxore, solet carnalis amor motus vividiores exerere. At memoria repetendum, esse nobis Patrem alium, quem oratione quotidiana commemoramus, suam nobis hæreditatem cælesti in patria servantem. In hoc præcellit Genitores, quod hi patres quidem sunt carnis nostræ, at Deus est Pater spirituum, ideoque huic *multo magis optemperabimus*, ait Apost. ad Heb. XII. 9. Præterea genuerunt nos homines, at non formarunt, ignorantes quis, aut qualis esset eorum semine nasciturus; unde pia Machab. parens 2. lib. VII. 22. ajebat: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi.* Deinde homines genuerunt filios morituros, Deus creavit in æternitate mansuros. Patres nutriverunt natos, sed non de suo panem pro esurientibus instituerunt; sed Deus panem de terra produxit, ac terram ipsam frumenti altricem è nihilo. Genitores denique filios hæredes instituunt dum moriuntur, eosque derelinquunt; sed Deus post mortem filios suos in hæreditatem assumit nunquam postea derelicturus. His argumentis demonstrat Augustinus serm. 344. alias 31. inter Sirmondianos, quantâ curâ amor parentum sit dirigendus in Deum.

3. Secundò diligendi filii.

Asserendum idem est de amore parentum erga filios. Ut enim Deus demonstraret quanta ipse præ filiis charitate

tate sit diligendus, præcepit olim, ut sibi offerrentur primogeniti, qui solent impensius amari. Extat hoc præceptum Exodi XIII. 2. exemplaque Samuelis 1. Regum 1. 25. Samsonis Judicum XIII. 7. Joannis Baptistæ Lucæ 1. 15. Si ergo filii declinent à via Domini, corripiendi sunt, assiduisque flagellis plectendi, ne genitoribus fiat severa objurgatio, inferaturque supplicium lib. 1. Regum cap. VI. ob nimiam indulgentiam inflictum Heli. In eodem libro Regum cap. IV. legitur vaccas, clusis domi vitulis, dum plaustrum cum arca deferrent iisse in directum pergentes, & mugientes, & non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram. Præclarum quod erga filios imitentur patres exemplum, omnem rei domesticæ curam dirigentes in Dei gloriam, neque ob filiorum gemitus vel inopiam à recto charitatis ordine declinantes.

4. Tertiò diligenda uxor.

Uxorem diligendam habemus in sacris libris Gen. II. 24. Matth. v. 32. ad Colossenses III. 19. & nihil utilius, quam vir & mulier bene sibi consentientes, docet Eccl. XXV. 1. Licitam esse humanam erga conjuges charitatem ob vinculum glutenque necessitudinis, & adeo licitam, ut si defuerit reprehendatur, demonstrat S. Pater sem. 349. alias 52. de tempore num. 2. At optime advertit charitatem istam posse esse etiam impiorum, paganorum, Judæorum, hæreticorum. Idcirco distinguit eo loci charitatem humanam licitam, illicitam, & Divinam. Humanam appellat, quam exigit naturæ necessitudo, sentiuntque etiam aspides, tigrides, leones: illicitam eam dicit, quâ unâ fit caro in permixtione meretricis, & amatoris; non enim locum habet in viro & uxore, ubi licet, ubi concessum est, ubi honestum est: sed ubi turpe, ubi illicitum, ubi damnabile: Divinam illam, quæ cum humanâ licitâ permanet, sed amat conjugem, filiosque secundum Christum, secundum Deum eis consulens, & in eis odio habens, si Christum habere noluerint. Scripsi nonnulla de hujusmodi honesto, divinoque amore Tom. III. pag. 255. Legi poterit Ludovicus de Ponte de Christiana perf. Tom. 2. Tract. v. Apostolus ad Ephesios v. ait diligendam à viro uxorem, ut diligitur à Christo Ecclesia, atque ut diligitur corpus suum: scilicet, ut studeat ejusdem saluti, neque ullis immunditiis eam polluat, aut pollui sinat, quemadmodum Christus sanctificavit Ecclesiam mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut eam sibi exhiberet non habentem rugam, neque maculam. Exemplum autem corporis eò spectat, ut quemadmodum caput corpori, ita vir uxori salutaria ac necessaria provideat. Quare prior mariti inspectio est, ut uxor vitam ducat probam, honestam, mundissimam.

5. Non licet uxori se alteri submittere consentiente viro.

Refelluntur tam expressâ Apostoli doctrinâ, qui post Nicolaitas probantes promiscuum usum mulierum, asseruerunt licere uxori viro consentiente alteri se ipsam submittere: quod tam absurdum est, quam opinari, an Christus queat tradere diabolo Ecclesiam suam. Adversus obscœnos illos conclamant fœdissima adulterii flagitia: quæ damnat lex naturæ, nec ignota Ciceroni libro 2. de legibus, Horatio libro 1. serm. Sat. 3. & Ulpiano adulterium recensente *inter probra naturæ turpia*: damnat lex Divina Exodi XX. 14. Matth. v. 32. Ad Thessalonicenses prima IV. 4. damnant humanæ leges citatæ libro XX. 20. damnat Augustinus serm. 9. de decem Chordis num. 11. serm. 51. num. 22. lib. 1. de serm. Dom. in M. cap. 16. ac in 1. de libero arb. cap. 3. num. 6. Augustino consentiunt alii Patres apud Nat. Alex. dissert. XXIX. primi Sæc. Accedunt illata marito injuria, morum corruptela, confusio prolis, ac patrimoniorum alienatio. Adde quæ consequuntur scelera, cum veneficia ad partum abjiciendum ne formæ dissimilitudine prodant maternum crimen, tum virorum cædes, ut Candaulis Lydii, Agamemnonis, Fabriciani, Argyropili, ac, ne aliunde petamus exempla, quam ex historia sacra, Uriæ. Demum adulterii turpitudinem confirmant condigne mulctati auctores, necati ab Hippomene juncti curribus, cæsi mille plagis, sectique ab Ægyptiis, Romæ præcipitati è Tarpejo, obruti Hebræorum lege lapidibus. Legite Heraclidem, Brissonium, & Laurentium Lucensem, VI. & VIII. Volum. Græc. Antiq.

6. An liceat viro usum uxoris alteri permittere ad mortem evadendam.

At Jacobus Platelius in Synopsi pag. edit Duac. 159. scribit Augustinum lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 29. non audere peccati damnare eum, qui ad evadendam mortem usum uxoris suæ alteri viro permiserit. Paucis excutiendus Platelii error. Primo citato cap. 29. nunc 16. S. Pater ait: *Sed non ita est æstimandum, ne hoc etiam fœmina viro permittente facere posse videatur; quod omnium sensus excludit: quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur.* Quorum verborum sensus est, nunquam esse licitum consentiente marito uxorem adulterari; quo-

quoniam, tametsi videatur id aliquando exigi ab amore maritali ad salvandam conjugis vitam, id tamen *OMNIUM SENSUS EXCLUDIT*, ut pro vita corporis anima fornicationis crimine commaculetur. Deinde affert quod imperante Constantio narrabatur contigisse Alexandriæ circa annum 343. excusatque amorem mulieris, quæ non libidinis causa, sed ut vitam mariti redimeret, eo jubente, sui copiam fecerat Accindyno. Tum facto narrato: *Nihil*, inquit, *in alteram partem disputato, liceat, cuique æstimare quod velit; non enim de Divinis auctoritatibus deprompta historia est, sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit hoc sensus humanus quod in illa muliere viro jubente commissum est, quemadmodum antea cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Quibus duo affirmat: unum, nolle disputationem instituere de veritate historiæ, quæ negari posset; cum non sit è sacris libris deprompta: alterum hoc factum non *ita* horrorem incutere, ut adulteria patrata absque ullo mortis discrimine, neque illud *ita* respui ab humano sensu; respui tamen, quia omne adulterium *omnium sensus excludit*. Accurate ista notanda sunt, nam alii cum Platelio mentem Augustini non perceperunt. At legite Norbertum Elbecque in dissert. Theolog. de Advert. req. ad peccandum pag. 210.

7. Quartò diligendi propinqui & amici.

Quæ dixi de amore conjugum, eadem affirmo de dilectione omnium propinquorum & amicorum: hos enim recte diligimus, dum recti rerum æstimatores ordinatam habemus charitatem, non æque diligentes quod vel minus vel amplius diligendum est, omniaque diligentes propter Deum, Deum vero propter se ipsum. Vid. Aug. in 1. de Doct. Christ. cap. 27. At religiosi fratres etiam majori, quam fratres carnis sunt amore diligendi, propterea quod institutæ sunt cœnobiorum regulæ, ut imitemur Christi discipulos, & nascentis Ecclesiæ fervorem, atque mutua dilectione gratiæ spiritum foveamus & augeamus, ut Christus præcepit Joan. XIII. 34. Quo in loco charitatis ordinem non prætermisit, sed præcipiens ut diligamus invicem, sicut ipse dilexit nos, ostendit fratres diligendos propter Deum, illorumque salutem exemplo Christi curandam, ut una fruamur Patris hæreditate, quam nobis Salvator tanta dilectione promisit, acquisivit, disposuit. Habet hæc fraterna charitas perfectionis suæ formam, si quantum ad animum spectat, idipsum dicamus omnes, in *eodem sensu, eademque sententia*: quantum ad corpus attinet, *habentes alimenta, & quibus tegamur*, his contenti simus: quantum ad officiorum munera, exequamur omnia *sine murmurationibus & hæsitationibus*. Tradidit hæc præcepta Apostolus 1. ad Corinth. 1. 10. Prima ad Timoth. VI. 8. ad Philipp. II. 14. ac diligentius servanda sunt, quam vota scribentis carmine CVII. ad Lesbiam,

Ut liceat nobis totâ producere vitâ
Alternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

8. Quinto diligendi pauperes.

Diligendi præ cæteris pauperes, subsidioque eleemosynarum juvandi. Nil vehementius urget sacræ literæ: nam largiri eleemosynam Ecclesiasticus IV. 8. appellat *reddere debitum*: semen illam esse gratiarum ac repromissæ benedictionis, testatur Apostolus 2. ad Corinth. IX. 6. non posse Deum diligere, qui habens hujus mundi substantiam non sublevat pauperum indigentiam, docet Joan. 1. Ep. III. 17. de hoc præsertim in extremo judicio reddendam esse rationem, liquet ex Mat. XXV. 42. Pluribus argumentis eandem eleemosynam inculcant Patres: Basilius hom. adversus divites, ex quo meminisse oporteat communis nataræ: Chrysostomus hom. 2. de Lazaro, ex quo rapina sit superflua denegare iis, pro quorum necessitate nobis collata sunt: Augustinus tract. 5. in Epist. Joan. ex quo divites ac pauperes redempti sint uno pretio: Thomas de Villanova Conc. de Divo Martino, ex quo tenacitas convincat incredulitatem nostram, & exprobret maximam erga bonorum omnium largitorem ingratitudinem. Veterum quoque Gentilium legibus filii pauperum ac divitum eodem cibo alebantur, nec fas erat publice festum agere, nisi iis, qui omnibus vici sui pauperibus prospexissent. Legi poterit in Strenarum historia Lipenius.

9. Qui teneantur dare eleemosinam, quid dare, & quibus.

Quæri solet, qui ad faciendam eleemosynam teneantur, quid debant elargiri, & quibus mendicis. Tenentur ii, quibus est liberum distribuendarum rerum dominium: unde uxor, filiique impertiri non possunt, nisi quæ iis, ut impendant pro libito, conceduntur, ut sunt in conjuge *paraphærna*, id est, quæ sponso dantur præter dotem; & in filiisfamalias *castrensia*, scilicet, quæ aut ex officinis, aut in militia acquiruntur. Utrique tamen distribuere possunt, quæ Rector domus tacita consensione permittit, nec gravant familiam

inopiâ. Idem asserendum de iis, qui voto paupertatis sese obstrinxerunt: in quibus tamen animadvertendum est cedere quidquid acquirunt in jura communitatis. Distribuendum autem est *quod supereſt*, ex cap. III. Lucæ 11. & XI. 41. at non quod supereſt cupiditati, & avaritiæ, cui nihil supereſt; nunquam enim impletur avaritiæ cupido, ut inquit cap. v. 9. Ecclesiastes. Quærendum igitur quod sufficiat operi Dei, non quod sufficiat cupiditati, ut inveniantur superflua pauperibus erogandа, juxta Augustini præceptionem in Psalmum CXLVII. n. 12. Quidquid possidetur mala fide, aut furto, aut vitioso ludo comparatum, clamat ad Dominum; neque potest pauperibus erogari: nam scriptum est, Tob. IV. 7. *Ex substantia tua fac eleemosynam*, & Prov. III. 9. *Honora Dominum de tua substantia*. Falluntur ergo qui ad pecuniam iniquitate acquisitam referunt ea verba Lucæ XVI. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; nam eo sensu *mammona iniquitatis* dictum est, quo *dextera iniquitatis*, cap. præcedenti: quia nempe divitias hujus sæculi *habent etiam iniqui*. Ita Augustinus serm. 41. num. 6. & 49. num. 11. aut quia umbræ divitiarum sunt, non veræ divitiæ, & in illis soli iniqui *constituunt spem; atque copiam beatitudinis suæ;* inquit idem Augustinus lib. 2. qq. Evang. q. 34. Demum eroganda est eleemosyna pauperibus etiam improbis, neque avertenda facies *ab ullo pauperum*, ut inquit eodem loco Tobias; at quoniam *multam malitiam docuit otiositas*, auctore Ecclesiast. XXXIII. 28. contingere potest, ut melius sit erronicos in operationem mittere, quam fovere beneficiis acediam.

10. Eleemosinarum ordo.

Eleemosynarum ordo est, ut prius quisque sibi victum, & vestitum provideat *sufficientem ac mediocrem*, non delicioſum ac pompoſum: deinde parentibus, si pauperes sint, quantum prævalet, largiatur: postea servos, & ancillas nec esurire, nec algere permittat: posthac quidquid, excepto mediocri, & congruo victu, & vestitu, sive de militia, sive de agricultura, sive aliunde provenerit, tanquam Christo petenti, & esurienti, pauperibus humiliter, hilari vultu, ac profusa beneficentia distribuat; eo quidem fine, ut orationes ejus exaudiantur, vita commutetur in melius, deleantur mala præterita, adveniatque sempiterna felicitas. Hæc ex Augustino epist. 243. num. 12. serm. 39. num. 6. & lib. 2. de serm. Domini in M. cap. 2. quibus & charitas erga proximum, & hujus charitatis ordo explicatur, *brevissimis testimoniis, sed nisi fallor, idoneis, & quibus susceptæ rei satisfiat.* De morib. Eccl. Cath. cap. XXVI. num. 50.

CAPUT XVIII.

De dilectione inimicorum, necnon de bello, & monomachia.

SUMMARIUM.

1. Præceptum est diligere inimicos.
2. Objectio, & solutio.
3. Tria requisita ad justum bellum.
4. Propositio 1. Demonstratur.
5. & 6. Objectiones, & Solutiones.
7. Propositio 2. Probatur.
8. Objectio & Solutio.

1. Præceptum est diligere inimicos.

INIMICORUM quoque dilectionem esse in præcepto, liquet ex Matth. v. 44. ubi Scribis interpretantibus versum 18. cap. XIX. Levitici, *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, de solis Judæis, ac sibi sanguine ac progenie conjunctis, ait Christus, *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros:* non novam legem ferens, sed interpretans veterem, in qua præscriptam etiam dilectionem inimicorum, haud obscure colligitur ex cap. XXIII. 5. ubi præcipitur sublevandum & asinum odientis jacentem sub onere. Infertur eadem inimicorum dilectio ex Matth. VI. 12. ubi oratione dominica petitur debitorum dimissio ea pactione, ut pariter homo dimittat injurias odio habentibus. Eandem urgent Paulus ad Rom. XII. 17. ac Petrus in priori Epistola, III. 9. Patres, ac Theologi omnes, docentes teneri nos ad exhibenda hostibus communia dilectionis officia; cum externa salutationum, hortationum, eleemosynarum; tum interna affectus, compassionis, & precum. Quod & rationi consentaneum est, quia habent nobiscum communem naturam, quia eodem pretio redempti sunt, quia eandem hæreditatem expectant.

Si

2. Objectio & solutio.

Si forte objicias, præcepisse Dominum Deut. xx. 17. ut Hebræi omnes hostes in in ore gladii interficerent, neque fœdus cum Amalecitis unquam inirent. Est in promptu responsio, quod bellum erat adversus idololatras, quos Dominus jusserat delendos, Amalecitas quidem, quod populum Israel proficiscentem in terram Chanaan injusto bello lacesserent; Amorrhæos, aliosque idololatras, quod abominationes Deorum suorum promoverent. Neque enim charitati repugnat gerere justum bellum, præsertim si interfit religio, & & reipublicæ causa; sed charitas, quæ præcipit ut diligatur inimicus, præscribit etiam, ut majus bonum præferatur minori. Quare de bello hic breviter acturi sumus, maxime quod illicitum dixerint Manichæi, Anabaptistæ, atque Erasmus: quos refellunt cum omnibus Theologis Bellarminus Controversia v. lib. III. cap. 14. Estius in 3. dist. 37. §. 20. Lupus de antiq. disc. Christ. milit. Stephanus Valentinus de Justo Bello, Abulensis in Deuter. nec non Hugo Grotius de Jure belli & pacis lib. I. cap. 2. At hic videtur nobis pingere virtutem Gentilium, dum probat licitum esse tractare arma, ex quo principium justi sit studere propriæ conservationi: ac oratorem agere, non philosophum, dum argumentum petit ex armis brutorum, tot poetarum accitis testimoniis. Bruta enim utuntur armis, quia ratione carent, nec homini fas est vim adhibere, si hostem compescere possit ratione. Imo & Gentiles vitam profuderunt pro incolumitate Reipublicæ, quo titulo laudantur; tametsi fuerit hæc virtus inanis, & gloriæ cupiditate marcescens. Hinc merito Grotius in pluribus à Joanne Feldeno refellitur.

3. Tria requisita ad justum bellum.

Prænotandum est autem tria ad justum bellum requiri, legitimam auctoritatem, ordinem æquitatis, ac rectitudinem intentionis. Adest legitima auctoritas, dum bellum suscipitur, *sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente*, inquit S. P. August. lib. 22. contra Faustum cap. 74. & cap. proximo, *Suscipiendi bellum auctoritas atque consilium penes principem sit.* Est ordo æquitatis, sive justa causa, dum bellum geritur, *vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad subjugandam mortalium superbiam*, inquit eo loci Augustinus, id est, dum homines impii aut Religionem perturbant, aut contra mores peccant, aut patriam libertatem invadunt, nec possunt ratione frenari, ut explicat Reginaldus Polus S. R. E. Cardin. in Epist. ad Philippum Angliæ Regem scripta, dum huic Julius III. R. P. ensem ac pileum dono mitteret, necnon Oratione habita in funere Nannis Strozzæ vir eloquentissimus Leonardus Aretinus. Rectus finis est, *si totum bellum agit ratio, & nihil sibi vindicet furor*, ut inquit Hugo Floriacensis in Miscel. Baluz. lib. IV. pag. 42. scilicet, si nequaquam intersit *nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi*, ait S. P. August. cit. cap. 74. & Cap. *Quid culpatur*, XIII. quæst. I. sed pugnatur pacis studio, ut mali coerceantur, ac boni subleventur, ut docet idem August. Epist. 189. n. 6. & Cap. *Apud veros*, citata Causa XIII.

4. Propositio I.

Propositio I. Dummodo intersint hæ conditiones, fas est Christianis bellum gerere.

Demonstratur.

Demonstratur primo. Nisi enim bellum esset aliquando licitum, nunquam Deus bellandi jura præscripsisset; neque bellatores viri in sacris libris, atque ab Ecclesiæ Patribus summis laudibus cohonestarentur; sed esset Deus veteris Testamenti auctor dissensionis, ac malus: Moyses vero, Josue, Gedeon, Macchabæi, aliique fortissimi viri improbi, ac scelestissimi. At ipse Deus Deut. xx. bellandi præscripsit leges; & qui adversus hostes salva æquitate præliarunt, commendantur ab Ecclesiastico 46. ab Apostolo ad Hebræos 11. ab Ambrosio lib. I. de Officiis cap. 4. atque ab Augustino citato libro XXII. adversus Manichæorum criminationes vindicantur. Licitum est ergo, & aliquando necessarium cum hostibus dimicare. II. Ne quis putet aliud in Evangelica lege, aliud in veteri fuisse jus belli; Lex Moysis in iis, quæ cum lege naturæ habet communia, ac spectant ad civicam pacem, tutelam populi, & improborum vindictam, viget adhuc; ideoque ut Moyses Amalecitas multitudini vim inferentes, ut Josue Amorrhæos, Jephte Ammonitas, Samson & David Philisthæos oppugnarunt; fas nunc erit Christianis principibus infideles aggredi, hostes pellere, tumultuarios compescere. III. Joannes Lucæ III. 14. interrogantibus eum militibus, quid ipsis agendum esset, *quia sciebat*, inquit Augustinus cit. cap. 47. *non esse homicidas, sed ministros legis, non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores*, non respondit, *Arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite*.

neminem: sed inquit, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Christus pariter Centurionis dicentis Matth. VIII. 9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, &c.* ut ibidem S. Augustinus animadvertit, *fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit,* Idem contigisse Cornelio liquet Act. cap. 10. Joannes ergo, Apostoli, Christus militiam non prohibuerunt. IV. Finis præcepti non est res illicita, sed provehens communem utilitatem charitas. At Christus præcepit Matth. XXII. 21. ut tributa pendantur Cæsari; & idcirco tributa præstantur, quoniam principes ministri Dei sunt, & gladium portant tanquam vindices in iram iis, qui malum agunt, auctore Apostolo ad Rom. XIII. 4. 6. Unde Augustinus ibidem, *Ad hoc enim tributa præstantur* (inquit) *ut propter bella militi stipendium præbeatur.* Bellare ergo fas est, alioqui injustum foret tributa & vectigalia persolvere. V. Nunquam ab Ecclesia ob solam militiam fuerunt fideles rejecti, ac objurgati; sed militibus baptismum petentibus hoc injunctum tantummodo, ut ab immolationibus & vexationibus abstinerent suis contenti stipendiis. Vide Apostolic. Constit. lib. VIII. cap. 32. Militasse in castris Decii, Valeriani, Maximiani, Licinii Christianos milites probatissimos, nec cingulum abdicasse, nisi ubi trahebantur ad simulacra, narrant Sanctorum Acta. Precibus Christianorum militum sub Aureliano Imperatore impetratum imbrem, narrat in Apolog. Tertullianus. A Romanis Pontificibus solemni ritu benedici ensem, & dono mitti Imperatoribus militum, constat ex 2. p. Pontif. IV. Tandem ipse charitatis ordo aliquando postulat, ut bellum geratur: primum, quia justissimæ rationis imperium est sceleratos punire; ut docet S. Pater lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. potest autem contingere, ut nisi armis arceantur, conveniant prædonum manus, irruatque scelerum omnium illuvies. Deinde etiam hostibus aliquando consulitur infestis pugnis: quia *debilitata membra, quibus non bene utebantur, cessabunt à malo opere:* cap. *Si quis,* XXIII. q. 2. Denique sine hostium eversione haberi nequit Reipublicæ salus, & civium tranquillitas: ideoque dum pacem habet voluntas, indicit bellum necessitas, ac servata æquitate pugnatur, *ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace,* inquit S. Pater in Epist. ad Bonifacium Comitem 189. alias 205. n. 6.

Opponunt adversarii I. quod lex Christiana præcipit ne resistamus malis, Matt. v. 39. ne malum pro malo reddamus, ad Rom. XII. 17. ne militemus secundum carnem, 2. ad Corinth. x. 3. ne sit nobis adversus carnem & sanguinem colluctatio, ad Ephes. VI. 12. II. Quod nobis imitanda sit Christi mansuetudo, & implendum sub Evangelio propheticum vaticinium Esaiæ II. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* III. Quod 12. Canone Nicæno indicta sit decem annorum pœnitentia iis, qui deposito militari cingulo redeunt ad militiam. IV. quod Patres bella damnent tanquam cædium, rapinarum, omniumque flagitiorum diluvium. 5. Objectiones.

Sunt hæc omnia facillimæ expeditionis. Ad primum enim respondemus Mat. v. & ad Rom. XII. prohiberi privatam vindictam, non bellum susceptum ligitima auctoritate imperante: in 2. autem ad Corinthios nobis præcipitur, ne vivamus secundum desideria carnis, & more politicorum; ac in Epistola ad Ephesios admonemur graviora esse certamina, quæ nobis sunt cum immundis spiritibus, quam pugnæ adversus homines, ut recte Augustinus serm. VIII. de Verbis Dom. nunc 67. num. 4. & Prudentius in Hamartigenia. Ad 2. respondemus non adversari Christianæ mansuetudini inire pugnam, dum pacem habet bona voluntas, bellum necessitas; & dum bellando expugnentur iniqui, ut victi ad pacis utilitatem perducantur: quemadmodum non opponebatur Christi mansuetudini percutere templi profanatores texto è funibus flagello, nec Apostolis spiritualibus armis ense quolibet severioribus punire Ananiam, Simonem, Elimam, Corinthium incesti reum, Hymenæum, Alexandrum; cum salus totius corporis magis curetur, dum putrida membra secantur, ubi nullum prodest vulneribus medicamentum. Esaias vero prædixerat tempus nativitatis Christi, qui natus est imperante Augusto, clauso Jano, ac toto orbe in pace composito: quamquam & in lege Evangelica pax illa regnat, ubi omnes Christiane vivunt projecta invidentia, ac pernicioſa cupiditate. Ad 3. dico Imperatores idolorum cultores, milites qui nollent Diis sacrificare, militari cingulo ignominiæ causa exuisse; unde in sacra historia legimus pro Christo cingulum abjecisse sub Diocletiano in Armenia milites MCIV. sub Licinio Arsacium, & Auxentium, & sub Juliano Apostata Victricium, & 6. Solutiones.

& Valentinianum postea Imperatorem, à D. Ambrosio funebri præconio condecoratum, aliosque ab Eusebio, ac Theodoreto laudatos. Qui ergo cingulum semel abjecerant, ad militiam reduntes videbantur probare cultum idolorum. Addo cum eximio Lupo ad præcitatum canonem, duplex fuisse militiæ genus, superioris, cui erat necessitas immolationis, & inferioris, quam Tertullianus lib. de Idololatria cap. 14. appellat *caligatam*, & canonem latum esse adversus priorem. Præterea à pœnitentibus, & à Clericis severior exigebatur disciplina, ab illis ad aliorum terrorem, ab istis vero ad exemplum. Ad postremum respondeo utique è bello derivare multiplices clades, dirasque necessitates; sed iniquitas partis adversæ, etiam dolenda, si nulla ex ea bellandi necessitas nasceretur, *justa bella ingerit gerenda sapienti*, ut inquit S. Pater XIX. de Civ. Dei cap. 7. quare Patres damnant iniquitates quæ bellum pariunt, non bellum quod geritur ut iniquitas puniatur, ut pax acquiratur, ut genus humanum vexationes non patiatur.

7. Propositio 2. PROPOSITIO II. Illicita est monomachia, sive initum ex condicto singulare certamen.

Probatur. Probatur, quoniam Tridentinum Concilium sess. 25. cap. 19. declarat detestabilem duellorum usum fabricante diabolo fuisse introductum, ut cruenta corporum morte animarum quoque perniciem lucraretur: provocantes autem, & ineuntes plectit excommunicationis pœna, perpetua infamia, proscriptione bonorum, & si moriantur in pugna, Ecclesiastica sepultura. Idem decreverunt summi Pontifices Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. Etiam Alex. VII. proscripsit illam propositionem: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Idem demonstrat evidens ratio; nam si duellum instituatur ad ostentationem virium, detestabilis superbia est, & immanis crudelitas haud honestior flagitioso gladiatorum congressu: si ad notam timiditatis vitandam, est singularis dementia ac temeritas, ob improborum existimationem præsentis, ac sempiternæ vitæ inire periculum; necnon imprudens rerum dijudicatio fortitudinis præstantiam in corporis viribus, non in virtute animi constituere, cum illæ brutis, barbarisque hominibus sint communes; hæc propria rationalium, honestissimorumque virorum: si denique singularis pugna suscipiatur honoris causa, cum honor vitæ hominis non debeat æquiparari, nisi sit verus honor situs in vitæ honestate, virtutisque decore; extrema stultitia est ob famam sterilem atque inanem corpus & animam devovere. Hæc tamen non tenent, si ad finem imponendum truci bello, ex condicto utriusque partis, aut duo, aut plures decertent monomachia; tunc enim non temere, sed jussu legitimæ potestatis pugnatur, ac propria vita non pro sterili fama, vel inani obstentatione profunditur, sed pro reipublicæ incolumitate, & communi salute. At de his plura qui data opera moralem Theologiam exornarunt.

8. Objectio & Solutio. Si objicias in Religione Equitum D. Jacobi in Hispania celeberrima, & S. Sedis approbatione confirmata, exigi à candidatis juramentum, quod nunquam recusarint singulare certamen; respondet Andreas Mendo disquisit. III. q. 2. num. 16. non ejici à nobilissimorum Equitum numero, qui recusarit duellum, ne Deum offenderet; sed qui id egerit præseferendo timiditatem, & commonstrando se ad pugnam vel pro religione, vel pro Regni tranquillitate ineundam nequaquam idoneum esse.

CAPUT XIX.

An violetur charitatis præceptum, si occidatur vitæ injustus aggressor.

SUMMARIUM.

1. An liceat occidere injustum vitæ aggressorem auctores pro- & contra notantur.
2. In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ.
3. Ordo charitatis requirit ordinatam dilectionem.
4. Propositio probatur ex S. Scriptura.
5. & 6. Solutio objectionum.
7. 8. & 9. Probatur ulterius propositio.
10. Noxia cupiditas facit illicitam occisionem grassatoris.
11. Ulciscendi libido facit illicitam occisionem.
12. Non licet aggressorem occidere inhærendo amore vitæ, corporis, & huic posthabendo proximum.
13. Argumenta soli retunduntur.
14. Non licet ex ira aggressorem prosternere, nec vitæ defensionem, sed alterius mortem intendere.
15. Usque 23. Objectionum solutio.

1. An liceat occidere injustum vitæ aggressorem authores pro- & contra notantur.

QUAMQUAM non continet hoc volumen moralis Theologiæ quæstiones singulas, sed universales tantum charitatis, cæterarumque virtutum præceptiones: quæstio tamen de occisione invasoris tam est difficilis & implexa, ut jure expostulet peculiarem aliquam disquisitionem. Abeunt enim in diversas partes Theologi; affirmantque licite injustum aggressorem occidi non solum benigniores quidam, ac pervulgati Casuistæ, verum etiam graves, accuratique Theologi, inter quos non absque præconio laudis commemorandi sunt Dominicus Soto lib. v. de justit. & Jure cap. 1. art. 8. Estius in dist. 37. libri 3. §. 21. ac fere omnes Thomistæ in 2. 2. D. Th. q. 64. art. 7. Continuator Theologiæ Tournely de Justitia P. 3. cap. 3. art. 2. sect. 5. aliique ab eodem auctore laudati, nec non ex Nostratibus Salonius in præcitatum articulum D. Thomæ, Petrus de Aragona ibidem, stilo autem fusiori Barth. Riccius ad propos. xxx. damnatam ab Innoc. XI. in quo invenies quidquid alii, etiam posterioris ævi, collegerunt. At lædi ea occisione charitatis præceptum docent viri alii doctissimi; atque ut mittam Accursium, Gersonem, Richardum à S. Vict. à Petro de Aragona eo loci commemoratos, aliosque à Friderico Gavardi q. 2. de lege nat. §. 4. inter Nostrates idem exquisitis argumentationibus contendunt Augustinus Triumphus de Potest. Eccles. q. 52. art. 3. Cardin. Norisius in Vindiciis cap. IV. §. 9. Christianus Lupus de Opin. Probabili cap. 8. Leonardus Vanroy de Justit. & Jure cap. 6. q. 9. prælaudatus Gavardi Tom. IV. cit. loco, Aurelius Piette P. IV. cap. 4. q. 4. aliique recentiores.

2. In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ.

Prænotandum est autem, Doctores, qui propugnant licite occidi aggressorem in vitæ suæ defensionem, necessarium requirere *moderamen inculpatæ tutelæ*, quod in eo situm est, ut defensor nihil aliud moliatur, quam id, quod necessarium putat ad intentatam necem propulsandam; ita ut si evadere possit ferientis ictus arripiendo fugam, non tractet arma; si hoc sat est, nec invasorem vulneret; si possit levi vulnere aggredientem repellere, non infligat lethale. Necesse est etiam, ut aggressor sit injustus, scilicet in alterum non irruat absque accepta auctoritate; alioqui peccaret quoque miles, & carnifex, quod nullus dixerit. Addit S. Thomas conditionem hanc, ut defensor intendat conservationem propriæ vitæ, non mortem aggressoris sui: quam conditionem non eadem ratione interpretantur Theologi. Nam Cajetanus in 2. 2. q. 64. art. 7. ait menten esse Doctoris Angelici, ut nullo modo intendatur mors invasoris, vel tanquam finis, vel tanquam medium, ita ut mors illa sequatur tantum per accidens, tanquam aliquid consequens ex necessitate finis, ut *ex medicina sanante sequitur ægroti debilitatio.* At Soto contendit mentem S. Thomæ esse, quod fiat illicitum homicidium ex intentione, quando quis alterum aggreditur ipsum præveniens vel ad vindicandam præteritam injuriam, vel ad cavendam futuram: secus si lacessitus videns se non posse alio pacto mortem evadere, intendat mortem aggressoris, & etiam si opus sit, mucrone ipsius jugulum petat. S. enim Thomas, inquit Soto, se ipsum explicat, dum ait occidere ex intentione licere tantum ei, qui habet publicam auctoritatem; cui profecto fas est aggredi hostem, ac prævenire occidendum, ut defendatur respublica. Accedit Soto Continuator Th. Tournely, dicens fieri non posse, ut qui plumbeam glandem explodit in caput inimici, mortem ejus non intendat. Et tamen, ni fallor, melius mentem D. Angelici assecutus est Cajetanus. Enimvero S. Thomas aperte docet, ejusdem actus aliquando dari duos effectus, *quorum alter sit in intentione, alius vero sit præter intentionem:* morales actus suam speciem desumere ab eo, *quod intenditur, non autem, ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens, ut ex supradictis patet:* atque ex D. Thoma illud *per accidens* dicitur evenire, *quod est præter intentionem agentis*, ut idem Doctor explicat supra q. 43. art. 3. & 1. 2. q. 12. art. 7. At qui aggressoris mortem intendit, ut propriæ saluti consulat, non ita se gerit, ut mors illa sequatur tantum per accidens, & præter intentionem, cum tam finis, quam medium sint intentionis objectum, ut evidenter demonstrat Salonius noster, atque absque ulla demonstratione per se manifestum est. Igitur S. Thomas permittit tantum occisionem invasoris, si sequatur *per accidens*, ut in ægroto deliquium, non vero si intendatur, ut finis, aut medium, quemadmodum explicat Cajetanus. Nec urget Soti animadversio, quod S. Thomas proferat exemplum occidentis publica auctoritate; is namque idcirco non peccat, quia intendit publicum bonum, ad quod referri debet vita privati hominis. Quod si cum Salonio reponas veram esse interpretationem Cajetani, sed fieri non

non posse, ut in praxi, atque in actuali conflictu mors aggressoris non intendatur *ut medium* ad vitam propriam servandam; subinferent Nostrates etiam illicitum esse petere cor, aut jugulum aggressoris, quod licitum alii putant; & perperam adversarios in suas partes S. Thomam pertrahere.

3. Ordo Charitatis requirit ordinatam dilectionem.

Præmittendum pro nostra sententia, in hoc situm esse ordinem charitatis, ut homo rerum integer æstimator ordinatam dilectionem habeat, nec amplius diligat quod minus est diligibile, ut liquet ex supradictis, & docet S. P. in 1. de Doctrina Christ. cap. 27. num. 28. Diligendum quoque est corpus nostrum, & citra vitium amari potest corporalis vita, ut idem Augustinus docet præcedenti cap. 25. n. 26. sed præcipiendum est homini, *quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat:* ita ut amplius alius homo diligendus sit, quam corpus nostrum, quia cum omnia diligenda sint propter Deum, nobiscum alius homo potest Deo perfrui, quod non potest corpus, cum corpus per animam vivat, qua fruimur Deo. Atque id negari nequit, nisi palam repudiata Augustiniana doctrina, imo ipsa charitatis lege confracta, præscribente talem dilectionis ordinem, quo cætera in Deum confluant. Id etiam scribit Norisius culpans duntaxat amorem libidinis, quo vita corporis fruimur, eique conglutinamur, implicati amore rerum, quæ amitti possunt, & quas rationi subjectas esse oporteret. Quare Barth. Riccius immerito Norisium redarguit pag. 314. quasi scriptor clarissimus asseruerit *dilectionem corporis affectum esse brutalem*, perperam accitis Augustini testimoniis, ubi affirmatur dilectionem corporalis vitæ esse licitam: nam iisdem locis, quæ Riccius objectat, ac præsertim de doctrina Christiana, requirit S. Pater, ut corporalis vita diligatur *ordinate ac prudenter*, ut constat ex dictis. Puto idem tradere S. Thomam, ubi demonstrat 2. 2. q. 25. art. 4. quomodo debeat unusquisque se ipsum amare *secundum naturam rationalem, ut sibi velit ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis.*

4. Propositio.

Propositio. Occisio injusti aggressoris licita est, si talis occisio à noxia cupiditate sequestretur, id est, amori proximi non præferatur amor corporis, & defensionem sui moderetur pacatum rationis imperium; quod tamen in praxi raro, difficulter, & forte nunquam continget.

Hæc est sententia, ni fallor, Augustinensium Doctorum, etsi videantur affirmare nefas esse iniquum grassatorem occidere: saltem id sentit, qui mihi instar omnium est, Henricus Noris Tom. 1. p. 1094. male pro sententia negativa absolute citatus, cum accurate utramque ad Augustini effata componat, & perperam à Riccio impugnetur. Licitum esse cum pacato rationis imperio, & non violato ordine charitatis eum, qui mortem intentat, occidere, probatur primo. Exodi XXII. 2. legitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & est reus sanguinis.* In quem locum S. P. Augustinus q. 84. in Exodum ait: *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait, Si orietur super eum sol. Poterat quippe discerni quod ad furandum non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se cum telo defenderit; jam enim plus est, quam fur.* Licite ergo occiditur, qui venit ad occidendum, &c.

Prohatur 1. ex S. Scriptura.

5. Objectio.

Respondet Vanroy legem Exodi esse judicialem, id est, præscribere formam qua in judicio adversus reos procedendum est; præsertim, quod in eadem lege dicitur, quod possit occidi fur diurnus, qui se telo defendat, quod in solo foro externo licitum esse docet universa Augustiniana Schola. Addit in veteri lege multa fuisse impunita, quæ tamen erant illicita, ut pœna tallionis, & libellus repudii: observat etiam Augustinum scribere furem nocturnum *impune occidi*, non, *licite occidi*: addit quod nisi hæc accipiamus de solo foro externo, fiet consequens, posse occidi furem etiam quando aliàs potest repelli, & ejus occisio ad propriæ vitæ conservationem non est necessaria.

6. Solutio & Confirmatio.

Hæc non absque magna probabilitate dicta sunt: & in eorum confirmationem addi potest, quod versio Græca, ἐξὶν αὐτῷ φόνος, *non est illi cædes*, Arabica, *erit impunitas*, Syriaca, *non habebit actionem capitalem*, aperte commonstrant legem Exodi esse judicialem, & spectare ad politiam, & Reipublicæ tranquillitatem. Falsum est tamen in foro interno reum esse homicidii, qui necessitate coactus, & propriam vitam de-

defendens, graſſatorem interimit. Primo, quia Vulgata noſtra habet, *Non erit reus ſanguinis*, & Auguſtinus, *Intelligitur tunc non pertinere ad homicidium*, & olim R. Jonathan, *Non erit ei reatus effuſionis ſanguinis*, & R. Salomoh, *Non eſt hoc homicidium, de quo in Decalogo.* Quod ſi occiſio non pertineat ad homicidium in Decalogo proprohibitum, porro nec in foro interiori labes contrahitur. Deinde, ut argumentatur Noriſius, licet lex illa data eſſet ad regendam rempublicam Judæorum, in ea tamen lege Divina voluntas permiſit homicidium, uti permiſit lex Aquilia, & aliæ antiquæ ſæculares: at qui occidit invaſorem, non agit contra voluntatem ſæcularis legislatoris; ergo neque adverſus voluntatem Divinam, ideoque non peccat. Præterea tam lex Exodi, quam verba Auguſtini comprehenduntur in cap. *Si perfodiens*, De homicidio: leges autem Canonicæ etiam pro interiori foro latæ ſunt. Sane prior reſponſio Vanroy, quod poſſet occidi etiam fur diurnus, *qui ſe telo defendit*, inanis eſt; quoniam id nec habetur in Exodo, nec citatur ab Auguſtino ut lex Divina, ſed ut lex civilis, ex ff. ad leg. Aquiliam 1. 4. de qua proinde inquit, furem illum qui telo ſe defendit, occidi *impune:* at de occiſione furis nocturni ait hanc *non pertinere ad homicidium.* Falſum eſt etiam fuiſſe illicitum dare libellum repudii, & infligere tallionis pœnam, dum hæc permittebantur à lege: ſed illicitus erat finis, quo Judæi lege abutebantur cauſa odii, aut vindictæ; quam ob rem neceſſe fuit, ut Chriſtus poneret Judæorum licentiæ repagulum. Neque fit conſequens poſſe occidi, aut nocturnum furem, aut graſſatorem, ſi poſſit mors aliunde vitari, quoniam eo in caſu pervertitur, ut paulopoſt explicabo, ordo charitatis.

7. Probatur 2. ex Romano Catechiſmo.

Probatur 2. ex Romano Catechiſmo P. 3. De quinto præc. n. 8. ubi legitur: *Qua etiam ratione, ſi quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſa omni adhibita cautione alterum interemerit, hac lege* (Non occides) *non teneri ſatis apparet.* Reſpondet idem Vanroy agi ibidem de homicidio caſuali: quod, inquit, planum fit ex textu, quia loco citato numerantur cædes aliquæ non peccaminoſæ, quæ præter voluntatem inferuntur, unde mox ſubjungitur, *Qua etiam ratione*, &c. Verum falſa eſt reſponſio Vanroy: de caſuali enim homicidio agitur ſuperiori num. 6. & 8. pertractatur de occiſione aggreſſoris, quæ fit non fortuito, non caſu, *ſed ſalutis defendendæ cauſa*, ac ſat eſt Catechiſmum legere, *non enim eget majori explicatione*, inquit in Elucidatione Scholaſtica Catechiſmi Joannes Chapeoville Leodienſis. Profecto illis verbis: *Qua ratione*, &c. innuitur, quod ſicut homicidium caſuale, non imputatur ad culpam, *quia non infertur voluntate, & induſtria;* ita non ſpectat ad ſceleroſam cædem homicidium aggreſſoris, quo intenditur duntaxat conſervatio propriæ vitæ, quoniam homicidium illud præter intentionem infertur, uti medicinali pharmaco accidit ægroti deliquium. Ubique enim Romani Catechiſmi auctores ſequuntur præceptiones D. Thomæ, cujus ſententiam ſupra explicavi.

8. Probatur 3. ex Patribus.

Tertio Probatur ex PP. Cyrillus enim lib. 1. in Joannem cap. 35. ait: *Unde nam Petrus gladium habuit?* Ac reſpondet, *Quia ſecundum legem gladio ſe defendere licebat.* Et ibidem, *Si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Chriſtus, omni modo fortaſſis debuiſſent illum diſcipuli defendere.* S. Ambroſius lib. 1. de Officiis cap. 36. num. 178. *Neque in inferenda*, inquit, *ſed in depellenda injuria lex virtutis eſt. Qui enim non repellit à ſocio injuriam ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille qui facit. Unde ſanctus Moyſes hinc prius orſus eſt tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidiſſet Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem defendit, ita ut Ægyptium ſterneret, atque in arena abſconderet.* Plura Eſtius in cit. diſt 37. ubi ex auctoritate Ambroſii infert, quod ſi hoc pacto defendere ſocium licear, licet & ſe ipſum. Verum tamen eſt, quod S. P. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum ait, conſulta æterna lege non debuiſſe virum Ægyptium, licet injurioſum, & improbum occidi ab eo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat: unde nos ſupra lib. xx. cap. 7. alia ratione Moyſen defendimus. Hæc vero quomodo cohæreant, dicam infra.

9. Probatur 4.

Probatur quarto; nam occidere injuſtum aggreſſorem, niſi aliter propriæ ſaluti poſſimus conſulere, omnes leges, omniaque jura permittunt, ut habetur in cap. *Significaſti* 2. de Homicidio, & cap. *Si vero*, de ſent. Excommunicat. In cap. etiam *Si furioſus*, decernitur eum, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilat invaſorem, non contrahere irregularitatem. Nec quidquam officit, quod de irregularitate ante hanc Clementis V. conſtitutionem contrarium ſenſerint antiqui Scholaſtici, nam irregularitas etiam abs-

absque delicto contrahi potest, ut à milite, ac judice. Posse vim vi repelli, si fiat cum moderamine inculpatæ defensionis, dictat lex naturæ, de qua Cicero in Orat. pro Milone: lex civilis superius laudata: lex Canonica, de qua modo. Quare in Edicto Theodorici cap. 15. habetur: *Qui percussorem ad se venientem repulerit ferro, non habetur homicida; quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.* Quomodo ergo damnabimus, quem omnes prorsus leges absolvunt?

10. Noxia cupiditas facit illicitam occisionem grassatoris.

Dixi tamen licitam esse occisionem grassatoris, si sequestretur à noxia cupiditate. Noxia autem cupiditas intervenit, si vel subrepat desiderium ulciscendi, vel animus conglutinetur dilectione proprio corpori, ita ut pro hujus vita, quam unice intendat, nullam adhibeat in repellendo hoste cautionem, & salutem proximi parvipendat; vel denique si non sistat in actu defensionis, dirigatque in aggressorem gladium vel ensem eo fine, ut ipsum interimat. Ita ut in foro interiori reus sit homicidii quisquis injuriam propulsans agitur vindictæ libidine: quisquis in sui defensionem impellitur ea cupiditate, qua etiam bruta sese rostro unguibusque tutantur, non dirigens naturæ motum rationis imperio, ne hæreat tanquam ultimo fini vitæ corporali: quisquis denique tali animo comparatus est, ut ferveſcente ira sterneret invasorem, quamquam posset alia via intentatam sibi cædem evadere.

11. Ulciscendi libido facit illicitam occisionem.

Illicitam esse occisionem aggressoris, si intersit ulciscendi libido, patet ex Scriptura, Matth. v. 39. 1. ad Corinth. vi. 7. 1. ad Thessalon. v. 15. aliisque in locis. Unde Augustinus in Epistola ad Publicolam 154. nunc 47. num. 5. ait: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro Civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ.* Liquet autem Augustinum loqui de occisione qua Christianus, cum possit repellere aggressorem, illum interimit ut hostem ulciscatur, quod nulli licet, nisi sulciatur publica auctoritate: nam & de hoc interrogatus fuerat à Publicola præcedenti Epist. 9. 12. & S. Pater post recitata verba, inquit: *Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne male faciant, etiam ipsis aliquid fortasse præstatur. Hinc autem dictum est, Non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus.* Quibus verbis S. Pater, uti permittit correctionem, qua aggressores sine interfectione repelluntur, vel impugnantur: ita damnat occisionem quæ non fit publica auctoritate, quæ non spectat commodum civitatis, & quæ peragitur ulciscendi libidine.

12. Non licet aggressorem occidere inhærendo amore vitæ corporis, & huic posthabendo proximum.

Peccare etiam, qui aggressorem interimit inhærendo amore vitæ corporis, & huic posthabendo proximum suum, nequit in Augustiniana Schola controverti. Ac probatur, quia S. P. Augustinus lib. 1. de lib. arbitrio cap. 5. probat sententiam Evodii dicentis: *Quomodo possum arbitrari cavere istos libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti; aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi?* Id confirmat ex quo si vita corporalis amitti potest, debet contemni, nec haberi in tali pretio, ut ejus intuitu frangatur æterna lex, quæ vult ut omnia sint ordinatissima, & proximus plusquam corruptibile corpus diligatur. *Quomodo enim* (ait) *apud eam legem sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Idem corroborat cap. 15. ejusdem libri, ubi posteaquam docuit temporali vita utendum esse, non fruendum, ait: *Cum igitur eisdem rebus alius male, alius bene utatur & eis quidem qui male amore inhæreat, atque implicetur, scilicet subditus eis rebus quas sibi subditas esse oportebat, & ea bona sibi constituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum: ille autem qui recte his utitur, ostendat quidem bona esse, sed non sibi, non enim eum bonum meliorem ve faciunt, sed ab eo potius fiunt. Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superferatur, & habere illa atque regere cum opus est paratus, & amittere, aut non habere paratior.* At qui pro libidine corporalis vitæ occidit aggressorem, temporali bono, quod potest amitti, hæret amore, & corpori conglutinatur; igitur corporali vita non utitur, sed fruitur, & charitatis ordinem pervertit. Hanc doctrinam tradit S. P. de Doctrina Ch. ut supra diximus; ideoque falluntur, qui putant illum retractasse quæ scripserat de libero arbitrio, tametsi hoc opus exornarat nondum sacra eruditione imbutus, in eoque plura inquirendo potius, quam definiendo

tradiderat. Norisius, *Non est necesse*, inquit, *ut dicamus sanctum Doctorem priorem sententiam retractasse, cum præcipue à scripto libro primo de libero arbitrio post triginta & amplius annos libros retractationum scribens illam priorem sententiam non expungens, iterum approbasse censendus sit.* Male itaque de Norisio scribit Riccius pag. 307. *Falso dicit Augustinum eam retractasse, &c.*

13. Argumenta Soti retunduntur.

Non latuit S. Thomam hæc Augustiniana doctrina; citata enim quæstione 64. docet illicitum esse, *quod homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro judicis pugnante contra latronem, quamvis etiam & isti peccent si privata libidine moveantur.* Si ergo privata libido reddit illicitam occisionem patratam ab eo, qui habet occidendi publicam auctoritatem; à fortiori damnabilem reddet cædem à privato homine illatam. Huc etiam spectat momentum, quo utitur Augustinus Triumphus; quia scilicet animam proximi plus tenemur diligere, quam corpus proprium, quod possumus amittere inviti; unde qui, ne perdat temporalem vitam non consulit saluti animæ aggressoris, diligit semetipsum inordinate, ac pervertit ordinem dilectionis. Sunt ejusdem generis argumenta à Magistro Gavardi producta. Quibus responderi solet cum Soto lib. v. de Justitia, & jure q. 1. art. 8. exigere quidem charitatis præceptum, ut corporalem vitam pro incolumitate reipublicæ, & pro salute proximorum spirituali impendamus, at non quando ipsimet proximi sciunt se male agere, & possunt à monomachia, & infestatione cessare, nec cessant sua culpa; quippe necessum non sit ab aliorum voluntariam pervicaciam vitam profundere. At primo ex sententia Soti sequitur, quod nefas sit occidere etiam cum moderamine defensionis inculpatæ ebrium, aut amentem, quem probabiliter existimes non esse in gratia, eoquod per peccatum mortale inciderit in amentiam, vel ebrietatem; tunc enim invasor nescit se male agere, atque id arbitror inconcussum, & ex momento Augustini Triumphi legitime illatum; ut vidit etiam Florentinus de Cocq. Tom. 2. Tract. v. cap. 3. Præterea distinguendum est opus externum ab animi intentione: & licet non teneat ob furorem alterius vitam profundere; vitam tamen meam tueri debeo pacato rationis imperio, ob bonum reipublicæ, ob necessitatem familiæ, atque ut moriar cum majore probabilitate salutis, non motus illa cupiditate, inquit Norisius, qua ad sui defensionem etiam bruta impelluntur: non quod amor propriæ vitæ sit illicitus, & brutalis, sed quia *motus naturæ sensitivæ*, in qua communicamus cum brutis, regi debet imperio rationis juxta ordinem charitatis, quæ præcipit ut magis diligatur anima proximi, quam corpus proprium, ut inquit in respons. ad 1. Triumphus.

14. Non licet ex ira aggressorem prosternere, nec vitæ defensionem sed alterius mortem intendere.

Postremo peccare qui ira aggressorem prosternit, nec vitæ suæ defensionem, sed alterius mortem inteudit, expresse docet ibidem sanctus Thomas, demonstratque lex naturæ, quæ nullum nobis in alterius vitam jus impertitur, nisi in casibus enumeratis pag. 44. quando nempe id postulat salus reipublicæ, justitiæ æquitas, bonumque præstantius. Atque hinc sequitur vix in praxi posse contingere, quando sine culpa occidatur aggressor. Enimvero fieri non potest, ut in promptu sit recta rationis consideratio, qua pacato imperio frœnetur motus cupiditatis, nec animus vitæ temporali subjiciatur: ut ita repellatur injuria, ne ira & indignatione animus concitetur: ut *per accidens* tantum, non intentione occidentis prosternatur grassator. Quamobrem Theologi Augustinenses, necnon PP. S. Mauri in Notis ad Augustinianam Epistolam 47. negativam sententiam propugnant; illamque tradidit S. Ambrosius lib. III. de Off. cap. 4. num. 27. scribens: *Non videtur quod vir Christianus & justus, & sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat, utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris aperta, & evidens sententia est,* Reconde gladium tuum; omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur. *Quis latro detestabilior, qui venerat ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare.* Ex hoc loco intelligitur, cur idem Ambrosius lib. 1. cap. 36. commendaverit fortitudinem Moysi, qui non per accidens, sed datâ operâ percussit Aegyptium, quia scilicet non contaminavit pietatem, nec vitam sibi aliena morte quæsivit, sed quia præclara animi intentione, in qua prima vis fortitudinis, honestas, & illud πρέπον cernitur, ut inquit eodem cap. n. 181. studit proximum eripere; quod

quod non licet carnali affectu impellente, nec in illud, quod honestum ac decorum proponitur, intentione directâ. Quoniam vero occidere ex intentione non licet, nisi ordinata potestate; Moysen, quem Ambrosius defendit ex fortitudine animi ob quam non contaminavit pietatem, Augustinus scribens contra Faustum lib. 22. cap. 70. ait dedisse signa vitiosa magnæ fertilitatis, quia peregrinum fratrem non observato ordine potestatis inultum esse non pertulit, sed Quæst. 2. in Exodum etiam ex hoc capite excusat, quoniam videtur jam divinitus fuisse admonitum, dandam per ipsum salutem fratribus, ut colligitur ex cap. VII. Act. Atque ex his Augustini & Ambrosii sententiæ facile conciliantur.

Difficultatum Enodatio.

15. Objectio 1. At nunquam absque culpa occidi injustum vitæ aggressorem probant 1. ex quo *Non occides*, præceptum Divinum sit, in quo nulla præsumi debet exceptio, nisi ipsa Divina lege exprimatur. Quare S. P. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. assignatis tribus capitibus, ex quibus occisor excusatur à culpa, quæ sunt, si bella Deo auctore gerantur, si occidatur iniquus publica potestate, & si aliquis se ipsum interimat speciali instinctu, *His igitur exceptis*, inquit, *quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel alium quemlibet occiderit homicidii crimine innectitur.* Et lib. 22. contra Faustum cap. 10. *Ille utitur gladio male, qui nulla legitima potestate vel jubente, vel concedente in sanguinem alterius armatur.*

16. Solutio. Respondemus illum, qui se cum moderamine inculpatæ tutelæ defensans interimit grassatorem, uti publica auctoritate; talem quippe occidi lex naturæ, lex Divina, lex canonica, & lex civilis permittit, ideoque nisi violetur ordo charitatis, & nisi intendatur mors aggressoris ob concitationem iræ, & noxiam libidinem, qua vita proprii corporis præferatur spirituali proximorum saluti, damnari nequit occisor. Sane Augustinus in lib. 1. de Civitate Dei demonstrat, *nullam esse auctoritatem, quæ Christianis jus voluntariæ necis attribuat*; & contra Faustum loquitur de illo, qui cædem intentans *in sanguinem alterius armatur.* Non intentat vero mortem, non arrogat sibi jus voluntariæ necis, non armatur in alterius sanguinem qui intendit propriæ duntaxat vitæ conservationem, idque non affectu brutis communi, sed per rationis imperium directo. Eodem pacto explicatur quod scribit Epist. ad Publicolam, in qua prohibet ne quis adversus aggressorem armetur ut illum occidat, sive id faciat ulciscendi libidine, sive absque ordinata potestate, ut supra diximus: ideoque S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. ad 1. ait: *Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas Augustini intelligenda est in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut se ipsum à morte liberet.* Quoniam tamen vix percipi potest, quomodo in praxi non intendatur mors aggressoris, & animus superferatur vitæ corporali, quæ potest amitti; fatemur quoque vix contingere, ut iniquus aggressor absque culpa occidatur.

17. Objectio 2. Præterea objicies. Prohibentur Christiani resistere malo, Matth. v. 39. & malum pro malo reddere, ad Rom. XII. 17. At quomodo non resistit malo, quomodo malum pro malo non reddit, qui invasorem mutilat, & obtruncat; Christus etiam Petro gladium in ejus defensionem evaginanti, Matth. XXVI. 52. inquit: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.* Quæ autem justior esset occisio ea, quam pro Christi vita discipulus intentabat? Si ergo non licuit Petro gladio satellites coercere, nec licet cuilibet in sui, vel alterius defensionem alium percutere, & enecare. Hinc Ambrosius lib. X. in Lucam cap. 22. num. 53. Petri factum expendens scribit, quod referire licuit tantum *usque ad Evangelium.* Habet similia lib. III. de de off. cap. 4. de quibus supra.

18. Solutio. Respondemus his locis redargui tantum ulciscendi cupidinem, ut vidimus præcedenti cap. 18. alioquin nefas quoque esset Christianis bellum gerere, se ipsos defendere, & iniquos hostes coercere, quod nullus dixerit, nisi heterodoxus. In Petro quid reprehendendum fuerit, paucis ostendam. Primò ad repellendos hostes gladio utendum non est, nisi prius adhibeatur ratio ac prudentia; hæc enim arma nobis natura dedit, non rostra, non cornua, non ferarum ungues; ac Petrus non ratione ac prudentia, sed cæco amoris impetu ducebatur: quid enim adversus multitudinem solus poterat consequi tractando gladium? Id observat Victor Antiochenus in Catena Græcorum Possevini pag. 327. Deinde, quia sponte Dominus mortem subibat, & implendæ erant Scripturæ: quamobrem alias Petrum

trum redarguerat Matth. xvi. 22. cum prædicente Domino futuram passionem, inquit Apostolus *Absit à te Domine.* Atque id observat Chrysostomus Hom. 84. in Matth. pag. edit. Commel. 327. Tandem impedienda non erat mors decreta pro humani generis redemptione, ut docet cit. lib. 3. de Offic. S. Ambrosius, Illa autem verba, *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*, auctore ibidem Chrysostomo non ad Petrum spectant, sed *ad illorum, qui Christo insidiabantur, supplicium:* sive ad illos, qui mortem vel punitionem intentant absque legitima potestate, ut exponunt Lyranus Estius, & Menochius xiii. Volum. Bibliorum Max. pag. 312. Porro Ambrosius in Lucam ait quod non referire pertineat ad perfectionem Evangelii; atque id nullus negat. Ait enim: *Lex tamen referire non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, Satis est, dicit, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.* Aut Ambrosius culpat *referire* absque præclara intentione animi, quod magis bonum est, præferentis: ob quam intentionem lib. 1. cap. 36. commendavit Moysis fortitudinem.

19. Objectio 3. & Solutio.

Insuper objicies: Ait Augustinus in 1. de lib. arbitrio cap. 5. demonstrantque Augustiniani Theologi, illum qui in sui defensionem occidit alterum, amore corpori conglutinari, & noxia moveri libidine. Producta sunt paulo supra testimonia Augustini, & Augustinensium argumenta.

Resp. nos neque ab Augustino, neque à nostratibus recedere: negamus tantum interesse noxiam libidinem, dum occisor non movetur ulciscendi cupidine, dum in sui defensionem vigilat pacato imperio rationis, dum non intentat aggressori mortem, & hæc accidit præter intentionem se defendentis: quod fatemur perraro in praxi contingere: Hinc S. Pater Epist. 153. alias 54. ad Macedonium inquit: *Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuste aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone; an ulciscendi vel obediendi ordine, sicut à judice, sicut à carnifice; an evadendi, vel subveniendis necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite.* Eam ob rem Norisius, cui subscribimus, ait diversa Augustini effata componenda ex verbis S. Patris lib. 1. de lib. arb. cap. 5. *Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari;* ita ut occisio invasoris sit licita, si à noxia cupiditate sequestretur, uti sequestratur in milite, qui bonum Reipublicæ, & civium incolumitatem intendit, peccat tamen & ipse, *si privata libidine moveatur*, inquit sanctus Thomas

20. Objectio 4.

Oppones 4. Peccare etiam qui occidit salutis suæ causa scribit S. Basilius Epist. ad Amphilochium can. 8. 43. 55. S. Bernardus de Præcepto, & dispensat. cap. 7. n. 13. & de Nova milit. cap. 1. Sacri etiam Canones citati à Lupo de Opin. Probabili cap. 8. præsertim 28. in Append. ad capitul. Reginonis, indicunt pœnitentiam quadraginta dierum iis, qui Diaboli membra interficiunt, sine odii *meditatione, & se, suaque liberando.* Etiam S. Cyprianus Ep. 56. & 57. ait Christianis nefas esse occidere *nocentem*, & esse necessarium *occidi.*

21. Solutio.

Resp. His nos nequaquam urgeri, cum asseramus illicitam esse occisionem, qua mors aggressori intentatur, & quæritur vita corporis morte aliena, non ordinata charitate, sed noxia libidine. Deinde respondemus S. Basilium cit. canone 8. loqui de occisore, qui ensem, securim, aut alia instrumenta jaculando *satis præsetulit se animi perturbatione vitam homini non peperciss.* Canon. 43. illum homicidam appellat, *qui prior percussit sive ultus est:* & can. 55. inquit arcendos ab Ecclesia, qui absque ordinata potestate *se latronibus adversos objiciunt.* S. Bernardus priori in loco agit de homicidio voluntario, quod perpetratur necessitate quidem se defendendi; sed intendendo mortem aggressoris: nam pertractat de iis, qui libera voluntate legem transgrediuntur, atque ob ob diversum finem inquinantur graviori, aut leviori facinore. Ac de nova militia perstringit ilam occisionem, *in qua occisor lethaliter, peccat, & occisus æternaliter perit*: non peccat autem, qui cædem alteri non intentat, nec est voluntaria causa damnationis, quam aggressor pervicacissime incurrit. In canone 28. Reginonis, primo pœnitentia indicitur iis, qui interficiunt latronem, cum possit comprehendi absque præda, deinde iis, qui sine odii meditatione interficiunt diaboli membra, voluntarie tamen occidunt pro vita corporali quos sciunt in æternum perire: atque in priori casu deest moderamen; in altero pervertitur charitatis ordo. Cyprianus denique pertractat de tempore persecutionis, quo fidei causa debet quisque subire martyrium: quo sensu etiam Lucifer Calaritanus ait in libro

libro ad Constantium, *Non occidere, sed occidi propter Dei filium docemur.*

22. Objectio ultima. Ultimo objicies: Si omnia jura permittunt, ut vis hostilis vi repellatur, si occisor furis nocturni est immunis à culpa, si ordine charitatis non tenemur magis alienæ vitæ, quam propriæ consulere; cur etiam non poterit occidi injustus aggressor mortem illi intentando, & dum nulla alia via est evadendi, etiam illius cor, aut jugulum armis petendo?

23. Solutio. Resp. id sententia nostra esse illicitum, quoniam idem jus naturale, quod permittit ut vim vi repellamus, præscribit etiam ut vis sensuum, qua movemur ad propulsandam injuriam animo ulciscendi, repellatur vi rationis præcipientis ut ordo charitatis non pervertatur: quod si vis rationis consequatur, dicimus licite aggressorem occidi. Affirmamus eo pacto non peccare qui pro familiæ suæ incolumitate occidit furem nocturnum nesciens num venerit ad occidendum aut furandum, si aliàs non succurrat consilium, ac ratio vitandi periculum; quoniam salus sui ipsius, uxoris, & filiorum præferenda est vitæ unius grassatoris. Eadem ratione asserimus prætermittendam non esse, ut inquit S. Thomas, moderatam defensionem *ad vitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam vitæ alienæ:* sed negamus posse occidere aggressorem ut se ipsum defendat, illi mortem intentando; quia nefas est quærere vitam propriam morte aliena, quam supremus Judex juri suo, ac ordinatæ potestati, infligendam improbis reservavit. Postremo dicimus vitam proprii corporis diligendam; sed cum amitti possit, debeatque pro salute spirituali proximorum nostrorum contemni, ita servandam illam esse, ut hæc salus voluntate nostra non periclitetur: ut animum nostrum regat charitas, nec frangat ira, nec flectat noxia cupido: ut denique nos defendamus non tanquam bruta, quorum præstantius bonum est vita corporis, sed tanquam rationales homines, quorum summa felicitas est vita animæ. Hæc autem vita haberi nequit sine virtutum omnium nobilissima ac jucundissima, de qua hactenus disputavi, id est,

CHARITATE.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS QUARTUS,

In quo pertractatur de corporis, animique Oblectamentis.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.

I. Ratio Ordinis.

Ix dum superiorem librum absolveram, & ecce VIII. Idus Februarias supremus Ecclesiæ Rector, Assertor Fidei, Justitiæ Vindex, literarum Patronus, & Decus Aetruriæ nostræ immortale CLEMENS XII. ut definitum erat, naturæ concessit. Universam Urbem ejus munificentiâ amplissimis ædificiis, Capitolino Musæo, Fontium, Templorumque majestate, atque iunumeris aliis vetustæ, ac novæ dignitatis monumentis ornatam acerbissima mors in luctum, mœroremque convertit. Parentatum illi quidem incruentis sacrorum ministrorum holocaustis, splendido funebrium pegmatum apparatu, excultis Epitaphistarum næniis, elaborata panegyri, Purpuratorum Patrum frequentia, magno populorum conventu, universorum denique precibus, atque lacrymis: sed hæc omnia neque potuerunt satis Demortui merita celebrare, neque viventium consolari dolorem. Quamobrem Ecclesiastica plebs optimo viduata Pastore, sanctissimoque orbata Magistro insistit quoridianis obsecrationibus, ut cælestis Sospirator, qui pollicitus est se nunquam nos orphanos derelicturum, Ecclesiæ suæ talem Sponsum exhibeat, in quo CLEMENTIS beneficentiam, religionem, pietatem, solicitudinem, studiumque erga nos maximum experiamur. Nec aliquem futurum arbitror, qui ægro animo patiatur inhiberi hac de causa popularia Bacchanalium tripudia, & præcedentia Quadragesimale jejunium oblectamenta: in quibus licet servent nonnulli debitam moderationem, solet nihilominus multitudo, quæ semel concessis abutitur, vere bacchari, modum excedere, atque insanire. Quare de his proposui festivo quodam lepidoque disserendi genere pertractare; ut nemo molestè ferat, si careat istiusmodi voluptatibus, eisque omnes utantur sobrie ac temperanter, si affluant: ii tandem qui nos patiuntur insipidos ineptosque disputatores, conditum aliquid profanâ eruditione delibent.

CAPUT I.

De Bacchanalium consuetudine.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. de origine & usu Bacchanalium.
2. Propositio 2. probatur etiam nostra Bacchanalia non esse honesta & licita oblectamenta.
3. Propositio 3. voluptas immoderata bacchanalium non tantùm Christiano, sed & rationali indigna est.

Quo

QUo ergo tempore agendis Bacchanalibus dat operam, insanitque plebs Christianorum, contigit ut scribendo libros de humanis Officiis vim facultatemque meam exercerem. Ipsa temporis occasio me impulit, ut præcedentibus istum superadderem & argumento priorum non dissimilem, & morum institutioni percommodum, & rerum dicendarum lepore & venustate jucundum. Pertracto enim de oblectationibus, quarum causâ plura exercentur humanorum actuum officia, neque solas trado moralis Theologiæ præceptiones, verum etiam Veterum mores, & quædam insuavis disputationis condimenta. Primo autem loco de Bacchanalibus instituo sermonem.

1. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Bacchanalium origo, & usus antiquus est, fuitque olim magnopere detestandus, & execrabilis.

De origine & usu Bacchanalium.

Ipsum Bacchanalium nomen, institutio, auctor, & ritus propositionem commonstrant. I. *Bacchanalia* dicuntur, quasi Bacchi sacra: Bacchus vero nomen habet ἀπὸ τοῦ βαχχέειν, *incomposite vociferari*, aut ἀπὸ βακχέυω *furore agitor*. Appellatur & Liber à vino, quod liberat à tristitia: dum enim perpotatur immodice, *Tunc venit risus, tunc pauper cornua sumit*, inquit Ovidius. Dixere & Dionysium, quod fabulæ tradant infantem perductum ad antrum Nysæ, Semele matre à Jove compressa fulgure ac tonitru exanimata & extincta: atque ita à Deo Jove, & Nysa nympha Dionysii nomen derivatum est. Scribunt Poetæ & à Parcis immanibus cinctum anguibus, discerptumque à Titanibus. Cornibus taurinis Bacchi simulacra ornarunt Græci, quod *cornu* antiqui biberint, unde vini propinator dictus *Pincerna*. In altera manu thyrsum, in altera scyphum defert, insidetque vehiculo cum Pardis bijugibus. Hæc omnia vini, atque ebrietatis effecta, & ebriosi insaniam furoremque demonstrant. De ipsius autem Bacchi obscœnitate & flagitiis vide Lactantium lib. I. Institut. cap. x. Arnobium in v. pag. 72. Clementem Alexand. in Admonit. ad Gentes, Commodianum Instruct. XII. & L. Gyraldum Ferrariensem Synt. VIII. Deorum. Ab ipso ergo nomine Bacchi liquet Veterum Bacchanalia fuisse quædam sacra insanæ, & execrabilis superstitionis. II. Execrabiliora autem deprehenduntur, si dicamus, quinam fuerit Bacchanalium primus institutor & auctor. Constat enim ex Jul. Firmico de Errore Profan. Relig. cap. 6. hujusmodi auctorem fuisse Liberum Thebanorum Tyrannum, *ut mente captas nobiles fœminas & libidinum ministras haberet, & scelerum.* Consentit Tacitus, qui lib. XI. Annal. cap. XXXI. scribit Messalinam ludicrum tale celebrasse, ut tegeret adulterium: & Livius, qui lib. IX. dec. IV. appellat Bacchanalia viam unicam corruptelæ. Obscœnissimum ergo auctorem habuere Bacchanalia, & obscœnitatis gratia fuerunt instituta. III. Ritus Bacchanalium quanta impudentia, & inverecundia, necnon flagitiosissimis verbis fuerit pernicios us ac turpis, narrat S. P. Augustinus lib. VII. de Civit. Dei cap. XXI. Sat est honestissimas matresfamilias palam perfecisse, quæ nec meretrix, si matronæ spectarent, facere poterat in theatro. Minus improba erant quæ narrat Blandus lib. 2. de Roma Triumphante, convenisse nudos viros cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis, virginibus, veluti omne amisissent discrimen. Iidem pene ritus erant Madianitarum in cultu idoli *Beel-Phegor*, de quo Num. XXV. 3. & Psalm. CV. 28. Idem est enim Hebræis פְּעֹר, ac Latinis, *aperire, exponere, denudare:* unde *Beel-Phegor* idem est, ac Deus turpitudinis, quem πριάπον dixerunt, ut in caput IX. Osee animadvertit D. Hieronymus, & quem in sacris Bacchi plostellis impositum circumferebant, ut citato loco Augustinus; cumque hoc turpissimum idolum colerent liquidis seminibus fructuumque liquoribus, hortis quoque custodiendis præficiebant. Itaque sive spectes Bacchanalium institutionem, sive auctorem ac finem, sive denique celebrationem ac ritum, indubitatum est detestabiliora esse omnibus aliis oblectamentis. Atque hinc est, quod etiam Romanus Senatus non modo ab Urbe, sed ab universa Italia olim Bacchi sacra eliminavit, ut refert Tertull. cap. 6. Apologetici: Scythæ autem apud Herodotum lib. IV. cap. 18. ea reprehenderunt tanquam insaniæ turpitudinem; & Phœnices hæc & consimilia deliramenta fieri patiebantur duntaxat in nemore posito in parte prælti montis, quò nemo honestus audebat accedere; inquit Eusebius lib. III. de Vita Constantini.

2. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Bacchanalia quomodo nunc celebrantur ab aliquibus, qui conniventia, & concessione Principum abutuntur, connumerari nequeunt inter honesta & licita oblectamenta.

Probatur etiam nostra Bacchanalia non esse honesta & licita oblectamenta.

Si enim superstitiosæ idololatriæ ritus, & nefariam illam turpitudinem sacrorum Liberi prætermittimus: hæc Bacchanalia

chanalia licentiam longe superant antiquorum. 1. Primò id comprobat hodiernus usus personarum, sive larvarum. Primus personarum usus fuit in Scenis auctoribus Cincio, & Falisco, ut scribit M. A. Muretus in Præf. ad Terentium. Causam vero profert Satyra IV. Horatius, ut personati actores majori libertate recitarent,

Si quis erat dignus describi, qui malus, aut fur,
Qui mœchusve foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus.

Priori ergo Bacchantium ætate personati improbos notabant: nunc in bonos æque ac malos obloquuntur, & absque fabularum venustate jaciunt in singulos dicteria. Imò in Theatris proprio vultu, & perfricata fronte convitiatores bacchantur. Extra scenas autem, nunc quoque, ut canit in 2. Georgicon Virgilius,

Versibus incomptis ludunt, risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.

Retinet ergo hac in parte præsens consuetudo veterum Bacchanalium deformitatem. II. Quod mulieres incedant virili habitu, virique muliebri, dicitur Deut. XXII. 5. *res abominabilis apud Deum.* R. Maimonides scribit hanc sexus permutationem institutam in honorem Martis, ac Veneris: & quidem Veneri in Cypro viros sacrificasse in veste muliebri, & mulieres in virili veste, scribit etiam Servius in II. Aen. Verum idolorum cultu sublato, adhuc jure clamat Satyricus:

Quem præstare potest mulier larvata pudorem,
Quæ fugit à sexu?

III. In comœdiis, choreis, conviviis, ludisque etiam nunc laxari, ut in perantiquis Bacchanalibus, intemperantiam atque libidinem res per se loquitur, nec non evincit veritas proximis capitibus declaranda. IV. Quamquam usus Bacchanalium innumeris flagitiis minime redderetur illicitus; non deberet Christianus, eo tempore, quo Ecclesia deponit vestimenta jucunditatis, atque ad pœnitentiam invitat, quod in Dominica Septuagesimæ, & sequentibus præstat, crapulæ & Veneri turpiter indulgere; maxime, quod Catholicis Romanis solent hoc præsertim crimen Novatores objectare. Neque enim sufficientem excusationem præbet proximum Quadragesimale jejunium: quippe ad istud nequit parari aditus per temulentiam, quomodo ad justitiam non devenitur per fraudem, neque ad sobrietatem per lasciviam; ut docet Hom. 1. de laud. Jejunii Magnus Basilius.

PROPOSITIO III. Excedens, atque immoderata Bacchanalium voluptas, quamvis expers pervetustæ malitiæ, Christiano homine, etiam quâ rationali duntaxat, indigna est. 3. Propositio.

Quantum ad Christianum, nulla est difficultas: quippe illum non latet, Ecclesiasten asserere cap. II. 11. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Novit insuper terrenas voluptates fluxas esse, & comparari aquæ, de qua legitur Joannis IV. 13. *Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* In quem locum Augustinus Tractatu in Joan. XV. *Quid est* (inquit) *qui biberit de aqua hac, sitiet iterum? Et verum est secundum hanc aquam: & verum est, secundum quod significat illa aqua. Etenim aqua in puteo voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa. Hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum.* Præterea Fidelis credit repromissam sempiternam felicitatem lugentibus, abnegantibus semetipsos, crucemque ferentibus. Haud ignorat se peregrinari à Domino, iter suum dæmones quasi latrunculos obsidere, instare undique pericula, occasiones peccandi, mortem, incertum exitum, atque exitium irreparabile. Etiam fide destitutus experitur 1. inanium voluptatum amatores substantiam ac bona temporalia dilapidare, ut de luxurioso adolescente narrat Lucas cap. XV. 2. afficere semetipsos ignominia quemadmodum de Salomone legimus Ecclesiastici XLVII. 22. 3. in ipsa voluptatum consecutione sentire excruciantem ægritudinem, laboremque molestum. *Vacat enim* (inquit Seneca) *pudicitia, libido occupatissima est: omnium virtutum tutela facilior, vitia magno coluntur.* 4. Cum in recte factis abeat labor, & maneat honestas, in voluptatibus transit delectatio, & remanet turpitudo. Tandem, ut in Proverbio est, *extrema gaudii luctus occupat:* atque ut ajebat Boetius:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes.

Voluptas immoderata Bacchanalium non tantùm Christiano, sed rationali indigna est.

Ipsa itaque humana ratio, ipsumque experimentum demonstrant quam pernicioſum sit voluptate nimia gestire.

CA-

CAPUT II.

De Theatris, & Comœdiis.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Major luxus in hodiernis, quàm gentilibus theatris.
2. Confirmatur Propositio.
3. Probatur Commœdias antiquas præstantiores fuisse, quàm modernas.
4. Propositio 3. Probatur histriones esse iniquos, & infamiâ notandos.
5. Propositio 4. Probatur graviter peccare spectatores comœdiæ obscenæ.
6. Probatur, vix possibile esse, quin tales Comœdiæ non incitent ad voluptates.
7. & 8. Solutio objectionum.

POSTEAQUAM noxias Bacchanalium voluptates generali oratione perstrinximus, operæ pretium est illas expendere, quæ ex Theatrorum frequentia percipiuntur.

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. Major interdum apparet luxus & insaniens libido in quibusdam hodiernis Theatris, quam in iis, quæ primum in cultum Veneris instituêre Gentiles.

Probatur major luxus in hodiernis quàm gentilibus Theatris. Demonstr. 1. ex Theatri structurâ. Athenienses non aliud, quam ligneum erigebant, utillud transactis diebus spectaculorum statim dissolverent: atque hinc apud Hesychium Theatra appellantur *lignea tabulata*. Idem servatum est Romæ, antequam saxeum construeret Q. Gallus: unde Ausonius de ludo Sapientum inquit:

Aedilis olim scenam tabulatam dabat.
Subito excitatam, nulla mole saxea.

Nuda ut plurimum erant, & sine tecto; ideoque Chrysostomus hom. IV. in Esaiam ait: *Sudant in Theatro, nudo capite solis ardorem excipiunt, ut fiant captivi mortis, & scorti mancipia.* Scenæ, quamquam Muræna posuit elegantissimam, & argenteam, fuere à principio arborum rami cum frondibus, & corymbis. Servius,

Illic quas tulerat numerosa palatia frondes
Simpliciter posita scena sine arte fuit.

2. Confirmatio. Compara nunc, Lector, cum his moles Theatricas in urbibus nostris erectas, picturis ornatas, undique cinctas, & coopertas, & quotannis scenas, & orchestres dispendio maximo renovatas. II. Ex subselliis, eorumque dispositione. Ex quo enim spectatores sedere cœperunt, cum antiquitus starent, Athenis Senatoribus destinatus fuerat locus dictus Buleuticus, tum cæteris servato ordine, ita ut mulierum, & virorum, auctore Aristophane in Avibus, sedes fuerint semper divisæ. Atque mulieres & hospites spectabant circa altum sedentes, in loco scilicet Theatrorum remotissimo. Romæ pariter stabant Senatores in Orchestra primisque subselliis, tum cives, & alii dispositi, & à mulieribus separati. Quanto ergo sunt Christianorum Theatra detestabiliora veteribus, cum in istis confuse sedeant viri ac mulieres, proci & puellæ, nobiles ac plebei? III. Ex facta Actoribus Scenicis donatione. Quinque enim denarios singulis tantum distributos liquet ex Epistola Senecæ LXXXI. Cum autem Tiberius munerum corrupisset impensas, Marcus Antonius statuit, ut Scenici nonnisi quinos aureos acciperent. Nunc vero Cantoribus, & cantantibus fœminis, quingentorum saltem aureorum munera scenica donatione tribuuntur; quæ certum est subripi ex debita pauperibus eleemosyna. IV. Ex Histrionum ornatu. Tragici quippe prodibant capite gibbero & personato, deferebantque cothurnos, vestemque talarem, Syrmam dictam: de quo ornatu plura lib. I. de Theatro Bulengerus. Comicorum vero intorta pallia, exiguos amictus, chlamidesque describunt Donatus, & Muretus, exhibentque figuris æneis Comœdiæ Terentii Romanis typis nuper impressæ. At Scenici Actores qualem modo non ostentant vanitatem, immodestiam, luxuriam, obscœnitatem? V. Ex fœminis, quæ modo cum viris theatra conscendunt: quod nunquam passi sunt Romani, vel Græci, ut sancta permotus indignatione scribit n. XVII. de Comœdia doctissimus Bossuetius. VI. Ex pretio tandem à Spectatoribus oblato. Solon tres tantum drachmas solvendas decrevit. Scholiastes Aristophanis, *Spectavi* (inquit) *duos obulos ferens.* Ut spectarent pauperes, obuli hi duo viritim accipiebantur de ærario. Jam vero

ut luxurioſe omnia dilapidentur, nummus ſaltem aureus ſolvendus eſt. Quidquid igitur ad Theatrum ſpectat, undique majorem redolet, quam apud veteres, improbitatem.

3. Propoſitio 2. PROPOSITIO II. Comparatione antiquarum deſpiciendæ magis ſunt nonnullæ Comœdiæ recentiores.

Probatur Comœdias antiquas præſtantiores fuiſſe quam hodiernas.

Nihil aliud erat Comœdia vetus, quam hymnus, aut carmen in honorem Divorum, ad cujus exemplum conſcripta traditur ab Homero Odyſſæa: ideoque non male Florentinus Dantes editum à ſe Etruſcum Carmen elegantiſſimum inſcripſit *Divinam Comœdiam*. Huic comœdiæ veteri quis auſit incomptas theatricasque fabulas comparare? Fertur primus omnium Aeſchylus pro uno hiſtriones tres poſuiſſe: parvus adhuc numerus, & absque fœminis; quod ſane Comicorum noſtrorum multitudini, ſexusque diſcrimini nota eſt dedecoris, & infamiæ. Adinventa poſthac poemata Dramatica, Tragicum, Comicum, Satyricum, & Mimicum: & Tragœdiam dicitur inveniſſe Theſpis, atque Syracuſis excoluiſſe Epicharmus, Romæ autem Livius Andronicus, omnium primi. Finis quidem horum voluptas, ſed non alia quam parit ſermo *conſtans rythmo, harmonia, & numero*, inquit Ariſtoteles de Arte Poetica capite 6. Nunc voluptatem Scenici excitant verborum improprietate ac turpitudine, impudico Corporis geſtu, ornatu veſtium immodico, & moribus debacchantium. Liberior quidem ſermo in aliis à Tragœdia Carminibus, ſed incredibile dictu, verum tamen! honeſtior Thais, & Bacchis Terentiana, quam Coriſca, & Dorinda Guarini. In antiquis Comœdiis etſi aliquando acclamatum; plauſum vix expleto opere captabant Actores: eratque id, ut Quintilianus ſcribit, pars Epilogi. Abſolvebatur enim fabula, ut in Truculento Plauti, verſu, *Spectatores bene valete, plaudite, exurgite*; aut in Eunucho, vel Phormione Terentii, his verbis, *Vos valete, & plaudite*; aut conſimilibus aliis. Plena nunc omnia ſtrepitu, cachinnatione, riſuque ſoluto. Etiam profano decore expoliata eſt Comœdia recens: in qua invenies Cataſtrophen in Protaſi, nec diſtinguere vales motoriam à ſtataria: nec ſervatum præceptum Horatii in Arte,

Verſibus ornari Tragicis res comica non vult:

imo nec alterum,

Neve minor quinto, neve ſit productior, actu.

Doctis itaque ob dramata incompta ac ſpinoſa, ſciolis propter plebis cachinnos atque tumultus, cunctisque ob verborum Actorumque licentiam, novæ magis, quam antiquæ Comœdiæ, ſunt fugiendæ.

PROPOSITIO III. Hiſtriones invere- 4. cundi, aliique inhoneſtæ Comœdiæ Propoſitio 3. actores ſunt hominum iniquiſſimi, & infamia notandi.

Probatur Hiſtriones eſſe iniquos, & infamia notandos.

Probatur I. ex VIII. libro Apoſtolicarum Conſtit. cap. 32. *Scenicorum ſi quis accedat vir, ſive fœmina, vel auriga, vel gladiator, vel ſtadii curſor, vel laniſta ſeu ludorum curator, vel Olympicus, vel Choraules, vel Cithariſta, vel Lyriſtes, vel ſaltationem oſtentans, hi aut finem faciant, aut rejiciantur.* II. Tertullianus cap. XXII. de Spectaculis, ait: *Etenim ipſi actores, & adminiſtratores ſpectaculorum, quadriganos, Scenicos, Xyſticos, Arenarios illos amantiſſimos, quibus viri animas, fœminæ, aut illi etiam, corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea committunt, quæ reprehendunt ex eadem arte, quam magni faciunt, deponunt, imo manifeſte damnant ignominia & capitis minutione, arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite, cæterisque honoribus omnibus, ſimul ac ornamentis quibusdam.* III. Auguſtinus lib. II. de Civit. D. cap. XIII. in hujus rei confirmationem recitat verba Scipionis apud Tullium de Republica, *Cum artem ludicram, ſcenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria voluerunt.* Excipiebantur tamen ab hac lege Actores Atellanarum, quæ erant fabulæ ſeveriores ad memoriam revocantes priſcam Italicam diſciplinam. Quamobrem & nos inſectamur tantummodo Comœdias turpes atque inhoneſtas. IV. D. l. 2. de iis, qui notantur infamia habetur: *Infamia notatur qui artis ludicræ, pronuntiandique cauſa in ſcenam prodierit:* necnon l. 2. §. ultimo ibi inquit Ulpianus, *Qui in ſcenam prodierit, infamis eſt.* Legite etiam Cyprianum Epiſtola 61. Hieronymum in Hilarione, Novellam Juſtiniani XXII. Genettum ad VI. Præceptum, Natalem Alexandrum lib. IV. in Decalogum Reg. XV. & Chriſtianum Lupum ad Canonem LXII. Trullanum.

PROPOSITIO IV. Ingredientes Thea- 5. trum, ludicramque ſcenam ſpectantes Propoſitio 4. peccant graviſſime, niſi Comœdia, quod raro contingit, ſit honeſtiſſima.

Ratio-

Probatur graviter peccare spectatores Comœdiæ obscœnæ.

Rationem profert Lactantius lib. VI. Institut. cap. 20. scribens: *In Scenis nescio an sit corruptela vitiosior; nam Scenicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantiam suadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi & ornati.* Tertullianus pariter citato libro de Spectaculis appellat Theatra *Veneris sacrarium*, & adinventa scribit *ad stuprum, vagamque licentiam.* Exclamat Cyprianus in Epistola ad Donatum: *Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum histrionicis gestibus inquinari!* Tonant consimili voce Patres reliqui. Nec Patres tantum: etiam Petrarcha dialogo XXX. Bulengerus ipse citato superius libro, & Hæretici atque Catholici uno ore. Extant Canones arcentes Theatricos à fidelium communione, quod in Spectatorum animis illicitam pariant delectationem, ut V. Synodi, I. Arelatensis, & Apostolicæ Constitutiones paulo supra productæ. Quid plura? Imperatoriæ leges statuunt gravissimam esse causam repudii, si conjuges viris invitis & prohibentibus intersint *vel Circensibus, vel Theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis*, ut liquet ex L. *Consensu*, C. De repudiandis mulieribus.

6. Probatur vix possibile esse, quin tales comœdiæ non incitent ad voluptatem.

Quod vero vix possit contingere, ut Scenica Opera ad noxias voluptates non præbeant incitamenta; constat primum ex eo, quod nullum careat versu aliquo amatorio, illumque poetæ cantantium affectibus, desinentibus vocibus, & jucundiori sono debeant accomodare, ut de Comœdiis Lulli scribit n. 111. Clarissimus Bossuetius. Ac præterea solent Cantores Scenarum exsecti simul cum fœminis commorari, ac non semel turpi consuetudine implicati verba quoque, si qua sunt, illibata cantus modulatione, suspiriis, voluptaria compositione, atque indecentia habitus labefactare. Præterea Scenica ipsa matrimonia quid sunt aliud, nisi inditæ concupiscentiæ fomenta spectatoribus oculos in scenam conjicientibus? quam concupiscentiam ut Sponsorum connubia frænarent, matrimonia serio peracta sunt instituta, addito postmodum solemni ritu cum Ecclesiæ benedictione. Ad hæc infectantur Scenici aut maritorum zelotypiam, aut aversionem puellarum aut rigidam solitudinem: unde paulatim disponuntur mariti ad morem gerendum uxori, virgines ad obsequendum amatoribus, religiosiores homines ad convictum, atque societatem quamlibet frequentandam. Quid insuper efficiunt Mimici, Satyrici, joculatores, servi, ancillæ, & parasiti scenarum, nisi forte complures docent, quo pacto derideant, mordeant, decipiant, supplantent? Ipsæ denique simulationes, in quibus agendis celebris Comicus Molier indutus personam ægroti mortali ac repentino eventu decubuit, ut refert idem Bossuet n. v. nihil sunt aliud, quam inanis ostentationis, & detestandæ hypocrysis documenta. Atque hæc sunt honestissimarum comœdiarum condimenta salubriora. Videsis quo loco habendæ sint reliquæ. Prætermitto Festorum profanationes; compertum est enim Comœdiarum spectatores unam vix horam dare Divino cultui, noctis vero dimidium spectaculis.

7. Objectiones.

Adversus prædicta opponi solet I. quod S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. doceat officium Histrionum non esse per se illicitum. II. Scenicas Actiones in nullo Evangelici voluminis textu reprehendi. III. Quæ in Scenis aguntur, non vera esse, sed apparentia. IV. Nihil esse quod improbis nequeat exhibere nequitiæ argumentum, ut in 2. Tristium ajebat Ovidius,

Omnia perversas possunt corrumpere mentes.

Quinto demum aliquam concedendam esse unicuique voluptatem.

8. Solutiones.

Ad primum autem respondent Natalis Alex. citato lib. IV. Decal. Reg. XV. & Jacobus Bossuet de Comœdia n. XXIII. à Divo Thoma usurpatum vocabulum *Histrionis* ampla significatione ad homines, qui honestis facetiis delectationem pariunt, designandos. Ad alterum num. XX. idem Bossuet respondet, neque in Evangelio expresse damnari ludos Gladiatorum, & atratas sanguine in Amphitheatris pugnas: Christum Israelitis potissimum verba facere, eorumque laudem esse maximam nulla excitasse theatra: damnari demum illecebras & incitamenta libidinum ubicunque reprehenditur concupiscentia. Ad tertium vero respondet Joannes Chrysostomus hom. VI. in Matth. etiam simulatione plurimos blande allectari. Ad proximum dico non esse morum regulam pulsum in exilium ob ludicra carmina Poetam: neminem posse probare quæ idem addit.

Nec tamen est facinus versus evolvere molles,
Multa licet castæ non facienda legant.

Ovidium ipsum hanc præmittere confessionem,

Ut tamen hoc fatear; ludi quoque somnia præbent
Nequitiæ.

Ad ultimum esto responsum: Delectari fas est, sed servata regula, quam Epistola IX. tradit Ausonius,

Salva mihi Veterum maneat dum regula morum.

CAPUT III.

De facie histrionica, personis, larvis, & fæminei sexus imitatione.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur; majorem modò esse luxuriam in larvis, quàm apud superstitiosos.
2. Propositio 2. Probatur detestabile esse, fæminam habitu viri, & viros habitu mulierum indui.
3. confirmatur.
4. & 5. Objectionum solutio.

TAMETSI quædam de personatis attigi secunda propositione I. Capitis, postulant licentia, & abusus, ut propriis thesibus aliqua edisseram.

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. In personis, larvisque penes nonnullos improbos immoderatior est ætate nostra, quam regnante superstitione, luxuries.

Probatur majorem modò esse luxuriem in larvis, quàm apud superstitiosos.

Antequam facies fictas, sive personas pro scenicis ludis excogitasset Aeschylus dictus ab Horatio in Arte Poet. *Personæ, pallæque repertor honestæ*, consueverunt histriones vultum minio tantum ac fæcibus oblinire: nec in agendis triumphis usus alius personarum, præter factas thriis, id est, siculneis foliis, à quibus derivatum *Triumphi* nomen scribit in Diocletiano Zonaras Motum arbitror à Dæmone primum adversus pudicitiam personarum inventione bellum, unde consultum Geneseos III. 7. Adæ, uxorisque pudori. Cum ista tamen tam simplici consuetudine personatorum, arbitror neminem intemperantiam, & usum præsentis temporis collaturum; præcellit enim harum personarum nequitia non modo siculneas illas, verum etiam quas Aeschylus, aliique veterum usurparunt. I. Id ex antiquarum usu & institutione probatur. Non alia ratione personas primus auctor invenit, nisi ut os contectum undique sonitus ederet claros, atque canoros, ut scribit Gellius lib. V. cap. VII. commonstratque forma earundem. At ab hoc fine aberrant novæ, quæ sunt derisionis, libertatis, insanientisque libidinis administræ. II. Comprobatur ex facierum similitudine. Fingebantur enim veteres ad risum quidem accomodatæ, propter quod personati dicebantur *gumiæ*, aut *manduci*, quæ nomina occurrunt apud Plautum, Juvenalem, & Lucilium, designantque personas distortas, oribusque deformes: erantque terriculamenta puerorum, unde Martialis ait in Epigrammate 176. lib. 14. *Quæ tu derides, hæc timet ora puer.* Hinc & *Larvæ* dictæ à *Laribus*, foco scilicet, & vaporario. Cautum tamen ne alicui ex principibus viderentur adsimiles, tunc enim in certum discrimen capitis venissent poeta, & actores. Nunc vero tanta personati incedunt licentia, ut cujusque ordinis hominum assumant imagines, parumque abest, quin sacros quoque habitus ferant in hippodromo, atque in ambitu platearum. III. Personis ipsis curarunt Ethnici insinuare nostræ mortalitatis memoriam: consueverunt enim ponere in cœnaculis larvam, quæ varie vertebris & articulis flecteretur, hoc prolato districho:

Heu, heu, nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

Nunc autem larvis exultant juvenes, mortisque imagine tristique senecta quali non morituri bacchantur. Atque ideo in ipsorum fronte instituit Ecclesia cinerem spargere, sententia resolutionis in pulverem singulis repetita. Ita juremerito larvas Christianorum dixi idololatrarum personis turpes magis & inquinatas.

2. Propositio 2. Probatur detestabile esse fœminam habitu viri, & viros habitu mulierum indui.

PROPOSITIO II. Detestabile est, mulieres habitu virorum personatas incedere, & vicissim viros vestimentis mulierum.

Hæc argumenta in hanc rem congesfere Theologi. I. Depromitur ex capite superius citato Deuteronomii, in quo legitur: *Non induetur mulier veste viri-*

virili, nec vir utetur veſte fœminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc. Quod non ſolum videtur præceptum ob idololatriam, cujus gratia diximus excogitatam veſtium commutationem; ſed etiam, quod res ſit per ſe turpis & inhoneſta, cum ibidem præſcribantur quæ pietati, & rationi conveniunt. II. Petitur ex antiquo Canone Bracharenſi: *Si quis faciem ſuam trasmutaverit in habitu mulierum, & mulier in habitu virili, emendatione pollicita, tres annos pœniteat.* Et ex Canone XIII. Gangrenſi: *Si qua mulier propter eam, quæ exiſtimetur pietatis exercitationem veſtem mutet, & pro ſolita veſte muliebri virilem ſumat, anathema ſit.* Hoc tamen Canone minime privantur fidelium communione perſonati viri, aut fœminæ, ut ſcribit Nat. Alex. citato lib. IV. Reg. XII. Namferit anathemate mulieres, quæ aſſumpto habitu virili putabant ſe juſtificari, ut prave docuerat Armenus quidam Epiſcopus: quod liquet ex verbis, & obſervatum à Lupo in Schol. ad LXII. Trullanum. Reprehendit tamen Canon Gangrenſis cum perverſo illo fine veſtium commutationem, & profertur à Theologis, nec non C. *Si qua mulier*, diſt. XXX. III. Sequitur argumentum ab auctoritate Patrum, qui docent ipſam abhorrere naturam, ſi homo mulieris ſpeciem aſſumat. Ita nempe tradunt Ambroſius Ep. LXIX. Hieronymus Ep. VIII. & XXII. Petrus Chryſologus Serm. CLV. aliique magno numero laudati à Theologis, atque à Joan. Fabricio, & Alberico Gentili, qui plura de hoc argumento ſcripſerunt.

3. Confirmatur. Vulgaribus iſtis addamus aliqua. Ac primum ſit ab antiquiori hujus mutationis veſtimentorum inſtitutione. Dictum ſupra factam in cultum Martis, ac Veneris. Mulieres togis prætextatis indutæ ſacrificabant in Sacello Mutini, quem Mutunum appellat Lactantius lib. I. Inſtit. c. XX. Aſſumebant pariter virilem habitum Ludis Megalenſibus, id eſt, à die ante nonas Aprilis usque ad V. Junii, in honorem Matris magnæ. Etiam Antiſtes Herculis ſtolam muliebrem induebat, auctore Plutarcho Græcarum Q. Q. LVIII. Eſt ergo inceſſus mulierum in veſte virili ſuperſtitionis, & idololatriæ purum putum veſtigium: & quamvis non exerceatur modo cum idololatrico cultu, ſingularis ſaltem dementia. Addo præterea profanorum Auctorum teſtimonia. Philo de Fort. *Voluit lex* (inquit) *virum in veſtitu, ſe ut virum gerere, longe ſubmovens tam effœminatos viros, tum plus æquo viriles fœminas:* Joſephus ſub finem IV. libri Orig. *Cavete autem, ut neque mulier habitu virili utatur, neque vir ſtola muliebri.* Zeno apud Laertium in ejus vita magnopere vituperatur, quod præceperit promiſcuum uſum veſtimentorum. Columella lib. I. affirmat ſe mirari geſtus effœminatorum, quod à natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur. Sed plura de his illuſtris Scriptor Albericus Gentilis de Act. & Spect. Fabularum cap. V. Poſtremo: quænam hujusmodi veſtimentorum prudens cauſa? Quænam honeſta delectatio? Qualis in hac permutatione forma decoris? Recte Poeta, etſi alias polluti oris, Faſtorum VI.

Cur vagus incedat tota Tibicen in urbe?
Quid ſibi perſonæ, quid toga picta volunt?

Oppones I. adhiberi has perſonas lætitiæ cauſa, non ſuperſtitionis, ideoque non ſacrilegium eſſe, ſed jocum. 4. Objectiones. II. Etiam Meletium Antiochenum antiſtitem pagani Sacerdotis filium indutum fœminea veſte paterno ſubtraxiſſe furori. III. Virgines quoque integerrimas vixiſſe cum Cœnobitis aſſumpto habitu Monachorum. Vide citato loco Chriſtianum Lupum.

Reſpondet ad I. S. Petrus Chryſologus: *Erras, homo, non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit, de ſacrilegio quis jocatur? Tyrannus eſt, tyranni habitum qui præſumit. Imaginem Dei portare noluit, qui Idoli voluerit portare perſonam.* 5. Solutiones. Alterum diluitur dicendo factum Meletii pueri periculo excuſari: nec reprehendi quæ fiunt cauſa religionis, aut charitatis, ſed quæ patrantur immodice, intempeſtive, licenter. Reſpondeo ad ultimum, in Theodora, aliisque fœminis, quæ dicuntur Monachorum induiſſe cucullum, mirari nos extraordinariam vocationem, ſeveram pudicitiæ cuſtodiam, exemplum rarum, & ſingulare; quæ in perſonatis deſiderantur: atque his libenter largimur commutandas veſtes, ſi vitæ, pudorisque immineat periculum; damus, ut imitentur Achillem, qui hortante matre aſſumpſit ſpeciem fœmineam ad fatum Trojæ vitandum; de quo Ovidius in Arte:

Turpe, niſi hoc matris precibus tribuiſſet Achilles.

CAPUT IV.

De Choreis, Saltatoribus, & Funambulis.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur saltationes in SS. Litteris nostras damnare Choreas.
2. Propositio 2. Probatur, Ethnicos saltatores docere vitandas Choreas inhonestas.
3. Propositio 3. Probatur vix sine peccato immodicè saltari posse.
4. Propositio 4. Probatur à Choreis in diebus festivis abstinendum esse.
5. & 6. Objectiones solvuntur.

CONSEQUITUR, ut quarto loco dicamus de tripudiis, quæ corporis motu saltuque peraguntur, & quibus florens ætas non paulum oblectatur, & ducitur.

I. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Saltationes, quarum in sacris literis fit mentio, damnant quamplures præsentium chorearum abusus.

Probatur saltationes in SS. Litteris nostras damnare choreas.

Occurrit primo commemoranda soror Moysis Maria ductrix fœminei chori, de qua Exodi xv. 20.: *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris.* Porro in hoc tripudio habetur finis laudis, & jubilatio pro soluta populi captivitate: quo fine carent adolescentularum nostrarum choreæ. Deinde mulieres plaudebant hymno, & saltu seorsim à choro virorum, ut colligitur ex textu, & adnotavit Philo in primo libro de Vita Moysi; saltant vero nostrates cum viris, junctis palmis, brachiisque quandoque implicatis. Ducebat præterea choros puellarum soror principis: eamque reliquæ prosequebantur, cum sint modo in saltatione ductrices vulgares, & meretriculæ. II. Addunt sacræ literæ exemplum filiæ Jephte, quæ patri revertenti à cæde Ammonitarum, Judic. xi. 34. *occurrit cum tympanis, & choris.* Plaudebat enim singulari patris victoriæ. Quod & præstiterunt mulieres egressæ de universis urbibus Israel, postea quam David percussérat Philistæum. Habes utrobique singularem lætitiæ causam, id est, idololatrarum prostrationem: unde hæc fœminarum tripudia dicuntur à Josepho libro xii. Originum xii. συνήθεις ἐν τοῖς ἐπινικίοις, *Lusiones in victoriis.* Funestæ fuere saltationes istæ, nam ex una Jephte amaritudo, filiæ mactatio, & puellarum Israel anniversarius planctus derivarunt: ex altera vero ira, & indignatio Saulis, & tam impia in Davidem persecutio. Vide cap. xviii. libri i. Regum. Et tamen hæc filiarum Israel tripudia ob sejunctos à viris choros virginum, communemque lætitiam sunt harum comparatione honestissima. III. Habes exemplum aliud in Davide, quem legimus ii. Regum vi. 15. 16. *In jubilo, & in clangore buccinæ, subsilientem, atque saltantem coram Domino.* Hanc in Dei obsequium choream vetus religio commendat: atque ut scribit Ambrosius in Ps. 118. n. 27. *Saltatio in honorem Dei laudabilis habetur.* Vidimus alicubi in Festo Corporis Christi castas adolescentulas choros ducere ante Arcam viventem, meminimus Davidis, nec reprehendimus consuetudinem, nisi tamen avertat à devotione. Verum quid hæc mysteria cum circulis Satanæ? IV. Saltationum documentum, ac specimen exhibet filia Herodiadis apud Marcum cap. vi. 22. & seqq. Nemo quidem tam horrendam tripudii catastrophen pro chorearum statuenda honestate productarus est. Audiemus infra de hac saltatrice orationem Ambrosii, nam sufficit in præsentia, nullam aliam fuisse Prænuntii Christi necatricem, nisi quam his verbis describit lib. 3. Presbyter Juvencus:

In medio Juvenum reginæ filia virgo
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Compositas cithara jungit modulante choreas.

At de sacrorum librorum exemplis hæc tantum.

2. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Ab antiquis Ethnicis saltatoribus edocemur quantum dedecet inhonestas frequentare choreas.

Probatur Ethnicos saltatores docere vitandas choreas inhonestas.

Legimus quarto libro Antiqq. Homericarum cap. 5. etiam apud Cultores idolorum antiquum morem extitisse, ut seorsim viri, ac mulieres choreas agitarent, ac primos omnium septem adolescentes, qui cum Theseo fuerunt servati, cum totidem puellis saltâsse: quod illustris auctor confirmat testimonio Eustathii. Damnatur ergo antiquiori hac consuetudine promiscua virorum, ac mulierum saltatio; & etiam mos per so-

socios Thesei inductus reprehendit adolescentium cum nuptis, & adultorum cum virginibus motus saltatorios. II. Tradunt historica monimenta Juvenes tam Romanos, quam Cretenses saltasse cum armis; atque ob eam rem scribit Socrates optime saltantes esse bello aptos, exaggeratque Homerus Iliad XVI. Morionis cujusdam fortitudinem, quod bonus esset saltator: & econtra lib. XXIV. ait Priamum reprehendisse filios, quod choreas effæminatas mollesque agitarent. Igitur veterum saltatio fuit honestum pro bello gerendo exercitium, & hostes oppugnandi, non pudicitiam contaminandi gymnasium. III. Saltatores posthac instituti in cultum Deorum. Consueverunt Atticæ mulieres ad Bacchi sacra proficiscentes saltare per viam. Idem factum in sacris aliorum Deorum, & maxime Apollinis in Delpho: ac Romæ instituti in honorem Martis, & Herculis Salii, id est Sacerdotes juxta Aram saltantes. Veruntamen hinc infertur agitare choreas, quales adhuc aguntur, imitando Herculem furentem, Cyclopa, Daphnem, Nioben, Satyrum, esse profanum morem idololatrarum. IV. Instituta etiam fateor inhonesta tripudia, præsertim Fescennina, & Lupercalia; saltationesque impudicas, uti fuere Bachtriasmos, Machtrismos, Apochinos, de quibus eruditus Meursius. At hæc soli probarunt, qui impensius Venerem coluêre: imo eadem aspernatur etiam contaminatus Poeta, dum ait in Epigrammate LXXIX. libri V.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos;
Sed quod non grave sit, nec infacetum,
Pravi tibia condyli sonabit.

V. Quem corporis motum in saltantibus nostris ab idololatris istis usitatum non offendis? Est quidem, ut demonstrat Julius Cæsar Scaliger de Comœdia cap. XIV. flexus, procursus, saltus, conquinisentia, divaricatio, claudicatio, ingeniculatio, manuum connixio, consertio, compectinatio, complosio, agitatio, commutatio, elatio, jactatio, pedum permutatio, alternatio: quid plura? etiam femorum fluctuatio, quæ ab eodem Scaligero appellatur abominandum spectaculum; & in usu dicitur in saltantibus more Hispanico. VI. Ne quid veteris insaniæ obsolescat, dantur inter Christianos etiam funambuli, id est, super funes ambulantes & saltantes. Horum insaniam describunt Manilius lib. 5. Petronius, & alii apud Bulengerum Tom. IX. Antiqq. Rom. pag. 903. & Joan. Baptistam Casalium de Trag. cap. 2. Nos contenti erimus exscribere Prudentii versus.

Inde per aerium pendens audacia funem
Ardua securis scandit proscenia plantis:
Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisque inter discrimina ludunt.

PROPOSITIO III. Qui choreas immodice agit, & saltat, à culpa vix erit immunis. 3. Propositio 3.

Habes enim, Saltator, in Eccl. cap. IX. 4. *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Damnant præterea saltationes Ecclesiæ Patres. S. Basilius Hom. de Ebrietate & lux. scribit *terram pedibus lascive saltando contaminari*, & *pedibus gestientes juvenum intemperantiam in se provocare.* Tertullianus de Corona scribit in saltatione hominem contaminari ipso ritu, & apparatu idolothytorum. Hieronymus in Epist. ad Marcellam idem probat ex eo quod saltator *nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur*: addit in Hilarione, *nunc tremulus in Cybelem.* S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. docet cap. 6. saltationem comitem esse deliciarum, atque luxuriæ. In tertio autem de Virgin. inquit: *Ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio. Ab hac virgines Dei procul esse desidero. Nemo enim, ut dixit quidam sæcularium Doctor* (Cicero in Orat. pro L. Muræna) *saltat sobrius, nisi insaniat. Quod si juxta sapientiam sæcularem saltationis aut temulentia auctor est, aut dementia: quid divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis,, cum Joannes præ-nuntius Christi saltatricis optione jugulatus exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam?* Atque post multa eloquenter de morte Præcursoris, iterum ad mulieres orationem convertit: *Quid dicitis vos sanctæ fœminæ? Videte quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltet sed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem.* Ita alii Patres. Accedit ratio: cum enim mulier, virgo etiam & pudica nimis virorum sensus illiciat: quid futurum speras, si cum sal- Probatur vix sine peccato immodicè saltari posse.

saltatrice saltans & ipse verseris? Quantum sit amoris in saltatione lenocinium, novit Poeta qui artem amandi impuro carmine tradens ajebat:

Quis dubitat, quin scire velim saltare puellam?

Adde incitamento saltationis verba, manus, oculos: quæ Franciscum Petrarcham Scriptorem præclarissimum impulerunt, ut in Dialogo XXXIV. scriberet: *Choream Veneris præludium, libidinum stimulum, laxamentum licentiæ; ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces.*

4. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Festis diebus à choreis, & saltationibus est omnino abstinendum.

Probatur à Choreis in diebus festivis abstinendum esse. Mandant enim ne festivitates Sanctorum, & dies præsertim Dominici tripudiis, & saltationibus polluantur, innumeri Canones. Profert canonem 23. Concilii tertii Toletani, decretum Concilii III. Mediolanensis Tit. I. de Festorum dierum cultu, præscriptionem Concilii Turonensis anni 1583. aliosque Canones Natalis Alex lib. IV. Theolog. moralis, de III. Præcepto Regula III. Canones Africanos, qui etiam statuunt esse hac in re interpellandam legem Imperialem, producit Lupus ad Canonem LI. Trullanum. II. Augustinus de X. Chordis cap. XIII. instituens sermonem de observatione Sabbati: *Dicitur* (inquit) *tibi ut spiritaliter observes sabbatum, non quomodo Judæi observant sabbatum, carnali otio. Vacare enim volunt ad nugas, & ad luxurias suas. Melius enim faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in Theatro seditiosus existeret; & melius fœminæ eorum die sabbati lanam facerent, quam in Neomeniis suis impudice saltarent.* Atque Conc. I. in Ps. XXXII. *Melius utique tota die foderent, quam tota die saltarent.* III. In promptu est ratio, manifesta. Cum enim prohibeantur diebus festis servilia opera, non quod suapte natura mala sint, sed quia à Divino cultu possunt retrahere: consequens est, ut speciali titulo vetita dicantur tripudia, choreæ, & oblectamenta istiusmodi, quibus non solum à Dei cultu avertitur animus, verum etiam torpescit noxiarum cupidinum nexibus illaqueatus, & irretitus. IV. Civilia quoque jura proscribunt habitas in festis saltationes; & ne proferamus plura, liber VI. Capitularium Caroli Magni, & Edictum Henrici III. emanatum an. 1579. in Comitiis Blesensibus. Episcoporum autem objurgationes & monita ad Saltatores, & Profanatores Festorum exhibent omnes de Theologia morali accuratiores Tractatus, Diœcesanæ Synodi apud Genettum, editæque de Christiana Institutione Catecheses.

5. Objectio 1. & Solutio. Objicies probari à doctis viris sententiam Cornelii Nepotis scribentis in Præfat. ad Vitas Vir. Illustrium, saltationes non omnibus honestas esse, vel turpes, sed judicari ex institutis Majorum. Sed respondeo habere me loco majorum non Bathyllum, non Thesæum, non Lucianum, sed Arnobium, Lactantium, Basilium, Ambrosium, cœtumque Sanctissimorum Episcoporum. Quamquam Cornelius ipse scribit eodem loco leve multis visum iri, quod in Epaminondæ virtutibus commemoretur saltasse eum commode. Animadverti etiam paulo supra saltationes veterum fuisse exercitationes ad bellum, & adolescentium ac puellarum seorsim. Demum etsi talia habenda videantur indifferentia, atque ex majorum institutis judicanda; longe esse diversa in praxi, sive, ut loquuntur Theologi, *in individuo*, commonstrat juventum intemperantia, multiplex libidinum incitamentum, ipsaque magistra rerum experientia.

6. Objectio 2. & Solutio. Præterea objicis, beatissimum Franciscum Salesium saltationes permittere P. tertia Introductionis ad Vitam devotam cap. 34. Verum quos alloquitur Director ille castissimus? *Philotheam* suam, Virginem scilicet honestissimam, Dei amore succensam, cum propinquis notisque, coram parentibus, cœtu honorifico, maximoque ornamento decoris commorantem. Quid putas dicturum Salesium cum ignotis fœminis, facie oblinita, blandiloquis, personatis, ornatisque citra pudorem, choreas incompositas, assiduasque ducentibus? Sed & Philotheæ præscribit Franciscus ne saltet ludatque. I. Animi duntaxat recreandi gratia. II. Ut id agat ad breve tempus. III. Perraro. IV. Servatis prudentiæ regulis. V. Ita ut ad choream invitanti obsequatur puella non deviando ab ordine charitatis. Quæ nonnisi Philothea servabit, bene scilicet morata, sanctis imbuta institutis, præventa Divino auxilio, tripudia anxiose non quæritans, & quam albo notabis carbone. Consueta ergo tripudia devites; nam & Persius Satyra VI. inquit:

Hæc miscere nefas, nec cum sis cætera fossor,
Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli.

CA-

CAPUT V.

De Cantu Musicorum, & Symphoniis impurisque carminibus.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur quosdam cantores, & Musicos in improbitate veteres superare.
2. Propositio 2. Probatur Christianum decere amare gravem, & honestum cantum.
3. Propositio 3. Probatur Christianis prohibitum esse legere figmenta Poetarum.

PROXIMO à voluptariis saltationibus loco ponenda sunt oblectamenta, quæ capiuntur Musicis cantilenis, & numeroso sono instrumentorum.

I. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Quidam cantores & Musici, nisi superant, adæquant veterum improbitatem; & singulare erit exemplum, nisi aliqui sint flagitiosi, flagitiorumque administri.

Probatur quosdam Cantores & Musicos in improbitate veteres superare.

Fuerunt I. olim Citharœdi, Tibicines, aliique pulsatores instrumentorum frugi & modesti. Præter exemplum Davidis, legimus apud Athenæum, Agamemnonem cantorem reliquisse monitorem Clytemnestræ, cui non prius intulit stuprum Aegisthus, quam in insula occidit cantorem. De hac Cantorum modestia legatur Joseph. Laurentius Lucensis in libro de Præconibus, & & Citharœdis. Quis nunc relinqueret Musico pudicam uxorem custodiendam? II. Non alia veste utebantur olim Musici, quam ad pedes usque demissa, ut scribit Apul. 11. Florid. atque hanc vestem pallam dicebant. *Saltasic cum palla*, inquit Plautus in Menæch. Neque fas erat Musicis sudorem abstergere, nisi ea ipsa veste, qua erant induti, auct. Tacito lib. Annal. XVI. At nostræ ætatis Musici vestimentorum luxu superant Optimates, principesque Matronas; quibus etiam superbia elati, plausuque tumidi audent se comparare. III. Ad genus quod attinet cantus, veteres *probarunt tantum simpliciores modulationes*, inquit Plutarchus in Institutis Laconicis. Antiquam hanc musicam immutari prohibet Plato in lib. de Musica, *ne pristini mores labascant*: Lacedemoniorum autem *erat musica modesta, & severa, moribusque eorum consentanea, gravitatem cum vetustate repræsentans, non levis aliqua, vel ludicra aut aures voluptate demulcens*, ait lib. 3. de Repub. Laced. Tab. VIII. Inst. 9. Nicolaus Cragius. Ad morum nunc corruptelam omnis modulatio theatrica, hilaris & profana, cantica etiam sacra corrumpit. IV. Cantare maxime in sacris cum Tibiis Alcibiades apud Plutarchum refugit tanquam rem sordidam & illiberalem, quod vix possis vultum dignoscere inflantis tibiam, & hujus sonus obstruat vocem, & versus incidat. Utebantur tali sono Spartani, & Cretenses in Bello, ut refert Jo. Meursius. Quis ergo rationis compos probet in templo tumultuosam musicen, qua personante exultant theatra, currunt equi, & armati disponuntur ad pugnam; & non gravem illam, dulcisonam, nobilissimamque, qua Romæ in Pontificio Sacello Divina celebrantur officia? V. Donatio Musica olim tenuissima, licet postea modum excesserit, ut Poetarum, unde miratur Horat. lib. 2. Ep. 1. Cherilum pro singulis versibus, iisque incultis, accepisse ab Alexandro aureos stateres. Verum quis Cantoribus nostris locupletior, in quos effundi videmus subsidia pauperum, philosophorum stipendia, necnon poetarum, quorum illi carmina concinunt, mercedes? VI. Inter vitia Neronis connumerat cap. XX. Suetonius artes, quibus ad molliendam vocem utebatur: neque has duntaxat adhibent hodie Musici; evirant præterea pueros, ut vocem imitentur fæmineam: quod sane detestandum est, & crimen proximum homicidio: & cum omnes reprehendant juremerito Origenem, qui se servandæ castitatis gratia imprudenter exsecuit, nonnisi sceleratissimus erit existimandus, quisquis ad vocis illecebram, & lenitudinem, facit spadones, sive, ut veteres appellant Canones, τοὺς εὐνουχισθέντας ἐξ ἐπηρείας, *eunuchos per injuriam*. VII. Etsi non persequor mores ad civilem institutionem; otii tamen, & pessimæ occupationis apertum est argumentum, quod cantores non ignorant *tempus flendi & tempus ridendi*, quod distinguendum monet Ecclesiastes cap. III. v. 4. nam & in hos quadrat proloquium vetus Horatii lib. 1. Sat. 3.

Omnibus hoc vitium cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati:
Injussi nunquam desistant.

Atque ex his constat, sæpe modum excedere oblectationes, quibus Christiani recreantur in Musicis cantilenis, fidibusque numerose sonantibus.

2. Propositio 2. PROPOSITIO II. Oportet, ut Christianus gravem, & honestum cantum, vel sonum amet; aspernetur autem mollem, invercundum, & illiberalem.

Probatur Christianum debere amare gravem & honestum cantum, Neque enim damnamus sacra Cantica in Ecclesiis, vel usum Organorum, in quæ solent Novatores, contemptoresque sacrilegi Ecclesiasticorum rituum contumeliosa verba profundere. I. Commendat istorum usum Sacrum antiqui fœderis volumen. Moyses Domino cecinit, & cantavit, idemque præstitit Maria, Exodi xv. Canendum super holocaustis, & pacificis victimis, præcipitur cap. x. Num. 10. A Salomone parata pro Sanctuario Musicalia instrumenta narrat caput x. tertii Regum. Numerum Cantorum habes apud Esdram lib. 1. cap. 11. 65. Neque in veteri testamento tantum; lætandum esse psalmis, & hymnis spiritualibus, docet Apostolus ad Ephesios v. 19. ad Colosſ. 111. 16. Consentiunt Patres: Tertullianus in Apologetico, *Quisquis de Scripturis sanctis*, inquit, *vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere.* S. Pater Augustinus lib. lib. 1x. Conf. cap. x11. ait, *Psalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit psalmum, cui respondebamus omnis domus.* Ambrosius, & Gregorius etiam cantus rudimenta Clericis tradiderunt. II. At cantus non displicet hæreticis omnibus: nolunt in Ecclesiis pulsari organa. Attamen hæc etiam sacri libri, traditio, eademque ratio defendit. Legimus enim 2. Paralip. xxxiv. 12. fuisse Levitas, *scientes organis canere*, & Psalmista ait Ps. cl. 5. *Laudate eum in chordis, & organo.* Traditionem in his, quæ ad ritus, & & disciplinam pertinent, necessum non est explorare; cum possit Ecclesia instituere quidquid ad pietatem excitandam loco, ac tempori videt magis congruere. Legi tamen in thesauro Martene Tom. 3. p. 488. Chronicon Sancti Bertini scribentis Constantinum Imperatorem Leonis filium anno 758. misisse Pupino encænia quædam, & Organum unum. Non nego veteres Christianos frequenter ceciniſſe absque instrumentis, sive, ut scribit Auctor QQ. ad Orthod. Resp. cv11. *assa voce.* Sed non omnia, quæ ad templi ornatum, & Sacrificiorum decorem conferunt, habere potuerunt antiquiores Christiani. Fallitur autem Calvinus dicens, organa reponenda inter ritus legis Mosaicæ abrogatos: nam organa non sunt figuræ quædam futurorum post consummationem abjiciendæ: sunt, quomodo hymnorum cantus, spiritualis lætitiæ causa; nec adinventa à Moyse, sed persistente lege naturæ à Jubal, Gen. 1v. 21. Similiter sacræ vestes, candelæ, incensum, & alia à Romanis Clericis usurpata, cum excitent devotionem in populo, & distinguant sacra ministeria à profanis, perperam ab impiis subsannatoribus irridentur. III. Idcirco fateor modulationes à devotione amoventes, aut theatricarum cantionum numeris conformatas à Templis eliminandas Christianorum, ne videantur hi minus sapere Plutarcho, Platone, & Lacedemoniis, de quibus prop. præced. n. 3. necnon Decemviris, quorum lex erat in Tabulis: *Popularem lætitiam in cantu, & fidibus moderanto, eamque cum Divum honore jungunto.* Laconicis demum, quos in festivitatibus adhibuisse cantum simplicem, & gravem, liquet ex libro Ubbonis de Laconum Republica. Devotionis autem incitamento addimus sacrorum hymnorum, psalmorumque castissimam venustatem; quam violare non debent cantores scenici, ne de Ecclesiæ Canticis sit repetendum, quod de Oscis impuris cantoribus, unde nomen obscœnitatis deductum, quoniam eodem modulamine canebant sacra, arbitror dictum à Juvenali Sat. 111.

Et Divina Opici rodebunt carmina mures.

IV. Præter sacra, honesta Cantica dummodo cum sobrietate temperentur, arbitror permittenda. Tympanistrias enim virgines, & Citharœdos sæpe Divinæ literæ laudant. Cantent & rustici culturæ agrorum intenti. Vocem molæ, id est, puellarum molam torquentium memorat Jeremias cap. xxv. 10. quale censet Grotius canticum illud:

Mola, tu molito, molito:
Facit & Pittacus istud
Magnæ dominator Mitylenæ.

V. A cantilenis autem amatoriis, tanquam à veneficio, & peste animorum caveto. Ait enim Ambrosius in 1. de de Officiis cap. xv111. *In ipso canendi genere prima disciplina verecundia est.* Et Augustinus de x. Chordis cap. 1v. *Quare ambulemus delectati vanis canticis, nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in posterum amaris? Talibus enim turpi-*

turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum dulcedine temporali biberunt. Verum in eundem scopum collineant mox dicenda de Carminibus Poetarum.

3. Propositio 3. PROPOSITIO III. Christiani prohibentur figmenta legere poetarum.

Probatur Christianis prohibitum esse legere figmenta Poetarum. Habetur cap. *Ideo prohibetur*, dist. XXXVII. & ratio ibidem redditur: *quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum.* Desumptus est Canon ex lib. 3. Sent. Isidori de summo Bono cap. XIII. Perstringit fabulas Poetarum S. P. Augustinus in Epist. ad Memorium, lib. 2. de Civit. Dei cap. XIV. alibi. *Dæmonum cibum* appellitabat Hieronymus. Inter Regulas damnandorum librorum ad calcem Tridentini, habetur consequens: *Libri, qui res lascivas, seu obscœnas ex professo tractant, narrant, aut docent, omnino prohibentur, &c.* Et jure, meritoque; cum enim corrumpant bonos mores colloquia mala; nil potest illos magis inquinare, quam cantus, & carmen obscœnum, quoniam & hæc colloquia mala sunt, atque sermonis venere, numeris, fabulis, verbisque flexanimis aures artificio, veneficioque demulcent. Atque idem asserendum est de fabulis soluta oratione conscriptis, & extra pudoris limites divagantibus.

CAPUT VI.

De ludis, in quibus homines delectationis causa exercentur.

SUMMARIUM.

1. Qualis ludus pueris permittendus.
2. Qualis adolescentulis.
3. usque 8. De lusu alearum.

JAM vero dicam de ludis, quorum nomine non scholam significo, unde appellatur præceptor cum Isocrate, & Epicuri patre Ludi magister, sed de iis, quos Tullius dixit ludos lusionis, scribens ad Q. Fr. *Ducebam Ciceronem meum in ludum discendi, non lusionis.*

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. Ludere permittantur pueri communibus, & perantiquis lusionibus, quæ innoxiæ sunt, & ab adultis ratione ipsa suadente rejiciuntur.

Qualis ludus pueris permittendus. Sunt hi ludi. I. Trochus, & bombex: cujus generis duo ex Magno Basilio Orat. 5. Platone lib. 4. de legibus, & Ovidio 2. Trist. etiam antiquitus extiterunt: trochi scilicet, qui scutica agitantur, & qui cuspidem habentes loro ejecti circumvolvuntur: atque istud ludi genus dixere latini, *trochum agitare*, aut, *buxum torquere.* II. Musca ænea, quo ludo puer clausis oculis circumambulat, donec aliquem manu apprehendat; sic lusio dicta, quod apud Græcos puer ille olim dixerit, χάλκεαν μυῖαν θηράσω, *Aeneam muscam venabor*: cæteri responderent, θηράσεις, ἀλλ' ἁλῴσεις, *venaberis, sed non capies*, III. Ludus dictus Pentalitha, id est, quinque lapillorum, de quo Pollux lib. IX. cap. 7. scribit, lapillos aut calculos sursum propelli, & cadentes recipi vola conversæ manus superiori. IV. Accedit quem vocant Græci Artiazein, dum in talorum multitudine jubetur puer divinare numerum, aut par, vel impar: de quo ludo Pollux ibidem, Suetonius in Augusto, & Venusinus Poeta lib. 2. Sat. III.

Ludere par, impar, equitare in arundine longa.

Reliquas puerilium ludorum species tradit singulari libro Meursius. Fortassis præter modum, hæc perpauca exempla proposuisse.

2. Propositio 2. PROPOSITIO II. Permitti potest Adolescentibus ludus latrunculorum.

Qualis ludus adolescentulis permittendus. Latrunculorum ludum appello, quod Itali dicimus Scacchia, vel Scacchos, appellabant autem antiqui Græci ζατρίκιον; quamquam nonnulli putant inter latrunculos, Scacchia, & zatricion aliquid interesse discriminis. At referebant hi omnes ludi belli imaginem, ut observarunt Meursius, Daniel Souterius, Dempsterus, alii. Hoc ludi genus innoxium scribunt Panormitanus, Navarrus, & complures laudati à Cl. Ordinis Scriptore Angelo Rocca in Commentario contra ludum Alearum. Probant omnes licitam hanc lusionem, propterea quod non sorte aliqua consistit, sed ingenio. Præter istos viros illustres non probarunt solum, verum & celebrarunt ludum hujusmodi carmina Poetæ, ac Theologi percelebris Hieronymi Vida Episcopi Albensis. Inter ejus Poemata extat Scaccheides, cujus initium est:

Ludimus effigiem belli, simulataque veris
Prælia, luxo acies fictas, & ludicra regna:
Ut gemini inter se reges, albusque nigerque
Pro laude oppositi certant bicoloribus armis.

Verum tamen est, S. Petrum Damianum Epist. x. libri 1. ludum latrunculorum reprehendere non minus, ac alearum. At, quomodo animadvertit laudatus Angelus Rocca, scribit Damianus ad Episcopum, qui nimia frequentia, & coram sæcularibus tempus latrunculis ludendo terebat. Tenenendus est autem etiam in oblectamentis modus; pluraque exerceri possunt ab adolescentibus, quæ non decent Episcopum. Potest etiam loci, & personæ conditio honestatem ludi vitiare: neque enim in ludo latrunculorum laudanda est ars, quam puellæ tradidit Ovidius in III.

Cautaque non stulte latronum prælia ludat.
Unus cum gemino discolor hoste perit.

3. Propositio 1. PROPOSITIO III. Ludus alearum, tanquam omnis nequitiæ seminarium, eliminandus, & abjiciendus omnino est.

Probatur Iusum alearum eliminandum esse ex Gentilibus. Dicitur Alea non solum ludere depictis chartis, verum & quolibet ludo, in quo rationi consilioque prævalet casus, & temeritas: sive chartis ludatur, sive taxillis. Hujus autem ludi pravitatem Ethnici ipsi, Patres, Leges, Canones, & manifesta ratio commonstrant. I. Commemoravi Gentiles ipsos Scriptores; nec immerito. Etenim inter Latinos Cicero 2. Philipp. Antonium appellat hominem nequissimum, quod non dubitaret, vel in foro alea ludere. Suetonius in Augusto scribit, juvenem infamia notatum, quod lusisset alea. Seneca eam sententiam protulit: *Aleator quanto in arte melior est, tanto est, nequior.* Horatius lib. 3. Od. 24. ait. *Vetita legibus alea:* & Ovidius 2. Trist.

Sunt aliæ scriptæ, quibus alea luditur, artes:
Hæc est ad vestros non leve crimen avos.

4. Probatur ex Græcis. Ex Græcis autem, legimus apud Laertium lib. 3. à Platone graviter cæsum adolescentem, quod alea lusisset. Chilus à Spartanis missus Corinthum, ut una jungeret fœdera, videns ibidem nonnullos ludentes alea, *Absit*, inquit, *ut Spartani cum Aleatoribus ineant societatem.* Aristoteles ajebat, tam aleatorem, quam furem esse illiberales, & turpis lucri sectatores. Xenophon aleæ lusum dicebat deceptricem dominam voluptatem. Plura de his Angelus Rocca, & Daniel Souterius.

5. Probatur ex Patribus. At veniamus ad Patres: Clemens Alexand. lib. 3. Ped. cap. 2. ait: *Inconsideratum luxuriæ amorem otiosis istbæc aleæ oblectamina suppeditare, desidiamque in causa esse.* S. Cyprianus, aut alius antiquus Scriptor de Aleatoribus inter Cypriani Opera: *Aleæ tabulam dico, ubi Diabolus præsto est, ad capiendum summissus, & cum cæperit de captivo triumphum, perfidia, falsa testimonia. Tabulam aleæ dico, ubi dementia, & furia, & venale perjurium, & colloquium serpentinum: Illic rabiosa amicitia, illic atrocissimi scelevis fraternitas discordans, illic convicia, & audacia sæva, & mens insana, & fera impatientia. Aleæ tabulam dico, ubi possessionum amissio, & pecuniarum ingentium perditio, monstrum, & demonstrans litigiosum furax dementia.* Appellat idem Auctor Aleatores crudeles, truces, noxios, insomnes, armigeros. Chrysostomus hom. XXXIII. in Ev. Joan. *Quis enim Aleatorum* (inquit) *aliquod Christiano dignum opus aggreditur?* Et Isid. lib. XVIII. Orig. cap. 67. *Ab hac arte fraus & mendacium nunquam abest, postremo & odium, & damna rerum.*

6. Leges prohibentes lusum alearum recensentur. Quantæ autem leges in Aleatores latæ sunt! Prohibuerunt ludum aleæ Ferdinandus Rex Aragoniæ, Philippus Adeodatus Rex Galliarum, Jacobus I. Rex Magnæ Brittaniæ, S. Ludovicus, Henricus III. Carolus VII. Reges Franciæ: quorum omnium, aliorumque Principum adversus Aleatores Statuta affert citato libro Souterius. Producimus nos tantummodo legem Justinianeam, *Commodis subjectorum prospicientes hac lege decernimus, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus, vel locis alea ludere:* l. 3. tit. 43. Cod. & Ulpianus docet juxta leges non dari judicium, si quis verberaverit, aut damnum attulerit ei, apud quem habetur ludus aleæ, D. tit. v. de Aleatoribus L. *Prætor.* Consentiunt leges Canonicæ, cap. *Inter dilectos*, de Excessu Prælatorum, & c. 8. dist. 35. canon L. Synodi VI. Concilii Lateranensis sub Innoc. III. caput XVI. Concilium Mediolanense sub D. Carolo, & Aquilejense celebratum regnante Clemente VIII. Sed hos Canones accurate collegit Angelus Rocca, quem videas.

Ratio-

7. Aleator frangit totam Decalogum.

Rationem experimento comprobatam jam teneto. Nemo quantumvis flagitiosissimus universum decalogum frangit, quemadmodum Aleator. Is Deo cultum denegare convincitur ab erudito Scriptore inter Opera Cypriani, de quo paulo supra; quoniam diabolus, *cum olim se in statunculis & simulacris formaret, aliud crimen adinvenit, quo se ab imitatoribus suis colendum, & sibi sacrificandum instituit.* In Divos vero quantum Aleatores irreverentes sint, cum quotidianum experimentum evincit, tum series mirabilium eventuum, quæ sub finem laudati Operis enarrat Rocca. Divinum nomen contemnere qui ludunt aleam, dum *insaniunt, & ferocissimis vocibus pejerant*, res est in propatulo; nec male de Aleatoribus quidam apud Souterium,

Vulnera per Christi jurant, per numina Patris:
Omnes per divos, omnia perque sacra.

8. Quomodo aleator transgrediatur præcepta secundæ tabulæ.

Quantum vero præcepta secundæ tabulæ transgrediantur Aleatores, testatur ipsemet Auctor inter Opera S. Martyris Cypriani, scribens: *Invicem sibi manus inferunt, maledicunt, se devovent, parentum originem turbis præsentibus dehonorant.* Et ibidem: *Hic concrepat aleæ sonus, illic silentio operatur incestus, &c.* Etiam Livius scripsit lib. XLV. Ludentes aleam *esse in venerem proniores.* Haud male ergo appellavi aleam seminarium omnis nequitiæ: & cum plura adversus Aleatores scripserim, majora tamen prætermitto legenda apud Scriptores nuper laudatos, aliosque, Jurisconsultos, Concionatores, atque Theologos.

CAPUT VII.

De hastiludio, & ferocium Animalium venatu.

SUMMARIUM.

1. Christianis agmen Troicum prohibetur.
2. De congressu senensium pugnis certantium.
3. Congressio certatoria ferarum cum hominibus detestanda.
4. Ferarum inter se congressio non est adeò immanis.
5. Venatio an exercenda diebus festivis.

ET cum sint aliqui ita à natura, & ingenio comparati, ut oblectentur ludis interdum cruentis, cujusmodi est torneamentum, vel Trojæ lusus, aut quælibet decursio ludicra, necnon venatione immaniorum bestiarum, & furentibus in circo tauris, operæ pretium erit hæc quoque oblectamina vellicari.

1. Propositio I.

PROPOSITIO I. Christianis decursio ludicra, vel agmen Troicum prohibetur.

Agmen troicum Christianis prohibetur.

De iis loquor, quæ serio animo ad vires ostentandas cum magna animi audacia peraguntur. Vetari enim constat à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap. 20. & hab. cap. *Felicis memoriæ*, Extra, de Torneam. *Detestabiles illas mundinas, vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temere congrediuntur, unde mortes hominum & animarum sæpe proveniunt, fieri prohibemus, &c.* Privandi ibidem dicuntur Ecclesiastica sepultura, qui in hujusmodi congressione occumbunt, tametsi ante mortem pœnitentiam poscant, eamque obtineant: quod confirmat proximum cap. *Ad audientiam* depromptum ex Romana Synodo sub Innoc. II. nec non Remense Concilium canone X. Item Clem. V. in Conc. Viennensi hujusmodi decursiones prohibuit sub excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata, & sub interminatione generalis interdicti: quas tamen censuras revocavit Joan. XXII. Extrav. unica de Torneamentis. Accedit ratio; quandoquidem insanientis est ludere cum vitæ periculo: &, ludus omnis ut inculpatas sit, oportet. Neque vitatur periculum si milites congrediantur cum hastis ligneis: ut comprobat miserabilis casus Henrici II. Regis Galliarum. Quamobrem requiri arbitramur etiam in ludo Pisanorum, quem Pontis appellitant, aliquod moderati animi temperamentum. Fertur Selimi Turcarum Regis frater cum ludicras has decursiones spectasset, dixisse, parum sibi videri, si Trojæ lusus fiat serio: si joco, nimium. Vide Gonzalez ad Tit. XII. lib. V. Decretalium. Prætermittendum non est, exhiberi his spectaculis imaginem quamdam veterum Gladiatorum: qui, ut Isidorus ait lib. XVIII. Orig. cap. 53. sic atroci perseverantia inibant pugnam, ut alter in alterius mortem prosiliret. Hanc vero monomachiam spectare, nobis interdictum docent antiqui Patres, & præsertim Theophilus Episco-

pus Antiochenus apud Baronium ad annum cxx. n. 30. Dicuntur habuisse originem ab excidio Trojæ, in cujus memoriam Ascanius instituerit hos ludos, ut innuit Virgilius in v. Aen.

Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius longam muris cum cingeret Albam
Retulit, & priscos docuit celebrare Latinos.

Ac propterea dicitur Trojanum agmen, & torneamentum; non, ut vulgaris fert opinio, à græco τορνεῖν, quod est *circuire*. Nec opponas permitti certamina, quæ virtutis causa fiunt, ut habetur L. Unica, Cod. de Glad. l. 12. Id enim nullatenus tenet, ubicunque aliquod occurrit periculum.

2. De congressu Senensium pugnis certantium.

Ad hunc vere modum se habet congressio Senensium pugnis certantium, ubi tamen minus occurrit periculum, ideoque & levior noxa: maxime quod bene morati sunt juvenes congredientes, imbuti optimis disciplinis, & præ cæteris Italis honestatis, literarumque cultores. Quos pugno contendentes pingere videtur Plautus in Bacchide Act. 3. sc. III.

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo se se exercebant magis, quam scorto, & suaviis.
Ibi suam ætatem extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hyppodromo, & palæstra ubi reveniisses domum,
Cinticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres:
Cum librum legeres, si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.

3. Propositio 2.

Propositio II. Detestanda præ cæteris sunt ea spectacula, in quibus tauri & feræ agitantur in circo, maxime si cum illis homines congrediantur.

Congressio certatoria ferarum cum hominibus detestanda.

Sub Ecclesiasticis enim censuris à summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Clemente VIII. fuere damnata, nec non reprehenduntur à Patribus, & à profanis quoque Scriptoribus. I. Bulla S. Pii, quæ incipit, *De salute Gregis*, *Considerantes* (inquit) *hæc spectacula, ubi tauri, & feræ in circo vel foro agitantur, à pietate & charitate christiana aliena esse, ac volentes hæc cruenta turpiaque dæmonum, & non hominum spectacula aboleri; sub excommunicationis, & anathematis pœna ipso facto incurrendis prohibemus & interdicimus.* Privatur Ecclesiastica sepultura quisquis ibidem mortuus fuerit, & Clerici prohibentur sub excommunicationis pœna iisdem spectaculis interesse. Habent similia aliorum Pontificum Constitutiones. II. Athenagoras in Apologia pro Christianis ait: *Sed nos existimamus cernere cædem affine esse homicidio, prohibentes gladiatoria munera, venationes, & hujusmodi spectacula.* Legantur etiam Lactantius lib. VI. divin. Instit. cap. 2. Ambrosius serm. VIII. in Psalmum 118. Salvianus lib. 6. &c. III. Ipsemet Cicero libro VIII. Epist. Ep. 1. *Quæ potest esse*, inquit, *homini politico delectatio, cum homo imbecillus à valentissima bestia laniatur?* Bulengerus in libro, quem inscripsit de Venatione Circi, demonstrat ideo hanc fuisse institutam, ut homines Manibus litarent, & civium animos ad cædes assuefacerent. At plura de hoc argumento historiarum Romanarum Pater Onuphrius noster Panvinius in Opere de Ludis Circensibus, & in Notis ad Panvinium Joannes Argolus.

4. Ferarum inter se congressio non est adeò inimanis.

Ferarum tamen inter se congressio, dummodo nulla hominum cædes impendeat, neque spectatores sint Clerici, tali carent immanitate. Hujusmodi sunt, quæ describit lib. 1. sive de Spectaculis Martialis, & Ovidius XI. Metamorph. ut pugna cervorum cum canibus, tauri cum leone, rhinocerontis cum urso, aquilæ cum tauro. De tali congressione ait Prudentius prope finem lib. 2. in Symmachum,

Jam solis contenta feris infamis Arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

5. Propositio 3.

Propositio III. Venatio sylvatica solet conjungi cum violatione festorum, ideoque non recte omnino exercetur festis diebus aucupium, ferarumque captatio.

Venatio Sylvatica, aucupium, & ferarum captatio non recte exercetur in diebus festis.

Liquet propositio I. ex his, quæ diximus cap. IV. prop. 3. & in Expositione III. Præcepti Decalogi cap. VIII. de Legibus. Non enim vacandum est ad nugas, & oblectamenta, sed ut reddamus Domino censum servitutis. II. Nulla apparet in venatione necessitas, nullaque excusatio, ob quam permittatur in die festo; quemadmodum apparet in testamentis, & venditione rerum, quæ aut ad illius diei victum sunt necessariæ, aut pro ægrotis parantur, & eapropter non sunt in festis prohibitæ. At venationis, cui dantes operam

ram vix sacro intersunt, & integra die, cum robustiores sint, ac liberi, recedunt sponte ab omni Ecclesiæ supplicatione, quænam vel minima excusans causa potest proferri ? III. Expresse etiam, ne diebus festis exerceatur venatio, præscribunt Concilium Meldense cap. LXXVII. Caroli Magni Capitula, cap. XXII. aliique canones, de quibus pertractantes cumulatius de morali Theologia. IV. Benigniores Theologi, qui aucupium probarunt in festo, non denegant saltem prohiberi venationem, in qua deferuntur casses, cæduntur rami arborum, & similia fiunt servitutis officia; quæ perraro contingit à venatoribus prætermitti.

CAPUT VIII.

De immoderato sumptu circa vestes, corporisque ornamenta.

SUMMARIUM.

1. Luxus vestium modernus non distat à veteri Romanorum.
2. Luxus vestium detestandus.
3. Flagitiosum est, faciem cerussa & simili fuco oblinire.
4. In cultu vestium moderatio est statuenda.

Matrona incedit census induta nepotum.

Igitur adversus tantam vestimentorum licentiam, producimus primo sententiam gravissimam Apostolorum. Nam horum princeps beatissimus Petrus Epistolæ prioris cap. III. v. 3. *Quarum* (ait de fœminis) *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Capillaturam appellat Petrus flexum capillum, sive, ut loquitur Cicero, calamistratam comam, id est, crinem crispantem: cultum autem vestimentorum, mundum omnem muliebrem. Et Paulus in 1. ad Timoth. cap. II. v. 9. *Mulieres*, inquit, *in habitu sancto, cum verecundia, & sobrietate ornantes se.* Deinde plura adversus vestimentorum ornatus scripsere Patres, ac præsertim Tertullianus de Habitu mulierum, Clemens Alexandrinus in libro Pædagogi secundo, & tertio: S. Cyprianus de habitu virginum, & D. Hieronymus in Epistola ad Lætam. Is etiam refert Prætextatam nobilissimam quondam fœminam ab Angelo reprehensam, & manibus arescentibus punitam, quod jubente viro Hymetio Eustochii virginis habitum, cultumque mutaverit. Sed hos Patres perlegas, maxime ad christianam plebem verba facturus. Tertio enim loco nonnulla promam ex profanis Scriptoribus. Julius Cæsar apud Suetonium cap. 43. usum conchyliatæ vestis, & margaritarum nonnisi certis personis, & ætatibus concessit, ac vestem præscripsit cum forma, tum colore perhumilem. Docet Aristoteles in Oeconomicis, utendum veste, & reliquo apparatu minore etiam, quam liceat per leges. Phynthis Pythagorica inter præcepta data mulieribus hoc habet:

1. Propositio. PROPOSITIO I. Summopere detestandus est vigens in præsentia vestimentorum cultus immodicus.

Probatur luxum vestium modernum non distare à veteri Romanorum.

Quippe parum distat præsens luxus à veteri Romanorum, quem ipsi profani scriptores ac Patres tam vehementi reprehensione prosecuti sunt, nisi forte quod antiqui luxus nutrimentum erat copia divitiarum & reipublicæ amplitudo, nunc illum fovet intemperantia, licentia, & cum sordida paupertate libido. Etenim utuntur & nunc mulieres, & effœminati viri vestibus pressorio nitentibus, quas in veteribus damnat lib. 28. Ammianus, apud Meursium de luxu Romanorum: nec deponunt conchylia & purpuras, quibus, ut scribit Plinius lib. IX. cap. 35. *eadem mater luxuria paria pene etiam margaritis pretia fecit.* In usu sunt & antiquorum lacernæ, vel penulæ, si non spectata forma vestimentorum, quam multivola luxuria permutat, immoderatis profecto sumptibus, ita ut illud Martialis cum admiratione sit repetendum: *Emit lacernas millibus decem Bassus.* Gerunt auribus fœminæ, quemadmodum Seneca ajebat de Beata vita cap. 17. *Locupletis domus censum.* Atque insuunt uno filio unionum, auctore Hieronymo in vita Pauli Eremitarum patris, *villarum pretia.* Etiam in peronibus, ut phrasi utar Tertulliani de Hab. mulierum, uniones emergunt de luto. Quid plura ? Non in unam fœminarum quadrat præclara Propertii lib. 3. sententia:

2. Probatur detestandum esse luxum vestium.

bet: *Auro aut smaragdis prorsus ne ornemini.* Cæteros vide apud Clementem Alex. loco citato. Addam 4. rationem theologicam, ac moralem, quod scilicet, *Cum omnes templum Dei simus illato in nos, & consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua, & antistita pudicitia, est, quæ nihil immundum, vel profanum inferri sinit, ne Deus ille qui inhabitat inquinatam sedem offensus derelinquat.* Atque rationem hanc præclarissimam exscripsimus ex libro 2. Tertulliani Op. nuper laudati. Perplacet & quam tradit ep. cit. Hieronymus, docere ipsum habitum, cui promissa, & mancipata sit mulier. Accedit, omnes Christi fideles in baptismo pompis solemniter abrenunciavisse. Nec prætermittenda est D. Bernardi ad Sophiam virginem exhortatio Ep. CXIII. ubi demonstrat muliebrem ornatum aliquem habere decorem, sed non præbere: talem vestis dicendum esse, sed non vestiti: indignum esse virginem christianam formam à pellibus murium, & operibus vermium sibi mutuari: mundum nudis exeuntibus vano deditis ornamento, istud retinere, eodem vano vanas similiter alias seducturum. Lege Epistolam illam elegantissimam. Moralis autem ratio erit, quam innuit Sixtus V. Pontifex Maximus in Bulla emanata anno 1536. quæ incipit, *Cum in unaquaque bene, & recte instituta republica, &c.* Ubi ostenditur ex immoderato circa indumenta sumptu, familias imminuto patrimonio, & re familiari absumpta ad paupertatem redigi, & plurima hinc damna, & pericula provenire, cum tamen ad universam rempublicam pertineat cives habere locupletes, ejusque interfit, ne privati rebus suis male utantur. Quam Pontificis rationem comprobant, quæ supra recitavi ex Hieronymo, & Propertio, & quod ait Tertullianus lib. 1. de Cultu fœm. cap. 8. ab iis *de brevissimis loculis patrimonium grande proferri.* Mitto, quæ hinc emanant, gravissima incommoda à Theologis, & Concionatoribus enarrata, blasphemias maritorum, mulierculorum cum matronis comparationem, mutuam fœminarum invidentiam, templorum ludibria, & pericula innumera pudicitiæ. Postremo prætermittendum non est exemplum tam mulierum ornatarum, quas nos Divina Historia docet in flagitia ruisse, ut Dinæ, Herodiadis, & quas Ezechiel commemorat capite tertio, ac vicesimo; quam eorum, qui moderationis vestium specimen exhibuere: qualis inter viros fuit protoparens Adam animalium pellibus coopertus; inter fœminas vero Rebecca, de qua Paulinus Epithalamio ad Julianum:

Pulchra Rebecca sacrum cum sponsa veniret ad Isac,
Simpliciter velo tecta pudoris erat.
Non legitur variis venisse ornata lapillis,
Sed super obducto prædita palliolo.

PROPOSITIO II. At consuetudo mulierum, quæ faciem cerussa, rubore, & consimili fuco obliniunt, nequissimi flagitii complectitur turpitudinem. 3. Propositio.

Probatur flagitiosum esse faciem cerussa & simili fuco oblinire.

Adversus hanc fœminarum insaniam legendus Clemens Alexandrinus in tertio Pædagogi: ubi illam commaculandi acceptam à creatore formam, muliebrem consuetudinem belle delineans ait: *Supercilia flava habet aliqua? Depingit fuligine. Alicui, ut ea nigra sint, contingit? Tollit cerussa nigrorem. Sunt alicui nimis alba? Unguento ei rei facto dedit alborem, &c.* S. autem Cyprianus de habitu virginum morem illum diabolicum sequentibus argumentis perstringit. I. Demonstrat dæmones ut Dei imaginem summo ludibrio possent afficere, docuisse *oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crines, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem.* II. Docet non virgines tantum, aut viduas, sed & nuptas, atque omnes omnino fœminas admonendas, *Quod opus Dei, & factura ejus, & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine.* III. Probat exemplo artificis, cui gravem afferret injuriam quisquis, posteaquam ille vultum alicujus, speciemque pictam formavit, colorem obduceret signato jam, consummatoque simulacro; atque similiter *manus Deo inferunt, qui id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, & Diaboli quodcunque mutatur.* Quam postremam rationem tangit quoque cap. 6. de cultu fœminarum Tertullianus scribens: *In Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt: genas rubore maculant: oculos fuligine colliniunt: displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium.* Quod & reprehendit S. Paulinus commemorato ad Julianum Epithalamio, scribens:

Non

Non fucis male ficta cutem, neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aspernata superbo
Crimine Divinum in se sibi damnat opus.
Frustra hæc se mulier jactaverit esse pudicam,
Quæ se tam variis ornat adulteriis.

Igitur tam prava fœminarum consuetudo nequit à gravi culpa excusari: cumque in omni compta, nuptaque sit detestabilis, habet in virgine improbæ temeritatis audaciam: & merito Hieronymus ita Lætam compellat: *Cave, ne cerussa, & purpurisso consecrata Christo ora depingas.* At vetulæ, quarum nonnullæ in his flagitiis operam quandoque perdunt, ad memoriam nostram revocant festivissimum illud Plautinum in Mostellaria:

Nam isthæc veteres, quæ se unguentis unctitant,
Interpoles vetulæ edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illico
Itidem olent, quasi cum una multa jura confundit coquus.

4. Propositio 3. PROPOSITIO III. In cultu vestium maxima præseferenda est moderatio.

Probatur in cultu vestium moderationem statuendam. Servandum id præsertim à Clericis. I. Ex præscripto Canonum; nam 27. Trullanus ait: *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat:* & Synodus Aquisgranensis apud Christianum Lupum in Scholio ad Canonem mox laudatum: *Inter utrumque* (ait de humili, & ornata veste) *virtus discretionis moderatissime tenenda est.* II. Ex sententia Patrum, inter quos Hieronymus scribens de Clericis qui mollia induunt in Epistola ad Eustochium ait: *Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos.* III. Exemplo sanctissimi Patris Augustini: de cujus indumentis scribit in ejus vita Possidius: *Ex moderato, & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, quia iis plerique vel jactare sese insolenter homines solent, vel abjicere.* Ubi animadverte rationem productam hoc loco à Possidio nec latuisse Aristotilem scribentem lib. IV. Eth. cap. 7. excessum pariter, ac defectum in vestimentis Lacedæmoniorum arrogantiæ specimen habuisse. Quod dictum volo generaliter: quibus enim placuere rudis habitus, cilicium, & saccus, speciali ducti sunt spiritu humilitatis, ac pœnitentiæ. Pro mulieribus autem tenenda est regula Augustini in Epistola 199. nunc 262. ad Ecdiciam num. 9. *Quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, merito reprehensa sunt: sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salva religionis observantia convenire.* Legendum etiam documentum Francisci Salesii ad Philotheam P. 3. cap. XXV. Placeat nobis hæc vestimentorum moderatio ob vitæ honestatem, non verò ob pervulgatum, lepidumque proloquium,

Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.
Si careas veste, nec sis vestitus honeste,
Nullius est laudis, quamvis scis omne quod audis.

Nos quippe neque tangit vestimentorum amor immodicus, neque inanis gloriæ, aut popularis existimationis cupido.

CAPUT ULTIMUM.

De celebritate conviviorum, atque intempestivis compotationibus.

SUMMARIUM.

1. Splendida convivia à luxu gentilitatis sunt orta.
2. & 3. Turpissimum est scelus, vino se inebriare.
4. usque 7. De usu cocolatæ.
8. Demuntur scrupuli circa potum cocolatæ.

SUnt denique permulti, quorum oblectatio est opipare parare convivia, œnophora delibare, & gelidas calidasque sorbere potiones: ad quos dirigere congruum est partem hujusce libri postremam.

1. Propositio I. PROPOSITIO I. Splendidus conviviorum apparatus nonnisi à luxu corruptæ Gentilitatis emanavit.

Probatur splendida convivia à luxu gentilitatis orta esse.

Et quidem non solum Divina historia nos docet, quanta abstinentia ante diluvium Noeticum ad annos plurimos vitam antiqui Patres protraxerint, verum etiam parce admodum sese Gentes reliquas aluisse, ipsarum prodidere Scriptores. Nam Servius in primum Aeneidos scribit, quod tantum in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui: farre solo, ac pulte usi sunt primi Romanæ urbis habitatores; & sibi manu sua parasse cibos, scribit Seneca de Consolatione cap. IX. Hinc de Curio ait Juvenalis XI. Sat.

parvo quæ legerat horto
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squallidus in magna fastidit compede fossor.

At posteaquam Romanorum luxus confregit temperantiæ repagula, modum excessit etiam epularis accubitus. Nam Suetonius refert Julium Cæsarem ad mensam in aureo lecto decubuisse: argenteos legimus posuisse Heliogabalum: eburneos ac testudineos magni Principes habuere. Imperator Claudius scyphum aureum adhibuit, Lucius Crassus cælatum artificis manu, crystallinum immensi pretii Cæcilius Agricola. Miræ tenuitatis amphoras in templo Capitolino legimus consecratas. Accessit luxus in mensarum ministris: nam Dionysius Tyrannus, ut ait Tullius in Tusculanis, eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Virgilius pariter de convivio Didonis ait interfuisse magnam puerorum copiam, *Qui Dapibus mensas onerent, & pocula ponant.* Nec defuit delectus luxusque ciborum, quem Seneca admirans exclamavit: *Dii boni, quantum unius venter deglutit!* nec male Musonius: *Coqui majore studio, quam agricolæ parantur, & convivia quidem apparant, in quibus agrorum pretia consumunt.* Quæ omnia si florente Romanorum potentia, divitiarum copia, cultuque superbo ipsorum profanorum Scriptorum confessione temperantiæ limites excessere, tolerari non debent in hoc rerum statu, & maxime inter fideles: sed ornent magnifice ac splendide convivia illi, de quibus Libro X. cecinit Lucanus:

Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsivit in orbe,
Non mandante fame multas volucresque, ferasque.

Sed de conviviorum luxu hæc pauca. Vide Tomi VIII. Romanarum Antiqq. postremas elucubrationes.

2. Propositio. PROPOSITIO II. Inebriari vino scelus est nefarium, detestabile, atque turpissimum.

Probatur turpissimum scelus esse vino se inebriare. ex Scriptura. Quod demonstratur I. ex Scripturis. Legitur enim Prov. XX. 1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Is. V. 11. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Apostolus autem ad Rom. XIII. 13. monet, ne ambulemus *in commessationibus, & ebrietatibus:* & ad Eph. V. 18. *Nolite* (inquit) *inebriari vino, in quo est omnis luxuria.* Vide & primam ad Timotheum cap. III. v. 8. atque priorem Petri cap. IV. v. 3. Effecta etiam ebrietatis, ac portentosum incestum filiarum Lot profert liber Geneseos cap. XIX. 32. Fortuitam quoque ebrietatem Noe, qui primus omnium plantavit vineam, sanctissimi viri inquinasse modestiam, neque scandalo caruisse, liquet ex cap. VIII. ejusdem libri v. 22. in quem locum ornate Victor Massilienſis libro III. Alethias:

Forte Noe Domini celebrat dum lætus honores
Indulgens epulis, & dulcia pocula libans,
Persensit vivos latices, somnoque gravante
Victus membra toro posuit neglecta fideli:
Et revoluta simul vestis secreta retexit
Corporis, ac risum tibi, Cham deterrime, movit.

3. Probatur ex Patribus. II. Demonstratur ex Patribus; quorum magno ex numero duos tantum producam, unum ex Græcis, Magnum Basilium, qui adversus ebrietatem scripsit celeberrimam Homiliam ordine XIV. alterum ex Latinis, id est, Doctorem maximum Augustinum. Et Basilius quidem principio scribit: *Ebrietas dæmon est voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit.* Tum probat ebrium nequaquam à brutis differre hoc singulari argumento: *Non-*

Nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ omnis factus es dominus, & imperator? Hoc igitur mentis lumine per ebrietatem qui se privat, jumentis insipientibus comparatus est, & similis factus est illis. Posthac demonstrat ebrium esse brutis ipsis deteriorem, quod nullum animal, ut ebrius homo, ita visu audituve debilitetur. *Nonne* (inquit) *ebrii familiarissimos interdum ignorant, alienis vero sæpe ut domesticis congrediuntur? An non umbras sæpenumero tanquam sulcos, & loca prærupta transiliunt?* Deinde recenset damna quæ proveniunt ex ebrietate in spiritum, quorum præcipuum est *voluptatis incontinentia omnis, quæ ex vini fonte originem vimque trahens præceps ruit ad omnem impuritatem, atque intemperantiam.* Ulterius ostendit quomodo ebriosi corrumpant ipsum habitum corporis, *dum non solum abundantia voluptatum ad lasciviam insanientium illos labefactat, & dissolutos reddit; sed & corpus tumidum, putridum, mucosum, & vitali humore privatum circumferunt.* Ad hæc comparat ingeniose ebrios idolorum simulacris, de quibus in Ps. CXXXIV. 16. legitur, *Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, &c.* quoniam *manus paralysi affectas habent, pedes infirmos, atque emortuos.* Addit perorationem elegantissimam. Ex qua Basilianæ orationis analysi satis turpitudinem ebrietatis arbitror apparere. At Augustinus Latinorum nobilissimus in fine enarrationis in Psalmum LIV. de Sanctis Martyribus inquit: *Modo eos ebriosi calicibus persequuntur, quos tunc furiosi lapidibus persequebantur*, propter ebrietates, & commessationes in Sanctorum solemnitatibus. In Psalmum vero CIII. n. 14. exclamat: *Quid insanius ebrio? quid plerumque iracundius?* Quantam demum diligentiam adhibuerit, ut ab Africanis nequitiam hanc maximam in sacris præsertim diebus evelleret atque amoveret, constat ex illius Epistola XXII. n. 3. & ex XXIX. ad Alipium Episcopum Tagastensem. III. Hactenus dicta etiam rationes suppeditant. Commonstrant enim oriri ex vinolentia innumera incommoda, profanationem festorum, rixas, luxuriam, blasphemias, domesticorum perturbationes atque contemptum, dilapidationem bonorum, omnemque morum corruptelam: emanare inde corporis, sensuumque hebetudinem, ac tantam mentis conturbationem, ut in III. de Rerum natura non male Lucretius:

Denique cur hominem, cum vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor:
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt,
Et jam cætera de genere hoc quæcunque sequuntur,
Cur ea sunt nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam consuevit corpore in ipso?

Vini tamen usum non damnamus; sed in compotationibus sequentia ex D. Paulo colligimus servanda esse temperamenta. Ac primum illud sit, quod scribit Apostolus in priori ad Timotheum cap. v. 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Utendum ergo vino, sed bene diluto, & modico, præsertim stomacho laborantibus. Nam ut scribit Justinus ad Zenam: *Aqua necessitatis est, vinum juvandi corporis gratia datum est.* Documentum alterum spectans ad Clericos habetur in eadem ad Timoth. Epistola, cap. III. v. 8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, &c.* Quod attendentes Ecclesiastici Canones jubent ab officio, vel beneficio suspendi Clericos, qui in vinolentia se exhibuerint culpabiles, nisi à Superioribus commoniti satisfecerint; ut habetur Cap. *A Crapula*, Extra, de Vita, & honest. Clericorum. Monitum tertium Apostolicum spectat ad Matronas, quas ne sint *multo vino servientes*, hortatur, ac præcipit Paulus ad Titum cap. II. 3. Legendum & præclarum exemplum S. Matris Monicæ lib. IX. Confess. Augustini cap. VIII. n. 18.

PROPOSITIO III. Argumenta, quæ Cardinalis Franciscus Maria Brancacius, aliique viri docti producunt ad probandum, quod potione cocolatæ Ecclesiasticum non frangatur jejunium, non videntur frugi Theologo penitus satisfacere. 4. Propositio 3.

Est argumentorum illorum princeps, quod haustus cocolatæ potio sit, non cibus, atque potu sorbeatur. Est autem potus non perrarus, sed Americanis, atque Hispanorum pluribus familiaris, atque communis. At quod natura sua ad genera potionum pertinet, sive Americani, sive Itali sorbeant, nequit alimenti in- Argumentum I. Cocolatam non frangere jejunium.

induere substantiam. Atque hoc argumentum Brancacii à priori sententia revocavit celebrem Hispanum Medicum Calderam, qui in Tractatu, cui titulus *Tribunal Medico-magicum*, statuerat cocolatis potu jejunium Ecclesiasticum frangi. Sed huic argumento responderi potest cocolatam, etiamsi poculo exhauriatur, inter esculenta, & quidem majoris substantiæ, connumerandam. Nam Stube Medicus Anglus experimento monstravit plus unctuosi, & nutrientis humoris elici ex una uncia Cacao, quam ex libra bovinæ carnis, ideoque cocolatam solidum esse alimentum. Thomas Gage refert audivisse se à fide dignis Americanis, illic eos, qui plus cocolatis pocula sorbent, fieri quadratos ac pingues. Atque rationem affert, quoniam licet cacao partes permultæ sint frigidæ, sunt tamen & aliæ permultæ butyrosæ ac nutrientes, atque his calida alia ingredientia, cinnamomum præsertim, atque vaginula sunt ad instar vehiculi, ut ad hepar, & viscera discurrant, ibique in carnem & pinguedinem coalescant. Et quamvis econtra Brancacius ait non semel se fuisse expertum, quod poculum unius consuetæ potionis cocolatis vix ad septem horas vires stomacho languenti suppeditat, unde infert falsum esse, quod duæ cocolatis unciæ plus dent nutrimenti, quam tres unciæ carnis: communis tamen est Medicorum sententia cocolatam optimum præbere nutrimentum, ut demonstrat in Bibliotheca Pharmaceuticomedica Jacobus Mangetus. Et quilibet forte experiri poterit falsum esse allatum à Cardinali Brancacio experimentum, cum non semel uno cocolatæ poculo iter agentes perseverent usque ad vesperam viribus validissimis: quamquam fateor esse, qui post septem horas esuriant, non solum exhausto poculo cocolatæ, sed à prandio, quoque, vel cœna. Porro cocolata, etiamsi sorbeatur, & ad poculenta quodammodo spectet, uti etiam lac, capique stillatus liquor, non ad extinguendam sitim, sed ad vires refocillandas exhauritur: ideoque esculenti rationem habet, non potionis; aut si potionis, talis quidem, quæ nutriat, atque sustentet. At quod inquiunt Americanis cocolatam potum esse communem, potest principio retorqueri. Si enim inter Americanos jejunium non frangit, quoniam ibi vulgaris est potio; violabit profecto jejunium apud Italos, quorum singuli tali luxuria non bibunt. Deinde respondet noster Nicephorus Sebastus, qui de cocolatis potione dissertatiunculam edidit, quod licet cocolata eandem in America, & Italia habeat naturam, usus tamen regionum debet attendi. Quippe & Græci jejunium frangunt, si certis feriis, & maxime majori hebdomada, non se abstineant à vino, ac piscibus sanguine concretis: quod in consuetudine non est apud Italos; ac simile exemplum profert de refectiuncula, quam appellitant collationem. Melius tamen respondebis, si dixeris Americanos stomacho esse debiliores, & spectata regionum diversitate varias potiones, epulasque adhibendas. At de uno argumento multa satis: cætera jam breviter persequamur.

Solutio.

Probant ergo secundo loco jejunium cocolatâ non frangi, eoquod neque illud frangat vinum, neque cervisia, quamvis utrique insit vis nutritiva, & quidem tanta, ut olim ante certamina vina propinarentur athletis, & aliqua ex Galeno æque nutriant, ac porcina caro. Nec cervisia inter esculenta censetur, tametsi ex frumento, hordeove paretur. At potest hæc argumentatio elidi primum negando cervisia vinoque jejunium non violari, cum oppositum ex ipsa vi nutrimenti demonstret in Thesibus Lovanienſibus cum magna eruditorum caterva Gummarus Huygens. Atque ut demus Brancacio hanc opinionem communiter esse explosam, si loquamur de vino aqua diluto, mensisque vulgaribus usitato, certa quidem est si sermo instituatur de vino meraciori, quale aut Galenus commemorat, aut propinabatur athletis. Deinde sunt, qui negant habere vinum nutriendi vim per se, cum non alat natura sua, sed efficiat duntaxat digestionem alimentorum. Insuper nemo dixerit nequaquam jejunium frangi vino, cui saccharum, cinnamomum, & aliquid esculenti permisceas. Occurrit Brancacius reponens ea permixtione accedere vino alendi vires robustiores; cum econtra pulvis cocolatis in aquam demersus vigore pristino destituatur. Sed fallitur fortasse. Enimvero cum cocolatæ massa partes habeat aliquas frigidas, sed permultas unctuosas, sulphureas, atque inflammabiles, quæ omnes cacao insunt, addantur præterea in cocolatis præparatione saccharum & cinnamomum; cocolates redactus in pulverem, & demersus in cocumam calida aqua, lignoque dentato iterum permixtus fit esculentum stomacho frigido percommodum; & particulæ calidiores, ut dictum est supra, solutæ magis ac liberæ fiunt cum humidis aptius vehiculum unctuosarum, atque nutrien-

§. Argumentum 2. & Solutio.

Argumentum 3. & Solutio.

nutrientium: unde cocolata hoc pacto ſoluta non minus nutrit, ac ſi illam ſumas maſſa, aut paſtillis, ſed longe melius, ſalubrius, aptoque ſtomachis tam calidis, quam frigidis temperamento. Ex quibus diluitur tertia ratio Brancacii, qui contendit demonſtrare cocolatem aquæ permixtione exuere propriam eſculenti naturam, cum illam econtra nanciſcatur perfectiorem.

6. Argumentum 4. & Soluio.

Argumentum quartum Cardinalis Clariſſimi eſt, quod parvitas materiæ juxta communem Doctorum ſenſum non frangit jejunium Eccleſiaſticum. Verum ſi uni cocolatis unciæ tanta eſt vis nutritiva, ut præclariſſimi Medici Mangetus, Pasquius, Zacchias, Stubeus, aliique obſervarunt; non minus attendenda eſt cocolatis quantitas, quam potionis, ac nutrimenti natura: idque in jejunio maxime Quadrageſimali, quod credimus in Elia & Moyſe præfiguratum, Chriſti conſecratum exemplo, & antiqua & Apoſtolica traditione firmatum, ut eo religioſius ſervari debeat, quo fuit majori auctoritate præſcriptum.

7. Argumentum ultimum cum Solutione.

Poſtremum argumentum ad hunc modum ſe habet. Non læditur jejunium medicamentorum potione. Atqui cocolata (inquit Brancacius) *roborat naturalem calorem, generat puriorem ſanguinem, cordis ſubſtantiam vivificat, diſſipat flatus, & prodeſt ad ſtomachum roborandum;* habet ergo medicamenti naturam, ac tali medicamento uti poſſumus abſque fractione jejunii. Aſt utraqua hujus ſyllogiſmi præmiſſa corruit ſponte ſua, & univerſam molem evertit. Nam quantum ad majorem, ut vocant, attinet: vel ægroto medicamentum exhibes, vel ſano ac robuſto. Si ægroto, ejusdem ſaluti providendum eſſe demonſtrat lex ipſa naturæ. Si autem ſano ac valenti, oportet, ut expendatur qualitas medicaminis. Quod ſi fuerit nutritivum atque eſculentum, nego conſiſtere cum jejunio. Atque ita prior illa propoſitio fluctuat & labaſcit. Sed altera propoſitione tota machina excidit: nam ſi cocolata roborat naturalem calorem, generat puriorem ſanguinem, cordis ſubſtantiam vivificat, diſſipat flatus, & prodeſt ad ſtomachum roborandum; quomodo frigida eſt admodum, nec nutrit, nec cibus eſt, nec ſuſtentat, nec vim habet eſculentorum? Quomodo ſtomacho roborati, & naturali calore robuſti ſervabunt jejunium, ab Eccleſia eo fine inſtitutum, ut fideles ab alimentis abſtinentes carnem macerent, & corporis afflictatione ſenſus à noxiis retrahant exceſſibus? Recte ergo ſtatui, argumenta pro cocolatis potione allata nequaquam cuilibet frugi Theologo ſatisfacere.

8. Demuntur ſcrupuli circa potum cocolatæ.

Ne tamen alicui injiciam ſcrupulum, ſi valida alicui videntur, nec reſponſionibus noſtris ullatenus diſſoluta, meminerit is omnes prorſus Theologos, ipſumque Cardinalem ampliſſimum Franciſcum Mariam Brancacium, definire potionem cocolatis non admodum dilutam, ſed concretam ac denſam jejunio dubio procul opponi. Et licet Tutrianus quanitatem permittat non excedentem uncias cocolatis duas, dimidium tantum unciæ quidam alii exiſtimant permittendum: unicam vero unciam idem Brancacius, Sebaſtus noſter, atque benigniorum Theologorum pars major. Sed vereor, ne parvam hanc quantitatem complures excedant; nam ſemel inductæ corruptelæ modum ſervare non poſſunt. Eſt autem illa duarum unciarum portio plurimorum conſuetudine recepta; & vir quidam eximius deſcribens eleganti carmine quomodo cocolatæ pararet ſibi potionem, ut extat in notis ad Dithyrambum viri Clariſſimi Franciſci Redi, canebat:

Quin & ſaccharam deciſa in fragmina metam
Comminuo, cumulusque pari mihi pondere ſurgit,
Mixtaque ſtat juſto ſimul uncia, & uncia metro.

Atque hunc finem habet noſtra de oblectamentis diſſertatio. In qua ſi oratione uſus ſum feſtiva, & poetarum verſibus phalerata; indulgendum tempori, quo eam ſcripſi, tibique, Lector benevole, propono legendam. Neque enim erit qui mihi jure ſuccenſeat, ſi vel ipſa librorum meorum lectione honeſtam aliquam perceperis voluptatem, vel ego à noxiis oblectationibus retrahar hoc ſcribendi, vel diſſerendi genere nunquam fortaſſe à Scholaſticis uſurpato. Non deerunt tamen in libris noſtris dogmata ſublimiora, atque in his maxime, quos proximis voluminibus exornabo.

Explicit Liber Viceſimus quartus.

QUARTI VOLUMINIS PROPOSITIONES.

I. Recta ratio imperandi, quam *Legem* appellant, & quæ voluntatis actum complectitur. 4

II. Certas, ut obstringat, postulat conditiones : *ibid.*

III. Quæ si adsint, etiam justi legibus subjiciuntur. 6

IV. Ac primum inter leges locum tenet Æterna, cæterarum omnium fons & origo : 7

V. Cujus participatio est lex naturæ menti rationalium inscripta, & 10

VI. Rectam Dei, proximorumque dilectionem præscribens. 11

VII. Hæc autem naturalis lex neque abrogari potest. 14

VIII. Neque propriam admittit dispensationem. 15

IX. Sequitur lex scripta, quæ Deum habet auctorem, 21

X. Congruis, non pravis, ut quidam hæretici commenti sunt, constituta præceptis. 23

XI Id demonstrans adversus Faustum Augustinus non erravit, contra quam sentiat Phereponus, aut exponens verba illa Deuteronomii, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno ;* 29

XII. Aut alia, *Erit vita tua quasi pendens ante te.* *ibid.*

XIII. Probabiliorem quoque sententiam tenuit, dum ait Saram fuisse Abrahami neptem, & consanguineam. 30

XIV. Scriptæ legis promulgator *Moyses* hebraico appellatur vocabulo : 32

XV. Non fuit Polygamus, *ibid.*

XVI. Nec homicida, 33

XVII. Nec Heliopolitanus infectus lepra, 34

XVIII. Eique non tribuunt cornutam faciem Catholici, ut hæretici calumniantur. 35

XIX. Non videtur fuisse primus literarum inventor. 36

XX. In tabulis Moysi ita distributus erat Decalogus, ut prima tabula tria tantum præcepta contineret, altera septem reliqua. 37

XXI. Primo præcepto simulacra duntaxat idolorum, & imagines ad adorandum conflatæ, non omnes promiscue, prohibebantur Judæis. 39

XXII. Hoc autem, cæterisque præceptis, ut liquet ex nostra interpretatione, traditur rectissima agendarum rerum mensura. *ibid.*

XXIII. Ritus etiam legales, & secundaria Judæorum præcepta fuerunt optimo, providoque consilio instituta. 47

XXIV. Hæc, quamvis abrogata fuerunt in Christi morte. 53

XXV. Non tamen fuerunt statim exitiosa, & mortifera, *ibid.*

XXVI. Eaque Apostoli absque ulla simulatione aliquamdiu usurparunt. 55

XXVII. At quoniam neminem obstringebant, recte Paulus restitit Cephæ : quem alium à Petro perperam quidam existimant. 63

XXVIII. Veteri successit lex nova longe præstantior, suis etiam præceptis obstringens, quidquid hæretici obganniant. 66

XXIX. Ut obligent leges humanæ, nisi aliter statuat Legumlator, sat est si ad notitiam subditorum pervenerint : 70

XXX. Neque pendet ullo pacto à populorum acceptatione. 71

XXXI. Humanæ autem leges ligant quoque in interiori conscientiæ foro, 76

XXXII. Excepto tamen gravissimo nocumento, proximoque vitæ discrimine. 79

XXXIII. Operi, quod tam in se inspectum, quam attentis rerum circumstantiis leve est, parvique momenti, nequit Legislator adnectere obligationem sub pœna mortalis culpæ. 81

XXXIV. Potest Ecclesia inferiorem quoque actum *per se, ac directe* præcipere. 82

XXXV. Non habent Potestates sæculares auctoritatem aliquam, aut imperium statuendi leges Ecclesiasticas : 85

XXXVI. Sed aliquas duntaxat leges ferre possunt ad Ecclesiasticas, divinasque promovendas, non tanquam Ecclesiæ Judices, sed tanquam defensores, ac vindices. *ibid.*

XXXVII. Ecclesiæ autem Pastoribus non solum competit munus suadendi & declarandi ; sed etiam auctoritas & potestas coactiva, qua possunt suarum legum fractores vi, & imposita necessitate compescere 86

XXXVIII. Non pugnat cum spirituali Ecclesiæ regimine temporalis jurisdictionis regnique potestas. 87

XXXIX. Et reapse summo Ecclesiæ Pastori utraque simul potestas competit, Ecclesiastica videlicet, & politica. 88

XL. Ad nutum Pontificis quælibet civilis potestas, quæ in corpore Ecclesiæ tenet imperium, deberet arma tractare, & cætera complere propriæ auctoritatis officia. 91

XLI. Ipse Legislator aliquo pacto legibus à se latis obstringitur. *ibid.*

XLII. Advenæ, ac peregrini locorum, ad quæ accedunt, legibus subjiciuntur. 92

XLIII. Clerici legitime bona possident temporalia : 93

XLIV. Neque cogi debent ad tributa solvenda, neque ad munia laicorum obeunda. 94

XLV. Immunitatem Ecclesiasticam, quocunque jure inducta sit, nequeunt Principes sæculares temerare, aut minuere. 97

XLVI.

XLVI. Recte in Latina Vulgata connumerantur quatuor civitates asyli in Tribu Ruben. 100

XLVII. Decretales ante Siricium Epistolæ, licet sint magna ex parte suppositæ, non sunt rejiciendæ tanquam doctrinis Apostolicis repugnantes. 103

XLVIII. Collecti à Gratiano Canones non aliam habent auctoritatem, quam fontium, locorumque, unde sunt derivati. 104

XLIX. Definiri non potest Canonum Apostolicorum certus numerus; 106

L. Tametsi aliqui à primis Ecclesiæ sæculis obtinuerint. *ibid.*

LI. Romanorum leges ab Atticis, istas vero ab Hebræis derivasse mira singularum concordia demonstrat. 108

LII. Eximunt interdum à legum onere Privilegia, Dispensationes, Consuetudines. 113

LIII. Legibus conformari debent humana Officia, quorum libertatem penitus non evertit aut metus incussus, aut alliciens concupiscentia. 119

LIV. Sunt vero omnia, quæ cum libertate patrantur, in individuo vel honesta, vel prava: 122

LV. Et externum opus nihil *per se* interiori voluntati in rem honestam, iniquamve deliberate vergenti, addit decoris, vel turpitudinis. 126

LVI. Virtus juxta Augustinum nihil est aliud, quam ordo amoris; 130

LVII. Ac virtutis præmium, & sempiterna felicitas, quanquam ex visione, & amore Dei coalescit, 136

LVIII. Potissimum tamen sita est in amore, quo Deo fruimur. 137

LIX. Econtra scelus, & culpa est amoris inordinatio, & consistit in rectitudinis privatione. 139

LX. Intercedit inter peccata discrimen, & quædam sunt genere suo venialia. 143

LXI. Quæ mortalia dicuntur, habent nequitiam moraliter infinitam. 149

LXII. Non requiritur ad imputationem peccati, ut animum subeat sancta cogitatio, per quam advertat ad peccati malitiam. 153

LXIII. Fictitium est peccatum philosophicum. 154

LXIV. Excusat à culpa ignorantia juris naturalis, dummodo sit invincibilis; 156

LXV. Sed nullus hominum compos sui tali ignorantia laborat quantum ad universalia principia, & proximas consecutiones. 157

LXVI. Eapropter ignorantia, & delectatio aliquando culpabilis censenda est, aliquando excusanda. 162

LXVII. Idem de conscientia dicendum; cui tenemur morem gerere, si recta sit, moraliter certa, nec voluntario errore obcæcata. 165

LXVIII. Dum in opinione versamur, si tenuis adsit probabilitas, eidem adversus legem morigerari iniquum est. 176

LXIX. Opinio quippe probabilis nisi conscientiam moraliter certam ingeneret, haud est firmissima morum regula 177

LXX. Nefas propterea est sequi opinionem minus probabilem stantem pro libertate, in concursu opinionis probabilioris, quæ stet pro lege. 185

LXXI. Viro Theologo non licet ex sententia, quam ipse oppugnat, censetque minus probabilem, alteri consilium dare. 198

LXXII. Nec homini ignaro fas est varios adire Casuistas, eo animo, ut tandem inveniat aliquem benigniorem, affirmantem esse probabile, quod alii improbant, sibique fas sit eligere quod magis libet. 200

LXXIII. Confessarius pariter non debet absolutionem impendere iis, qui sequuntur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, eamque nolunt deponere. *ibid.*

LXXIV. Sequi tamen possumus in qualibet materia, sive juris, sive facti, sententiam probabilem, quæ post diligentem veritatis inquisitionem appareat sententia opposita probabilior. 202

LXXV. Atque his imbuti præceptis execramur in primis idololatriam, ac summam eorum dementiam, qui coluerunt masculos Deos Consentes 208

LXXVI. Habemus eodem loco, qui in numero Deorum Consentium locarunt fœminas. 210

LXXVII. Risu pariter excipienda est fabularis selectorum Deorum historia. 212

LXXVIII. Et una cum iis amandanda profana numina, quæ vetus Testamentum commemorat. 214

LXXIX. Repudianda est etiam, atque execrabilis religio, quæ viget apud Turcas & Mahumetanos: 215

LXXX. Cæteris autem omnibus præferenda est Christiana religio, quam constat evidentissime veram esse. 219

LXXXI. Ab eadem religione Christiana alieni sunt qui Christi divinitatem, & Incarnationem non confitentur, 223

LXXXII. Necnon hæretici omnes, & sectæ Calvinistarum, Lutheranorum, aliorumque Protestantium. 228

LXXXIII. Romanæ itaque Ecclesiæ Divina gratia adscripti, illius symbolum tanquam Apostolicum veneramur. 232

LXXXIV. Et ab Apostolis revera conditum fuisse defendimus. 233

LXXXV. Nihil commentitium huic symbolo fuit appositum; ideoque propugnamus etiam Christi descensum ad inferos: 240

LXXXVI. Asserimus expectandam esse universalem corporum resurrectionem, 248

LXXXVII. Eamque futuram in eadem numero carne, quæ morte dissolvitur; 252

LXXXVIII. Quamvis non eædem futuræ sint omnium resurgentium corporum affectiones. 253

LXXXIX. His, aliisque à Deo revelatis assentimur virtute Fidei, quam recte definit Apostolus cap. xi. ad Hebræos: 256

XC. Quæ fides semper quoad substantiam credibilium à mundi exordio ad hæc usque tempora fuit eadem. 257

XCI. Statui nequit ejusdem fidei norma, & libella in sola humana ratione, ut contendunt Sociniani. 260

XCII. Neque sufficit ad omnia dogmata definienda, ut passim reliqui Novatores autumant, scriptum Dei Verbum: quod non est omnibus apertum, atque perspicuum. 264

XCIII. Judicium enim de fidei quæstionibus nequit ex solis scripturis repeti, sublata Judicis vivi auctoritate; 265

XCIV. Nec idoneum erit judicium, si fiat privato spiritu, & intima cujusque fidelis persuasione. 267

XCV. Præter Divinam scripturam sacræ quoque Traditiones sunt admittendæ. 275

XCVI.

XCVI. Fides vero Mediatoris in veteri quoque Testamento fuit necessaria, sed non fides *explicita* in ejus divinitatem, ac individuæ Trinitatis mysterium. 295
XCVII. Verum in hoc novæ legis statu ipsa *explicita* fides requiritur, 296
XCVIII. Non ad salutem æternam tantummodo, sed etiam ad justificationem obtinendam. *ibid.*
XCIX Requiritur & externa fidei confessio, & nunquam licitum est fidem ipsam negare: 299
C. Immo nec religionem simulare profanorum rituum, ciborum, vestium, nominumque gentium idololatrarum usurpatione, ubi sint superstitiosi cultus indicium. 300
CI. Fas est aliqando in persecutione fugam arripere. 301
CII. At quid de Sinensium Ritibus? Falsum est omnes promiscue approbatos anno 1656. à Sacra Congregatione. 304
CIII. Edictum Caroli Maigrot recte, provideque superstitiosos eliminavit 305
CIV. Decretum quoque Cardinalis de Tournon à Clemente XI. & Benedicto XIII. confirmatum complures jure, meritoque proscripsit. 307
CV. Permanet vera fides etiam in homine impio. 308
CVI. Non tamen in hæretico, 309
CVII. Neque in solutis corpore animabus, jam in termino consistentibus 311
CVIII. Datur spes à fide, & à charitate distincta: 313
CIX. Quæ in eo non persisteret, cui facta esset futuræ damnationis certissima revelatio. 314
CX. Spei certitudo, quanquam admodum firma, salutarem timorem minime excludit. 316
CXI. Licet autem timor mundanus sit perversus & noxius; 317
CXII. Timor servilis est summopere utilis, supernaturalis, & donum Dei: 318
CXIII. Illo tamen laudabilior est timor castus, & permanens in sæculum sæculi. 321
CXIV Ea, quæ ad spem pertinent, in oratione Dominica connitentur. *ibid.*
CXV. Charitas omnium virtutum maxima veram parit inter Deum, & hominem amicitiam. 325
CXVI. Ante omnia Deus etiam interiori charitate diligendus est. 326
CXVII. Diligendus semper, actu, aut virtute: 327
CXVIII. Et diligendus ex toto corde, in tota anima, in tota mente. 328
CXIX. Animarum Dei charitate flagrantium datur aliquamdiu *quies*, sed ei, quam Molinosius invexit, è diametro opposita. 330
CXX. Status item *puri amoris*, in quo anima nullam gerat propriæ salutis curam, *fanatismus* est, non charitatis perfectio. 331.
CXXI. Nec repugnat charitati servare legem intuitu sempiternæ mercedis. 333
CXXII. Proximi etiam diligendi sunt propter Deum, servato ordine charitatis, parentes. filii, fratres, ac pauperes, 334
CXXIII. Atque hi subsidio eleemosynarum juvandi. 337
CXXIV. In præcepto quoque est inimicorum dilectio; 338
CXXV. Tametsi liceat Christianis adversus hostes, servatis conditionibus, bellum gerere. 339
CXXVI. At illicitum prorsus est intium ex condicto singulare certamen. 341
CXXII. Ut licita sit occisio injusti aggressoris, sequæstrari debet à noxia cupiditate. 343
CXXVIII. Ipsa malorum origo cupiditas illicitis inhiat oblectamentis, inter quæ sunt connumeranda Veterum Bacchanalia. 350
CXXIX. Hæc nequeunt censeri honesta, ut celebrantur ab aliquibus, qui concessione Principum ubutuntur. 351
CXXX. Interdum quippe, si non omnia, quædam saltem theatra superare videntur Gentilium luxum, & insanientem libidinem. 353
CXXXI. Et nonnullæ recentiores comœdiæ sunt magis, quam antiquæ despiciendæ. 354
CXXXII. Quapropter iniquissimi censendi sunt histriones inverecundi, *ibid.*
CXXXIII. Graviterque delinquunt, qui ludicram scenam spectant, nisi comœdia sit honestissima. *ibid.*
CXXXIV. In personis autem, larvisque penes nonnullos improbos immoderatior est ætate nostra, quam regnante superstitione, luxuries. 356
CXXXV. Detestabile est mulieres habitu virorum personatas incedere, & viros vicissim vestimentis mulierum. *ibid.*
CXXXVI. Saltationes, quarum in sacris literis fit mentio, damnant quamplures præsentium chorearum abusus. 358
CXXXVII. Ab antiquis Ethnicis saltatoribus edocemur quantum dedecet inhonestas frequentare choreas. *ibid.*
CXXXVIII. Quisquis ergo immodice choreas agit, à culpa vix erit immunis. 359
CXXXIX. Festis autem diebus à choreis, & saltationibus est omnino abstinendum. 360
CXL. Cum adæquent nonnulli cantores (probos excipimus) improbitatem veterum, 361
CXLI. Oportet, ut Christiani aspernentur cantum mollem, atque inverecundum 362
CXLII. Prohibentur etiam Christiani figmenta legere Poetarum. 363
CXLIII. Adolescentibus permitti potest ludus latrunculorum. *ibid.*
CXLIV. Ludus autem alearum tanquam omnis nequitiæ seminarium, elimandus, & abjiciendus omnino est. 364
CXLV. Inhibetur quoque Christianis decursio ludicra, vel agmen Troicum: 365
CXLVI. Ac detestanda præ cæteris sunt ea spectacula, in quibus tauri & feræ agitantur in circo, maxime si cum illis homines congrediantur. 366
CXLVII. Conjungi solet venatio sylvatica cum violatione festorum. *ibid.*
CXLVIII. Summopere detestandus est vigens in præsentia vestimentorum cultus immodicus. 367
CXLIX. Consuetudo autem mulierum, quæ faciem cerussa obliniunt, nequissimi flagitii complectitur turpitudinem. 368
CL. Maxima ergo in cultu vestium præferenda est moderatio. 369
CLI. Splendidus conviviorum apparatus nonnisi à luxu corruptæ Gentilitatis emanavit. 370
CLII. Inebriari vino scelus est nefarium, detestabile, atque turpissimum. *ibid.*
CLIII. Argumenta, quæ Cardinalis Brancacius producit ad probandum, quod cocolatis potione Ecclesiasticum non frangatur jejunium, non videntur frugi Theologo penitus satisfacere. 371

IN-

INDEX

RERUM, ET MATERIARUM,

IN

QUARTO HOC LIBRO CONTENTARUM.

NB. *Primus numerus sub Lit.* P. *Denotat paginam. Alter sub Lit.* N. *Significat Numerum Marginalem.*

A.

A*Baelardus* falsò docuit, nullum opus esse peccatum. p. 128. n. 8. & 9. normam, & regulam fidei ponit in humana ratiocinatione. p. 259. n. 1. refutatur. p. 260. n. 3. & seq.

Abrahamus: quomodò ei potuerit præcipi immolatio filii? p. 16. n. 8. & 9. ejus facta explicantur. p. 27. n. 15. & 16. an Sarai fuerit soror ipsius? p. 30. n. 25. & seq. an sit mentitus dicendò, se statim reversurum cum filio? p. 60. n. 29. ab eo templum Mechæ ædificatum, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2.

Abrogatio: qualiter quælibet lex immutetur per abrogationem? p. 13. n. 1. & seq. qualiter lex naturæ? p. 14. n. 3.

Absolvo: non debet Confessarius absolvere eum, qui sequitur opinionem minùs probabilem stantem pro libertate, si hanc opinionem nolit dimittere. p. 200. n. 8. & seq. absolvi non potest, qui ignorat Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. p. 298. n. 15.

Acceptatio: an ad legem requiratur acceptatio populi? p. 71. n. 8. & seq.

Acquisitus: quid sit fides acquisita? p. 259. n. 12.

Actualis: quid peccatum actuale? p. 152. n. 3. quid sit fides actualis? p. 259 n. 12.

Actus internus an possit præcipi lege humana? p. 81. n. 1. & seq. quoties teneamur ad actus fidei? p. 294. n. 2.

Actus humanus quid sit? p. 119. n. 1. voluntas non potest cogi ad actus elicitos, benè verò ad imperatos. p. 119. n. 3. de bonitate, malitiâ, ac fine actus humani. p. 121. n. 9. an detur actus humanus indifferens? p. 122. n. 1. tot. cap. II. an teneamur omnes actus in Deum referre. p. 122. n. 3. & seq. an actus externus addat interno bonitatem, vel malitiam? p. 126. n. 1. tot. cap. III. dantur actus externi peccaminosi, ac virtuosi. pag. 126. n. 2. Actus hominis principaliores sunt *uti*, & *frui*. p. 130. n. 2. felicitas hominis an consistat in actu intellectus, vel voluntatis, aut utroque simul? pag. 135. n. 5. & seq.

Adam: quomodo validum fuerit matrimonium à filiis Adæ contractum cum sororibus Germanis? p. 16. n. 8. & 9. hujus peccatum apparet ex morte Christi. p. 240. n. 14. an Deus Adamo creaverit duas mulieres? p. 284. n. 3.

Adamita orat in hortis nudo corpore deambulans. p. 229. n. 3.

Adolescens: vid. *Parvulus.*

Advena quibus teneatur legibus? p. 92. n. 24. 25. & 26.

Advertentia qualis requiratur de malitia, ut peccatum possit imputari? p. 153. n. 7. 8. & 9.

Adulterium: hujus turpitudo, malitia, prohibitio, ac pœna. p. 336. n. 5. sexto præcepto prohibetur. p. 45. n. 25.

Adultus debet præmittere dispositionem ad Baptismum. p. 247. n. 38. huic necessaria est fides interna. p. 294. n. 2.

Ægyptius: quomodo filii Israel aufferre potuerint Ægyptiis vasa aurea, & argentea? p. 16. n. 8.

n. 8. & 13. ægyptii cur fecerint animalium diſcretionem? p. 47. n. 2. adverſus horum idololatriam inſtitutum eſt Paſca Judæorum. p. 48. n. 4. & ſeq. quid dicendum de Moyſe ægyptium occidente? p. 346. n. 14. ac p. 33. n. 4. 5. & 6.

Aerarium: furtum de ærario eſt peculatus. p. 46. n. 28.

Aetas in qua ætate corpora reſurgent? p. 252. n. 55. & ſeq.

Aeternus: lex æterna quando promulgata fuerit? p. 7. n. 2. non eſt idea rerum in mente Dei exiſtens. p. 8. n. 3. an eadem lex poſſit dici providentia? p. 8. n. 3. eſt fons & origo omnium cæterarum. p. 8. n. 4. & 5. huic omnia creata ſunt ſubjecta. p. 9. n. 6. & 7. quid ſit lex æterna? p. 7. n. 1. vita æterna credenda proponitur duodecimo articulo p. 254. n. 64.

Aethiopia: an belli æthiopiæ hiſtoria ſit fabuloſa? p. 32. n. 3. eſt duplex. *ibid.*

Aethiopiſſa an fuerit uxor Moyſis? p. 32. n. 2. an hoc nomine veniat Sephora, vel zippora? p. 32. n. 2. & 3.

Aggreſſor injuſtus vitæ an licitè occidatur? p. 341. n. 1. & ſeq. in quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ? *ibid.* n. 2. an hunc occidens incurrat irregularitatem? p. 344. n. 9. illicita hujus occiſio evadit, ſi fiat ex noxia cupiditate. p. 345. n. 10. aut animo ulciſcendi. p. 345. n. 10. & 11. aut amore ſolius vitæ propriæ, huic poſthabendo proximi ſalutem animæ. p. 345. n. 10. & 12. aut ex ira non vitæ defenſionem, ſed alterius mortem intendendo. p. 345. n. 10. & 14. quando habetur jus in vitam proximi? *ibid.* an ſit excogitabilis caſus, in quo aggreſſoris occiſio fiat ſine peccato? p. 346. n. 14. quo modo intelligendum illud? *omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* p. 347. n. 18.

Agnus quo ſenſu aperuerit librum? p. 271. n. 6.

Alcoranus, quos errores, fabulas, ac abſurda contineat. p. 215. n. 1. & ſeq. quæ diſtinctio inter hunc, & Evangelium? *ibid.*

Alea: ludus alearum reprobatur. p. 364. n. 3. & ſeq. huic addictus frangit totum Decalogum. p. 365. n. 7. & 8.

Aleator: vid. *alea.*

Alexander M. in fonte, ad quem Alexander M. pervenit, quieſcere ſolem, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2.

Alexander VIII. propoſitiones ab eo damnatæ explicantur. p. 133. n. 9. & 10.

Amen: quid ſignificet hoc verbum? p. 324. n. 10.

Amicitia: dilectio ſignificat gratiam, benevolentiam, amicitiam p. 324. n. 2. an benevolentia inter Deum, & hominem per dilectionem firmata ſit vera amicitia? p. 325. n. 4. & ſeq. quænam Conditiones ad amicitiam requirantur? *ibid.*

Amicus: amici præ reliquis ſunt diligendi. p. 337. n. 7. quomodo intelligendum illud; *fac tibi amicos de mammona iniquitatis?* p. 337. n. 9.

Amor: virtus eſt ordo amoris, quo fruimur Deo, & utimur creaturis. p. 130. n. 3. & ſeq. v. *Dilectio.*

Ananias cur dictus ſit Sidrach? p. 214. n. 27.

Anabaptiſta: Mucerus Dux eorum dixit ſe Evangeliſtam. p. 230. n. 5. de horum miraculis. p. 230. n. 6. rejicientes bellum impugnantur. p. 339. n. 2. & ſeq. horum ſecta variè refutatur. p. 230. n. 5. & ſeq.

Anathema: in quo ſenſu S. Paulus voluerit eſſe anathema â Chriſto? p. 332. n. 6. & 7.

Angelus: Mahumet docet, Angelos eſſe genitos ex flamma ignis. p. 216. n. 3. quid docent, mundum eſſe productum ab Angelis, impugnant primum fidei articulum. p. 238. n. 5. venient cum Chriſto ad judicium. p. 244. n. 27.

Anglia: quæ in ea evenerunt ſub Henrico, & Eliſabetha, prædixit Cantiana Virgo. p. 229. n. 4.

Anglus: Libertini Angli docent licitum eſſe aliquando negare fidem. p. 299. n. 1. impugnantur p. 299. n. 2. & ſeq.

Anima quòd ſit portio Dei, credit Mahumet. p. 216. n. 3. ac hujus felicitatem conſtituit in carnalibus oblectamentis. *ibid.* anima Chriſti fuit ſenſu & ratione prædita. p. 240. n. 14. fuit in Chriſto perfecta humanitas ex corpore, & anima. *ibid.* animæ immortalitas duodecimo articulo aſſeritur p. 254. n. 64. an fides maneat in animabus Beatorum, ac damnatorum? p. 311. n. 11. & 12. an fides & ſpes maneant in animabus Purgatorii? p. 314. n. 5. in animabus damnatorum datur amor Beatitudinis, ſed non ſpes illius. *ibid.*

Animal immundum comedere cur non fuerit licitum in veteri lege? p. 23. n. 7. & 8. occiſio animalium non prohibetur quinto præcepto decalogi. p. 44. n. 23. de diſcretione animalium in lege veteri conſuetа. p. 47. n. 2. ægyptii cur eam habuerint? p. 47. n. 2. quænam animalia immunda? *ibid.* quid per hoc ſignificetur? p. 48. n. 3. per immolationem animalium fuit ſignatus Chriſtus, & contemptui data idololatria. *ibid.* & ſeq.

Animalis homo quid ſit? p. 272. n. 7.

Animatus: de obedientia rerum animatarum, & inanimatarum. p. 7. n. 2. ac p. 9. n. 6. & 7.

Anthropomorphita nequit probare Deum habere corpus ex eo, quia Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Patris, p. 244. n. 25.

Anti-

Antichriſtus: an poſſit eſſe ſpes de hujus ſalute? p. 314. n. 6. & ſeq.
Antiquus: quid ſit lex Divina antiqua? p. 2. n. 3.
Aphthartodocita: tribuens Chriſto corpus doloribus non obnoxium impugnatur quarto fidei articulo. p. 239. n. 13.
Apollinariſta: contra hunc defenditur, Chriſtum habuiſſe animam ſenſu, & ratione præditam. p. 240. n. 14.
Apollo aut homo obſcoenus, improbus, aut ſol eſt, minimè verò Deus. p. 209. n. 8.
Apoſtolicus: Symbolum Romanæ Eccleſiæ tanquam apoſtolicum eſt recipiendum. p. 232. n. 1. tot. cap. VI.
Apoſtolus: Legalia ex ſincero animo ſine ſimulatione obſervarunt. p. 55. n. 15. & ſeq. cur Apoſtoli præceperint gentibus Neo-Converſis abſtinere ab immolatis Simulacrorum? p. 61. n. 32. & ſeq. quantam auctoritatem habeant canones Apoſtolorum? p. 106. n. 1. & ſeq. de horum numer *ibid.* quando conditi? p. 106. n. 1. & ſeq. ex his canon XLV. videtur congeſtus âRebapttizanibus. p. 106. n. 1. Apoſtoli nec voluerunt, nec potuerunt mentiri, p. 220. n. 3. ac p. 222. n. 8. 9. 10. & 11. ipſimet Apoſtoli condiderunt Symbolum. p. 233. n. 6. & ſeq. cur illud in actis Apoſtolorum non ſit annotatum? p. 235. n. 12. vid. *Symbolum.* venient cum Chriſto ad judicium p. 244. n. 27. quomodo erunt Judices? *ibid.*
Apelles negans carnis reſurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & ſeq.
Appellita aſſerens Chriſtum non eſſe genitum ex Maria virgine impugnat tertium fidei articulum. p. 239. n. 11. negans, quòd Chriſtus ſurrexerit in corpore vero, damnatur quinto fidei articulo. p. 243. n. 22. ac p. 244. n. 23.
Arbitrium liberum negantes impugnant ſeptimum fidei articulum. p. 245. n. 28. an S. Auguſtinus retractaverit ea, quæ ſcripſit de libero arbitrio? p. 345. n. 12.
Arca: in ea mures natos eſſe ex ſtercore Elephanti, docent Mahumetani. p. 216. n. 2. & feles ex halitu leonis. *ibid.*
Archoniticus negans carnis reſurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & ſeq.
Arianus: an ſe arianum finxerit S. Euſebius vercellenſis? p. 61. n. 31. impugnans Verbi divinitatem, damnatur ſecundo fidei articulo p. 238. n. 6. & ſeq. oppugnans traditiones oppugnatur. p. 225. n. 1. & ſeq. contra hunc defenditur â Synodo Nicæna conſubſtantialitas filii Divini cum Patre. p. 278. n. 8.
Aries: in doctrina Mahumetis mors eſt aries ſtabulans cælum inter & inferos. p. 216. n. 2.
Ariſtocraticus: an in hoc regimine ad legem ſit neceſſaria acceptatio populi? p. 71. n. 8. & ſeq.
Arma ſunt tractanda â poteſtate civili ad nutum Papæ. p. 91. n. 21. & 22.
Artemon negat Chriſti divinitatem p. 224. n. 5.
Articulus: in ſymbolo apoſtolico ſunt. 12. articuli. p. 237. n. 1. iidem explicantur. p. 237. n. 2. & ſeq. tot. cap. VII. errores, qui cuilibet articulo opponuntur, enarrantur. *ibid.* vid. *fides.*
Aſcendo: quomodo Chriſtus aſcenderit ad Cœlos? p. 244. n. 23. & 24.
Aſſenſus fidei, qualiter diſtinquatur ab opinione? p. 257. n. 5. an ſit liber, ſupernaturalis, ac diſcurſivus? p. 257. n. 5. & 6.
Aſtaroth repoſuerunt gentiles in numerum Deorum. p. 214. n. 23. quis veniat hoc nomine? *ibid.* n. 24.
Aſylum quid ſit? p. 93. n. 1. aſylum habuit initium ab Ethnicis. p. 98. n. 17. in vulgata noſtra rectè aſſignantur quatuor civitates refugii. p. 100. n. 21. & ſeq. aſylum eſt jus antiquiſſimum. p. 100. n 22. dividitur in ſacrum, & profanum. *ibid.* quæ loca gaudeant aſylo? p. 100. n. 22. quinam non gaudeant jure aſyli? *ibid.* an Baptiſteria Eccleſiæ non conjuncta gaudeant aſylo? p. 101. n. 23. an Palatia Epiſcoporum, & Cardinalium? an Hoſpitalia auctoritate Epiſcopi erecta? an Religioſæ domus, & Monaſteria? *ibid.* de aſylo Idololatrarum, gentiliumque p. 101. n. 24. & 25.
Athenienſis: quid dicendum de legibus Athenienſium? p. 108. n. 2. an hæ cohæreant cum legibus Romanorum? p. 110. n. 11. & 12.
Atheus omnia tribuens fortuito athomorum concurſui impugnatur primo fidei articulo. p. 238. n. 5.
Athomus: qui dicunt, omnia facta eſſe ex fortuito athomorum concurſu, impugnantur fidei articulo primo. p. 238. n. 5.
Attentio qualis requiratur ad horas canonicas? p. 81. n. 2.
Atticus: quid dicendum de legibus atticorum? p. 108. n. 2. an cohæreant legibus Romanorum? p. 110. n. 11. & 12.
Aucupium an ſit licitum die feſto? p. 366. n. 5.
S. Auguſtinus vindicatur contra Joannem Clericum, & Phereponum. p. 28. n. 19. & ſeq. qualem habuerit diſputationem cum S. Hieronymo circa materiam, quando legalia ſint abrogata, & facta mortifera? p. 51. n. 1. & ſeq. ait, quòd S. Petrus præſcribendô legalia peccarit. p. 55. n. 15. & ſeq. quid in ſenſu S. Auguſtini ſit virtus? p. 130. n. 1. & ſeq. quæ S. Auguſtinus ſcripſit contra divinitatem Bacchi, defenduntur contra animadverſionem Phereponi.

peroni. p. 213. n. 20. an retractaverit ea, quæ scripsit de libero arbitrio? p. 345. n. 12.
Azarias cur vocatus Abdenago? p. 214. n. 27.
Azazelis non designat diabolum. p. 50. n. 8. & 9.
Azymus cur panis azymus in sacrificio adhibeatur? p. 48. n. 4.

B.

Baal est repositus à gentibus inter Deos. p. 214. n. 23. quis fuerit Baal? *ibid.* n. 24.
Bacchanalia de origine, & usu Bacchanalium. p. 351. n. 1. de ritibus eorum. *ibid.* à gentibus damnabantur *ibid.* etiam nostra Bacchanalia non sunt honesta, & licita oblectamenta. p. 351. n. 2. usus larvarum execrabilis? *ibid.* Bacchanalia sunt ritus, & delectatio non tantùm Christiano, sed etiam Creaturæ rationali indigna. p. 352. n. 3.
Bacchus nequit inter Deos locum habere. p. 213. n. 20. ea, quæ contra hunc scripsit S. Augustinus, non sunt digna reprehensione Phereponi. *ibid.* unde illius nomen desumptum? p. 351. n. 1. vocatur etiam liber, ac Dionysius. *ibid* quem honorem Baccho exhibeant Græci? *ibid.* fabulæ variæ de eo. *ibid.* enarrantur ejus vitia. *ibid.*
Baptismus: quando institutus fuerit? p. 53. n. 7. an parentes levantes propriam prolem sint separandi? p. 190. n. 7. & 10. quid dicendum de S. Cypriano statuente iterationem Baptismi Hæreticorum? p. 192. n. 12. & 13. ante Baptismum debet recitari symbolum Apostolorum. p. 237. n. 2. Cerinthus docet, Christum in Baptismo descendisse super Jesum. p. 238. n. 7. an Christus Patribus in lymbo Baptismum contulerit? p. 240. n. 15. & 18. an sine Baptismo decedentes parvuli debeant comparere in judicio? p. 245. n. 28. credimus in Baptismo remitti peccata. p. 247. n. 37. & seq. bona opera ante Baptismum facta non prosunt. *ibid.* in adultis ad Baptismum requiritur dispositio. p. 247. n. 38. an una, vel trina immersio sit necessaria? p. 286. n. 8. & 9. quid dicendum de usu tribuendi Baptizatis lac & mel? p. 292. n. 18. an sufficiat fides in voto suscepta, ùt Baptismus, si actu non potest recipi? p. 298 n. 13. & 14. an & quomodo parvuli sine usu rationis decedentes post Baptismum habeant fidem necessariam ad salutem? p. 298. n. 13. & 14.
Baptisterium ab Ecclesia separatum an gaudeat asylo? p. 101. n. 23.
Bardesanista negans resurrectionem in hac carne nostra futuram damnatur undecimo fidei articulo. p. 248. n. 40.
Basilides tribuens Christo corpus umbratile damnatur tertio fidei articulo. p. 239. n. 11. dicens: non Christum, sed Simonem Cyrenæum crucifixum, oppugnat quartum fidei articulum. p. 240. n. 14. contra hunc in Ecclesia asseritur potestas remittendi peccata. p. 247. n. 38. idem negans carnis resurrectionem refutatur p. 248. n. 41. & seq.
Basnagius: refutatur ejus opinio de Symbolo Apostolico. p. 234. n. 7. ac p. 235. n. 15. & 16. contra hunc defenduntur traditiones. p. 275. n. 1. & seq. contra hunc in materia de traditionibus defenditur S Hieronymus. p. 285. n. 4. ipsemet stat pro traditionibus. p. 287. n. 9.
Beatitudo hominis in quo consistat? p. 134. n. 1. tot. cap. V. eam Mahumet constituit in carnis voluptatibus. p. 216. n. 3. an Beatitudo Sanctorum sit differenda usque ad Judicii diem? p. 291. n. 17. & 20. amor Beatitudinis, sed non spes illius datur in damnatis. p. 314. n. 5.
Beatus: vid. *Sanctus*.
Belphegor est à Gentilibus Diis annumeratus. p. 214. n. 25. quis veniat hoc nomine? *ibid.* de ejus cultu. p. 351. n. 1.
Beelzebub est à Gentilibus Diis adscriptus. p. 214. n. 28.
Bellum: an historia de bello æthiopico sit fabula? p. 32. n. 3. non repugnat dilectioni gerere bellum justum. p. 339. n. 2. & seq quænam conditiones ad bellum justum requirantur? p. 339. n. 3. vid. *Arma*.
Benevolentia: dilectio significat gratiam, benevolentiam, amicitiam. p. 324. n. 2. an benevolentia inter Deum, & hominem per dilectionem firmata sit vera amicitia? p. 325. n. 4. & seq.
Beryllus Bostrensis negat Christi divinitatem. p. 224. n. 5.
Beza Theodorus Deum constituit auctorem peccati. p. 229. n. 2. non admittit vocabulum Trinitatis. *ibid.* arguit falsitatis illa verba: *non erit impossibile apud Deum omne verbum. ibid.* putat Spiritum S. etiam habitare in peccatoribus. p. 246. n. 31.
Biblia vid. *Scriptura*.
Bigamus Clericus amittit privilegium Canonis. p. 113 n. 2.
Blasphemia an licita blasphemia in falsos Deos? p. 42 n. 15.
Bonitas actûs humani quæ? p. 121. n. 9. an detur actus expers bonitate, & malitia? p. 122. n. 1. tot. cap. II. an actus externus interno addat bonitatem vel malitiam? p. 126. n. 1.
Bonum commune debent respicere leges. p. 5. num. 3. & 4. an Papa possit dispensare in

in communione bonorum? p. 14. n. 5. & 6. Clerici legitimè possident bona temporalia. p. 93. n. 1. & seq. Clericorum bona gaudent immunitate à tributis. *ibid.* & quo jure? p. 97. n. 16. & seq.
Borborianus negat post hanc vitam futurum Judicium. p. 244. n. 27.
Bostrensis: vid. *Beryllus*.
Breviarium cum quali attentione debeat persolvi? p. 81. n. 2.
Brutum: an & brutis jus naturæ competat? p. 3. n. 4. ac p. 10. n. 2. de obedientia brutorum. p. 7. n. 2. ac p. 9. n. 6. & 7.

C.

Cadmus primus grammaticam docuit. p. 36. n. 14.
Cœlum: qui includunt Deum in summitate cœlorum: peccant contra primum fidei articulum. p. 238. n. 4. corpus Christi non est de cœlo delapsum. p. 239. n. 11. quomodo Christus ascenderit ad cœlos? p. 244. n. 23. & seq. quantum à nobis distet cœlum, quod est sedes Beatorum? *ibid.* contra Platonicos probatur, corpus terrenum posse in cœlo consistere. p. 252. n. 52.
Ceremonia: vid. *Ritus*.
Ceremonialia vet. legis quando facta sint mortifera? p. 53. n. 6. & seq. hæc præscribenti Petro Paulus sine simulatione restitit verè p. 55. n. 15. & seq. an Apostoli eadem observârint? *ibid.* usque ad cap. XI. cur Apostoli gentibus Neo-conversis præceperint abstinere ab imolatis simulacrorum? p. 61. n. 32. & seq.
Callixtus Georgius: contra hunc defenduntur traditiones. p 275. n. 1. & seq.
Calvinus docens, solam fidem justificare, refutatur. p. 66. n. 2. & seq. ejus opinio, quòd regnum politicum non possit stare cum spirituali, rejicitur. p. 87. n. 9. & seq. docuit, prædestinatos posse peccare, sed ipsis non imputari. p. 143. n. 3. denegat Deo absolutam potentiam, insuper facit eundem authorem peccati. p. 229. n. 2. item non admittit vocabulum *Trinitatis*. *ibid.* Calvini sectam calamitates allaturam prædixit Thomas Minorita. p. 229. n. 4. idem fecêre Hildegardis, & Cantiana. *ibid.* Calvini secta fit detestabilis ex vaticiniis. p. 229. n. 4 ac rejicitur ex aliis fundamentis. p. 230. n. 5. & seq. de Calvini miraculis. p. 230. n. 6. in quot errores hujus hæresis dividatur? p. 231 n. 8. ejus error de Spiritu Sancto octavo fidei articulo refutatur. p. 245. n. 30. Calvinus negans reprobos acquirere remissionem peccatorum impugnat decimum fidei articulum. p. 247. n. 38. hujus gregales negantes traditiones impugnantur. p. 275. n. 1. & seq. contra hunc propugnatur, in Ecclesia laudabiliter adhiberi organum. p. 362. n. 2. vid. *Religio*.
Calumnia vid. *Convicium*.
Candela: quid significent candelæ extinctæ in triangulo in triduo sacro? p. 310. n. 6.
Canon: quinam canones veterum sint genuini, & qui spurii? p. 104. n. 5. & 6. quantam habeant auctoritatem Canones Apostolorum? p. 106. n. 1. & seq. de horum numero, & quando fuerint conditi? *ibid.* Canon XLV. Apostolorum videtur congestus à ReBaptizantibus. p. 106. n. 1. quid sit privilegium *Canonis*? p. 113. n. 2. & quinam illo gaudeant? *ibid.* & qui non? *ibid.* canones dignoscendi, quando ignorantia, & delectatio culpabilis sit. p. 162. n. 1. tot. cap. XI.
Canonicus: quid jus Canonicum? p. 3. n. 4. vid. *Ecclesiasticus*. jus Canonicum fuit à variis collectum. p. 102. n. 1. præcipuè ab Isidoro, & Gratiano. *ibid.* an compilator fuerit Isidorus Mercator, an Isidorus Hispalensis? *ibid.* qualem habeant auctoritatem decretales ab Isidoro collecti? p. 103. n. 1. qualem auctoritatem habeant decretales Gratiani? pag. 104. n. 7. & seq. quid sit palea? p. 104. n. 8. quibus partibus constet jus Canonicum? p. 105. n. 9. quomodo faciendæ, ac legendæ citationes juris Canonici? p. 105. n. 14. quosnam libros Synagoga pro Canonicis non agnoverit? p. 277. n. 5.
Cantiana Virgo prædixit Angliæ ruinam, quæ evenerat sub Henrico, & Elisabetha. p. 29. n. 4.
Cantor quidam cantores & Musici nisi superant, adæquant saltem veterum improbitatem. p. 361. n. 1.
Cantus: Christianus amet cantum honestum, & gravem. p. 362. n. 2. cantus Ecclesiasticus, & usus Organi in Ecclesia est laudabilis. *ibid.* qualis cantus sit in Ecclesia? p. 361. n. 1. & 2. à cantu amatorio tanquam à veneficio abstinendum. p. 362. n. 2.
Caper: de hujus immolatione. p. 50. n. 8. & 9.
Cardinalis: omnis virtus reducitur ad tres Theologales, vel quatuor cardinales. p. 131. n. 5. & seq. an hujus palatium gaudeat asylô? p. 101. n. 23.
Caro: in hujus oblectamentis Mahumet constituit animæ felicitatem. p. 216. n. 3. ea ùt licita permittit Mahumet. p. 217 n. 4. Christi resurrectio facta est in carne vera, & non siderea. p. 243. n. 22. cur dicatur in undecimo fidei articulo carnis, & non cor-

corporis resurrectio? p. 248. n. 40. idem articulus ampliùs explicatur. *ibid.* & seq. ac errores eidem repugnantes adducuntur. *ibid.* carnis resurrectio primùm futura probatur. p. 248. n. 42. & seq. & quidem in hoc corpore nostro, quod moritur. p. 252. n. 54. & seq. sed in qua forma, ætate, & sexu? p. 252. n. 55. vid. *Carthusianus.*

Carpocrates asserens mundum esse productum ab Angelis impugnat primum fidei articulum. p. 238. n. 5.

Carthago quando ædificata? p. 34. n. 7.

Carthusianus an in extrema valetudine possit vesci carnibus? p. 80. n. 12. & 13.

Castratio improbatur. p. 361. n. 1.

Catechumenus: Symbolum eorum est perfectum. p. 225. n. 7. & 8.

Catholicus: cur Ecclesia vocetur catholica? p. 247. n. 35. vid. *Christianus.*

Cauteriatus: quid sit conscientia cauteriata? p. 166. n. 4.

Censura: quæ sint latæ censuræ in propugnantes sententiam probabilem relicta probabiliori vel æquè probabili? p. 169. n. 6. & 7.

Cephas: huic S. Paulus restitit non animo simulato, sed vero ac sincero, dum præceperat legalium observationem. p. 55. n. 15. & seq. usque ad cap. XI. Cephas, cui Paulus in faciem restitit, non est alius à Petro. p. 63. n. 1. & seq.

Cerdon negans carnis resurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & seq.

Ceres: de nomine, & origine Cereris. p. 211. n. 14. non potest annumerari Diis. *ibid.*

Cervisia: an per cervisiam jejunium violetur? p. 372. n. 5.

Cerinthus docuit, legalium observationem præter Evangelium ad salutem esse necessariam. p. 55. n. 13. denegabat Christo Divinitatem. p. 227. n. 16. & 17. distinquit Jesum à Christo. p. 238. n. 7. affirmans Christum esse natum ex semine Joseph impugnat tertium fidei articulum. p. 239. n. 11.

Certanem vid. *bellum*, aut *duellum.*

Certitudo spei christianæ est maxima multiplici ex causa. p. 315. n. 11. at certitudo spei terrenæ est minima. *ibid.* certitudo spei christianæ non excludit timorem. p. 316. n. 12.

Certus: quid sit conscientia certa? quid certa moraliter, & an hæc possit esse conjuncta cum errore? p. 166. n. 5. v. *opinio.*

Cerussa: vid. *Mulier.*

Charitas v. *Theologicus* vel *Dilectio.*

Charta: ludere chartis reprobatur p. 364. n. 3. & seq.

Chemnitius: contrahanc propugnantur traditiones. p. 275. n. 1. & seq.

Chiliasta: hujus regnum temporale est quid commentitium. p. 244. n. 25.

China: quid dicendum sit de ritibus chinensibus? p. 301. n. 5. ac p. 303. n. 1. & seq. quid de cultu confucii? *ibid.*

Chocolata: an illius usus frangat jejunium? p. 371. n. 4. & seq.

Chorea: saltationes, quarum in sacris litteris fit mentio, damnant modernas pleraque choreas. p. 358. n. 1. ab antiquis Ethnicis saltatoribus edocemur, quantum dedecet inhonestas frequentare choreas. p. 358. n. 2. qui choreas immodicè agit, & saltat, à culpa vix erit immunis. p. 359. n. 3. diebus festivis à choreis est omnino abstinendum. p. 360. n. 4. & seq.

Christianus: cur prohibitum sit Christianis commedere de immolatis simulacrorum, sanguine & suffocato? p. 61. n. 32. & seq. eos in sua lege posse salvari, concedit Mahumet. p. 217. n. 6. hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* vid. *fides.* Christi divinitas, & incarnatio à Christiano negari non potest. p. 223. n. 1. tot. cap. IV. in quo sensu Socrates, & Heraclitus possint dici Christiani? p. 227. n. 15. Christianus culpabiliter ignorans Mysteria Trinitatis, & incarnationis non potest salutem consequi. p. 294. n. 1. idem scire debet memoriter symbolum, Decalogum, & orationem Dominicam. *ibid.* licitum est christiano fugere tempore persecutionis. p. 301. n. 6. & seq. Christianus amet cantum gravem, & honestum. p. 362. n. 2. non legat carmina Poetarum. p. 363. n. 3. nec eorum fabulas, si limites honestatis excedunt. *ibid.* christianis prohibetur torneamentum, troiæ lusus, ac quælibet decursio ludicra. p. 365. n. 1.

Christus in quo sensu factus sit maledictum? p. 26. n. 14. 20. & seq. lex vetus ducit ad Christum. p. 25. n. 13. & 14. per Sacrificia veteris legis est destructa idololatria, & Christus signatus. p. 49. n. 5. & seq. an per mortem Christi lex Mosaica, & legalia fuerint abrogata? p. 51. n. 1. & seq. an sit mentitus, fingendô se longiùs ire? p. 60. n. 29. aut dum videbatur Magdalenæ hortulanus? *ibid.* non hunc, sed ejus simulacrum esse crucifixum, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2. testimonia vet. testamenti de Christo sunt antiqua, ac divina. p. 219. n. 2. veritas Religionis Catholicæ apparet ex miraculis Christi. p. 220. n. 4. ac p. 223. n. 10. & 11. hujus incarnatio, & divinitas à fideli negari non potest. p. 223. n. 1. tot. cap. IV. Christo ignorantiam affingunt Lutherus, & Zwinglius, qui etiam Blasphemat, eundem in cruce desperâsse. p. 229. n. 2. errores, qui aggrediuntur Jesum

ſum Chriſtum, ſecundo, & ſubſequentibus articulis damnantur. p. 238. n. 6. & ſeq. explicatur hoc nomen *Chriſtus. ibid.* de Dominio Chriſti. *ibid.* eſt Patri conſubſtantialis *ibid.* & p. 278. n. 8. Chriſtus à Jeſu eſt indiſtinctus. *ibid.* Chriſtus unctus eſt Propheta, Sacerdos & Rex p. 239. n. 8. cur vocetur Dominus? p. 239. n. 9. Chriſti conceptio eſt divinitus peracta. p. 239. n. 11. corpus Chriſti à Spiritu S. eſt fabricatum intra ſecreta uteri virginalis. p. 239. n. 11. non habuit corpus ex ſemine S. Joſeph: nec de cælo delapſum. *ibid.* nec umbratile. *ibid.* ſed B. Virgo fuit verè, ac propriè Dei Genitrix. *ibid.* Chriſtus paſſus eſt, & quidem in corpore vero, ac doloribus obnoxio. p. 239. n. 13. Marcion, Menander, & Aphthardocit contrarium docentes quarto fidei articulo damnantur. p. 239. n. 13. cur dicatur, quòd Chriſtus ſit paſſus ſub Pontio Pilato? p. 239. n. 13. cur ſupplicium crucis elegerit? p. 240. n. 14. anima Chriſti fuit ſenſu, & ratione prædita. p. 240. n. 14. fuit Chriſto perfecta humanitas ex corpore & anima. *ibid.* ejus ſepultura probat incarnationem. *ibid.* Chriſtus verè deſcendit ad inferos. p. 240. n. 15. & ſeq. an Patribus in lymbo prædicaverit Evangelium, & eos baptizaverit? p. 240. n. 15. & 18. quando, & quomodo Chriſtus reſurrexerit? p. 243. n. 20. & ſeq. quomodo aſcenderit ad cælos? p. 244. n. 23. & ſeq. quomodo Chriſti aſcenſio differat â raptu Eliæ? *ibid.* corpus Chriſti non eſſe in ſole poſitum, probatur contra Seleucianos. *ibid.* quomodo ſedeat ad dexteram Patris? p. 244. n. 25. quomodo ſit venturus judicare vivos, & mortuos? p. 244. n. 26. & ſeq. cur poſt reſurrectionem manducârit? p. 254. n. 62. Chriſtus acceptavit teſtimonium ab homine. p. 273. n. 8. eundem eſſe adorandum, habere duas voluntates, habetur ex traditione. p. 278. n. 8. in veteri teſtamento neceſſaria erat fides in Chriſtum tanquam Mediatorem, ſed non explicita in ejus divinitatem, ac in individuam Trinitatem. p. 295. n. 4. & ſeq. an etiam Chriſtus potuerit orare, *dimitte nobis debita noſtra?* & c. p. 323. n. 7. in quo ſenſu dixerit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* p. 332. n. 6. & 7.

Cibus: de ciborum diſcretione in vet. lege p. 47. n. 2. non eſt licitum uſurpatione ciborum, qui ſunt ſignum ſuperſtitioſi cultûs, Religionem callidè ſimulare. p. 300. n. 4. & ſeq. vid. *Ritus.*

Circenſis: vid. *Ludus.*

Circumciſio quando facta mortifera? p. 53. n. 7. & ſeq. in ea Mahumet vim fermè omnem ponit. p. 217. n. 4.

Circumſtantia: ob circumſtantias materia levis poteſt fieri gravis. p. 81. n. 15.

Citatio quomodo faciendæ, & legendæ citationes in jure canonico? p. 105. n. 14. quomodo in jure civili? p. 112. n. 17.

Civilis: quid ſit lex humana civilis? p. 2. n. 3. quid jus civile? p. 3. n. 4. an debeat promulgari in ſingulis Provinciis? p. 69. n. 1. an poſt promulgationem ſtatim obliget? p. 70. n. 2. & ſeq. an ad hanc requiratur acceptatio populi? p. 71. n. 8. & ſeq. quæ diſtinctio inter hanc & Eccleſiaſticam? p. 72. n. 10. 12. & 13. lex etiam civilis obligat in conſcientia. p. 76. n. 1. & ſeq. hoc negârunt Waldenſes. *ibid.* & Gerſon *ibid.* an etiam cum periculo vitæ? p. 79. n. 10. & ſeq. an poſſit præcipere actum internum? p. 81. n. 1. & ſeq. poteſtas civilis, & ſpiritualis poſſunt ſimul ſtare. p. 87. n. 9. & ſeq. ùt ſit in Papa. *ibid.* poteſtas civilis tenetur arma tractare ad nutum Papæ. p. 91. n. 21. & 22. poteſtas Civilis nequit minuere immunitatem Eccleſiaſticam. p. 97. n. 16. & ſeq. traduntur quædam rudimenta de legibus civilibus. p. 108. n. 1. quid dicendum de legibus civilibus Athenienſium, & Atticorum? *ibid.* n. 2. quid lex civilis ſtatuat de Matrimonio? p. 108. n. 3. leges Romanorum dividuntur in Regias, tribunicias, curiatas, plebiſcita, triumphales, ſacratas, ſatyras, & c. p. 109. n. 5. quid lex Julia? *ibid.* quid lex civilis Romanorum ſtatuat de Religione, & cultu parentum? p. 109. n. 6. quid de homicidio? p. 109. n. 7. quid de fornicatione, & libidine? p. 109. n. 8. quid de furto? p. 108. n. 4. & p. 110. n. 9. quid de convitiis, falſo teſtimonio, & calumnia? p. 110. n. 10. an concordantiam habeant leges atticæ, & athenienſes cum Romanis? p. 110. n. 11. & 12. leges civiles antiquæ cohærent cum libris Exodi, geneſis, & Levitici. p. 111. n. 13. ac derivantur â lege hebraica. p. 111. n. 14. præter leges civiles dantur etiam ſtatuta. p. 112. n. 15. quinam horum ſtatutorum compilatores præcipui? *ibid.* quibus partibus conſtet lex civilis? p. 112. n. 16. quomodo legendæ, & faciendæ citationes Juris civilis? p. 112. n. 17. quæ leges civiles contineantur in codice? p. 112. n. 18.

Civitas Refugii quid ſit? p 93. n. 1. primò ſunt hæ civitates conſtitutæ ab Ethnicis. p. 98. n. 17. tales civitates in vulgata noſtra rectè numerantur quatuor. p. 100. n. 21. & ſeq. aſylum eſt jus antiquiſſimum. p. 100. n. 22. dividitur in ſacrum & profanum. *ibid.* quæ loca gaudeant aſylo? p. 100. n. 22. quinam non gaudeant jure aſyli? *ibid.* an Baptiſteria Eccleſiæ non conjuncta gaudeant aſylo? p. 101. n. 23. an palatia Epiſcoporum, & Cardinalium? an hoſpitalia auctoritate Epiſcopi erecta? an

Religioſæ domus, & Monaſteria? *ibid.* de aſylo Idololatrarum, gentilium, & Judæorum. p. 101. n. 24. & 25.

Clauſura an poſſit deferi â Moniali obgrave periculum? p. 80. n. 12. & 13.

Clemens V. ejus decretales enarrantur. p. 105. n. 6. dividuntur *ibid.* n. 12. an is ſit compilator canonum Apoſtolorum? p. 106. n. 1.

Clericus legitimè poſſidet bona temporalia. p. 93. n. 1. & ſeq. illius bona gaudent immunitate â tributis. *ibid.* hanc nequit minuere Princeps ſæcularis. p. 97. n. 16. & ſeq. quo jure Clerici gaudeant immunitate? p. 93. n. 1. & ſeq. ac p. 97. n. 16. & ſeq. nequit renuntiare privilegio. p. 113. n. 1. quinam veniant nomine Clericorum? p. 113. n. 2. quinam amittant privilegium *Canonis. ibid.* quinam gaudeant privilegio *fori*? p. 113. n. 3. ſub quibus conditionibus Clericus conjugatus, aut in minoribus conſtitutus gaudeat privilegio fori, & canonis? *ibid.* eſt excommunicatus, ſi interſit congreſſioni feræ cum homine. p. 366. n. 3. de habitu Clericorum. p. 369. n. 4. de eorum ſe inebriantium pœnis. p. 370. n. 3.

Clericus Joannes: contra hunc defenditur S. Auguſtinus. p. 208. n. 19.

Coactio tollit voluntarium. p. 119. n. 2.

Cocolata vid. *Chocolata.*

Codex: quæ leges civiles contineantur in Codice? p. 112. n. 18.

Cogitatio ſancta & delectatio an debeat præcedere, ut poſſit peccatum imputari? p. 153. n. 7. 8. & 9.

Comodum vid. *bonum.*

Communio: an Papa poſſit diſpenſare in communione bonorum? p. 14. n. 5. & 6. quid ſignificet communio Sanctorum? p. 247. n. 36.

Communis: leges debent reſpicere bonum commune. p. 5. n. 3. & 4.

Communitas: lex ſit lata pro communitate. p. 4. n. 1. & 2. poteſt ferre legem p. 6. n. 9. & ſeq.

Comoedia: apud gentiles in Comœdiis viri ſunt ſeparati â mulieribus. p. 353. n. 1. & 2. viri & fœminæ non poterant promiſcuè theatrum conſcendere ad exhibendam aliquam Comœdiam, vel tragœdiam. *ibid.* comparatione antiquarum deſpiciendæ magis ſunt nonnullæ comœdiæ recentiores. p. 354. n. 3. exhibitio dividitur in tragicam, comicam, Satyricam, & Mimicam. *ibid.* Hiſtriones inverecundi, aliique inhoneſtæ Comœdiæ Actores ſunt hominum iniquiſſimi, & infamia notandi. p. 354. n. 4. ingredientes Theatrum, ludicramque ſcenam ſpectantes peccant graviſſimè, niſi comœdia, quod rarò contingit, ſit honeſtiſſima. p. 354. n. 5. in larvis modo major eſt luxuries, quàm olim erat apud ſuperſtitioſos. p. 356. n. 1.

Compotatio: quantum ſit ſcelus ſe compotationibus inebriare? p. 370. n. 2. & ſeq. præcipuè in clericis. p. 370. n. 3.

Conceptio Chriſti divinitùs eſt peracta. p. 239. n. 11.

Concilium: plura concilia uſa ſunt traditione ad condemnationem hæreſum p. 278. n. 8.

Concupiſcentia an tollat voluntarium aut liberum. p. 120. n. 6. eſt pœna peccati originalis. p. 156. n. 1. & ſeq

Conditio: quænam conditiones legis. p. 4. n. 1. & ſeq.

Confeſſarius non poteſt abſolvere eum, qui ſequitur opinionem minùs probabilem ſtantem pro libertate, ſi hanc opinionem nolit dimittere. p. 200. n. 8. & ſeq.

Confeſſio Sacramentalis eſt præceptum leve. p. 68. n. 8.

Confucius vid. China.

Congreſſus ſinenſium pugnis certantium examinatur. p. 366. n. 2. vid. *fera.*

Conſcientia an ſtimuli conſcientiæ ſint lex naturæ? p. 11. n. 5. & 6. lex humana, etiam civilis obligat in conſcientia. p. 76. n. 1. & ſeq. hoc negârunt Waldenſes, *ibid.* & Gerſon. *ibid.* an lex pœnalis obliget in conſcientia? p. 79. n. 9. an conſuetudo obliget in conſcientia? p. 117. n. 15. quid ſit ſpectata in ordine ad res jam factas? p. 165. n. 1. quid in ordine ad faciendas? *ibid.* quid conſcientia recta? p. 165. n. 3. quid erronea? *ibid.* quot dentur argumenta conſcientiæ rectæ? *ibid.* quid ſcrupuloſa, laxa, Phariſaica, cauteriata, obcæcata, vincibilis, & invincibilis? p. 166. n. 4. quid certa moraliter; an hæc poſſit eſſe conjuncta cum errore? *ibid.* num. 5. quid dubia, quid improbabilis? *ibid.* conſcientiam dubiam non poſſumus ſequi. p. 173. n. 12. quid ſit conſcientia probabilis? p. 166. n. 5. ac p. 167. n. 1. quale requiratur fundamentum ad conſcientiam probabilem? p. 167. n. 1. & 2. an conſcientia probabilis maneat probabilis in concurſu alterius fundamenti contrarii æquè gravis, vel gravioris? *ibid.* quomodo conſcientia probabilis diſtinguatur ab opinione, ac dubio. p. 168. n. 3. conſcientia poteſt eſſe probabilis ratione intrinſeca, & extrinſeca. p. 169. n. 5. conſcientia probabilis ortum habet ex ignorantia. p. 172. n. 10. quomodo conſcientia probabilis diſtinguatur à ſcientia, & fide. *ibid.* eſt vitium & pœna peccati. *ibid.* quæ diſtinctio inter conſcientiam probabilem, ac tutam. p. 173. n. 14. conſcientiæ tenuis probabilitatis morigerari iniquum eſt. p. 176. n. 1. & ſeq nulla opinio probabilis poteſt eſſe regula firma

ma morum, si non appareat tuta operanti, aut conscientiam moraliter certam non ingeneret. p. 177. n. 6. & seq. conscientia probabilis sternit viam vitiis, est imprudens, ac recens. *ibid.* non licet sequi conscientiam probabilem faventem libertati relicta alia æquè probabili, quæ stat pro lege, aut præcepto. p. 180 n. 14. & seq. an in concurrentia duarum propositionum probabilium conscientia sit dubia. p. 182. n. 17. & seq. an conscientia speculativè probabilis fiat practicè certa per judicium reflexum. p. 183. n. 20. & seq. objectiones Probabilistarum solvuntur. p. 188. n. 1. tot. cap. XV. vid. *Opinio.*

Consentes Deos Græci & Romani numerant duodecim. p. 207. n. 1.

Consilium: ad Consilia Evangelica non tenemur jure naturali. p. 12. n. 10. quæ consilia novæ legis. p. 67. n. 6. quodnam discrimen inter præceptum, & consilium. *ibid.* an theologus possit alteri consilium dare ex opinione, quam ipse putat minùs probabilem. si sciat, quòd alii eandem putent probabiliorem. p. 198. n. 1. & seq. an licitum sit à variis consilium petere, ut tandem inveniatur unus suadens minus probabile contra alios probabiliùs suadentes. p. 20. n. 5. 6. & 7.

Consubstantialitas filii Divini contra Arianos est propugnata à Synodo Nicæna. p. 278. n. 8.

Consuetudo: an privilegium tollens consuetudinem sit nullum. p. 114. n. 4. quid sit? p. 116. n. 11. quid consuetudo præter, juxta, & adversus legem. *ibid.* non datur justa consuetudo contra legem naturæ, vel Divinam. *ibid.* quæ conditiones requirantur ad consuetudinem legitimam. p. 116. n. 12. & seq. an obliget in conscientia. p. 117. n. 15. non omnis consuetudo abrogat legem. p. 117. n. 17.

Contemptus: quando peccatum sit conjunctum cum Dei contemptu. p. 152 n. 3.

Contractus an rescindantur per leges ob defectum voluntarii. p. 120. n. 5.

Contumeliæ prohibentur quinto præcepto. p 44. n. 24.

Convicium lata in Patriarchas vet. legis convicia vindicantur. p. 27. n. 15. & 16. quid de conviciis statuat lex civilis Romana p. 110. n. 10.

Convivium: splendidus conviviorum luxus à gentilitate ortum habet. p. 370. n. 1.

Cornelius quando sit justificatus. p. 297. n. 11. & 12.

Cornutus: de cornuta facie Moysis. p. 35. n. 10. & seq.

Corporeus quòd sit Deus, docet Mahumet. p. 216. n. 3.

Corpus: Adamitæ orant in hortis nudo corpore ambulantes. p. 229. n. 3. corpus Christi est à Spiritu S. fabricatum inter secreta uteri Virginalis. p. 239. n. 11. non autem ex semine S. Joseph. *ibid.* nec de Cœlo delapsum. *ibid.* nec umbratile. *ibid.* Christus passus est in corpore vero, ac doloribus obnoxio. p. 239 n. 13. Marcion, Menander, & Aphthartodocitæ contrarium docentes quarto fidei articulo damnantur. p. 239. n. 13. fuit in Christo perfecta humanitas ex corpore, & anima. p. 240. n. 14. Christi resurrectio facta est in carne, & corpore vero. p. 241. n. 22. Christi corpus non est in sole positum in ascensione illius. p. 244. n. 24. Deum habere corpus, non probatur ex eo, quòd Christus dicatur sedere ad dexteram Patris. p. 244. n. 25. cur in articulo undecimo dicatur carnis, & non corporis resurrectio. p. 248. n. 40. resurgemus in carne nostra, & non in corpore aëreo. *ibid.* contra Platonicos probatur, corpus terrenum posse in Cœlo consistere. p. 252 n. 52. resurgemus in hoc corpore nostro, quod moritur. p. 252. n. 54. & seq. de dotibus corporum Beatorum. p. 253. n. 61. & damnatorum. p. 254. n. 63. in qua forma, sexu, ac ætate corpora resurgent. p. 252. n. 55. & seq. an in Sanctis sit spes futuræ gloriæ corporum. p. 314. n. 5.

Creatura: legi æternæ omnes creaturæ sunt subjectæ. p. 9. n. 6. & 7. virtus est ordo amoris, quo fruimur Deo, & utimur creaturis. p. 130. n. 3. & seq.

Credo: quæ sit distinctio inter has locutiones. *Credo Deum. Credo Deo. Credo in Deum?* p. 237. n. 2. quid significet hæc vox, & cur præponatur Symbolo. *ibid.* vid. *fides.*

Crucifixus est Christus, non Simon Cyrenæus, non Judas Iscariotes, non diabolus. p. 240. n. 4.

Crux: cur Christus elegerit supplicium crucis. p. 240. n. 14.

Culpa: quid sit reatus culpæ post peccatum remanens. p. 142. n. 13. & 14.

Cupiditas rei illicitæ opponitur nono vel decimo præcepto Decalogi. p. 49. n. 30. illicita est occisio injusti licèt aggressoris, si fiat ex noxia cupiditate. p. 345. n. 10.

Curia: an ad legem sufficiat promulgatio in curia facta p. 69. n. 1. & seq.

Curiatus: quid lex curiata. p 109. n. 5.

Cyclopes dicuntur filii Neptuni. p. 208. num. 4.

S. Cyprianus: quid dicendum de ejus sententia circa rebaptizandos hæreticos. p. 292. n. 12. & 13. ac p. 282. n. 15.

Cyrenæus Simon: non hunc, sed Christum fuisse crucifixum, probat quartus fidei articulus. p. 240. n. 14.

D.

Dagon: huic gentiles divinos honores exhibuerunt. p. 215. n. 29.

Dallæus negans traditiones impugnatur. p. 275. n. 1. & seq.

Damnatio: an in eo posset esse spes, cui ex certa divinitus facta revelatione constaret futura sua damnatio? p. 314. n. 6. & seq. an Deus posset facere talem revelationem? *ibid.*

Damnatus: de qualitate corporum damnatorum. p. 254. n. 63. horum pœnæ in æternum durabunt. p. 254. n. 64. an fides sit in animabus Beatorum, ac damnatorum? p. 311. n. 11. & 12. in damnatis datur amor Beatitudinis, sed non spes illius. p. 314. n. 5.

Damnum: an leges humanæ obligent cum gravi damno? p. 79. n. 10. & seq. an lex Divina? p. 79. n. 10. & seq.

Daniel cur dictus Balthasar? p. 214. n. 27.

David: hujus pœnitentia commendatur. p. 27. n. 15. & 16.

Decalogus: est summarium Juris universi. p. 37. n. 1. unde hoc nomen? p. 37. n. 2. distributio in duas tabulas. p. 37. n. 3. quot præcepta pertineant ad primam tabulam? p. 37. n. 3. 4. & seq. *non habebis Deos alienos* est primum, & non secundum præceptum. p. 38. n. 5. & seq. duo ultima præcepta sunt distincta. p. 38. n. 6. & 7. de ordine præceptorum, an præceptum *non moechaberis* sit quintum vel sextum? p. 39. n. 8. explanatio decalogi. p. 39. n 9. & seq. prima verba: *Ego sum Dominus*: sunt præfatio brevis. *ibid. primo præcepto* prohibetur Idololatria. p. 39. n. 10. quid sint *Dii alieni*? *ibid.* quid sculptilia? p. 39. n. 11. quid Idola? *ibid.* an prohibita quæcunque sculptura, aut similitudo? p. 40. n. 12. & 13. *secundo præcepto* prohibetur perjurium, & subin etiam juramentum. p. 41. n. 14. *tertio præcepto* præcipitur sanctificatio Sabbathi. p. 42. n. 17. quid significet Sabbathum? & cur institutum? *ibid.* quomodo sanctificandum? *ibid.* in hujus cultu Judæi superstitiosè excedunt. p. 43. n. 18. quid Sabbathi iter? *ibid.* honorare jubemur parentes *præcepto quarto*, qualiter id fiat? & cur vocetur primum præceptum? p. 43. n. 19. & 20. honoranda est etiam mater. p. 43. n. 21. quinam veniant nomine Patris? *ibid.* de promissione huic præcepto appositа. p. 44. n. 22. *quinto præcepto* prohibetur tantùm homicidium. non autem fericidium. p. 44. n. 23. quando licitum homicidium? p. 44. n. 24. ulteriùs eodem prohibetur ira, contumeliæ. *ibid. præcepto sexto* prohibetur Mœchia: quid sit? p. 45. n. 25. comprehendit adulterium, incestum. p. 45. n. 26. an in impedimento ex incestu consurgente possit dispensari? p. 45. n. 26. ulterius prohibetur stuprum, & etiam fornicatio simplex. p. 45. n. 27. *septimo præcepto* prohibetur furtum. p. 46. n. 28. quid sit furtum? qualiter distinquatur à rapina? *ibid.* furtum gravissimum est *Plagium*. p. 46. n. 28. Peculatus est furtum ex ærario, seu pecunia publica. *ibid.* quando fiat *Sacrilegium*? & quinam sint fures? p. 46. n. 28. *Octavo præcepto* prohibetur falsum de proximo testimonium. p. 46. n. 29. quisnam sit *noster proximus*? *ibid.* contra idem peccat testibus falsam infamiam objiciens: falso jurans, mendacia loquens, detrahens, & temerè judicans. p. 46. n. 29. *nono* & *decimo præcepto* prohibetur mox dictorum concupiscentia. p. 46. n. 30. Christianus Decalogum vi Juris Ecclesiastici memoriâ teneat. p. 294. n. 1. in Decalogo, & oratione Dominica exercetur charitas. p. 313. n. 2. ac p. 324. n. 1. Aleatores frangunt totum Decalogum. p. 365. n. 7. & 8.

Decimæ: de decimis pharisaicis. p. 22. n. 5.

Decretales Epistolæ à variis sunt collectæ. p. 102. n 1. præcipuè ab Isidoro, & Gratiano. *ibid.* an compilator fuerit Isidorus Mercator, an Isidorus Hispalensis? *ibid.* qualem habeant auctoritatem Decretales ab Isidoro collectæ? p. 103. n. 1. quinam Canones veterum decretalium sint genuini, quinam spurii? p. 104. n. 5. & 6. qualem auctoritatem habeant decretales Gratiani? p. 104. n. 7. & seq. varii compilatores Decretalium recensentur. p. 105. n. 9. quot libri Decretalium? *ibid.* quas partes habeant decretales Gratiani? p. 105. n. 10. quot decretales Gregorii IX. *ibid.* quot decretales libri sexti, quot Clementinæ, & extravagantes? p. 105. n. 11. 12. & 13. quomodo in jure Canonico faciendæ, & legendæ citationes? p. 105. n. 14.

Decursio ludicra prohibetur Christianis. p. 365. n. 1.

Defunctus: pro his in lege Moysaica fuisse oblata Sacrificia, habemus ex traditione. p. 277. n. 5.

Degradatus amittit privilegium *Canonis*. p. 113. n. 2.

Delectatio: an felicitas hominis consistat in delectatione, & gaudio? p. 135. n. 5. quid sit? *ibid.* an debeat præcedere sancta cogitatio, & delectatio, ut peccatum possit imputari? p. 153. n. 7. 8. & 9. quando sit culpabilis, & quando excusanda? p. 163. n. 6. & seq.

Democraticus: an in dominio democratico ad

ad legem requiratur acceptatio populi? p. 71. n. 8. & seq.
Descendo: Christus verè descendit ad inferos. p. 240. n. 15. & seq.
Desiderium: an opus peccaminosum sit peccatum distinctum à pravo desiderio? p. 126. n. 1. & seq.
Desperatio: timor servilis non disponit ad desperationem. p. 316. n. 1. & p. 318. n. 5. & seq.
Detractio: prohibetur præcepto octavo. p. 46. n. 29.
Deus: lex æterna non est idea in mente Dei existens. p. 8. n. 3. lex naturæ provenit à Deo. p. 10. n. 3. legis naturæ præcepta sunt dilectio Dei, & proximi. p. 11. n. 7. & seq. quomodo hæc dilectio includat res alias? *ibid.* quibus eadem nitatur principiis? p. 12. n. 9. an possit Deus dispensare in lege naturæ? p. 15. n. 7. & seq. an Deus dispensârit in lege naturæ concedendo matrimonia filiis Adæ contrahenda cum sororibus germanis? admittendo Polygamiam. imperando Abrahamo immolationem filii. permittendo filiis Israël furtum Ægyptiis inferendum. &c. p. 16. n. 8. & seq. aut concedendo usuram iisdem. permittendo libellum repudii. remunerando mendacium obstetricum. mandando Oseæ, ut sumeret sibi uxorem fornicationum. remittendo observantiam Sabbathi. *ibid.* an sit auctor veteris testamenti. p. 21. n. 1. & seq. error Marcionitarum de Deo tanquam principio malo. p. 23. n. 7. Dei cultus & dilectio efficit præcepta primæ tabulæ. p. 38. n. 4. *non habebis Deos alienos*: est primum, & non secundum præceptum. p. 38. n. 5. & seq. quid sint *Dii alieni*. p. 39. n. 10. primo præcepto præcipitur cultus veri Dei. *ibid.* an licitum Blasphemare Deos alienos. p. 42. n. 15. an teneamur omnes actus in Deum referre. p. 122. n. 3. & seq. virtus est ordo amoris, quo fruimur Deo, & utimur creaturis. p. 130. n. 3. & seq. quòd sola charitas remuneretur à Deo, docuit Quenellius. p. 131. n. 4. sine dilectione Dei non datur vera virtus. p. 130. n. 1. tot. cap. IV. Deus est merces virtutis. p. 134. n. 1. tot. cap. V. Dei amor est felicitas præcipua Sanctorum. p. 134. n. 1. & seq. an visio Beatifica, & Dei amor possint ab invicem separari in patria? p. 137. n. 9. quando peccatum sit conjunctum cum Dei contemptu? p. 152. n. 3. non datur ignorantia invincibilis Dei. p. 154. n. 10. & seq. quomodo mandata Dei non sint gravia? p. 188. n. 1. 2. & 3. Romani, & Græci duodecim numerârunt Deos *consentes*, & octo *Selectos*, ac turbam minorum Deorum immensam. p. 207. n. 1. & seq. stultum est inter Divos referre Jovem. p. 208. n. 3. Neptunum: cujus filii dicuntur Cyclopes. p. 208. n. 4. Vulcanum. *ibid.* n. 5. Martem p. 209. n. 6. Mercurium. *ibid.* n. 7. Apollinem. *ibid.* n. 8. Junonem p. 210. n. 9. & 10. Minervam p. 211. n. 11. Venerem. *ibid.* n. 12. Vestam. *ibid.* n. 13. Cererem. *ibid.* n. 14. Dianam. p. 212. n. 15. fabularis historia de Diis *Selectis* Jano, Saturno, Geniis, Libero, Plutone, Sole, luna, & terra. p. 212. n. 16. & seq. in Diis non potest habere locum sexûs diversitas. p. 210. n. 10. reliqui Gentiles varios coluêre Deos, ut Baal, Beelphegor, Dagon, &c. p. 214. n. 23. & seq. Deum habere manum frigidam, & sellâ gestari, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2. iidem docent, Deum esse corporeum, ac auctorem peccati. *ibid.* n. 3. Mahumet credit, animam esse portionem Dei. p. 216. n. 3. probatur contra Mahumetanos, Deum posse habere filium sine uxore. p. 218. n. 7. non sufficit credere unum Deum excludendo divinitatem, & incarnationem filii. p. 223. n. 1. & seq. Deo omnipotentiam denegat Calvinus, facit eundem authorem peccati cum Theodoro Beza, Luthero, ac Melanchthone. p. 229. n. 2. errores, qui contra Deum pugnant, damnantur in primo fidei articulo. p. 237. n. 2. & seq. Deus unus credendus proponitur primo fidei articulo. *ibid.* præter Deum materia non potest esse principium coævum. *ibid.* negantes omnipotentiam Dei, aut ei adscribentes peccatum, aut mendacium impingunt in primum articulum. p. 238. n. 4. pariter negantes providentiam. *ibid.* aut immensitatem. *ibid.* Deus stultè â Socino includitur in sumitate cælorum. p. 238. n. 4. Deo non possunt tribui corporalia membra ex eo, quòd Christus dicatur sedere ad dexteram Patris. p. 244. n. 25. veritas omnis â Deo revelata est objectum materiale fidei. p. 257. n. 7. an revelatio vel veracitas Dei sit objectum formale fidei? p. 258. n. 11. an Deus Adamo creaverit duas Mulieres? p. 284. n. 3. an ad salutem non sufficiat fides in Deum Remuneratorem. p. 297. n. 11. & 12. an Dilectio Dei super omnia sufficiat ad salutem sine fide explicita? p. 298. n. 15. an in eo posset esse spes, cui per certam revelationem â Deo annuntiata esset Damnatio? p. 314. n. 6. & seq. an Deus posset facere talem revelationem? *ibid.* an timor servilis proponat Deum ùt durum? p. 316. n. 1. & p. 318. n. 5. ac seq. an Deus homines inducat in tentationem? p. 323. n. 8. an benevolentia inter Deum, & hominem per dilectionem firmata sit

vera amicitia? p. 325. n. 4. & seq. diligendus est Deus actu dilectionis, etiam interioris. p. 326. n. 1. & 2. dilectio Dei in homine debet esse continua vel actu, vel virtute. p. 327. n. 3. quoties obliget præceptum ad actum dilectionis Dei? p. 328. n. 4. diligendus est Deus ex toto corde, in tota anima, in tota mente p. 328. n. 5. & seq. quid sit Deum diligere ex toto corde, & an id homo possit assequi? *ibid.* Deus in dilectione & filiis, & parentibus propriis est proferendus. p. 335. n. 2. & 3.

Dextera: quomodo Christus sedeat ad dexteram Patris? p. 244. n. 25.

Diabolus: quidam docuerunt, legem veterem esse à diabolo. p. 21. n. 1. refutantur. p. 24. n. 9. & seq. non significatur per Azazelem. p. 50. n. 8. & 9. an in Scriptura signetur nomine *Nihil*? p. 141. n. 11. prædixit Genevensium apostasiam. p. 229. n. 4. mundum sub diaboli tyrannide esse constitutum, credebant Marcionitæ. p. 238. n. 4. non hic, sed Christus est crucifixus. p. 240. n. 14. quomodo intelligendum illud: *& dæmones credunt*? p. 311. n. 11. & 12. quæ distinctio inter fidem dæmonum, & hominum? p. 311. n. 11. & 12.

Diana: unde nomen, & ortum trahat? p. 212. n. 15. non potest referri inter Deos. *ibid.*

Dies: vid. *festum.*

Dilectio: tota lex naturæ constitit in dilectione Dei, & proximi p. 11. n. 7. & seq. in quot dilectio tendat? *ibid.* quomodo hæc dilectio includat res inferiores? *ibid.* quibus eadem nitatur principiis? p. 12. n. 9. dilectio Dei ordinatur in præceptis primæ tabulæ: & dilectio proximi in reliquis. p. 38. n 4. virtus est ordo dilectionis, quo fruimur Deo, & utimur creaturis. p. 130. n. 3. & seq. sine dilectione non datur vera virtus. *ibid.* quòd sola dilectio remuneretur à Deo, & quòd omnis virtus sit dilectio, docuit Quellius. p. 131. n. 4. quanti facienda fides sine dilectione? p. 132. n. 6. & seq. ad omnem virtutem requiritur dilectio actualis, non habitualis. p. 132. n. 6. & seq. quid spes sine dilectione? *ibid.* quid Religio, quid timor supplicii sine eadem? *ibid.* an virtutes sine dilectione sint vitia. *ibid.* felicitas æterna hominis consistit in visione, & præcipuè in dilectione Dei. p. 134. n. 1. tot. cap. V. an visio Dei, & ejus amor possint in patria separari? p. 137. n. 9. Dilectio Christiana non invenitur apud hæreticos. p. 229. n. 2. quomodo fides distinguatur à dilectione? p. 259. n. 12. an dilectio Dei super omnia sufficiat ad salutem sine fide explicita? p. 298. n. 15. an dilectio distinquatur à fide? p. 308. n. 1. & seq. ac p. 259. n. 12. quomodo fides sine dilectione mortua? p. 308. n. 1. & seq. an hac deficiente etiam fides deficiat? *ibid.* an spes distinguatur à fide & dilectione? p. 313. n. 3. spes semper habet sibi adjunctam aliquam dilectionem? p. 313. n. 4. in Decalogo, & oratione Dominica exercetur dilectio. p. 313. n. 2. ac p. 324. n. 1. dilectio significat gratiam, benevolentiam, amicitiam. p. 324. n. 2. amor, charitas, dilectio, an detur discrimen inter hæc vocabula? *ibid.* quid sit dilectio habitualis? quodnam illius objectum, ac an sit habitus à Deo infusus? an possit in hac vita augeri, minui, ac perdi? p. 325. n. 3. an benevolentia per dilectionem inter Deum, & hominem firmata sit vera amicitia. p. 325. n. 4. & seq. quænam conditiones ad amicitiam requirantur? p. 325. n. 4. & seq. quid sit dilectio actualis, & quomodo justificet? p. 326. n. 8. cum quali dilectione stet peccatum? *ibid.* Deus est diligendus actu dilectionis etiam interioris. p. 326. n. 1. & 2. dilectio Dei in homine debet esse continua vel actu, vel virtute. p. 327. n. 3. quoties obliget præceptum ad actum dilectionis Dei? p. 328. n. 4. diligendus est Deus ex toto corde, in tota anima, in tota mente. p. 328. n. 5. & seq. quid sit Deum diligere ex toto corde, & an id in hac vita possimus assequi? *ibid.* quid sit dilectio, ùt vocant, pura? p. 329. n. 1. reprobatur. p. 329. n. 1. & seq. non repugnat dilectioni servare legem, & facere opera bona propter mercedem æternam. p. 333. n. 8. & seq. quomodo dilectio tendat in proximum? p 334. n. 1. vid. *proximus.* cur homo non jubeatur singulari præcepto diligere se ipsum? p. 11. n. 8. ac p. 334. n. 1. quid sit dilectio propria? *ibid.* quo ordine proximus sit diligendus? p. 335. n. 2 & 3. Deus omnibus est præferendus. *ibid.* quomodo dilectio sit exercenda in pauperes? p. 337. n. 8. etiam dilectio inimicorum est de præcepto. p. 338. n. 1. dilectioni non repugnat gerere bellum justum. p. 339. n. 2. & seq. vid. *bellum.* an dilectio violetur per occisionem injusti vitæ aggressoris? p. 341. n. 1. & seq.

Dionysius: vid. *Bacchus.*

Discipuli: an Discipuli nolentes credere resurrectionem prorsus fidem amiserint. p. 310 n. 6.

Discursivus: an assensus fidei sit liber, supernaturalis, ac discursivus. p. 257. n. 5. & 6.

Dispensatio: an lex, & qualiter immutetur per dispensationem. p. 13. n. 1. & seq. notan-

tandum aliquod circa dispensationem. p. 13. n. 2. an lex naturalis tollatur per dispensationem Pontificiam. p. 14. n. 4. & seq. qualiter per dispensationem Papæ tollantur residentiæ Episcoporum, vota, juramenta, matrimonia, &c. p. 14. n. 5. & 6. an lex naturalis possit dispensatione tolli à Deo. p. 15. n. 7. & seq. an Deus dispensatione usus sit in lege naturali concedendo filiis matrimonia contrahenda cum sororibus germanis? admittendo Polygamiam? imperando Abrahamo immolationem filii? permittendo furtum ægyptiis à filiis Israël inferendum? &c. p. 16. n. 8. & seq. aut concedendo iisdem usuram? permittendo libellum repudii? remunerando mendacium obstetricum? mandando Oseæ, ut sibi sumeret uxorem fornicationum? remittendo observantiam Sabbathi? ibid. an detur in impedimento ex incestu? p. 45. n. 26. quid sit, qualiter differat à privilegio? p. 114. n. 5. à quo concedatur? *ibid.* quando sit illicita? p. 115. n. 7. dans, & petens dispensationem sine justa causa peccant. p. 115. n. 7. non est facilè danda in matrimoniis contrahendis. *ibid.* an possimus uti dispensatione sine justa causa concessa? p. 115. n. 8. & seq. quænam dispensationes Romæ vocentur sine causa? *ibid.*

Divinitas Christi à fideli negari non potest. p. 223. n. 1. tot cap. IV. in veteri testamento non erat necessaria fides explicita Divinitatis Christi. p. 295. n. 4. & seq.

Divinus: quid sit lex divina? p. 2. n. 3. quid jus divinum? p. 3. n. 4. quid lex Divina antiqua, & nova? *ibid.* an obliget cum vitæ periculo? p. 79. n. 10. & seq. an jure Divino clerici gaudeant immunitate? p. 94. n. 5. ac p. 97. n. 16. & seq.

Divitiæ non sunt Beatitudo hominis. p. 135. n. 3.

Doctor: an unus Doctor faciat opinionem probabilem? p. 167. n. 1. ac p. 176. n. 2.

Dominica: in diebus dominicis à tripudiis omninò est abstinendum. p. 360. n. 4. & seq.

Dominium: Clerici possunt dominium habere rerum temporalium. p. 93. n. 1. & seq. de Dominio Christi. p. 239. n. 9.

Dominus: cur Jesus Christus vocetur Dominus? p. 239. n. 9.

Domus Religiosorum an gaudeat asylo? p. 101. n. 23. domus mulierum simul commorantium ad vacandum Deo gaudet privilegio fori. p. 113. n. 3. cur licitum fuerit communionem in privatis domibus dare? p. 292. n. 19.

Dubius: quid sit conscientia dubia? p. 166. n. 5. hanc non possumus sequi. p. 173. n. 12. v. *judicium* in dubiis pars tutior est eligenda. p. 182. n. 17. & seq. an in concurrentia duarum propositionum probabilium mens sit dubia? *ibid.*

Duellum gravissimis pœnis prohibetur. p. 341. n. 7. quid dicendum de juramento, quod emittunt Equites S. Jacobi, se nunquam recusasse singulare certamen? *ibid.* n. 8.

E.

Ebionæus negat Christi divinitatem p. 224. n. 5. an in primo sæculo Ecclesia Jerosolymitana constabat Nazaræis, & Ebionæis? p. 227. n. 16. & 17. quomodo hi differant à Nazaræis, *ibid.* damnantur secundo fidei articulo. p. 238. n. 6. & seq. dicentes Christum esse natum ex semine S. Josephi, aggrediuntur secundum fidei articulum. p. 239. n. 11. hi hæretici docuêre, necessarium esse ad salutem præter legem Evangelicam etiam usum legalium. p. 55. n. 13.

Ebrietas: quantum sit scelus? p. 370. n. 2. & seq. præcipuè in Clericis? *ibid.* n. 3. de ebrietate Loth. p. 27. n. 15. & 16.

Ecclesia Jerosolymitana, an in primo sæculo constabat Nazaræis, & Ebionitis? p. 227. n. 16. & 17. vid. *fides*. tenemur credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. p. 246. n. 32. hæc non invenitur apud Protestantes. p. 246. n. 33. de unitate Ecclesiæ *ibid.* n. 34. cur Ecclesia vocetur *Sancta?* p. 246. n. 34. cur *Catholica?* p. 247. n. 35. quæ detur in Ecclesia communio Sanctorum? p. 247. n. 36. decimo fidei articulo credimus in Ecclesia esse potestatem remittendi, & retinendi peccata. p. 247. n. 37. & seq. errores contrarii adducuntur. *ibid.* non est Scriptura adeò manifesta, ut ex ea sola possint definiri omnia dogmata sine authoritate Ecclesiæ. p. 263. n. 1. & seq. tot. Cap. III. & IV. nequit fides esse vera, ac firma sine Ecclesiæ fundamento, aut revelatione speciali, aut virtute miraculorum, aut sine ullo hominum ministerio. p. 310. n. 7. 8. & 9. in Ecclesia est laudabilis usus organi. p 362. n. 2. qualis cantus audiatur in Ecclesia? p. 361. n. 1. & 2.

Ecclesiasticus: quid sit lex humana Ecclesiastica? p. 2. n. 3. quid jus Ecclesiasticum? p. 3. n. 4. an lex Ecclesiastica debeat promulgari in singulis Diœcesibus? p. 69. n. 1. & seq. an post promulgationem statim obliget? p. 70. n. 2. & seq. an ad hanc requiratur acceptatio populi? p. 71. n. 8. & seq. quæ distinctio inter hanc, & civilem? p. 72. n. 10. & p. 73. n. 12. & 13. obligat in conscientia. p. 76. n. 1. & seq. an etiam cum periculo vitæ? p. 79. n. 10. & seq. an possit præcipere actum in-

ternum? p. 81. n. 1. & seq. potestas sæcularis non potest ferre leges Ecclesiasticas. p. 84. n. 1. & seq. sed hoc solùm competit Superiori Ecclesiastico etiam vi coactiva. p. 86. n. 4. & seq. potestas laica, & Ecclesiastica potest simul stare p. 87. n. 9. & seq. prout simul utramque habet Papa. p. 87. n. 9. & seq. Ecclesiastici legitimè habent bona temporalia. p. 93. n. 1. & seq. sunt immunes à tributis, & aliis oneribus. *ibid.* potestas sæcularis nequit minuere immunitatem Ecclesiasticam. p. 97. n. 16. & seq. an jure divino gaudeant Ecclesiastici immunitate? p. 93. n. 1. & p. 97. n. 16. & seq. quis dispensèt in jure Ecclesiastico? p. 114. n. 5.

Eiulantes in quo constituant vim orationis? p. 229. n. 3.

Elcesaita docet fidem in persecutione negandam ore, & corde servandam. p. 299. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.

Eleemosyna: pauperi denegans eleemosynam de superfluis est fur. p. 46. n. 28. quænam sint superflua? *ibid.* delet peccata venialia. p. 247. n. 38. pauperes sunt juvandi eleemosyna. p. 337. n. 8. de necessitate, ac utilitate dandi eleemosynam. *ibid.* qui teneantur dare eleemosynam? quid debeamus elargiri? & quibus mendicis? p. 337. n. 9. de Eleemosynarum ordine. p. 338. n. 10.

Elephantus: ex hujus stercore in arca Noë natos mures, docent Mahumetani. p. 216. n. 2.

Elias: quomodo ascensio Christi differat à raptu Eliæ? p. 244. n. 24.

Emptio hominis liberi est furtum gravissimum vocaturque *plagium.* p. 46. n. 28.

Enoch: hujus librum, ac alios vetustos Synagoga tanquam Divinos non habuit. p. 277. n. 5.

Epicheia an detur in lege naturali? p. 13. n. 1. & seq.

Epicureus: virtus Epicureorum non erat vera virtus. p. 131. n. 4. nec est Beatitudo hominis. p. 135. n. 4. Epicurei tenentes omnia facta esse ex fortuito athomorum concursu primo fidei articulo impugnantur. p. 238. n. 5. negantes immortalitatem animæ damnantur duodecimo articulo. p. 254. n. 64.

Episcopius negat Divinitatem, & incarnationem verbi. p. 223. n. 1. & seq.

Episcopus: quando Papa dispensare possit circa residentiam Episcoporum? p. 14. n. 5. & 6. an horum Palatia gaudeant asylo? p. 101. n. 23. in quibus possit dispensare? p. 114. n. 5. & 6. an licitum sit Episcopo fugere tempore persecutionis? p. 301. n. 6. & seq.

Eques: quinam equites gaudeant privilegio *Canonis.* p. 113. n. 2. vid. *Duellum.*

Eremita quando gaudeat privilegio fori. p. 113. n. 3.

Erroneus: quid sit conscientia erronea. p. 165. n. 3.

Ethnicus: asylum primo constituebant Ethnici. p. 98. n. 17. vid. *Gentilis.*

Evangelicus: ad consilia evangelica non tenemur jure naturali. p. 12. n. 10.

Evangelium S. Matthæi est scriptum ab hoc Sancto. p. 25. n. 13. & 14. aliud notandum. p. 30. n. 23. & 24. quantum discrimen inter Evangelium, & Alcoranum. p. 215. n. 1. & seq. huic nil est intrusum, nec quid in eo omissum à Christianis. p. 218. n. 8. & p. 219. n. 1. & 2. historia Evangelii est evidenter vera p. 220. n. 3. ex modo promulgationis Evangelii probatur veritas Religionis Catholicæ. p. 221. n. 5. objectiones contra Evangelium allatæ solvuntur. p. 222. n. 8. & 9. illud depravant Hæretici. p. 230. n. 5. an Christus Patribus in lymbo prædicârit Evangelium, & eos Baptizaverit. p. 240. n. 15. & 18. an fides explicita sit necessaria illis, cui Evangelium annuntiari non potest, ut Pagano, gentili, Puero in sylvis enutrito, muto, & Surdo. p. 298. n. 13. & 14. an Evangelium sit ubique terrarum annuntiatum. *ibid.* vid. *Scriptura.*

Eucharistia debet sumi â jejuno ex præscripto traditionis Apostolicæ. p. 279. n. 9. cur olim licitè administrabatur in domibus privatis? p. 292. n. 19.

Evidens: an evidentia possint esse objectum fidei? p. 257. n. 4. quid sit conscientia certa & evidens? p. 166. n. 4.

Evidentia: an in rebus fidei detur evidentia divini testimonii, & revelationis, ac objecti? p. 257. n. 5. & 6.

Eunomianus impugnans traditiones impugnatur. p. 275. n. 1. & seq.

S. Eusebius Vercellensis an se finxerit arianum? p. 61. n. 31.

Eutyches: ejus nefaria dogmata damnantur tertio fidei articulo. p. 239. n. 11. contra hunc defenduntur traditiones. p. 275. n. 1. & seq.

Excommunicatio incurritur ab homine in pugna congrediente cum fera. p. 366. n. 3. quam pœnam incurrant Clerici hanc congressionem videntes? *ibid.* excommunicatio etiam sæpius in corpore nocuit. p. 86. n. 4. & 5.

Excommunicatus: quando valeat privilegium ab excommunicato impetratum? p. 114. n. 4.

Excursor annumeratur raptoribus. p. 46. n. 28.

Externus actus an interno addat bonitatem, vel malitiam? p. 126. n. 1. cor. cap. III. *Extra.*

Extravagantes decretales enarrantur. p. 105. n. 9. dividuntur. p. 105. n. 13.
Exodi liber Exodi fundavit leges civiles antiquos. p. 111. n. 13.

F.

Fabula: Poëtarum fabulæ non legantur â Christiano, si limites honestatis excedunt. p. 363. n. 3.
Facies: de cornuta facie Moysis. p. 35. n. 10. & seq. consuetudo mulierum, qua faciem cerussa, rubore, & consimili fuco obliniunt, est execrabilis. p. 368. n. 3.
Factum: an ignorantia facti excuset â peccato? p. 202. n. 2.
Fœmina: in numero Deorum fœminæ non possunt habere locum. p. 210. n. 10. vid. *Mulier*.
Falsus: vid. *Testimonium*.
Fama non est Beatitudo hominis. p. 135. n. 3.
Fanaticus: qualiter orent fanatici? p. 219. n. 3.
Fatum: qui omnia adscribunt fato, impugnantur primo fidei articulo. p. 238. n. 4.
Fatuus: cur dicens fratri suo *fatue* tam graviter reprehendatur in Evangelio? p. 144. n. 6.
Faustus Manichæus dicens legem veterem esse à diabolo, oppugnatur p. 21. n. 1. & p. 24. n. 9. & seq. varia dixit convicia in Patriarchas veteris legis. p. 27. n. 15. & 16.
Feles in arca Noë natos ex halitu leonis, docent mahumetani. p. 216. n. 2.
Felicitas: in quo consistat felicitas æterna hominis? p. 134. n. 1. tot. cap. V. eam Mahumet statuit in carnis oblectamentis. p. 216. n. 3.
Femella: pro his in lege veteri fuisse institutum remedium contra labem originalem, habemus ex traditione. p. 277. n. 5.
Fera: congressio certatoria ferarum cum hominibus detestanda. p. 366. n. 3. ac prohibetur sub pœna excommunicationis. *ibid.* quam pœnam incurrunt clerici hanc congressionem videntes. *ibid.* an ferarum captatio licita die festo? p. 366. n. 5.
Fericidium non prohibetur præcepto quinto. p. 44. n. 23.
Fermentatus: pane fermentato usi sunt idololatræ. p. 48. n. 4.
Festum: horum institutio desumitur ex traditione Ecclesiæ. p. 276. n. 3. in diebus festis à choreis omninò est abstinendum. p. 360. n. 4. & seq. an venatio sit licita diæ festo? p. 366. n. 5. an aucupium? *ibid.*
Fides: vid. *Theologicus* non sola fides justificat. p. 66. n. 2. & seq. quanti facienda sine dilectione? p. 132. n. 6. & seq. quomodo distinguatur â scientia, & opinione probabili? p. 172. n. 10. ac p. 257. n. 5. item 258. n. 11. vera fides non invenitur inter gentes, & idololatras. p. 207. n. 1. tot. cap. 1. nec apud turcas, aut Mahumetanos. p. 215. n. 1. tot. cap. II. in fide catholica posse obtineri salutem æternam, concedit Mahumet. p. 217. n. 6. hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* factæ à Mahumetanis contra fidem veram objectiones solvuntur. p. 218. n. 7. & seq. fides Christiana est evidenter vera. p. 219. n. 1. tot. cap. III. fides catholica probatur ex vaticiniis Vet. testamenti, postea in Christo completis. p. 219. n 2. & hæc vaticinia sunt vera, antiqua, Divina, nec à Christianis conficta. *ibid.* veritas veræ fidei commonstratur ex Historia Evangelica. p. 220. n. 3. ex miraculis Christi. *ibid.* n. 4. ex modo promulgationis Evangelii. p. 221. n. 5. & aliis rationibus. *ibid.* n. 6. & 7. necessaria est fides explicita in Christum. p. 223. n. 1. & seq. veræ fidei veritates fundamentales non inveniuntur apud Hæreticos. p. 229. n. 2. quinam actus fidei in & externi? p. 228. n. 1. fidei catholicæ Symbolum tanquam apostolicum est recipiendum. p. 232. n. 1. tot. cap. VI. vid. *Symbolum*. unde nomen *fidei* ortum habeat? p. 256. n. 2. 3. & 4. cur dicatur *substantia rerum sperandarum*? *ibid.* quomodo ea, quæ evidenter scimus, possint esse objectum fidei? p. 257. n. 4. an assensus fidei sit liber, supernaturalis, ac discursivus? p. 257. n. 5. & 6. an in rebus fidei detur evidentia Divini testimonii, ac revelationis, & evidentia objectis, seu rei revelatæ? *ibid.* objectum materiale fidei est omnis veritas à Deo revelata. p. 257. n. 7. quodnam sit objectum necessarium, & per se, ac quodnam accidentale fidei. p. 257. n. 7. an objecta fidei successu temporis creverint, aut mutata fuerint? p. 257. n. 8. an objectum formale fidei sit veracitas Dei, aut revelatio Divina? p. 258. n. 11. quid fides actualis? habitualis? p. 259. n. 12. an hæc fides habitualis? sit in puetis, ac dormientibus? *ibid.* hæc nullo peccato nisi infidelitatis, & hæresis deletur. *ibid.* ac p. 308. n. 1. & seq. item p. 309. n. 4. & seq. quid fides informis, & formata? quid infusa? quid acquisita? quid viva, quid mortua? *ibid.* Manichæi, Abaelardus Socinus fidei fundamentum, & resolutionem ponunt in humana ratiocinatione. p. 259. n. 1. refutantur. p. 260. n. 3. & seq. quæ sit regula, & norma fidei? p. 259. n. 1. & seq. tot. cap. II. & III. sola scriptura ad dirimendas controversias fidei neglecta au-

ctoritate Ecclesiæ nequit esse regula sufficiens. p. 263. n. 1. & seq. privatus Spiritus non potest judicium idoneum ferre de dogmatibus fidei. p. 267. n 12. & seq. tot. cap. III. & IV. etiam traditiones sunt regula fidei. p. 277. n. 5. & seq. an is salutem consequatur, qui ex ignorantia inculpabili non profitetur explicitè Verbi Divini incarnationem, aut individuam Trinitatem, si hanc fidem habeat in animi præparatione? p. 294. n. 1. fidelis aliundè à natura capax hæc mysteria ignorans nec gratia Sacramentorum, nec gloria ob culpabilem ignorantiam donari meretur. *ibid.* p. 294. n. 1. idem vi Juris Ecclesiastici tenetur memoriter scire Symbolum, Decalogum, & orationem Dominicam. *ibid.* in adultis necessaria est fides interna. p. 294. n. 2. quoties requiratur repetitio interna fidei? *ibid.* in veteri testamento necessaria erat fides Mediatoris: sed non *explicita* in ejus divinitatem, ac individuæ Trinitatis Mysterium. p. 295. n. 4. & seq. quomodo intelligendum illud: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt?* p. 295. n. 6. & 7. in novo testamento necessaria est fides explicita Incarnationis, ac Trinitatis. p. 296. n. 9. tam ad salutem, quàm ad justificationem obtinendam. p. 296. n. 10. & seq. an non sufficiat ad salutem fides in Deum Remuneratorem? p. 297. n. 11. & 12. an fides explicita sit necessaria Gentili, Pagano, cui Evangelium non est annuntiatum? an Puero in sylvis enutrito? an muto, ac surdo? p. 298. n. 13. & 14. an non sufficiat fides in voto, sicut sufficit Baptismus? *ibid.* an observans legem naturalem cum ignorantia invincibili fidei salutem consequatur? *ibid.* an & quomodo infantes post Baptismum habeant fidem necessariam, si moriantur ante usum rationis? *ibid.* an sufficiat ad salutem dilectio Dei super omnia sine fide explicita? p. 298. n. 15. qui ignorat Mysteria Trinitatis, & incarnationis est incapax absolutionis. *ibid.* nunquam licitum est negare fidem. p. 299. n. 1. & seq. non est licitum tyranno interroganti fidem occultare. p. 299. n. 2. & seq. non est licitum, usurpatione rituum, ciborum, vestium, ac nominum, quæ sunt signum superstitiosi cultûs, fidem callidè simulare. p. 300 n. 4. & seq. an in persecutione fidei licitum sit Christiano, vel Episcopo fugere? p. 301. n. 6. & seq. an fides distinquatur à gratia sanctificante, & charitate? p. 308. n. 1. & seq. ac p. 259. n. 12. quomodo sine dilectione fides sit mortua? *ibid.* an charitate extincta extinquatur & fides. *ibid.* an S. Thomas nolens credere resurrectionem prorsus amiserit fidem. p. 310. n. 6 per quam incredulitatem fides amittatur *ibid.* in Judæis, infidelibus, hæreticis est fides materialis p. 310. n. 7. sed non formalis, ac supernaturalis. *ibid.* unde proveniat hæreticorum in fide variatio, ac inconstantia *ibid.* ac n. 8. & 9. nequit fides esse vera ac firma sine Ecclesiæ fundamento, aut revelatione speciali, aut virtute miraculorum, aut sine ullo hominum ministerio. *ibid.* an negato uno articulo tota fides amittatur, *ibid.* ac p. 311. n. 10. an fides maneat in animabus Beatorum, ac damnatorum. p. 311. n. 11. & 12 quomodo intelligendum illud: *& dæmones credunt. ibid.* qualis distinctio inter fidem dæmonum, & hominum. *ibid.* quomodo spes distinquatur à fide, & charitate. p. 313. n. 3. an fides & spes maneat in animabus purgatorii. p. 314. n. 5. in symbolo, & oratione Dominica exercetur fides. p. 313. n. 2. ac p. 324. n. 1.

Fiducia: spes Christiana convertitur ab hæreticis in superbam fiduciam. p. 229. n. 2. non potest in hæreticis esse vera fiducia. p. 314. n. 5. quid in oratione promoveat fiduciam. p. 321. n. 1.

Filius: quomodo filii Adæ potuerint inire matrimonium cum propriis germanis sororibus? p. 16. n. 8. & 9. Ariani negantes filium Dei esse Patri consubstantialem condemnati sunt in Synodo Nicæna. p. 178. n. 8. in proximorum ordine respectu filiorum sunt parentes primi. p. 335. n. 2. & viciſſim. *ibid.* n. 3. Deus autem in dilectione & parentibus, & filiis præferendus est. *ibid.* præter parentes, & filios diligenda est uxor. p. 336. n. 4.

Finis quis sit actûs humani? p. 121. n. 9.

Finitus: an peccatum mortale sit malitiæ finitæ, vel infinitæ? p. 149. n. 2. & seq.

Firmamentum, quod est sedes Beatorum, quantum à nobis distet? p. 244. n. 24.

Florianus negat post hanc vitam futurum judicium. p. 244. n. 27.

Fœnerator annumeratur raptoribus. p. 46. n. 28.

Fons: Solem quiescere in fonte, ad quem Alexander M. pervenit, docent Mahumetani. p. 216. n. 2.

Formatus: quid fides formata? p. 259. n. 12.

Fornicatio: quomodo intelligendum mandatum Oseæ datum de sumenda sibi uxore fornicationum? p. 16. n. 8. & 14. an prohibeatur præcepto sexto? p. 45. n. 27. quid de hac statuat lex civilis Romana? p. 109. n. 8.

Fortitudo ùt virtus Cardinalis varias alias sub se complectitur. p. 131. n. 5.

Forum: quid sit privilegium *fori?* p. 113. n. 3. & qui illo gaudeant? *ibid.*
S. *Franciscus*: quando tertiarii S. Francisci gaudeant fori privilegio? p. 113. n. 3.
Frater: magis est diligendus frater Religiosus, quàm carnalis. p. 337. n. 7.
Fraudator vectigalium annumeratur raptoribus. p. 46. n. 28.
Frigidus: Deum habere manum frigidam, docent Mahumetani. p. 216. n. 2.
Fruor: quid propriè sit frui? p. 130. n. 2. hominis actus principaliores sunt uti, & frui. *ibid.*
Fucus: vid. *Mulier*.
Fuga an licita sit Christiano, & etiam Episcopo tempore Persecutionis? p. 301. n. 6. & seq.
Funambulus: horum ars tanquam periculosa rejicitur. p. 358. n. 2.
Fundamentum quale requiratur ad opinionem probabilem? p. 167. n. 1. & 2. quid sit fundamentum grave requisitum ad opinionem probabilem? *ibid.* an hoc fundamentum tale permaneat in concursu alterius fundamenti æquè probabilis, aut probabilioris? *ibid.* opinio aliqua sit probabilis fundamento intrinseco, & extrinseco. p. 169. n. 5. non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati, si fundamentum æquale stet pro lege aut præcepto. p. 180. n. 14. & seq.
Fur quando licitè possit occidi? p. 344. n. 4. & seq.
Furtum prohibetur præcepto septimo. p. 46. n. 28. quid sit furtum? qualiter differat à rapina? *ibid.* furtum gravissimum est *Plagium*. *ibid. peculatus* est furtum ærarii seu peccuniæ publicæ. *ibid.* quando fiat *sacrilegium*? & quinam sint fures. p. 46. n. 28. quid leges civiles statuant de furto. p. 108. n. 4. & p. 110. n. 9. quomodo filii Israël impunè per furtum spoliare potuerint Ægyptios. p. 16. n. 8. & 11.

G.

Gaudium: an felicitas hominis consistat in delectatione & gaudio. p. 135. n. 5. quid sit. *ibid.*
Genesis: in libro Geneseos fundantur leges civiles antiquæ. p. 111. n. 13.
Genethliacus adscribens omnia fatali necessitati damnatur primo fidei articulo. p. 238. n. 4.
Genevensis: Apostasiam Genevensium prædixit dæmon. p. 129. n. 4.
Genii: de horum historia. p. 212. n. 19. nequeunt esse Dii. *ibid.*
Gens: quid sit jus gentium. p. 3. n. 4. cur Apostoli præceperint gentibus Neo-Conversis abstinere ab immolatis simulacrorum. p. 61. n. 32. & seq. vid. *Gentilis*. quomodo intelligendum illud: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*. p. 295. n. 6. & 7.
Gentilis: Gentiles Græci, & Romani numerant Deos *consentes* duodecim: *Selectos* octo: turbam verò minorum Deorum immensam. p. 207. n. 1. & seq. vid. *Græcus*. Gentiles reliqui coluêre Baal. p. 214. n. 23. Astharoth. *ibid.* n. 24. Beelphegor. *ibid.* n. 25. Moloch. *ibid.* n. 26. ignem, & lucem. *ibid.* n. 27. cur Danieli, Ananiæ, Missaeli, & Azariæ imposuerint nomina Balthassar, Sidrach, Misach, Abdenago. *ibid.* pro Deo ulteriùs habuerunt Beelzebub. *ibid.* n. 28. Dagonem. p. 215. n 29. Dercetum. *ibid.* n. 29. Micham, & Labanum. *ibid.* n. 30. & plures alios. *ibid.* an admiserint asylum? p. 101. n. 24. & 25. [illegible]er hos nequit dari vera Religio. p. 207. n. 1. tot. cap. I. adversus hos propugnatur dogma Catholicum de Spiritu S. p. 246. n. 31. an Gentilibus necessaria sit ad salutem fides explicita, si Evangelium eis non fuerit prædicatum. p. 298. n. 13. & 14. in Comœdiis gentilium fæminæ erant à viris separatæ. p. 353. n. 1. & 2. nec potuerunt promiscuè ascendere theatrum ad faciendam aliquam exhibitionem. *ibid.* major est luxus in theatris nostris, quàm in theatris Gentilium. *ibid.* consuetudo, quòd viri incedant in vestibus mulierum, est execrabilis, ac à Gentilibus descendens. p. 351. n. 1. & seq. item p. 356. n. 2. & seq. an Gentiles admiserint Bacchanalia. *ibid.* ab antiquis Ethnicis saltatoribus edocemur, quantum dedecet inhonestas frequentare choreas. p. 358. n. 2. splendidus Conviviorum luxus à gentilibus ortum habet. p. 370. n. 1.
Georgius callixtus negans traditiones impugnatur. 275. n. 1. & seq.
Germania quidquid sustinuit per Lutherum, & Calvinum, prædixit Hildegardis. p. 229. n. 4.
Gerson negavit legem humanam obligare in conscientia. p. 76. n. 1.
Gladius: quomodo intelligendum illud. *omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. p. 347. n. 18.
Gloria: putant hæretici, quòd justificatus certò sciat, se non posse excidere gratia, nec excludi à gloria. p. 229. n. 2. an in Sanctis sit spes futuræ gloriæ corporum. p. 314. n. 5. quilibet debet sperare gratiam, & gloriam. p. 315. n. 10.

Gnoſticus: horum hæreſis de duobus principiis damnatur primo fidei articulo. p. 237. n. 3. aufferentes libertatem arbitrii negant ſeptimum fidei articulum. p. 245. n. 28. negantes remunerationem meritorum impugnant duodecimum articulum. p. 254. n. 64. impugnantes traditiones impugnantur. p. 275. n. 1. & ſeq.

Græcus: Romani & Græci numerant Deos, *conſentes* duodecim: *Selectos* octo: turbam Deorum Minorum immenſam. p. 207. n. 1. & ſeq. ſtultum eſt Jovem referre inter Deos. p. 208. n. 3. aut Neptunum. p. 208. n. 4. Vulcanum. *ibid.* n. 5. Martem p. 209. n. 6. Mercurium. *ibid.* n. 7. Apollinem. *ibid.* n. 8. Junonem. p. 210. n. 9. & 10. Minervam. p. 211. n. 11. Venerem. ibid. n. 12. Veſtam ibid. n. 13. Cererem. *ibid.* n. 14. Dianam p. 212 n. 15. Fabularis hiſtoria de Diis *Selectis* jano, Saturno, Geniis, Libero, Plutone, Sole, Luna, Terra. p. 212. n. 16. & ſeq. quem honorem exhibeant Baccho. p. 351. n. 11. poſſunt certis diebus frangere jejunium per uſum vini. p. 371. n. 4. aut piſcium ſanquine concretorum. *ibid.*

Grammatica primò eſt tradita à Cadmo. p. 36. n. 14.

Graſſator: vid. *Aggreſſor*.

Gratia: putant hæretici, quòd juſtificatus certò ſciat, ſe non poſſe excludi à gloria, nec excidere à gratia. p. 229. n. 2. an fides diſtinquatur à gratia ſanctificante. p. 259. n. 12. ac p. 308 n. 1. & ſeq. an per peccatum non ſolùm gratia, ſed etiam fides amittatur. p. 308. n. 1. & ſeq. quilibet debet ſperare gratiam, & gloriam. p. 315. n. 10. dilectio ſignificat gratiam, benevolentiam, amicitiam. p. 324. n. 2.

Gratianus eſt compilator juris Canonici. p. 102. n. 1. qualem habeant auctoritatem decretales Gratiani. p. 104. n. 7. & ſeq. quas partes habeat decretum gratiani. p. 105. n. 10.

Gravis poteſt fieri ob circumſtantias materia in ſe levis. p. 81. n. 15.

S. *Gregorius VII.* juſtè excommunicavit Henricum. p. 87. n. 7.

Gregorius IX. quas partes habeant decretales illius? p. 105. n. 10.

Grotius dicens, quòd regnum politicum non poſſit ſtare cum ſpirituali, refutatur. p. 87. n. 9. & ſeq.

Grotius Hugo negat Divinitatem, & incarnationem Chriſti. p. 223. n. 1.

H.

Habitualis fides quid? p. 259. n. 12. vid. *fides*.

Hæreſis: peccato infidelitatis, & hæreſis deletur fides habitualis. p. 259. n. 12. ac p. 308. n. 1. & ſeq. item p. 309. n. 4. & ſeq. hæreſes ut plurimùm per traditionem ſunt refutatæ. p. 278. n. 8.

Hæreticus: Clericus hæreticus factus amittit privilegium Canonis. p. 113. n. 2. quid dicendum de S. Cypriano ſtatuente iterationem Baptiſmi Hæreticorum. p. 192. n. 12. & 13. Hæretici non habent actus internos Religionis, fidem, ſpem, & charitatem. p. 229. n. 2. putant juſtificatum certò ſcire, ſe à gloria excludi non poſſe, nec excidere à gratia. *ibid.* nec habent actus externos Religionis. p. 229. n. 3. reprobant orationem Dominicam. *ibid.* Miſſæ ſacrificium, templa, cultum Sanctorum. *ibid.* hæreticorum ſectæ fiunt deteſtabiles ex vaticiniis. p. 229. n. 4. de horum miraculis. p. 230. n. 6. horum ſectæ variè rejiciuntur. p. 230. n. 5. & ſeq. apud hos nequit eſſe vera Eccleſia catholica. p. 246. n. 33. & ſeq. non eſt Scriptura adeò manifeſta, ùt ipſi putant, ut ſola ſufficiat ad omnes controverſias dijudicandas ſine authoritate Eccleſiæ. p. 263. n. 1. & ſeq. tot. cap. III. & IV. negant traditiones. p. 275. n. 1. refutantur. *ibid* & ſeq. nequeunt ſua dogmata probare ſine traditione. p. 278. n. 7. & ſeq. vera fides non manet in hæretico. p. 309. n. 4. & ſeq. in hæretico eſt fides materialis, ac naturalis, non formalis, ac ſupernaturalis. p. 310. n. 7. unde proveniat hæreticorum inconſtantia, & variatio in fide. p. 310. n. 7. 8. & 9 an hæreticus negato uno articulo totam fidem amittat p. 310. n. 7. 8. & 9. ac p. 311. n. 10. in hæreticis non poteſt eſſe vera fiducia, aut ſpes. p. 314. vid. *Hæreſis*.

Halitus ex halitu leonis natos feles, docent Mahumetani. p. 216. n. 2

Haſtiludium prohibetur Chriſtianis. p 365. num. 1.

Hebdomada: quid ſignificent candelæ extinctæ in hebdomada majori. p. 310. n. 6.

Hebraicus: quis ſit auctor legis hebraicæ. p. 21. n. 1. & ſeq. vid. *Moyſes* varia dogmata populi hebraici per Phariſæos introducta. p. 22. n. 5. ut de lotione immundi. de pietate, quam conſtituebant in ornatu exteriori. & decimis. *ibid.* cur lex hebraica non ſit data pro omnibus. cur præceperit cruenta holocauſta. cur abſtinentiam ab animalibus immundis. p. 23. n. 7. & 8. an permiſerit odium inimicorum. p. 25. n. 11. & 12. quid tenuerint Hebraici de juramento. *ibid.* & p. 22. n. 5. an Moyſes fuerit Hebræus. p. 34. n. 7. à quibus cibis populus hebraicus debeat abſtinere. p. 35. n. 9. an huic prohibita

bita omnia ſculptilia, & ſimilitudines. p. 40. n. 12. & 13. in obſervando Sabbatho hebraicus populus eſt ſuperſtitioſus. p. 43. n. 18. cur huic prohibiti certi cibi. p. 47. n. 2. cur Porcus. *ibid.* de Paſchate. p. 48. n. 4. & ſeq. item de aliis Sacrificiis. p. 49. n. 6. & ſeq. per horum ſacrificia ſignatur Chriſtus, & idololatria retunditur. *ibid.* & ſeq. quando hujus populi præcepta legalia ſint abrogata, & quando facta mortifera. p. 51. n. 1. & ſeq. an populus hebraicus habuerit aſylum. p. 101. n. 24. & 25. leges civiles antiquæ fundantur in lege hebraica. p. 111. n. 14. hebraicus populus confitetur Deum unum. p. 237. n. 3. contra errorem hebraicum per nomen Jeſu profitemur adveniſſe Salvatorem. p. 239. n. 8. an in hebraico poſſit eſſe fides materialis, ac naturalis. p. 310. n. 7.

Heliopolitanus an fuerit Moyſes. p. 34. num. 7.

Henricus juſtè fuit excommunicatus à S. Gregorio VII. p. 87. n. 7.

Henricus IV. Rex, quo argumento fuerit converſus ad fidem catholicam? p. 217. num. 6.

Heraclitus in quo ſenſu poſſit dici Chriſtianus? p. 227. n. 15.

Hermogenes damnatur primo fidei articulo, dum adſtruit duo principia Deum, & materiam. p. 237. n. 3.

Hieraclita negans carnis reſurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & ſeq.

S. Hieronymus qualem habuerit diſputationem cum S. Auguſtino circa materiam, quando legalia abrogata, & quando facta mortifera? p. 51. n. 1. & ſeq. defenditur in materia de traditionibus contra Baſnagium. p. 205. n. 4.

Hildegardis Monialis prædixit ea, quæ acciderunt Germaniæ per Lutherum, & Calvinum. p. 229. n. 4.

Hircus: de hujus immolatione. p. 50. n. 8. & 9.

Hiſtrio inverecundus eſt hominum iniquiſſimus, & infamia notandus. p. 354. n. 4.

Holocauſtum: cur fuerint præcepta holocauſta cruenta in lege veteri? p. 23. n. 7. & 8.

Homicidium ſolum quinto prohibetur præcepto. p. 44. n. 23. quando hoc licitum. p. 44. n. 24. quid de hoc ſtatuat lex civilis Romana? p. 109 n. 7.

Homo: quid ſit homo liber, quid ſervus? p. 3. n. 4. de obedientia hominum, & rerum inanimatarum. p. 7. n. 2. ac p. 9. n. 6. & 7. quare homini non ſit præcepta dilectio ſui ipſius? p. 11. n. 8. ac p. 334. n. 1. in quo ſenſu Chriſtus pro homine factus ſit maledictum. p. 26. n. 14. 20. & ſeq. quintum præceptum: *non occides* ad hominem ſolum, non autem ad animalia, arbores, poma &c. extenditur. p. 44. n. 23. quando licitum hominem occidere? p. 44. n. 24. hominis liberi emptio, vel venditio eſt furtum graviſſimum, vocaturque *plagium*. p. 46. n. 28. actus hominis principaliores ſunt uti & frui. p. 130. n. 2. in quo conſiſtat hujus felicitas æterna? p. 134. n. 1. tot. cap. V. quid ſit homo animalis, & ſpiritualis? p. 272. n. 7. Chriſtus, & ſcriptura poſſunt accipere teſtimonium ab homine. p. 273. n. 8. vid. *impius*. quæ diſtinctio inter fidem dæmonum, & hominum? p. 311. n. 11. & 12. an Deus homines inducat in tentationes? p. 323. n. 8. an Benevolentia inter Deum, & hominem per dilectionem firmata ſit vera amicitia? p. 325. n. 4. & ſeq. dilectio Dei in homine debet eſſe continua vel actu, vel virtute. p. 327. n. 3. an homo poſſit Deum diligere ex tota anima, ex toto corde, in tota mente. p. 328. n. 5. & ſeq. congreſſio certatoria ferarum cum hominibus deteſtanda. p. 366. n. 3. ac prohibetur ſub pœna excommunicationis. *ibid.* quam pœnam incurrunt Clerici hanc congreſſionem videntes. *ibid.*

Honor: honores non ſunt Beatitudo hominis. p. 135. n. 3.

Hortus: adamitæ orant in hortis nudo corpore ambulantes. p. 229. n. 3.

Hoſpitale auctoritate Epiſcopi erectum an gaudeat aſylo? p. 101. n. 23.

Hoſpitium Religioſorum an gaudeat aſylo? p. 101. n. 23.

Hugo Grotius negat Chriſti Divinitatem, & incarnationem. p. 223. n. 1.

Humanitas in Chriſto perfecta fuit ex anima, & corpore. p. 240. n. 14. in aſſumpta humanitate Chriſtus eſt venturus ad judicium. p. 244. n. 27.

Humanus: quid ſit lex humana Eccleſiaſtica, & civilis? p. 2. n. 3. quid jus humanum? p. 3. n. 4. vid. *lex humana*. de actibus humanis. vid. *Actus*.

Hus Joannes negat omnia opera indifferentia. p. 125. n. 8. ejus errores habent magnam affinitatem cum erroribus Quenellii, ac Baji. *ibid.*

Hymenæus negans carnis reſurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & ſeq.

I.

Jacob an ſit mentitus, dicendo, ſe eſſe primogenitum? p. 60. n. 29.

Jacob Patriarcha an habuerit 4. uxores? p. 27. n. 15. & 16.

Janſenianus negat ignorantiam invincibilem juris naturalis excuſare à peccato. p. 156.

n. 1. & seq. rejiciens timorem servilem ùt malum. p. 316. n. 1. refutatur. p. 318. n. 5. & seq.
Januarius vid. *Janus.*
Janus: unde nomen, & originem trahat? p. 212. n. 17. negnit esse Deus. *ibid* ab eo primus Mensis dicitur Januarius *ibid.*
Idea: lex æterna non est idea rerum in mente Dei existens. p. 8. n. 3.
Idololatra vid. *Gentilis.*
Idololatria prohibetur primo præcepto. p. 39. n. 10. quid sit? p. 39. n. 11. huic opponiturPascha Judæorum. p. 48. n. 4. & seq. *Idololatria* etiam condemnatur per reliqua sacrificia vet. legis, Christum designantia. p. 48. n. 4. & seq. an hujus cultores agnoverint asylum? p. 101. n. 24. & 25. non est licitum usurpatione rituum, ciborum, vestium, nominum, quæ sunt signa Idololatriæ, Religionem callidè simulare. p. 300. n. 4. & seq.
Idolothytum: an licitum vesci idolothytis? p. 301. n. 5.
Jebu an mentitus fuerit? p. 60. n. 30.
Jejunium extinquit peccatum veniale. p. 247. n. 38. quadragesimale est ex traditione Apostolica. p. 276. n. 3. ex eadem præscribitur jejunium ad Eucharistiæ sumptionem. p. 279. n. 9. an jejunium quatuor temporum sit ex traditione Apostolica? p. 292. n. 17. & 19. an jejunium violetur per usum chocolatæ? p. 371. n. 4. & seq. an illud Græci frangant certis diebus, si bibant vinum? *ibid.* aut edant pisces sanquine concretos? *ibid.* an per vinum, & cerevisiam jejunium violetur? p. 372. n. 5.
Jerosolymitana Ecclesia an in primo sæculo constabat Ebionitis, & Nazaræis? p. 227. n. 16. & 17.
Jerusalem: an idem sit ac sacrilega? p. 34. n. 8.
Jesus, explicatur hoc nomen. p. 238. n. 6. & seq. errores, qui pugnant contra Jesum, damnantur secundo, ac sequentibus articulis. *ibid.* vid. *Christus.*
Ignis fuit à Gentibus adscriptus Diis. p. 214. n. 27. ex hoc Angelos esse genitos, docet Mahumet. p. 216. n. 3.
Ignorantia: an tollat voluntarium? p. 121. n. 7. & 8. ubi id examinatur per potiores ignorantiæ divisiones. *ibid.* quid sit peccatum ignorantiæ? p. 153. n. 5. datur peccatum ignorantiæ? p. 153. n. 7. 8. & 9. ignorantia invincibilis excusat à peccato. *ibid.* non datur ignorantia invincibilis Dei. p. 154. n. 10. & seq. Jansenius negat ignorantiam invincibilem legis naturalis posse excusare à peccato. p. 156. n. 1. probatur, quòd hæc excusat à peccato. *ibid.* & seq. an detur ignorantia invincibilis legis naturalis. *ibid.* tot. cap. X. quarum rerum ignorantia sit inculpabilis? p. 162. n. 1. tot. cap. XI. & quarum non? *ibid.* sententia probabilis ortum habet ex ignorantia. p. 122. n. 10. an ignorantia *facti* excusat à peccato. p. 202. n. 2. Christo ignorantiam affingunt Lutherus, & Zwinglius. p. 229. n. 2. an is salutem consequatur, qui ex ignorantia inculpabili non credit explicitè Mysteria Trinitatis, & Incarnationis? p. 294. n. 1. præcipuè si servet legem naturæ? p. 298. n. 13. & 14. qui habet ignorantiam Trinitatis, aut Incarnationis, absolvi non potest. p. 298. n. 15.
Imago: an omnes imagines populo hebraico per primum præceptum prohibitæ? p. 40. n. 12. & 13. Sacrarum Imaginum cultus licitus probatur ex traditione. p. 278. n. 8.
Immensus creditur Deus per primum fidei articulum. p. 238. n. 4.
Immolo: cur prohibitum Christianis comedere de immolatis simulacrorum? p. 61. n. 32. & seq.
Immortalitas animæ duodecimo articulo proponitur. p. 254. n. 64.
Immundus: de hebraica lotione immundi, p. 22. n. 5. cur lex vetus prohibuerit esum animalium immundorum? p. 23. n. 7. & 8. quænam animalia immunda? p. 47. n. 2. quid per hæc intelligatur? p. 48. n. 3.
Immunitas: Clerici, & eorum bona gaudent immunitate à tributis. p. 93. n. 1. & seq. hanc nequit minuere Princeps sæcularis. p. 97. n. 16. & seq. quo jure Clericis competat immunitas? p. 93. n. 1. & seq. & p. 97. n. 16. & seq. immunitas est privilegium perpetuum. p. 113. n. 1.
Immutatio: an lex naturalis patiatur immutationem, aut Epicheiam? p. 13. n. 1. & seq immutatio legis fit abrogatione, subtractione, & dispensatione p. 13. n. 1. & seq. lex naturæ non patitur immutationem per abrogationem, aut subtractionem. p. 14. n. 3. an per dispensationem Pontificiam? p. 14. n. 4. & seq.
Impassibilis creditur Deus per primum fidei articulum. p. 237. n. 1.
Impedimentum consurgens ex incestu an possit dispensari? p. 45. n. 26. in quibus impedimentis matrimonii dispensèt Episcopus? p. 115. n. 6.
Impius: an fides maneat in homine impio, si se non commaculet infidelitatis crimine? p. 308. n. 1. & seq. ac p. 259. n. 12. item p. 309. n. 4. & seq. an etiam spes? p. 313. n. 3. & 4. per timorem non redditur homo impius. p. 316. n. 1. ac p. 318. n. 5. & seq.
Improbabilis: quid sit conscientia improbabilis? p. 166. n. 5.

Inanimatus: explicatur obedientia rerum inanimatarum. p. 7. n. 2. & p. 9. n. 6. ac 7.
Incarnatio Christi à fideli negari non potest, p. 223. n. 1. tot. cap. IV. an is salutem consequatur, qui hanc ex ignorantia inculpabili explicitè non credit? p. 294. n. 1. in novo testamento necessaria est fides explicita Incarnationis, ac Trinitatis tam ad salutem, quàm justificationem. p. 296. n. 9. & seq. absolvi non potest, qui ignorat Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. p. 298. n. 15. incarnatio negatur à Mahumete. p. 216. n. 3. hujus veritas patet ex sepultura Christi. p. 240. n. 14.
Incestus prohibetur præcepto sexto. p. 45. n. 26. an possit dispensari in impedimento ex incestu? *ibid.*
Incommutabile necessarium quid? p. 19. n. 17.
Incorporeus creditur Deus per primum fidei articulum. p. 237. n. 1.
Incredulitas: per quam fides amittatur? p. 310. n 6. an S. Thomas, & Discipuli, quorum incredulitatem exprobravit Dominus, prorsùs fidem amiserint? *ibid.*
Indifferens: an detur actus humanus indifferens? p. 122. n. 1. tot. cap. II.
Inebrio: vid. *ebrietas.*
Infamia: falsam infamiam objiciens testi peccat contra præceptum octavum. p. 48. n. 29.
Infans: vid. *Parvulus.*
Inferi: Christus verè descendit ad inferos. p. 240. n. 15. & seq. vox *Scheol* significat Sepulchrum & infernum. *ibid.* an ibi Christus prædicârit, & Baptizârit Patres? *ibid.*
Infernus: hujus pœnæ erunt perpetuæ. p. 254. n. 64.
Infidelis an debeat comparere in Judicio? p. 245. n. 28. in hoc potest esse fides materialis, ac naturalis, non autem formalis, ac supernaturalis. p. 310. n. 7.
Infidelitas negativa an imputetur ad culpam? p. 157. n. 3. fides habitualis deletur peccato infidelitatis. p. 259. n. 12. ac p. 308. n. 1. & seq. item p. 309. n. 4. & seq. an fides maneat in homine impio, si se infidelitate non commaculet? p. 308. n. 1. & seq.
Infinitus: an peccatum mortale sit malitiæ infinitæ? p. 149. n. 2. & seq. quid sit infinitum *simpliciter* & *secundùm quid*? *ibid.*
Infirmitas: quid sit peccatum ex infirmitate? p. 153 n. 5.
Informis fides quid? p. 259. n. 12.
Infusus: quid sit fides infusa? p. 259. n. 12.
Inimicus an licitè in veteri testamento fuerit odio habitus? p. 25. n. 11. & 12. etiam horum dilectio est de præcepto. p. 338. n. 1. vid. *aggressor.*
Intellectus: an lex sit actus intellectûs? p. 3. n. 5. & 6. an felicitas hominis consistat in actu intellectus, aut voluntatis, vel utroque simul. p. 135. n. 5. & seq.
Internus: an actus externus interno addat bonitatem, vel malitiam? p. 116. n. 1. tot cap. III. an lex humana possit præcipere actus internos? p. 81. n. 1. & seq.
Invasor: vid. *aggressor.*
Invincibilis: vid. *ignorantia.*
Inviolabile necessarium quid? p. 19. n. 17.
S. Joannes: hujus Evangelii caput primum perversè exponunt Macedoniani. p. 141. n. 9. 10. & 11.
Joannes Clericus contra hunc defenditur. S. Augustinus. p. 28. n. 19.
Job manifestè asseruit carnis resurrectionem. p. 248. n. 42. & seq. an primus scripserit libros canonicos Scripturæ? p. 277. n. 5.
S. Joseph: Christi corpus non est formatum ex semine S. Joseph. p. 239. n. 11.
Josue: an simulationem dolosam, ac peccaminosam commiserit? p. 60. n. 30.
Jovinianus docuit, unum peccatum non esse gravius altero. p. 143. n. 2.
Ira prohibetur quinto præcepto. p. 44. n. 24 illicita fit occisio aggressoris, si hujus mors ex ira intenditur. p. 345. n. 10. & 14.
Irregularis an sit, qui injustum occidit aggressorem? p. 344. n. 9.
Iscariotes vid *Judas*
Isidorus: an compilator Juris canonici fuerit Isidorus Mercator, an Isidorus Hispalensis? p. 102. n 1. qualem habeant auctoritatem decretales ab ipso collectæ? p. 103. n. 1. quinam canones ab ipso collecti sunt spurii, & qui genuini? p. 104. n. 5. & 6.
Israël: quomodo filii Israël impunè potuerint spoliare ægyptios? p. 16. n 8. & 11. an Deus potuerit concedere filiis Israël usuram? p. 16. n 8. & 12.
Italia: cur & à quo olim nomen Saturnia habuerit? p. 212. n. 18.
Iter Sabbathi quid sit? p. 43. n. 18.
Jubal invenit Organi usum. p. 362. n. 2.
Judæus: vid. *hebraicus.*
Judas Patriarcha: quid notandum de eo? p. 27. n. 15. & 16.
Judas Iscariotes: non hic, sed Christus est crucifixus. p. 240. n. 14.
Judex: an laudabilis sit timor Judicis terreni? p. 317. n. 4.
Judicium credimus futurum septimo fidei articulo. p. 244. n. 26. & seq. hoc negant Borboriani, flotiani, & Proclinatæ. p. 244. n 27. quomodo Christus in illud sit venturus? & an parvuli sine Baptismo decedentes, ac infideles debeant comparere in Judicio? *ibid.* tempus Judicii est ignotum. p. 244. n. 27. quis sit finis Judicii. p. 245. n. 28. vid. *Beatitudo.*
Judicium temerarium prohibetur præcepto octavo.

octavo. p. 46. n. 29. quid sit judicium speculativum, & practicum? p. 123. n. 13. quomodo cum dubio speculativo stet judicium practicum? p. 174. n. 14. quomodo judicium probabile distinquatur ab opinione, & dubio? p. 168. n. 3. an conscientia speculativè probabilis fiat practicè certa per judicium reflexum? p. 183. n. 20. & seq.

Julius: quid lex Julia? p. 109. n. 5.

Juno: unde nomen, & originem habeat? p. 210. n. 10. stultum est, eam Diis annumerare. *ibid.* an sit præferenda Minervæ? *ibid.*

Jupiter: plures hoc nomine describuntur homines flagitiosi. p. 208. n. 2. stultè inter Deos reputatur. *ibid.*

Juramentum: quando Papa dispenset juramenta? p. 14. n. 5. & 6. quid de eo senserint hebræi? p. 22. n. 5. ac p. 25. n. 11. & 12. quid dicendum de juramento, quod Equites S. Jacobi deponunt se nunquam recusâsse singulare certamen? p. 341. n. 8. quas requirat conditiones? p. 41. n. 14.

Jus: quid sit? p. 3. n. 4. dividitur in naturale, positivum, divinum, humanum, Ecclesiasticum, Canonicum, & civile. p. 3. n. 4. in publicum, & privatum. *ibid.* quid jus gentium? *ibid.* an jus naturale etiam brutis conveniat? *ibid.* quid jus Romanum? quid jus primævum, secundarium, personale, & locale? p. 3. n. 4. Juris universi summarium est decalogus. p. 37. n. 1. jura Sacerdotum nequeunt usurpari â terreno Principe. p. 88. n. 12. quo jure Clerici, & eorum bona gaudeant immunitate? p. 93. n. 1. & seq. ac p. 97. n. 16. & seq. *Jus Canonicum* est â variis collectum. p. 102. n. 1. præcipuè ab Isidoro, & Gratiano. *ibid.* an compilator fuerit Isidorus Mercator, an Isidorus Hispalensis? *ibid.* qualem habeant auctoritatem Decretales ab Isidoro collectæ? p. 103. n. 1. quinam Canones veterum sint genuini, & qui spurii? p. 104. 5. & 6. qualem auctoritatem habeant decretales Gratiani? p. 104. n. 7. & seq. quid sit palea? 104. n. 8. quibus partibus constet jus Canonicum? p. 105. n. 9. quomodo faciendæ, & legendæ citationes juris Canonici? p. 105. n. 14.

Jus Civile quid sit? p. 3. n. 4. an debeat promulgari in singulis provinciis? p. 69. n. 1. an post promulgationem statim obliget? p. 70. n. 2. & seq. an ad hoc requiratur acceptatio populi? p. 71. n. 8. & seq. quæ distinctio inter jus civile, & Ecclesiasticum? p. 72. n. 10. & p. 72. n. 12. & 13. etiam jus civile obligat in conscientia. p. 76. n. 1. & seq. hoc negarunt Waldenses. *ibid.* & Gerson. *ibid.* an etiam cum cum periculo vitæ? p. 79. n. 10. & seq. an possit præcipere actum internum? p. 81. n. 1. & seq. jus civile, & spirituale possunt simul stare. p. 87. n. 9. & seq. sic fit in Papa. *ibid.* jus civile nequit minuere immunitatem Ecclesiasticam. p. 97. n. 16. & seq. traduntur quædam rudimenta circa jus civile. p. 108. n. 1. quid dicendum de jure civili Athenienſium, & Atticorum? *ibid.* n. 2. quid jus civile statuat de matrimonio? p. 108. n. 3. jus civile Romanorum quomodo dividatur? p. 109. n. 5. quid statuat de Religione? de cultu Parentum? p. 109. n. 6. quid de homicidio? p. 109. n. 7. quid de fornicatione, & libidine? p. 109. n. 8. quid de furto? p. 108. n. 4. ac p. 110. n. 9. quid de convitiis, falso testimonio, & calumnia? p. 110. n. 10. an jus Atticorum, & Athenienſium conveniat cum jure Romanorum? p. 110. n. 11. & 12. jus civile antiquum cohæret cum libris Geneſis, Exodi, & Levitici. p. 111. n. 13. an derivetur â lege hebraica? p. 111. n. 14. an præter jus civile dentur etiam statuta? p. 112. n. 15. quibus partibus constet jus civile? p. 112. n. 16. quomodo faciendæ, & legendæ citationes juris civilis? p. 112. n. 17. quis in eo dispenset? p. 114. n. 5.

Jus naturale: an nulla opinio probabilis in materia juris naturalis excuset â peccato? p. 102. n. 1. & seq. tot. cap. XVII. vid. *Lex*.

Justificans: an fides distinquatur â gratia justificante? p. 259. n. 12. ac p. 308. n. 1. & seq.

Justificatio: qualis fides sit necessaria ad justificationem consequendam? p. 296. n. 9. & seq. justificationem præcedit spes. p. 313. n. 3. qualiter charitas operetur justificationem? p. 326. n. 8.

Justificatus: putant hæretici, quòd hic sciat certò, se non posse excludi â gloria, nec excidere â gratia. p. 229. n. 2.

Justinus non admittit posse aliquem salvari, si negat Divinitatem, aut incarnationem Verbi. p. 226. n. 9. & seq. in quo sensu dicat Socratem, & Heraclitum Christianos? p. 227. n. 15.

Justitia ut virtus Cardinalis plures alias complectitur. p. 131. n. 5.

Justus: ab observatione legis Novatores excipiunt cætum *justorum*. p. 6. n. 10. & seq.

K.

Kemnitius: vid. *Chemnitius*.

L.

Laicus nequit facere Ecclesiasticam legem. p. 84. n. 1. & seq. potestas Laica, & Ecclesia-

cleſiaſtica poteſt ſimul ſtare. p. 87. n. 9. & ſeq. uti videmus in Papa. *ibid.*

Larva: unde hoc nomen derivatum? p. 356. n. 1. in larvis modo major eſt luxuries, quàm olim apud ſuperſtitioſos erat. *ibid.*

Latro annumeratur raptoribus. p. 46. n. 28.

Latrunculus vid. *ludus*.

Laxus: quid ſit conſcientia laxa? p. 166. n. 4.

Legalia: de horum cauſa, & origine. p. 47. n. 1. tot. cap. IX. optimo conſilio ſunt inſtituta. *ibid.* Sacrificia in iis præſcripta condemnant idololatriam, & ſignificant Chriſtum. p. 49. n. 5. & ſeq. quando legalia ſint abrogata, & quando facta mortifera? p. 51. n. 1. tot. cap. X. hæc Apoſtoli obſervabant verè ſine ſimulatione. p. 55. n. 15. Cephæ hæc præſcribenti Paulus verè ſine ſimulatione reſtitit. p. 55. n. 15. & ſeq. usque ad cap. XI. cur Apoſtoli præceperint abſtinere ab immolatis ſimulacrorum? p. 61. n. 32. & ſeq.

Legislator: an teneatur propriis legibus? p. 91. n. 23. & ſeq. qualis requiratur conſenſus legislatoris ad conſuetudinem legitimam? p. 117. n. 16.

Leo: hujus ex halitu natos feles in Arca Noë, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2.

Levis materia poteſt ob circumſtantias fieri gravis. p. 81. n. 15.

Leviticus: ex libro levitici ſunt deductæ leges civiles antiquæ. p. 111. n. 13.

Lex: unde legis nomen derivatum? p. 2. n. 1. quid ſit lex? p. 2. n. 2. ejus diviſio in naturalem, participatam, poſitivam, Divinam antiquam, & novam, humanam Eccleſiaſticam, & civilem. p. 2. n. 3. an pertineat ad actum Intellectûs, vel voluntatis? p. 3. n. 5. & 6. quænam conditiones legis? p. 4. n. 1. & ſeq. ſit lata pro communitate. p. 4. n. 1. quomodo diſtinquatur â præcepto? *ibid.* & n. 2. reſpiciat bonum commune. p. 5. n. 3. & 4. ſit juſta, nec inhoneſta præcipiat. p. 5. n. 5. & 6. ſit perutilis. p. 5. n. 7. & diuturna. p. 5. n. 8. quis poſſit ferre legem? p. 6. n. 9. & ſeq ab obſervantia legis Novatores excipiunt Cætum Juſtorum. p. 6. n. 10. & ſeq. an obliget cum periculo vitæ? p. 79. n. 10. non licet ſequi ſententiam probabilem faventem libertati, ſi alia lex, vel præceptum habeat pro ſe rationem æquè probabilem. p. 180. n. 14. & ſeq. an liceat ſequi ſententiam minùs probabilem faventem libertati relicta alia probabiliori ſtante pro lege? p. 185. n. 23. & ſeq quomodo lex ſit onus leve? p. 188. n. 1. 2. & 3. an licitum varios conſulere, ut tandem unus inveniatur ſuadens minùs probabile ſtans pro libertate contra alios probabiliùs pro lege conſulentes? p. 200. n. 5. 6. & 7. non debet confeſſarius abſolvere eum, qui ſequitur opinionem minùs probabilem ſtantem pro libertate, ſi hanc opinionem nolit dimittere. p. 200. n. 8. & ſeq. lex ceſſat obligare vel ob privilegium. p. 113. n. 1. vid. *privilegium*. vel ob diſpenſationem. p. 114. n. 5. vid. *Diſpenſatio*. vel ob conſuetudinem. p. 116. n. 111. vid. *conſuetudo*. quomodo intelligendum illud: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*. p. 295. n. 6. & 7. an ſit neceſſaria fides explicita Incarnationis, & Trinitatis in omni lege etiam naturali, ac antiqua. p. 295. n. 4. & quidem tam ad ſalutem, quàm juſtificationem conſequendam? p. 295. n. 4. & ſeq. non repugnat charitati ſervare legem intuitu æternæ mercedis. p. 333. n. 8. & ſeq.

Lex æterna: quando promulgata? p. 7. n. 2. non eſt idea rerum in mente Dei exiſtens. p. 8. n. 3. an differat â providentia? p. 8. n. 3. eſt fons, & origo omnium cæterarum. p. 8. n. 4. & 5. huic omnia creata ſunt ſubjecta. p. 9. n. 6. & 7. quid ſit? p. 7. n. 1.

Lex Canonica fuit â variis collecta: p. 102. n. 1. præcipuè ab Iſidoro, & Gratiano. *ibid.* an compilator fuerit Iſidorus Mercator, an Iſidorus Hiſpalenſis? *ibid.* qualem habeant auctoritatem decretales Iſidori? p. 103. n. 1. quinam canones veterum ſint genuini, & qui ſpurii? p. 104. n. 5. & 6. qualem auctoritatem habeant decretales Gratiani? p. 104. n. 7. & ſeq. quid ſint paleæ? p. 104. n. 8. quibus partibus conſtet lex canonica? p. 105. n. 9. quomodo faciendæ, & legendæ citationes juris Canonici? p. 105. n. 14.

Lex Civilis: quid ſit? p. 2. n. 3. & p. 3. n. 4. nequit minuere immunitatem Eccleſiaſticam. p. 97. n. 16. & ſeq. traduntur quædam rudimenta de legibus civilibus. p. 108. n. 1. quid dicendum de legibus civilibus Athenienſium, & Atticorum? ibid. n. 2. quid lex civilis ſtatuat de Matrimonio? p. 108. n. 3. de Religione, & cultu Parentum? p. 109. n. 6. de homicidio? p. 109. n. 7. de fornicatione, & libidine? p. 109. n. 8. de furto? p. 108. n. 4. ac p. 110. n. 9. de convitiis, falſo teſtimonio, ac calumnia? p. 110 n. 10. quomodo lex civilis dividatur? p. 109. n. 5. leges civiles antiquæ cohærent cum libris Geneſis, Exodi, & Levitici p. 111. n. 13. an etiam cum lege hebraica? p. 111. n. 14. præter leges civiles dantur etiam ſtatuta. p. 112. n. 15. quinam horum ſtatutorum compilatores præcipuè? p. 112. n. 15. quibus partibus conſtet lex civilis? p. 112. n. 16. quomodo faciendæ, & legendæ citationes legis civilis? p. 112. n. 17. quæ leges civiles contineantur in codice? p. 112. n.

18. quis in lege civili dispenset? p. 114. num. 5.

Lex humana debet promulgari, sive sit Ecclesiastica, sive civilis. p. 69. n. 1. & seq. an debeat promulgari in singulis provinciis? *ibid.* an statim obliget post promulgationem? p. 70. n. 2. & seq. an requiratur acceptatio Populi? p. 71. n. 8. & seq. quomodo lex Civilis, & Ecclesiastica distinquantur? p. 72. n. 10. & p. 73. n. 12. & 13. lex humana, civilis etiam obligat in conscientia. p. 76. n. 1. & seq. ac p. 79. n. 9. hoc negârunt Waldenses. *ibid.* & Gerson. *ibid.* quid sit lex pœnalis? p. 79. n. 9. lex humana non semper obligat cum gravi nocumento, & periculo vitæ p. 79. 10. & seq. an possit præscribere opus leve sub peccato mortali? p. 81. n. 14. an lex humana possit præcipere actus internos. p. 81. n. 1. & seq. laici non possunt ferre leges Ecclesiasticas. p. 84. n. 1. & seq. sed hoc solùm competit Superiori Ecclesiastico etiam vi coactiva. p. 86. n. 4. & seq. an legislator teneatur propriis legibus. p. 91. n. 23. & seq. quibus legibus teneantur peregrini, & advenæ. p. 92. n. 24. 25. & 26. quis dispenset in lege humana. p. 114. n. 5.

Lex naturæ quid sit? p. 10. n. 1. & seq. an etiam brutis conveniat? p. 3. n. 4. & p. 10. n. 2. provenit à Deo. p. 10. n. 3. datur lex naturæ. p. 11. n. 5. & 6. an consistat in stimulis conscientiæ, vel synderesi. *ibid.* cur fuerit scripta *ibid.* hujus præcepta omnia reducuntur ad dilectionem Dei, & proximi. p. 11. n. 7. & seq. quomodo hæc dilectio includat alias res? p. 11. n. 8. omnis virtus â lege naturali provenit, & omne vitium eidem aversatur. p. 12. n. 9. non omnis virtus præcipitur jure naturæ. p. 12. n. 10. nec Evangelica consilia. *ibid.* nec virtutes Theologicæ. *ibid.* an lex naturalis patiatur immutationem, aut Epichejam? p. 13. n. 1. & seq. an lex naturalis immutetur per abrogationem, subtractionem, aut dispensationem? p. 13. n. 1. & seq an per dispensationem pontificiam? p. 14. n. 4. & seq. an Deus dispensârit in lege naturæ concedendo Matrimonia filiis Adæ contrahenda cum sororibus germanis? admittendo Polygamiam? imperando Abrahamo immolationem filii? permittendo filiis Israël furtum Ægyptiis inferendum &c. p 16. n. 8. & seq. aut iisdem concedendo usuram? permittendo libellum repudii? remunerando mendacium obstetricum? Mandando Oseæ, ut sumeret sibi uxorem fornicationum? remittendo observantiam Sabbathi? *ibid.* an detur hujus legis ignorantia invincibilis? p. 156. n. 1. & seq. hæc ignorantia excusat â peccato, si datur, *ibid.* usque ad cap. XI. in lege naturæ nulla erat lex Divina scripta p. 277. n. 5. an salutem consequatur observans legem naturalem, si fidem non potest assequi? p. 298. n. 13. & 14.

Lex nova qualiter distinquatur â veteri? p. 66. n. 1. est perfectior veteri. *ibid.* etiam in lege nova sunt observanda quædam præcepta. p. 66. n. 2. proin non sola fides justificat. *ibid.* per hoc confutantur Lutherus, & Calvinus. *ibid.* & seq. quæ præcepta, & consilia novæ legis? p. 67. n. 6. quod discrimen inter præceptum, & consilium? *ibid.* quomodo præcepta novæ legis sint levia? p. 68. n. 7. ac p. 270. n. 1. levis est monogamia. p. 68. n. 8. levis confessio Sacramentalis. *ibid.* levis inhibitio repudii uxoris. p. 68. n. 9. Polygamia semper gravis. *ibid.* lex nova semper durabit. p. 69. n. 10.

Lex vetus: an hujus auctor sit Deus? p. 21. n. 1. & seq. an Moyses, vel seniores? *ibid.* an illi huic quid addiderint? *ibid.* hanc esse â diabolo, docuêre Manichæi, & Marcionitæ. p. 21. n. 1. & seq. Moyses fuit hujus promulgator. p. 21. n. 2. & seq. fuit bona. p. 23. n. 6. & seq. cur non sit data pro omnibus? cur præceperit holocausta cruenta? & cur prohibuerit esum animalium immundorum? p. 23. n. 7. & 8. an permiserit odium inimicorum? p. 25. n. 11. & 12. qualiter concesserit libellum repudii? p. 25. n. 11. & 12. quid doceat de juramento? *ibid.* ducit ad Christum. p. 25. n. 13. & 14. convicia in Patriarchas vet. legis lata retunduntur. p. 27. n. 15. & 16. quomodo per legem veterem peccatum revixerit? p. 28. n. 17. & 18. de præceptis Decalogi p. 37. n. 1. tot. cap. VIII. quænam causæ legalium veteris legis? p. 47. n. 1. tot. cap. IX. de ciborum, & animalium discretione. p. 47. n. 2. cur prohibiti porci? *ibid.* quænam animalia immuda? p. 47. n. 2. & 3. de pascate Judæorum. p. 48. n. 4. de aliis Sacrificiis. p. 49. n. 6. & seq. hæc condemnant idololatriam, & significiant Christum. p. 49. n. 5. & seq. quando legalia abrogata, & facta mortifera? p. 51. n. 1. tot. cap. X. hujus legis ceremonias præscribenti Petro verè sine simulatione Paulus restitit. p. 55. n. 15. & seq. usque ad cap. XI.

Libellarius: hi pecuniâ obtinebant chirographum de facta Idolis immolatione, ut mortem evitarent. p. 299. n. 2. eos noluit ampliùs recipere Ecclesia. *ibid.*

Libellus repudii, an potuerit permitti sine læsione juris naturalis. p. 16. n. 8. & 13. ac p. 25. n. 11. & 12.

Liber qualiter sit apertus ab Agno. p. 271. n. 6. quosnam Synagoga non habuerit pro Canonicis. p. 277. n. 5.

Liber: nequit inter Deos locum habere liber, seu Bacchus. p. 213. n. 20. ea, quæ contra hunc scripsit S. Augustinus, defenduntur ab animadversione Phereponi. *ibid.* vid. *Bacchus.*

Liber: quid sit homo liber. p. 3. n. 4. hujus emptio, vel venditio est furtum gravissimum, dicitúrque *plagium.* p. 46. n. 28. vide *voluntarium* an detur pura omissio libera? p. 153. n. 6. an assensus fidei sit liber, supernaturalis, ac discursivus? p. 257. n. 5. & 6.

Libertas: an Papa possit dispensare in libertate? p. 14. n. 5. & 6. non licet sequi sententiam probabilem faventem libertati, si alia opinio æque probabilis stet pro lege, vel præcepto. p. 180. n. 14. & seq. an liceat sequi sententiam probabilem faventem libertati relicta alia probabiliori stante pro lege? p. 185. n. 23. & seq. an licitum varios consulere, ut inveniatur tandem unus suadens minus probabile stans pro libertate contra alios probabilius pro lege suadentes? p. 200. n. 5. 6. & 7. non debet confessarius absolvere eum, qui sequitur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, si hanc opinionem non velit dimittere. p. 200. n. 8. & seq. negantes libertatem arbitrii impugnant septimum fidei articulum. p. 245. n. 28.

Libertinus: Angli libertini docent aliquando licitum esse negare fidem. p. 299. n. 1. refutantur. p. 299. n. 2. & seq.

Libido: quid de ea statuat lex civilis Romana? p. 109. n. 8.

Litteræ: quis fuerit primus litterarum inventor? p. 36. n. 14. & 15. ac p. 277. num. 5.

Localis: quid sit jus locale? p. 3. n. 4.

Lot: de ejus ebrietate. p. 27. n. 15. & 16.

Lotio: de lotione pharisaica immundi. p. 22. num. 5.

S. *Lucas*: cur in actis Apostolorum non faciat mentionem Symboli? p. 235. n. 12.

Ludicrus: vid. *Decursio.*

Ludus: pueri & adolescentes permittantur suos ludos facere. p. 363. n. 1. quinam sint hi ludi? *ibid.* Ludus latrunculorum approbatur. p. 363. n. 2. Ludus alearum reprobatur. p. 364. n. 3. & seq. Ludo alearum addicti frangunt totum Decalogum. p. 365. n. 7. & 8. quid dicendum de ludis circensibus? p. 366. n. 3. quid de Ludis chartarum. p. 364. n. 3.

Luna nequit inter Deos reputari. p. 213. n. 22. secundùm Mahumetanos ea in Manichas Mahumetis delapsa est. p. 216. num. 2.

Lusus Trojæ prohibetur Christianis. p. 365. n. 1.

Lutherus dicens, solam fidem justificare, refutatur. p. 66. n. 2. & seq. facit Deum authorem peccati. p. 229. n. 2. non admittit vocabulum Trinitatis. *ibid.* imputat Christo ignorantiam. *ibid.* Lutheri sectam calamitates allaturam prædixit Thomas Minorita. p. 229. n. 4. idem fecerunt Hildegardis, & Cantiana. *ibid.* hujus secta sit detestabilis ex vaticiniis. p. 229. n. 4. ac rejicitur ex aliis fundamentis. p. 230. n. 5. & seq. de ejus miraculis. p. 230. n. 6. in quot errores ejus hæresis sit divisa? p. 231. n. 8. Lutherus putans manere peccata post Baptismum impugnat decimum fidei articulum. p. 247. n. 38. hujus gregales negantes traditiones refutantur. p. 275. n. 1. & seq. Lutherus reprobat timorem servilem, ùt malum. p. 316. n. 1. probatur, quòd sit bonus, & utilis. p. 318. n. 5. & seq. vid. *Religio.*

Lux nequit esse Deus. p. 214. n. 27.

M.

Macedonianus: hi pravè interpretantur verba S. Joannis cap. 1. *quod factum est.* p. 141. n. 9. 10. & 11. negantes Divinitatem Spiritûs S. refutantur octavo fidei articulo. p. 245. n. 30. impugnantes traditiones impugnantur. p. 275. n. 1. & seq.

Macula peccati quid sit? p. 142. n. 13. & 14.

Magistratus potest ferre leges. p. 6. n. 9. & seq.

Magus Simon admittens duos Deos damnatur primo fidei articulo. p. 237. n. 3.

Mahumet: quid sentiat de Christo, & B. Virgine? p. 215. n. 1. & seq. ejus vita, & vitia narrantur. *ibid.* non patravit aliqua miracula. *ibid.* vide *Mahumetanus.* apparuit anno Christi 622. p. 216. n. 3. prohibet scientias, armis propagavit errores suos, socios habuit prædones. p. 217. n. 5. concedit, Christianos posse in sua lege salvari. p. 217. n. 6. hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* non potest dici Paracletus. p. 218. n. 9. non reformavit Ecclesiam. p. 218. n. 10.

Mahumetanus non habet veram Religionem. p. 215. n. 1. tot. cap. II. quid sentiat de Christo, & B. Virgine? *ibid.* vita, & vitia illorum Pseudoprophetæ narrantur. *ibid.* quæ diversitas inter Evangelium, & Alcoranum? p. 216. n. 2. & n. 5. enarrantur errores, fabulæ, ac absurda, quæ continentur in Alcorano. *ibid.* & n. 3. ac 4. prohibet scientias. p. 217. n. 5. docet Christianos posse in sua lege salvari. p. 217. n. 6. hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* objectiones Mahumetanorum contra Religionem ca-

tholicam factæ ſolvuntur. p. 218. n. 7. & ſeq. docentes non Chriſtum, ſed Judam Iſcariotem eſſe crucifixum aggrediuntur quartum fidei articulum. p. 240. n. 14.
Madianita quem cultum exhibeant Madianitæ Idolo ſuo Beelphegor? p. 351. n. 1.
Malchus: quid reprehendendum in S. Petro percutiente Malchum? p. 347. n. 17. & 8.
Maledictum: in quo ſenſu Chriſtus pro nobis factus ſit maledictum? p. 26. n. 14. 20. & ſeq.
Malitia: quæ ſit actûs humani? p. 121. n. 9. an detur actus humanus expers bonitate ſimul & malitia? p. 122. n. 1. tot. cap. II. an actus externus intrinſeco addat bonitatem vel malitiam? p. 126. n. 1. tot. cap. III. an malitia peccati conſiſtat in privativo, vel poſitivo? p. 139. n. 3. & ſeq. an malitia peccati mortalis ſit finita, vel infinita? p. 149. n. 2. & ſeq. quid ſit peccatum ex malitia? p. 153. n. 5. an debeat præcedere advertentia malitiæ, ut peccatum poſſit imputari? p. 153. n. 7. 8. & 9.
Mammona: quomodo intelligendum ſit illud: *fac tibi amicos de mammona iniquitatis?* p. 317. n. 9.
Mancipium quid ſit? p. 3. n. 4.
Mandatum minimum in ſcriptura qualiter ſumatur? p. 145. n. 11. & 12. quomodo Dei mandata ſint levia. p. 188. n. 1. 2. & 3. ac p. 270. n. 1. vid. *præceptum*.
Manicha: in doctrina Mahumetis luna in hujus manichas delapſa eſt. p. 216. n. 2.
Manichæus dixit teſtamentum vetus eſſe à diabolo. p. 21. n. 1. ejus probationes de ſuper ſolvuntur. p. 24. n. 9. & ſeq. ejus convicia in Patriarchas reprobantur. p. 27. n. 15. & 16. dixerunt Manichæi, quintum præceptum: *non occides*: etiam extendi ad animalia, arbores, poma &c. p. 44. n. 23. damnatur primo fidei articulo, dum adſtruit duos Deos p. 237. n. 3. dicens, quòd non Chriſtus, ſed dæmon ſit crucifixus, impugnat quartum fidei articulum. p. 240. n. 14. regulam, & normam fidei ponit in humana ratiocinatione. p. 259. n. 1. refutatur. p. 260 n. 3. & ſeq. rejiciens bellum impugnatur. p. 339. n. 2. & ſeq.
Manumiſſio: an Papa poſſit diſpenſare in manumiſſione. p. 14. n. 5. & 6.
Manus: Deum habere manum frigidam, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2.
Marcionita tenuit legem veterem eſſe à diabolo. p. 21. n. 1. ejus dogma de Deo tanquam principio malo, p. 23. n. 7. item de lege veteri, quòd non ſit bona. *ibid.* damnatur primo fidei articulo ejus error de duobus Diis, p. 237. n. 3. 4. & 5. tribuens Chriſto corpus de Cœlo delapſum convincitur tertio articulo. p. 239. n. 11. item articulo quarto. p. 239. n. 13. ac ſeq.
S. MARIA: an ſit opinio ſolùm probabilis, quòd B. Virgo ſine labe ſit concepta? p. 197. n. 33. & 35. quid de ea ſentiat Mahumet. p. 215. n. 1. & ſeq. qui negant Chriſtum accepiſſe corpus ex virgine formatum, aggrediuntur tertium fidei articulum. p. 239. n. 11. ejus perpetua Virginitas habetur traditione. p. 276. n. 3. ac p. 292. n. 19. an etiam Beatiſſima Virgo potuerit orare. *dimitte nobis debita noſtra* &c. p. 323. n. 7.
Maritus in ordine amoris omnium primò diligat uxorem. p. 336. n. 4. & ſeq. non eſt licitum uxori ſe ipſam alteri ſubmittere conſentiente viro. p. 336. n. 5. non licet marito, uxorem ſuam alteri ſubmittere ad evadendam mortem. p. 336. n. 6.
Mars ſtultè inter Deos reputatur. p. 209. n. 6. refertur, unde ortum habeat, item narrantur ejus Geſta; oſtenditur, quòd non ſit alius à Nimfrodo, ſive Belo. *ibid.*
Martyr Martyres venient cum Chriſto ad Judicium. p. 244. n. 27.
Mater: vid *Parens*.
Materia: Gnoſtici admiſerunt duo coæva principia Deum, & materiam. p. 237. n. 3.
Matheſis ignorantia eſt excuſanda. p. 161. n. 1.
Matrimonium: qualiter diſſolvat Papa matrimonia? p. 14. n. 5. & 6. quomodo potuerit validum contrahi matrimonium inter filios, & filias ſorores Germanas, ut contigit inter filios Adæ? p. 16. n. 8. & 9. quid lex civilis ſtatuat de matrimonio? p. 108. n. 3. in quibus impedimentis poſſit diſpenſare Epiſcopus? p. 115. n. 6. ad matrimonia contrahenda non eſt facile danda diſpenſatio. p. 115. n. 7.
S. Mathæus revera ſcripſit Evangelium. p. 25. n. 13. & 14. aliud notandum. p. 30. n. 23. & 24.
Mecha: templum Mechæ ab Abrahamo ædificatum credunt Mahumetani. p. 216. num. 2.
Mediator: in veteri Teſtamento neceſſaria erat fides Mediatoris, ſed non explicita in ejus divinitatem, ac individuæ Trinitatis Myſterium. p. 295. n. 4. & ſeq.
Medicus debet ſequi ſententiam probabiliorem. p. 187. n. 29.
Medium: quid ſit neceſſitas medii, & præcepti? p. 294. n. 3.
Melanchthon admiſit peccata venialia. p. 143. n. 3. facit Deum auctorem peccati. p. 229. n. 2. non admittit vocabulum Trinitatis. *ibid.* negans in Spiritu S. haberi perfectam divi-

divinitatem refutatur octavo fidei articulo. p. 244. n. 30.
Menander putans mundum esse conditum ab angelis, primo fidei articulo impugnatur. p. 238. n. 5. affirmans Christum in phantasmate passum, refutatur quarto fidei articulo. p. 239. n. 13.
Mendacium: an Deus possit dispensatione licitum facere mendacium? p. 15. n. 7. & seq. an licitum fuerit mendacium obstetricum ægyptiorum? p. 16 n. 8. & 13. opponitur præcepto octavo. p. 46. n. 29. an aliquod mendacium commiserit Christus fingendo se longius ire? item apparendo, ut hortulanus? p. 60. n. 29. idemquæritur de abrahamo dicente se reversurum cum filio, item de Jacobo dicente se primogenitum, & aliis. *ibid.* non est licitum, etsi, quis loquatur. tyranno p. 299. n. 2.
Mensis: an lex promulgata non nisi post duos Menses obliget? p. 69. n. 1. & seq.
Mentior: Apostoli nec voluêre, nec potuêre mentiri. p. 220. n. 3. qui dicunt, Deum posse mentiri, impugnant primum fidei articulum. p. 238. n. 4.
Merces in quo consistat merces condigna virtutis? p. 135. n. 1. tot. cap. V. an laudabile sit servare legem intuitu mercedis æternæ? p. 333. n. 8. & seq.
Mercurius: unde nomen acceperit? p. 209. n. 7. ejus divinitas est fabulosa. p. 209. n. 7. non est alius â Jubal. *ibid.*
Meritum: negantes meritorum remunerationem impugnantur duodecimo articulo. p. 254. n. 64.
Messias: hoc nomen sibi tribuit David Georgius. p. 230. n. 5. hujus characteres habet Christus. p. 239. n. 8. quòd Messias jam advenerit, profitemur per nomen Jesus. p. 239. n. 8. item per verba, quòd Christus sit passus sub Pontio Pilato. p. 239. n. 13.
Metropolis: an sufficiat promulgatio in sola Metropoli facta? p. 69. n. 1. & seq.
Metus: an gravis metus tollat, vel minuat voluntarium? p. 120. n. 4. & seq.
Militia: vid. *bellum*.
Minerva an sit præponenda Junoni? p. 210. n. 10. unde nomen, & ortum habeat? p. 211. n. 11. ridiculum est, eam Deam constituere. *ibid.* an hoc nomine veniat Noëma? *ibid.*
Minimus: vid. *mandatum*.
Miraculum: â Christo patrata miracula sunt invictissimum argumentum Religionis Catholicæ. p. 220. n. 4. objectio contra miracula Christi allata solvitur. p. 223. n. 10. & 11. de miraculis hæreticorum. p. 230. n. 6. & Machumetis. p. 215. n. 1. & seq. nequit fides esse vera, ac firma sine Ecclesiæ fundamento, aut revelatione speciali, aut miraculorum virtute, aut sine ullo hominum ministerio. p. 310. n. 7. 8. & 9.
Misaël cur vocatus Misach? p. 214. n. 27.
Missa tanquam ritus superstitiosus ab hæreticis rejicitur. p. 229. n. 3.
Moderamen inculpatæ tutelæ in quo consistat? p. 342. n. 2.
Moechia quid sit? p. 45. n. 25. prohibetur sexto præcepto. *ibid.*
Molinosius adstruit amorem purum. p. 329. n. 1. reprobatur. *ibid.* & seq.
Moloch est â gentilibus Diis adscriptus, p. 214. n. 26. quis fuerit? *ibid.*
Monachus gaudet privilegio Canonis. p. 113. n. 2. & fori. *ibid.* n. 3. horum institutio provenit traditione. p. 276. n. 3.
Monasterium gaudet jure asyli. p. 101. n. 23.
Monialis an ob grave damnum possit relinquere clausuram? p. 80. n. 12. & 13. gaudet privilegio Canonis. p. 113. n. 2. & fori. *ibid.* n. 3.
Monogamia est præceptum leve. p. 68. n. 8.
Monogamon an fuerit Moyses? p. 32. n. 3.
Monomachia est illicita, ac gravissimis pœnis punitur. p. 341. n. 7. quid dicendum de juramento, quo Equites D. Jacobi debent asserere, se nunquam recusâsse singulare certamen? p. 341. n. 8.
Monothelita negans duas voluntates in Christo refutatur traditione. p. 278. n. 8.
Montanus: contra hunc defenditur, esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata. p. 247. n. 38.
Mores: quando opinio probabilis sit regula firma morum? p. 177. n. 6. & seq.
Mors in doctrina Mahumetis est aries stabulans cælum inter & inferos. p. 216. n. 2. illicita est occisio Aggressoris etiam injusti, quando hujus mors ex ira intenditur. p. 345. n. 10. & 14. mors quid sit? p. 240. n. 14. vir non potest alteri usum suæ uxoris concedere ad evadendam mortem. p. 336. n. 6.
Mortalis: peccata venialia ducunt ad mortale. p. 143. n. 4. & seq. quid sit peccatum mortale? p. 149. n. 1. an sit malitiæ finitæ, vel infinitæ? p. 149. n. 2. & seq.
Mortuus: quomodo sint judicandi mortui? p. 244. n. 26. & seq. quid sit fides mortua? p. 259. n. 12.
Moyses: an sit auctor legis veteris? p. 21. n. 1. & seq. vel an illi quid addiderit? p. 21. n. 1. & seq. fuit legis veteris promulgator. p. 21. n. 2. & seq. v. *lex vetus*. ejus gesta excusantur. p. 27. n. 15. & 16. an hoc nomen sit ægyptium, vel hebraicum? p. 32. n. 1. an, & qualem habuerit uxorem? p.

32. n. 2. & 3. an fuerit Monogamon? p. 32. n. 3. an hiſtoria belli æthiopici ſit fabuloſa? *ibid.* an fuerit homicida percutiendô ægyptium? p. 33. n. 4. 5. & 6. item p. 346. n. 14. cur diabolus cum Michaële altercatus ſit de Moyſis corpore? *ibid.* an genere fuerit Heliopolitanus? vel Judæus? p. 34. n. 7. an fuerit leproſus? p. 34. n. 8. quid dicendum de cornuta facie Moyſis? p. 35. n. 10. & ſeq. an ſit primus litterarum inventor? p. 36. n. 14. & 15. ac p. 277. n. 5. v. *lex vetus.* optimo conſilio præcepit legalia? p. 47. n. 1. tot. cap IX. an illius lex morte Chriſti abrogata? p. 51. n. 1. & ſeq.

Mulier domus mulierum ſimul commorantium ad vacandum orationi gaudet fori privilegio. p. 113. n. 3. nequit habere locum in numero Deorum. p. 210. n. 10. ſtella veneris in doctrina Mahumetis fuit pulcherrima mulier. p. 216. n. 2. conſuetudo, quòd viri incedant in veſtibus Mulierum, eſt execrabilis, ac â gentilibus deſcendens. p. 351. n. 1. & ſeq. item p. 356. n. 2. & ſeq. in comœdiis apud gentiles fœminæ fuerunt â viris ſeparatæ. p. 353. n. 1. & 2. nec potuerunt promiſcuè theatrum conſcendere ad exhibendam aliquam Comœdiam vel tragœdiam. *ibid.* quàm deteſtabilis ſit luxus veſtium apud mulieres? p. 367. n. 1. & 2. conſuetudo mulierum, quæ faciem ceruſſa, rubore, & conſimili fuco obliniunt, nequiſſimi flagitii turpitudinem complectitur. p. 368. num. 3.

Muncerus Dux Anabaptiſtarum dixit ſe Evangeliſtam. p. 230. n. 5.

Mundus: qui putant, hunc eſſe productum ab Angelis, impugnantur primo fidei articulo. p. 238. n. 5. eundem eſſe ſub diaboli tyrannide credebant Marcionitæ. p. 238. n. 4. an in toto mundo Evangelium ſit annuntiatum? p. 298. n. 13. & 14.

Mus: in arca Noë mures natos ex ſtercore Elephantis, docent Mahumetani. p. 216. num. 2.

Muſica: vid. *Cantus.*

Muſicus: vid. *Cantor.*

Mutus ſimul & ſurdus an poſſit ſalutem conſequi ſine fide, quæ ei prædicari non potuit? p. 298. n. 13. & 14.

N.

Naaman damnat ſimulationem. p. 60. n. 30.

Naturalis: quid ſit jus naturale? p. 3. n. 4. an hoc etiam brutis ſit commune? p. 3. n. 4. & p. 10. n. 2. quid ſit lex naturalis? p. 2. n. 3. ac p. 10. n. 1. & ſeq. provenit â Deo p. 10. n. 3. datur lex naturalis: p. 11. n. 5. & 6. an conſiſtat in ſtimulis conſcientiæ, & ſyntereſi? *ibid.* cur fuerit ſcripta? *ibid.* omnia præcepta naturalia referuntur ad dilectionem Dei, & proximi. p. 11. n. 7. & ſeq. quomodo hæc dilectio includat alias res? *ibid.* omnis virtus â lege naturali provenit, & omne vitium eidem averſatur. p. 12. n 9. non omnis virtus præcipitur jure naturæ. p. 12. n. 10. nec Evangelica conſilia. *ibid.* nec virtutes theologicæ. *ibid.* an lex naturalis patiatur immutationem, aut Epichejam? p. 13. n. 1. & ſeq. an immutetur per abrogationem, ſubtractionem, aut diſpenſationem? p. 13. n. 1. & ſeq. an per diſpenſationem Pontificiam? p. 14. n. 4. & ſeq. an in ea poſſit diſpenſare Deus? p. 15. n. 7. & ſeq. an Deus diſpenſârit in lege naturali concedendo filiis Adæ matrimonia contrahenda cum ſororibus germanis? admittendo Polygamiam? imperando Abrahæ immolationem filii? permittendo filiis Iſraël furtum ægyptiis inferendum? &c. p. 16. n. 8. & ſeq. aut concedendo iisdem uſuram? permittendo libellum repudii? remunerando mendacium obſtetricum? mandando oſeæ, ut ſumeret ſibi uxorem fornicationum? remittendo obſervantiam Sabbathi? *ibid.* an detur hujus legis ignorantia invincibilis? p. 156. n. 1. & ſeq. hæc ignorantia â peccato excuſat, ſi datur. *ibid.* usque ad cap. XI. an nulla opinio probabilis in materia juris naturalis excuſet â peccato? p. 202. n. 1. tot. cap. XVII. an lex naturalis fuerit ſcripta? p. 277. n. 5. an hanc obſervans ſalutem conſequatur, ſi invincibiliter non habeat fidem? p. 298. n. 13. & 14.

Nazaræus: an in primo ſæculo Eccleſia Jeroſolymitana conſtabat Nazaræis, ac Ebionitis? p. 227. n. 16. & 17. præſcripſerunt legalium obſervantiam. *ibid.*

Neceſſarius: quid ſit neceſſarium ſtabile, inviolabile, & incommutabile? p. 19. n. 17.

Neceſſitas ineluctabilis tollit voluntarium, & liberum. p. 119. n. 2. qui omnia adſcribunt fatali neceſſitati, damnantur primo fidei articulo. p. 238. n. 4. quid ſit neceſſitas medii, & præcepti? p. 294. n. 3.

Neptunus; unde ortum habeat? p. 208. n. 4. ſtultè inter Deos refertur. *ibid.* dicitur etiam Saturnus, habet filios cyclopes. *ibid.*

Neſtorianus aggrediens ſecundam Perſonam damnatur ſecundo fidei articulo. p. 238. n. 6. & ſeq. ac tertio. p. 239. n. 11. item traditione. p. 278. n. 8.

Nicolaita probans promiſcuum uſum mulierum reprobatur. p. 336. n. 5.

Nihil: an hoc nomine veniat peccatum, & Diabolus? p. 139. n. 5. & seq.
Nobilitas non est Beatitudo hominis. p. 135. n. 3.
Nocumentum: an leges humanæ obligent cum gravi nocumento? p. 79. n. 10. & seq. an leges Divinæ? *ibid.*
Noë: mures in arca Noë natos ex stercore Elephanti, docent Mahumetani. p. 216. n. 2. & feles ex halitu Leonis. *ibid.*
Nomen: non est licitum usurpatione Nominum, quæ sunt signum superstitiosi cultûs, Religionem callidè simulare. p. 300. n. 4. & seq. vid. *Ritus.*
Novatores ab observantia legis excipiunt Cætum Justorum. p. 9. n. 10. & seq. vid. Hæreticus.
Novatus: contra hunc probatur, esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata. p. 247. n. 38.
Novitius gaudet privilegio Canonis. p. 113. num. 2.
Novus: quid sit lex Divina nova? p. 2. n. 3.

O.

Obcæcatus: quid sit conscientia obcæcata? p. 166. n. 4.
Obedientia rerum sensu, & ratione carentium, & hominum explicatur. p. 7. n. 2. & p. 9. n. 6. & 7.
Objectum: quomodo ea, quæ evidenter scimus, possint esse objectum fidei? p. 257. n. 4. an in rebus fidei detur evidentia objecti? p. 257. n. 5. & 6. quodnam objectum materiale fidei? p. 257. n. 7. quodnam sit objectum fidei necessarium, ac per se, & quod objectum per accidens? *ibid.* an objecta fidei creverint successu temporis, aut fuerint mutata? p. 257. n. 8. quodnam sit objectum formale fidei? p. 258. n. 11. ac p. 308. n. 1. quodnam objectum spei? p. 313. n. 2. in Sanctis non datur objectum spei. p. 314. n. 5. quodnam sit objectum charitatis? p. 324. n. 2.
Obreptio reddit privilegium irritum. p. 114. n. 4. quid sit? *ibid.*
Obstetrix: an Deus remunerârit mendacium obstetricum ægyptii? p. 16. n. 8. & 13.
Occisio injusti vitæ aggressoris an sit licita? p. 441. n. 1. & seq. in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ? *ibid.* n. 2. occisio furis quando licita? p. 343. n. 4. & seq. an per occisionem injusti aggressoris incurratur irregularitas? p. 344. n. 9. illicita hujus occisio evadit, si fiat ex noxia cupiditate. p. 345. n. 10. aut animo ulciscendi. p. 345. n. 10. & 11. aut amore solius vitæ propriæ, huic posthabendo salutem animæ proximi. p. 345. n. 10. & 12. aut ex ira non vitæ defensionem, sed alterius mortem intendendo. p. 345. n. 10. & 14. quando habeatur jus in vitam proximi? *ibid.* an sit excogitabilis casus, in quo aggressoris occisio fiat sine peccato? p. 346. n. 14. & seq. quomodo intelligendum illud? *omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* p. 347. n. 18.
Oculus qualis sit in sensu Evangelico simplex? p. 178. n. 7.
Odium inimicorum an permiserit lex vetus? p. 25. n. 11. & 12.
Officium humanum vide *actus.*
Omissio pura libera an detur? p. 153. n. 6.
Omnipotens: hæc vox explicatur. p. 238. num. 4.
Omnipotentia: hanc Calvinus Deo denegat. p. 229. n. 2. item & Valentinianus. p. 238. n. 4. credenda est ob primum fidei articulum. *ibid.*
Opinio Probabilis quid? p. 166. n. 5. ac p. 167. n. 1. an unus Doctor faciat opinionem probabilem? p. 167. n. 1. ac p. 176. n. 2. quale requiratur fundamentum ad opinionem probabilem? *ibid.* & n. 2. quid ad præsens sit fundamentum grave præcipuè ad faciendam resolutionem Theologicam? *ibid.* an hoc fundamentum tale permaneat, si concurrat aliud fundamentum æquè grave, aut adhuc gravius? *ibid.* quomodo conscientia probabilis distinguatur ab opinione, ac dubio? p. 168. n. 3. alia opinio est probabilis in se, alia in mente operantis. 168 n. 4. aliqua opinio fit probabilis ratione intrinseca, & extrinseca. p. 169. n. 5. recensentur Auctores, qui pro- & oppugnant opinionem probabilem relicta probabiliori, vel æquè probabili. p. 169. n. 6. & 7. quæ censuræ latæ sint in propugnatores? p. 169. n. 6. & 7. an pro- vel oppugnatores habeant majorem auctoritatem? p. 171. n. 8. & 9. opinio probabilis ortum habet ex ignorantia. p. 172. n. 10. quomodo distinguatur opinio probabilis à scientia, & fide? *ibid.* est vitium, & pœna peccati *ibid.* quæ distinctio inter opinionem probabilem, & tutam? p. 173. n. 11. quomodo in concursu duarum opinionum probabilium possit formari judicium practicum? p. 174. n. 14. 15. & 16. an sequens opinionem minus probabilem se exponat periculo peccandi solum materialiter, vel etiam formaliter? p. 175. n. 17. opinionem dubiam non possumus sequi. p. 173. n. 12. an licitum sit sequi opinionem tenuiter probabilem? p. 176. n. 1. & seq. nulla opinio probabilis potest esse regula firma morum, si non appareat tuta operanti, aut conscientiam moraliter certam non ingeneret. p. 177. n. 6. & seq. opinio probabilis

babilis ſternit viam vitiis, eſt imprudens, ac recens. *ibid.* non licet ſequi opinionem probabilem faventem libertati relicta alia æquè probabili, quæ ſtat pro lege, & præcepto. p. 180. n. 14. & ſeq. in dubiis opinio tutior eſt eligenda. p 182. n. 17. & ſeq. an in concurrentia duarum propoſitionum probabilium opinio ſit dubia? *ibid.* an opinio ſpeculativè probabilis fiat practicè certa per judicium reflexum? p. 183. n. 20. & ſeq. an poſſit eligi opinio minus probabilis relicta probabiliori? p. 185. n. 23. & ſeq. objectiones Probabiliſtarum ſolvuntur. p. 188, n. 1. tot. cap. XV. Medicus debet ſequi opinionem probabiliorem p. 187. n. 29. an nec licitum ſequi ſententiam probabilem in materia ad fidem, & mores non pertinente? p. 194. n. 20. & 21. an ſit opinio ſolùm probabilis, B. virginem ſine labe conceptam? p. 197. n. 33. & 35. an Theologus poſſit alteri conſilium dare ex opinione minùs probabili, ut ſibi videtur, ſi ſciat, eandem ab aliis haberi tanquam probabiliorem? p. 198. n. 1. & ſeq. an licitum varios conſulere, ut tandem inveniatur unus ſuadens minùs probabile contra alios probabiliùs ſuadentes? p. 200. n. 5. 6. & 7. confeſſarius non debet abſolvere eum, qui ſequitur opinionem minùs probabilem ſtantem pro libertate, ſi hanc opinionem nolit dimittere. p. 200. n. 8. & ſeq. an nulla opinio probabilis excuſet â peccato? p. 202. n. 1. tot. cap XVII. qualiter diſtinguatur opinio ab aſſenſu fidei? p. 257. n. 5. ac p. 258. n. 11.

Opus: an opus peccaminoſum ſit peccatum diſtinctum â pravo deſiderio? p. 126. n. 1. & ſeq. an opus virtuoſum voluntati bonæ ſuperadditum habeat virtutem, & bonitatem diverſam? *ibid.* vide *actus.* an laudabile ſit facere opus bonum intuitu mercedis æternæ? p. 333. n. 8. & ſeq.

Oratio: Adamitæ orationem ſuam peragunt in hortis nudo corpore. p. 229. n. 3. qualiter eam inſtituant fanatici, & Ejulantes? *ibid.* delet peccata venialia. p. 247. n. 38. debet fieri cum ſpe. p. 315. n. 10. quid ſit oratio? p. 321. n. 1. an ſit neceſſitas orandi, & unde proveniat? *ibid.* qualis ordo ſervandus in Oratione? *ibid.* quid in oratione promoveat ſpem, & fiduciam? p. 321. n. 1. quid ſit oratio quietis? p. 329. n. 1. & ſeq. reprobatur. *ibid.*

Oratio Dominica reprobatur ab Hæreticis. p. 229. n. 3. Puritani omittunt verba. *dimitte nobis debita noſtra. ibid.* hanc Chriſtianus vi juris Eccleſiaſtici memoriter ſcire tenetur. p. 294. n. 1. hæc reliquis eſt præferenda. p. 321. n. 1. fovet ſpem. *ibid.* explicatur oratio Dominica. p. 322. n. 2. & ſeq. in tertia petitione rogamus, ut poſſimus ſervare præcepta, unde hanc petitionem ridet Pelagius. p. 321. n. 5. an etiam Chriſtus, & Beatiſſima virgo potuerint dicere *dimitte nobis debita noſtra* &c. p. 323. n. 7. an Deus inducat homines in tentationem? p. 323. n. 8. de numero petitionum orationis Dominicæ. p. 323. n. 9. quid ſignificet verbum *Amen*? p. 324. n. 10. in Decalogo, & oratione Dominica exercetur dilectio. p. 313. n. 2. ac p. 324. n. 1. in Symbolo, & eadem oratione fides: in oratione Dominica ſpes. *ibid.*

Orcus ſeu Pluto unde originem trahat? p. 213. n. 21. nequit eſſe Deus. *ibid.* an veniat nomine hoc Cham filius Noë? *ibid.*

Organum: uſus Organi in Eccleſia eſt Laudabilis. p. 362. n. 2. eſt inventum â Jubal. *ibid.*

Origeniſta: ejus error damnatur primo fidei articulo. p. 238. n. 5. idem negans reſurrectionem in hac carne noſtra futuram, negat undecimum articulum. p. 248. n. 40. negans æternitatem pœnarum impugnat duodecimum articulum. p. 254. num. 64.

Originale peccatum quid ſit? p. 152. n. 3. hujus certiores ſumus ex morte Chriſti. p. 240. n. 14. fuiſſe pro femellis contra labem originalem inſtitutum remedium, habemus ex traditione. p. 277. n. 5.

Oſeas: quomodo intelligendum mandatum Dei Oſeæ datum, ut ſibi ſumeret uxorem fornicationum? p. 16. n. 8. & 14.

Otioſus: quid ſit verbum otioſum in ſcriptura? p. 146. n. 13.

Ovis: in quo ſenſu relinquat Paſtor oves nonaginta novem in deſerto, ut inveniat unam perditam? p. 73. n. 12. & 13.

P.

Paganus vid. *Gentilis.*

Palatium Cardinalis, vel Epiſcopi an gaudeat aſylo? p. 101. n. 23.

Palea: unde hoc nomen in jure originem habeat? p. 104. n. 8.

Panis: fermentato pane utebantur idololatræ. p. 48. n. 4.

Papa: an poſſit diſpenſare in lege naturali? p. 14. n. 4. & ſeq. quando poſſit diſpenſare circa reſidentiam Epiſcopi? p. 14. n. 5. & 6. quando circa juramenta, vota, Matrimonia &c? *ibid.* poteſt ferre leges Eccleſiaſticas etiam vi coactiva. p. 86. n. 4. & ſeq. poteſt præter poteſtatem ſpiritualem etiam ſæcularem exercere. p. 87. n. 9. & ſeq. ad nutum Papæ debent Principes Catholici tractare arma. p. 91. n. 21. & 22. in quibus poſſit diſpenſare? p. 114. n. 5. eſt Judex neceſſarius in definiendis

dis controverſiis fidei. p. 263. n. 1. & ſeq. quomodo ſit infallibilis, cum ſit omnis homo mendax? p. 275. n. 12.

Parens: quartum præceptum jubet honorare parentes, qualiter id fiat? & cur vocetur præceptum primum. p. 43. n. 19. & 20. honoranda eſt & Mater. p. 43. n. 21. quinam veniant nomine Patris. *ibid.* de promiſſione huic præcepto adjecta. p. 44. n. 22. quid de cultu parentum ſtatuat lex Romana civilis. p. 109. n. 6. an parentes levantes propriam prolem ſint ſeparandi. p. 190. n. 7. & 10. reſpectu filiorum in ordine proximorum primi ſunt parentes. p. 335. n. 2. & viciſſim. *ibid.* n. 3. Deus in dilectione & filiis, & parentibus præferendus eſt. *ibid.*

Participatus: quid ſit lex participata. p. 2. n. 3.

Parvulus: an parvuli ſine Baptiſmo decedentes debeant comparere in judicio. p. 245. n. 28. an fides habitualis detur in parvulis. p. 259. n. 12. an huic in ſylvis enutrito ſit neceſſaria fides explicita, quam ei nemo prædicavit. p. 298. n. 13. & 14. an parvuli poſt Baptiſmum habeant fidem neceſſariam, ſi moriantur ante uſum rationis. p. 298. n. 13. & 14. parvuli permittantur ludere. p. 163. n. 1. & 2.

Paſcha Judæorum opponitur idololatriæ Ægyptiorum. p. 48. n. 4. & ſeq. figurabat redemptionem noſtram p. 49. n. 5. & condemnabat idololatriam. *ibid.* & ſeq.

Paſſus eſt Chriſtus in corpore vero, ac doloribus obnoxio. p. 239. n. 13. Marcion, Menander, & Aphthartodocitæ contrarium docentes quarto fidei articulo damnantur. *ibid.* cur dicatur, quòd Chriſtus ſit paſſus ſub Pontio Pilato. *ibid.*

Paſtor in quo ſenſu relinquat nonaginta novem oves in deſerto, & quærat unam perditam. p. 73. n. 12. & 13.

Pater: cur prima Perſona dicatur Pater. p. 237. n. 3. vid. *Parens.* quomodo Chriſtus ſedeat ad dexteram Patris. p. 244. n. 25. vid. *Filius.*

Patres: quinam ſciant doctrinam Patrum. p. 163. n. 2. an Patribus in lymbo prædicârit Chriſtus Evangelium & eos baptizârit. p. 240. n. 15. & 18. an Patrum ſcripta omnia ſint ſuſpecta de mutilatione, corruptione. p. 286. n. 8. & 9. quomodo Patres explicandi in materia de traditionibus. p. 291. n. 16.

Patria: an in ea detur timor. p. 321. n. 12. & 13. vid: *Viſio.*

Patriarcha: fauſtus Manichæus varia dixit convitia in Patriarchas veteris legis. p. 27. n. 15. & 16.

Patripaſſiana Hæreſis damnatur primo fidei articulo. p. 237. n. 1.

S. Paulus Cephæ legalia præſcribenti verè reſtitit ſine ſimulatione. p. 55. n. 15. & ſeq. usque ad Caput XI. Cephas, cui Paulus in faciem reſtitit, non eſt alius à Petro. p. 63. n. 1. & ſeq. S. Paulus, quando fuerit converſus. p. 64. n. 4. an ſit præferendus S. Petro ex eo, quòd hic in antiquis imaginibus ſiniſtram occupet. p. 210. n. 10. in quo ſenſu optabat eſſe anathema pro fratribus in Chriſto. p. 332. n. 6. & 7.

Paulus Samoſatenus negat Chriſti divinitatem. p. 224. n. 5.

Pauper: huic non dans eleemoſynam de ſuperfluis eſt fur. p. 46. n. 28. quænam ſint ſuperflua. *ibid.* pauperes ſunt præ cæteris noſtri proximi. p. 337. n. 8. vid. *Eleemoſyna.*

Peccator: an fides maneat in homine peccatore, ſi ſe infidelitatis crimine non commaculet. p. 308. n. 1. & ſeq. ac p. 259. n. 12. item p. 309. n. 4. & ſeq. an etiam ſpes. p. 313. n. 3. & 4.

Peccatum quomodo revixerit per legem. p. 28. n. 17. & 18. an per legem poſſit opus leve præcipi, vel inhiberi ſub peccato gravi. p. 81. n. 14. an opus peccaminoſum ſit peccatum diſtinctum à pravo deſiderio. p. 126. n. 1. & ſeq. dantur externa. *ibid.* n. 2. quid ſit. p. 138. n 1. quomodo diſtinquatur à vitio. *ibid.* & ſeq. malitia peccati an conſiſtat in poſitivo, vel privativo. p. 139. n. 3. & ſeq. quid ſit peccati macula, ſeu reatus. p. 142. n. 13. & 14. an detur peccatum ex natura ſua veniale. p. 142. n. 1. tot. cap. VII. unum peccatum non eſſe gravius altero, ajebant Stoici, & Jovinianus. p. 143. n. 2. Calvinus dicit, prædeſtinatos poſſe committere peccata damnabilia, ſed ipſis à Deo non imputari. *ibid.* n. 3. Melanchthon admittit peccata venialia. *ibid.* peccatum poteſt in duplici ſenſu eſſe veniale. p. 143. n. 4 veniale ducit ad mortale. p. 143. n. 4. & ſeq. quid peccatum mortale. p. 149. n. 1. an peccatum mortale ſit malitiæ finitæ, vel infinitæ. p. 149. n. 2. & ſeq. quomodo peccata differant ſpecie? p. 151. n. 1. quomodo numero? p. 152. n. 2. quæ ſit diviſio peccati? p. 152. n. 3. & ſeq. quando peccato ſit conjunctus Dei contemptus? p. 152. n. 3. quid ſit peccatum veniale? *ibid.* an detur peccatum omiſſionis ſine actu voluntatis? p. 153. n. 6. datur peccatum ignorantiæ. *ibid.* n. 8. an peccato, ut poſſit imputari, debeat præcedere ſancta cogitatio, & delectatio? p. 153. n. 7. 8 & 9. an advertentia malitiæ? *ibid.* ignorantia invincibilis excuſat à peccato. p. 153. n. 7. 8. & 9. an detur peccatum philoſophicum? p. 154. n. 10. & ſeq. unde ſit hoc peccatum derivatum? *ibid.* ignorantia juris naturalis invincibilis à pec-

cato excusat. p. 156. n. 1. & seq. concupiscentia est pœna peccati. *ibid.* an detur ignorantia invincibilis juris naturalis â peccato excusans? *ibid.* opinio probabilis est vitium, & pœna peccati. p. 172. n. 10. an sequens opinionem probabilem relicta probabiliori, vel æquè probabili se exponat periculo peccati materialis, vel omnino formalis? p. 175. n. 17. an nulla opinio probabilis excuset XVII. an ignorantia *facti* excusat â peccato? p. 202. n. 2. peccati auctorem Mahumet Deum constituit. p. 216. n. 3. idem Blasphemat Calvinus. p. 229. n. 2. sed damnantur primo fidei articulo. p. 238. n. 4. peccati originalis certiores reddimur ex morte Christi. p. 240. n. 14. quomodò remissio peccatorum sit credenda? p. 247. n. 37. & seq. errores contrarii adducuntur. *ibid.* Oratio & Eleemosyna delent peccatum veniale. p. 247. n. 38. uti & jejunium. *ibid.* quo peccato deleatur fides habitualis? p. 259. n. 12. ac p. 308. n. 1. & seq. item p. 309. n. 4. & seq. an cum gratia etiam semper fides amittatur per peccatum? p. 308. n. 1. & seq. cum quali charitate stet peccatum? p. 326. n. 8. an aliquando sine peccato possit injustus aggressor occidi? p. 346. n. 14.

Peculatus est furtum ex ærario, seu de pecunia publica. p. 46. n. 28.

Pecunia furtum ex ærario, seu de pecunia publica est *peculatus*. p. 46. n. 28.

Pelagianus deridet petitionem tertiam orationis Dominicæ. p. 322. n. 5.

Pelagius: contra hunc probatur, ignorantiam nostram esse pœnam peccati originalis. p. 156. n. 1. & seq. negans peccatum originale impugnatur quarto fidei articulo. p. 240. n. 14. contra hunc propugnantur traditiones. p. 275. n. 1. & seq.

Peregrinus quibus teneatur legibus? p. 92. n. 24. 25. & 26.

Periculum: leges humanæ non semper obligant cum periculo vitæ. p. 79. n. 10. & seq. an lex Divina? *ibid.*

Perjurium prohibetur præcepto secundo. p. 41. n. 14. & octavo. p. 46. n. 29.

Persecutio: Elcesaita docet, in persecutione fidem servandam corde, ore negandam. p. 299. n. 1. refutatur. p. 299. n. 2. & seq. an in persecutione licitum sit Christiano, vel Episcopo fugere? p. 301. n. 6. & seq.

Persona: negantes pluralitatem Divinarum Personarum, aggrediuntur secundum fidei articulum. p. 238 n. 7.

Personale: quid sit jus personale? p. 3. n. 4.

S. Petrus legalia præcipiens verè sine simulatione â S. Paulo est correctus. p. 55. n. 15. & seq. an S. Petrus peccârit præscribendo legalia? *ibid.* & seq. usque ad cap. XI. Cephas, cui Paulus in faciem restitit, non est alius â Petro. p. 63. n. 1. & seq. an huic præferendus S. Paulus ex eo, quia S. Petrus in antiquis sæpè imaginibus sinistram occupat? p. 210. n. 10. quid reprehendendum in S. Petro percutiente servum Pontificis? p. 347. n. 17. & 18.

Pharisæus: unde hoc nomen acceperint? p. 22. n. 5. varia eorum dogmata. p. 22. n. 5. ùt de lotione immundi, pietate, juramento, decimis. *ibid.* horum traditiones rejicit Dominus. p. 284. n. 1. & seq.

Pharisaicus: quid sit conscientia pharisaica? p. 166. n. 4.

Phereponus: contra hunc defenditur S. Augustinus. p. 28. n. 19. & seq. imprudenter reprehendit S. Augustini scripta contra Divinitatem Bacchi p. 213. n. 20.

Philetus negans carnis resurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & seq.

Philosophia: hujus ignorantia est excusanda. p. 162. n. 1.

Philosophicus: an detur peccatum Philosophicum? p. 154. n. 10. & seq. unde sit derivatum? *ibid.*

Philosophus: plures præstantissimi Philosophi fatentur Deum unum. p. 237. n. 3.

Phœnices an primi litterarum inventores? p. 36. n. 14.

Pietas Pharisæorum in quo erat sita? p. 22. n. 5.

Pilatus: vid. *Pontius*.

Pirata annumeratur raptoribus. p. 46. n. 28.

Piscis: Græci possunt certis diebus jejunium frangere, si edant pisces sanguine concretos. p. 371. n. 4.

Plagium est emptio vel venditio hominis liberi. p. 46. n. 28. est furtum gravissimum. *ibid.*

Platonicus: contra hos probatur, terrenum corpus posse consistere in cœlo. p. 252. n. 52.

Plebiscita quid? p. 109. n. 5.

Pluto: unde ortum, & nomen trahat? p. 213. n. 21. nequit inter Deos referri. *ibid.* an hoc nomine veniat Cham filius Noë? *ibid.*

Pneumatomachus negans Spiritûs sancti Divinitatem refutatur octavo fidei articulo. p. 245. n. 30.

Pœna quid sit? p. 79. n. 9. quid sit pœna sententiæ latæ? *ibid.* opinio probabilis est vitium, & pœna peccati? p. 172. n. 10.

Pœnalis lex quid sit? p. 79. n. 9. an obliget in conscientia? *ibid.*

Poëta: Christianus non legat Carmina Poëtarum. p. 363. n. 3. nec eorum fabulâs, si limites honestatis excedunt. *ibid.*

Polygamia: quomodo olim potuerit esse licita? p. 16. n. 8. & 9. fuit semper onus grave

grave. p. 68. n. 9. eam permittit Mahumet. p. 217. n. 4.
Polytheisinus primo articulo fidei rejicitur. p. 237. n. 3.
Pontius: cur in symbolo dicatur, quòd Christus sit passus sub Pontio Pilato? p. 239. n. 13.
Populus: an ad legem aliquam requiratur acceptatio populi? p. 71. n. 8. & seq.
Porcus: cur prohibitus sit Judæis esus porcorum? p. 47. n. 2. idem prohibetur à Mahumet. p. 217. n. 4.
Positivus: quid sit lex positiva? p. 2. n. 3. quid jus positivum? p. 3. n. 4. an obliget cum periculo vitæ? p. 79. n. 10. an malitia peccati consistat in positivo, vel privativo? p. 139. n. 3. & seq.
Potestas sæcularis nequit ferre leges Ecclesiasticas. p. 84. n. 1. & seq. sed hoc etiam vi coactiva competit Potestati Ecclesiasticæ. p. 86. n. 4. & seq. potestas laica, & spiritualis potest simul stare. p. 87. n. 9. & seq. utramque habet Papa. p. 88. n. 13. sæcularis potestas debet tractare arma ad nutum Papæ. p. 91. n. 21. & 22. potestas sæcularis nequit minuere immunitatem Ecclesiasticam. p. 97. n. 16. & seq.
Practicus: quomodo cum dubio speculativo stet judicium practicum? p. 174. n. 14. & 15. quid sit judicium speculativum, & practicum? p. 173. n. 13. an opinio speculativè probabilis fiat practicè certa per judicium reflexum? p. 183. n. 20. & seq.
Præceptum: quomodo differat à lege? p. 4. n. 1. & 2. omnia præcepta legis naturalis reducuntur ad dilectionem Dei, & proximi. p. 11. n. 7. & seq. quomodo hæc dilectio includat alias res. *ibid.* in quibus præceptis Deus possit dispensare? vid. *dispensatio*. præcepta Decalogi interpretantur. p. 37. n. 1. tot. cap. VIII. quot præcepta pertineant ad primam tabulam? p. 37. n. 3. 4. & seq. *non habebis Deos alienos*: est primum præceptum, & non secundum. p. 38. n. 5. & seq. duo ultima præcepta sunt distincta. p. 38. n. 6. & 7. de ordine præceptorum, an præceptum: *non mœchaberis* sit quintum vel sextum? p. 39. n. 8. explanatio præceptorum. p. 39. n. 9. & seq. prima verba: *Ego sum Dominus*. non sunt præceptum, sed præfatio. p. 39. n. 9. *primo præcepto* prohibetur idololatria. p. 39. n. 10. quid sint *Dii alieni*. *ibid.* quid sculptilia? p. 39. n. 11. quid Idola? *ibid.* an prohibita quæcunque sculptilia, & similitudines? p. 40. n. 12. & 13. *secundo præcepto* prohibetur perjurium, & subin juramentum. p. 41. n. 14. *tertio præcepto* præcipitur sanctificatio Sabbathi. p. 42. n. 17. quid significet, & cur institutum? *ibid.* quomodo sanctificandum? *ibid.* in hujus cultu superstitiosi sunt Judæi. p. 43. n. 18. quid Sabbathi iter? *ibid.* honorare jubemur parentes *præcepto quarto*, qualiter id fiat? & cur vocetur primum præceptum? p. 43. n. 19. 20. honoranda est & mater. p. 43. n. 21. quinam veniant nomine Patris? *ibid.* de promissione huic præcepto adjecta. p. 44. n. 22. *quinto præcepto* prohibetur sola occisio hominis, non autem pecoris, arboris, aut fructuum. p. 44. n. 23. quando licitum homicidium? p. 44. n. 24. eodem prohibentur ira, contumeliæ. *ibid.* *præcepto sexto* prohibetur *mœchia*: quid sit? p. 45. n. 25. comprehendit adulterium, incestum. p. 45. n. 25. an in impedimento ex incestu consurgente possit dispensari? p. 45. n. 26. ulteriùs prohibetur stuprum, & etiam fornicatio simplex. p. 45. n. 27. furtum prohibetur *præcepto septimo*. p. 46. n. 28. quid sit furtum? qualiter differat à rapina? *ibid.* furtum gravissimum est *Plagium*. p. 46. n. 28. *peculatus* est furtum ex ærario, seu pecuniâ publicâ. *ibid.* quando fiat *Sacrilegium*? & quinam sint fures? p. 46. n. 28. *octavo præcepto* prohibetur falsum de proximo testimonium. p. 46. n. 29. quinam sint *noster proximus*? *ibid.* contra idem est, testibus falsam infamiam objicere: pejerare: mentiri: detrahere: & temerè judicare. p. 46. n. 29. *nono* & *decimo præcepto* prohibetur concupiscentia mox dictorum. p. 46. n. 30. quomodo Dei præcepta sint levia? p. 188. n. 1. 2. & 3. non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati, si alia æquè probabilis stet pro lege aut præcepto? p. 180. n. 14. & seq. observatio præceptorum non salvat hominem, si denegat Christo Divinitatem. p. 228. n. 20. & 21. quid sit necessitas medii, & præcepti? p. 294. n. 3. orationis Dominicæ petitione tertia rogamus, ut possimus servare præcepta intuitu mercedis æternæ? p. 333. num. 8. & seq.
Præcepta vet: legis quoad Ceremonialia in morte Christi desinebant obligare. p. 53. n. 6. & seq. non tamen sunt facta mortifera. *ibid.* eadem mandanti Petro verè ac sine simulatione Paulus restitit. p. 55. n. 15. & seq. usque ad cap. XI.
Præcepta quædam novæ legis dantur. p. 66. n. 2. proin non sola fides justificat. *ibid.* & sic refutantur Lutherus & Calvinus. *ibid.* & seq. quæ præcepta & consilia novæ legis? p. 67. n. 6. quod discrimen inter præceptum & consilium? *ibid.* quomodo præcepta novæ legis sint levia? p. 68. n. 7. ac p. 270. n. 1.

Præmium: vid *Merces*.

Prædeſtinatus: docuit Calvinus, prædeſtinatos poſſe peccare, ſed ipſis â Deo peccatum non imputari. p. 143. n. 3.

Primævus: quid ſit jus primævum? p. 3. n. 4.

Princeps poteſt ferre leges. p. 6. n. 9. & ſeq. ſæcularis nequit ferre Eccleſiaſticas. p. 84. n. 1. & ſeq benè verò Eccleſiaſticus etiam vi coactiva. p. 86. n. 4. & ſeq. jura ſacerdotum nequeunt uſurpari à terreno Principe. p. 88. n. 12. ſæcularis debet arma tractare ad nutum Papæ. p. 91. n. 21. & 22. an teneatur propriis legibus? p. 91. n. 23. Princeps ſæcularis nequit minuere immunitatem Eccleſiaſticam. p. 97. n. 16. & ſeq.

Principium: duo coæva principia Deum, & materiam admittunt Gnoſtici. p 237. n. 3.

Priſcillianiſta adſcribens omnia fatali neceſſitati damnatur primo articulo fidei p. 238. n. 4. docens licitum eſſe aliquando negare fidem. p. 299. n. 1. impugnatur. p. 299. n. 2. & ſeq.

Privativus: vid. *poſitivus*.

Privatus: quid ſit jus privatum? p. 3. n. 4. vid. *ſpiritus*.

Privilegium quid ſit? p. 113. n. 1. quid privilegium locale? p. 113. n. 1. locale eſt perpetuum. *ibid.* quando poſſit privilegio renuntiari? p. 113. n. 1. quid ſit privilegium *Canonis*? p. 113. n. 2. quinam hoc gaudeant, & qui non? *ibid.* quid ſit privilegium *fori*? p. 113. n. 3. & quinam illo gaudeant? *ibid.* privilegium juris ob novem capita amittitur. p. 114. n. 4. quomodo diſpenſatio differat à privilegio? p. 114. n. 5.

Probabilis; quid ſit conſcientia probabilis? p. 166. n. 5. ac p. 167. n. 1. an unus Doctor faciat opinionem probabilem? p. 167. n. 1. ac p. 176. n. 2. quale requiratur fundamentum ad opinionem probabilem? *ibid.* & n. 2. quid ad præſens ſit fundamentum grave præcipuè ad faciendam reſolutionem theologicam? *ibid.* an hoc fundamentum tale remaneat, ſi concurrat aliud fundamentum æquè grave, aut adhuc gravius? *ibid.* quomodo conſcientia probabilis diſtinguatur ab opinione ac dubio? p. 168. n. 3. alia opinio eſt probabilis in ſe, alia in mente operantis. p. 168. n. 4. aliqua ſententia ſit probabilis. ratione intrinſeca, & extrinſeca. p. 169. n. 5. recenſentur Authores, qui pro- & oppugnant ſententiam probabilem relicta probabiliori, vel æquè probabili. p. 169. n. 6. & 7. quæ cenſuræ latæ ſint in propugnatores? p. 169. n. 6. & 7. an pro- vel oppugnatores habeant majorem authoritatem? p. 171. n. 8. & 9. opinio probabilis Ortum habet ex ignorantia. p. 172. n. 10. quomodo diſtinguatur â ſcientia, & fide? *ibid.* eſt vitium, & pœna peccati. *ibid.* quæ diſtinctio inter ſententiam probabilem, ac tutam? p. 173. n. 11. quomodo in concurſu duarum propoſitionum probabilium poſſit formari judicium practicum? p. 174. n. 14. 15. & 16. an ſequens opinionem minùs probabilem ſe exponat periculo peccandi ſolùm materialiter, vel etiam formaliter? p. 175. n. 17. iniquum eſt ſequi ſententiam tenuiter probabilem. p. 176. n. 1. & ſeq. nulla opinio probabilis poteſt eſſe regula firma morum, ſi non appareat tuta operanti, aut conſcientiam moraliter certam non ingeneret. p. 177. n. 6. & ſeq. opinio probabilis ſternit viam criminibus, eſt imprudens, ac recens. *ibid.* non licet ſequi conſcientiam probabilem faventem libertati relicta alia æquè probabili, quæ ſtat pro lege, aut præcepto. p. 180. n. 14. & ſeq. an in concurrentia duarum opinionum probabilium pars tutior eligenda? p. 182 n. 17 & ſeq. an conſcientia ſpeculativè probabilis fiat practicè certa per judicium reflexum? p. 183. n. 20. & ſeq. an poſſit eligi opinio minus probabilis relicta probabiliori? p. 185. n. 23. & ſeq. objectiones Probabiliſtarum ſolvuntur. p. 188. n. 1. tot. cap. XV. Medicus debet ſequi ſententiam probabiliorem. p. 187. n. 29. an neque licitum ſequi ſententiam probabilem in materia ad fidem, & mores non pertinente? p. 194. n. 20. & 21. an ſit opinio ſolùm probabilis, quòd B. Virgo ſit ſine labe concepta? p. 197. n. 33. & 35. non licet theologo alteri conſilium dare ex ſententia, quam ipſe putat minùs probabilem, etſi ſciat aliis videri probabiliorem. p. 198. n. 1. & ſeq. an licitum varios conſulere, ut tandem inveniatur unus ſuadens minùs probabile contra alios probabiliùs ſuadentes? p. 200. n. 5. 6. & 7. non debet confeſſarius abſolvere eum, qui ſequitur opinionem minùs probabilem ſtantem pro libertate, ſi hanc opinionem nolit dimittere. p. 200. n. 8. & ſeq. an nulla opinio probabilis excuſet à peccato. p. 202. n. 1. tot. cap. XVII.

Procliniata negat poſt hanc vitam futurum judicium. p. 244. n. 27. negans carnis reſurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & ſeq.

Promulgatio; quando facta ſit legis æternæ promulgatio. p. 7. n. 2. eſt neceſſaria ad legem, an ea debeat fieri in ſingulis Provinciis. p. 69. n. 1. & ſeq. an ſtatim lex obliget poſt promulgationem. p. 70. n. 2. & ſeq. ex modo promulgationis Evange-

lii probatur veritas fidei catholicæ. p. 221. n. 5.
Propinquus: propinqui præ cæteris sunt diligendi. p. 337. n. 7.
Propositio: damnatæ propositiones Quenellii explicantur. p. 132. n. 6. & seq. damnatæ ab Alexandro VIII. exponuntur. *ibid.* quomodo in concursu duarum propositionum probabilium possit formari judicium practicum. p. 174. n. 14. 15 & 16. vid. *Opinio.*
Protestantes: horum secta sit detestabilis ob vaticinia. p. 229. n. 4. ac rejicitur ex aliis fundamentis. p. 230. n. 5. & seq. de horum miraculis. p. 230. n. 6 sancta Ecclesia Catholica non potest apud hos inveniri. p. 246. n. 33. & seq.
Providentia Dei â Marcione impugnata primo fidei articulo defenditur. p. 238 n. 4. an lex æterna possit dici providentia? p. 8. n 3.
Proximus: tota lex naturalis versatur circa dilectionem Dei, & proximi. p. 11. n. 7. & seq. quomodo hæc dilectio includat alias res? *ibid.* quibus eadem nitatur principiis? p. 12. n. 9. dilectio proximi spectat ad præcepta secundæ tabulæ. p. 38. n. 4. quis sit noster proximus? p. 46. n. 29. quomodo proximus sit diligendus? p. 334. n. 1. unde desumatur hoc præceptum? *ibid.* proximus debet diligi actu interno, ac sincero. *ibid.* quænam sint opera, quibus diligendus est proximus? *ibid.* in proximorum ordine respectu filiorum sunt parentes primi. p. 335. n. 2. & vicissim. *ibid.* n. 3. Deus in dilectione parentibus, & filiis præferendus est. *ibid.* præ reliquis diligendi sunt propinqui, & amici, ac fratres Religiosi. p. 337. n. 7. in proximorum numero sunt etiam pauperes. p. 337. n. 8.
Prudens vid. *serpens.*
Prudentia quas partes habeat? p. 131. n. 5. quid sit? p. 187. n. 28.
Publicus: quid sit jus publicum? p. 3. n. 4.
Puer: vid. *Parvulus.*
Pugna: congressus sinensium pugnis certantium examinatur. p. 366. n. 2.
Pulchritudo non est Beatitudo hominis. p. 134. n. 2.
Purgatorium: vid. *Anima.*
Puritanus in oratione Dominica omittit verba: *dimitte nobis debita nostra.* p. 229. num. 3.
Purus: vid. *Dilectio*: vel *omissio.*
Pythagoricus negans æternitatem impugnat duodecimum articulum. p. 254. n. 64.

Q.

Quenellius docuit solam charitatem remunerari â Deo, & omnem virtutem esse charitatem. p. 131. n. 4. ejus propositiones damnatæ explicantur. p. 132. n. 6. & seq.
Quietismus quid sit? p. 329. n. 1. & seq. reprobatur. *ibid.*

R.

Raca: cur dicens fratri suo Raca tam graviter in Evangelio reprehendatur? p. 144. n. 6.
Rapina qualiter differat â furto? p. 46. num. 28.
Raptor annumeratur furibus. p. 46. n. 28. quinam sint raptores? *ibid.*
Ratio: vid. *Fundamentum.*
Ratiocinatio: Manichæi, Abaelardus, & Sociniani ponunt regulam, & normam fidei in humana ratiocinatione. p. 259. n. 1. refutantur. p. 260. n. 3. & seq.
Reatus: quid sit Reatus culpæ post peccatum remanens? p. 142. n. 13. & 14.
Rebaptizandus: an S. Cyprianus tenuerit sententiam de rebaptizandis. p. 282. n. 15.
Rebaptizans: Canon XLV. Apostolorum videtur congestus â Rebaptizantibus. p. 106. n. 1.
Rectus: quid sit conscientia recta? p. 165. n 3. quot dentur argumenta conscientiæ rectæ? *ibid.*
Redemptio: hujus gratia colligitur ex quarto fidei articulo. p. 240. n. 14.
Reflexus: an conscientia speculativè probabilis fiat practicè certa per judicium reflexum? p. 183. n. 20. & seq.
Refugium: quid sit civitas refugii? p. 93. n. 1. primò sunt hæ civitates constitutæ ab Ethnicis. p. 98. n. 17. tales civitates in vulgata nostra rectè numerantur quatuor. p. 100. n. 21. & seq. asylum est jus antiquissimum. p. 100. n. 22. dividitur in sacrum, & profanum. *ibid.* quæ loca gaudeant asylo? p. 100. n. 22. quinam non gaudeant jure asyli? *ibid.* an Baptisteria Ecclesiæ non conjuncta gaudeant asylo? p. 101. n. 23. an Palatia Episcoporum, & Cardinalium? an hospitalia auctoritate Episcopi erecta? an religiosæ domus, & Monasteria? *ibid.* de asylo Idololatrarum, Gentilium, & Judæorum. p. 101. n. 24. & 25.
Regeneratio: hujus gratia colligitur ex quarto fidei articulo. p. 240. n. 14.
Regius: quid sit lex Regia? p. 109. n. 5.
Regnum temporale Chiliastarum est commentitium. p. 244. n. 15.
Regula: regulæ dignoscendi, quando ignorantia, & delectatio culpabilis, & quando non? p. 162. n. 1. tot. cap XI. quando sententia probabilis sit regula firma morum? p. 177. n. 6. & seq.
Religio: an in rebus Religionis licita sit simula-

mulatio? p. 55. n. 15. & seq. usque ad cap. XI. qu'd de hac statuat lex Romana? p. 109. n. 6. Religio varias sub se complectitur partes. p. 131. n. 5. an sit vera virtus sine dilectione? p. 132. n. 6. & seq. vera Religio non invenitur inter Gentes, & Idololatras. p. 207. n. 1. tot. cap. I. nec inter turcas, aut Mahumetanos. p. 215. n. 1. tot. cap. II. in Religione Catholica posse homines salvari, concedit Mahumet. p. 217. n. 6. hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* contra Religionem veram factæ â Mahumetanis objectiones solvuntur. p. 218. n. 7. & seq. fides Christiana est evidenter vera. p. 219. n. 1. tot. cap. III. testimonia vet. testamenti de Christo comprobant Religionem Christianam esse veram. p. 219. n. 2. atque hæc vaticinia sunt antiqua, Divina, nec â Christianis conficta. *ibid.* & seq. veritas Religionis Catholicæ ulteriùs patefit ex historia Evangelica. p. 220. n. 3. ex miraculis Christi. *ibid* n. 4. ex modo promulgationis Evangelii. p. 221. n. 5. & aliis rationibus. p. 221. n. 6. & 7. quid sit Religio? p. 228. n. 1. quinam illius actus in- & externi? p. 228. n. 1. actus interni Religionis non inveniuntur apud Calvinistas, Lutheranos, Zwinglianos. p. 229. n. 2 nec externi. p. 229. n. 3. non recipiunt orationem, non Sacrificia. *ibid.* nec templa, invocationes Sanctorum, cultum imaginum. *ibid.* Religio catholica ulteriùs stabilitur. p. 230. n. 5. & seq. an licitum tyranno de Religione interroganti occultare fidem? p. 299. n. 1. & seq. non est licitum, usurpatione rituum, ciborum, vestium, ac nominum, quæ sunt indicium superstitiosi cultûs, Religionem callidè simulare. p. 300. n. 4. & seq.

Religiosus: vota religiosa non obligant jure naturali p. 12 n. 10. an Monasteria, & domus Religiosorum gaudeant asylo? p. 101. n. 23. plus est diligendus frater Religiosus, quàm carnalis. p. 337. n. 7.

Remissio peccatorum quomodo credenda? p. 247. n. 37. & seq. errores contrarii adducuntur. *ibid.*

Remunerator: an ad salutem non sufficiat fides in Deum Remuneratorem? p. 297. n. 11. & 12.

Repudium: an datio libelli repudii sit contra jus naturæ? p. 16. n. 8. & 13. & p. 25. n. 11. & 12. inhibitio repudii est præceptum leve. p. 68. n. 9. hujus licentiam dat Mahumet. p. 217. n. 4.

Res: de obedientia rerum ani- & inanimatarum. p. 7. n. 2. & p. 9. n. 6. 7. lex æterna non est idea rerum in mente Dei existens. p. 8. n. 3.

Residentia: quando Papa possit dispensare circa residentiam? p. 14. n. 5. & 6.

Resurrectio Christi quando, & quomodo facta sit? p. 243. n. 20. & seq. Undecimus Articulus de carnis resurrectione exponitur. p. 248. n. 40. & seq. errores contrarii adducuntur. *ibid.* plures eandem omnino negant. p. 248. n. 41. eadem primùm futura probatur. *ibid.* & seq. & quidem in hoc corpore nostro, quod moritur. p. 252. n. 54. & seq. sed in qua forma, ætate, ac sexu? p. 252. n. 55. cur post resurrectionem Christus manducaverit? cicatrices retinuerit? p. 154. n. 62. an S. Thomas, & reliqui Discipuli nolentes credere resurrectionem Domini fidem prorsùs amiserint? p. 310. n. 6.

Revelatio: an in rebus fidei detur evidentia revelationis, & rei revelatæ. p. 257. n. 5. & 6. an revelatio sit objectum formale fidei? p. 258. n. 11. an in eo possit esse spes, qui per certam revelationem divinitùs sibi factam scit se damnandum? p. 314. n. 6. & seq. an Deus posset facere talem revelationem? *ibid.* nequit fides esse vera, ac firma sine Ecclesiæ fundamento, aut revelatione speciali, aut virtute miraculorum, aut sine ullo hominum ministerio. p. 310. n. 7. 8. & 9.

Ritus: non est licitum, usurpatione rituum, qui sunt superstitiosi cultus indicium, Religionem callidè simulare. p. 300. n. 4. & seq. secùs si solùm redoleant civilem consuetudinem. p. 301. n. 5. quid dicendum de Ritibus Sinensibus? *ibid.* ac p. 303. n. 1. & seq. quid de cultu confucii? *ibid.*

Roma: an in lege Ecclesiastica sufficiat promulgatio solùm Romæ facta? p. 69. n. 1. & seq. quænam dispensationes Romæ dicantur datæ sine causa? p. 115. n. 8. & 9.

Romanus: quid sit jus Romanum? p. 3. n. 4. leges Romanæ variam habent divisionem. p. 109. n. 5. quid lex Romana statuat de Religione? quid de cultu parentum? *ibid.* n. 6. quid de homicidio? p. 109. n. 7. quid de fornicatione, & libidine? p. 109. n. 8. quid de furto? p. 108. n. 4. ac p. 110. n. 9. quid de convitiis, falso testimonio, & calumnia? p. 110. n. 10. an leges atticæ, ac Athenienses habeant concordantiam cum Romanis? p. 110. n. 11. & 12. virtus Romanorum non erat vera virtus. p. 131. n. 4. Romani & Græci duodecim numerant Deos *consentes*, & octo *Selectos*, ac turbam Deorum minorum immensam. p. 207. n. 1. & seq. stultè inter Deos referunt Jovem. p. 208. n. 3. Neptunum. p. 308. n. 4. Vulcanum. *ibid.* n. 5. Martem. p. 209. n. 6. Mercurium. *ibid.* n. 7. Apollinem. *ibid.* n. 8 Junonen. p. 210. n. 9. & 10. Minervam. p. 211.

211. n. 11. Venerem. *ibid.* n. 12. Veſtam. *ibid.* n. 13. cererem. *ibid.* n. 14. Dianam. p. 212. n. 15. fabularis hiſtoria de Diis *Selectis* Jano, Saturno, Geniis, Libero, Plutone, Sole, Luna, & terra. p. 212. n. 16. & ſeq.

S.

Sabbathum: an hujus obſervantia ſit de lege naturæ? p. 16. n. 8. & 16. hujus ſanctificatio præſcribitur præcepto tertio Decalogi. p. 42. n. 17. quid ſignificet, & cur inſtitutum? *ibid.* quomodo ſanctificandum? *ibid.* in hujus cultu ſuperſtitioſi ſunt Judæi. p. 43. n. 18. quid Sabbathi iter? *ibid.*

Sabellius: hujus falſa dogmata adverſantur primo fidei articulo. p. 237. n. 1. negans Divinarum Perſonarum pluralitatem aggreditur ſecundum fidei articulum. p. 238. n. 6. & ſeq. ac octavum. p. 246. n. 31.

Sacerdos: jura Sacerdotum nequeunt uſurpari â terreno Principe. p. 88. n. 12.

Sacramentum: an Sacramenta veteris legis habuerint vim dimittendi peccata? p. 247. n. 37. & ſeq. forma, & materia Sacramentorum ſpectat ad traditionem divinam. p. 276. n. 3. ritus autem eorum ad traditionem Eccleſiaſticam. *ibid.*

Sacratus: quid ſit lex ſacrata? p. 109. n. 5.

Sacrificium Vet. legis condemnat idololatriam, & ſignificat Chriſtum. p. 49. n. 5. & ſeq. quando hæc Sacrificia facta mortifera, & quando ſint abrogata? p. 51. n. 1. tot. cap. X. major pars hæreticorum abjicit Sacrificia: Miſſam. p. 229. n. 3. Sacrificia pro defunctis fuiſſe oblata in lege Moyſaica, habemus ex traditione. p. 277. n. 5.

Sacrilegium: quando furtum ſit Sacrilegium? p. 46. n. 28.

Sadducæus contra hunc defenditur carnis reſurrectio. p. 248. n. 41. & ſeq. recipit quinque libros Moyſis rejectis Prophetis. p. 250. n. 46. nec aliud recipit præter teſtamentum vetus. p. 275. n. 1. quinam alii errores ipſius. p. 285. n. 4.

Sæcularis: vid. *Civilis.*

Saltatio: vid. *Chorea.*

Saltator: vid. *Chorea.*

Salus: qualis fides ſit neceſſaria ad ſalutem conſequendam? p. 296. n. 10. & ſeq. an ad ſalutem ſufficiat dilectio Dei ſuper omnia ſine fide explicita? p. 298. n. 15.

Samoſatenus Paulus negat Chriſti Divinitatem. p. 224. n. 5.

Sanctificans: quomodo fides diſtinquatur â gratia ſanctificante? p. 259. n. 12. vid. *gratia.*

Sanctificatio: qualiter obtineatur per charitatem? p. 326. n. 8.

Sanctificatus: hunc: ajunt hæretici, certò ſcire, ſe non poſſe excludi â gloria, nec excidere â gratia. p. 229. n. 2.

Sanctus: in quo conſiſtat felicitas Sanctorum? p. 134. n. 1. tot. cap. V. horum cultum improbat Mahumet. p. 216. n. 3. quantum â nobis diſtet ſedes Sanctorum? p. 244. n. 24. venient Sancti cum Chriſto ad judicium. p. 244. n. 27. quæ detur in Eccleſia Communio Sanctorum? p. 247. n. 36. de dotibus corporum Sanctorum. p. 253. n. 61. horum cultus ſtabilitur traditione. p. 276. n. 3. an Beatitudo Sanctorum ſit differenda usque ad judicii diem? p. 291. n. 17. & 20. an in animabus Sanctorum maneat fides? p. 311. n. 11. & 12. in Sanctis non datur objectum primarium ſpei. p. 314. n. 5. an nec ſit ſpes futuræ gloriæ Sanctorum corporum? *ibid.*

Sanguis: cur prohibitum fuerit Chriſtianis comedere de ſanguine, & ſuffocato? p. 61. n. 32. & ſeq.

Sanitas non eſt Beatitudo hominis. p. 134. num. 2.

Sapientia non eſt Beatitudo hominis. p. 135. num. 4.

Saracenus: vid. *Mahumetanus.*

Sarai an fuerit ſoror Abrahæ? p. 30. n. 25. & ſeq.

Saturnus: unde originem habeat? p. 212. n. 18. nequit inter Deos referri. *ibid.* quid dicendum de Stella hujus nominis? *ibid.* an idem ſit cum Adamo? cur Italia ſit dicta *Saturnia*? *ibid.*

Satyra lex quid? p. 109. n. 5.

Scacchia: vid. *Latrunculus.*

Scientia: ignorantia ſcientarum naturalium eſt excuſanda. p. 162. n. 1. Scientia S. Scripturæ an, & quibus neceſſaria ſit? p. 163. n. 2. quibus Theologicarum diſciplinarum? *ibid.* per quid fides diſtinquatur â ſcientia, & opinione? p. 258. n. 11. quibus præcipuè neceſſaria ſit ſcientia doctrinæ Patrum? p. 163. n. 2. quæ ſinguli ſcire debeant? p. 163. n. 3. quomodo ſententia probabilis diſtinquatur â fide & ſcientia? p. 172. n. 10. ſcientias prohibet, ac damnat Mahumet. p. 217. n. 5.

Scotus felicitatem Sanctorum conſtituit in actu voluntatis. p. 134. n. 1. tot. cap. V.

Scriptura S. an & quibus ſcientia S. Scripturæ ſit neceſſaria? 163. n. 2. v. *Vulgata.* S. Scriptura non eſt adeò clara, ut ſola ſufficiat ad omnia dogmata definienda. p. 263. n. 1. & ſeq. ſed debet præterea accedere Eccleſiæ Authoritas. *ibid.* non poteſt debitè exponi ſecundùm ſenſum privatum, ſed requiritur Iudex. *ibid.* & ſeq. tot. câp. III. & IV. ſcriptura poteſt admit-

tere teſtimonium ab homine. p. 273. n. 8. præter divinam ſcripturam etiam traditiones ſunt admittendæ. p. 275. n. 1. & ſeq. canon Scripturarum pertinet ad traditionem agentem de doctrinis. p. 276. n. 3. an in lege naturæ non fuerit Scriptura S? p. 277. n. 5. Scripturæ interpretatio peti debet ex traditione. p. 277. n. 6. aut Job, aut Moyſes primus ſcripſit libros canonicos. p. 277. n. 5. libros plures tanquam Canonicos Synagoga non agnovit. *ibid.* traditio præceſſit Scripturam in lege nova, ac veteri. p. 277. n. 5. & 6. ex ſola Scriptura ſine traditione nequeunt hæretici ſua dogmata probare. p. 278. n. 7. & ſeq.

Scrupuloſus: quid ſit conſcientia ſcrupuloſa? p. 166. n. 4.

Sculptile quid ſit? p. 39. n. 11. an omnia ſculptilia prohibeantur primo præcepto? p. 40. n. 12. & 13.

Secundarius: quid ſit jus ſecundarium? p. 3. n. 4.

Sedeo: quomodo Chriſtus ſedeat ad dexteram Patris? p. 244. n. 25.

Selectus: Græci, & Romani numeraverunt Deos *Selectos* octo. p. 207. n. 1. & ſeq.

Seleucianus dicens Chriſti corpus eſſe in ſole poſitum refutatur. p. 244. n. 24. negans carnis reſurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & ſeq.

Sella: Deum geſtari ſellâ, docent Mahumetani. p. 216. n. 2.

Senior: an Seniores ſint auctores legis veteris, aut illi quid addiderint? p. 21. n. 2. & ſeq.

Sententia: quid pœna latæ ſententiæ? p. 79. n. 9. an privilegium contra ſententiam jam latam impetratum ſit nullum? p. 114. n. 4. v. *opinio.*

Sephora: an fuerit uxor Moyſis? p. 32. n. 2. & 3.

Sepulchrum, & infernus poteſt intelligi per vocem Sheol. p. 240. n. 15. & 16.

Sepultura confirmat incarnationem Chriſti. p. 240. n. 14.

Serpens: in quo ſenſu ſimus prudentes ſicut ſerpentes? p. 299. n. 2.

Servus: quid ſit? p. 3. n. 4.

Sexus Diverſitas nequit dari inter Deos. p. 210. n. 10. in quo ſexu corpora reſurgent? p. 252. n. 55. & ſeq.

Sheol ſignificat ſepulchrum, & infernum. p. 240. n. 15. & 16.

Similitudo: vid. *Sculptile.*

Simon putans mundum productum eſſe ab Angelis, primo fidei articulo impugnatur. p. 238. n. 5.

Simon Cyrenæus: non hic, ſed Chriſtus crucifixus eſt. p. 240. n. 14.

Simon Magus damnatur primo fidei, articulo, dum adſtruit duos Deos. p. 237. num. 3.

Simplex: qualis oculus ſit juxta Evangelium ſimplex? p. 178. n. 7.

Simulacrum: cur Chriſtianis prohibitum comedere de ſimulacrorum immolatis? p. 61. n. 32. & ſeq.

Simulatio: S. Paulus verè ſine ſimulatione correxit S. Petrum volentem obſervari legalia? p. 55. n. 15. & ſeq. an aliquando ſimulatio ſit licita? *ibid.* usque ad cap. XI. an hæc interceſſerit, dum Chriſtus ſe finxit longius ire, aut dum Jacob dixit ſe primogenitum. p. 60. n. 29. idem quæritur de aliis. *ibid.*

Sinenſis: congreſſus ſinenſium pugnis certantium examinatur. p. 366. n. 2.

Sinenſes ritus, ac cultus confucii an ſint permittendi ut Politici? p. 301. n. 5. ac p. 303. n. 1. & ſeq.

Socinus negat Chriſti divinitatem, & incarnationem. p. 223. n. 1. & ſeq. includens Deum in ſummitate Cælorum impugnat primum fidei articulum. p. 238. n. 4. ponit in humana ratione regulam fidei. p. 259. n. 1. refutatur p. 260. n. 3. & ſeq.

Socrates in quo ſenſu poſſit dici Chriſtianus? p. 227. n. 15.

Sol nequit inter Deos referri. p. 213. n. 22. eum quieſcere in fonte, ad quem Alexander. M. pervenit, docent Mahumetani. p. 216. n. 2. Chriſti corpus in aſcenſione non eſt in ſole poſitum. p. 244. n. 24.

Soror: quomodo filii Adæ potuerint contrahere matrimonium cum ſororibus germanis? p. 16. n. 8. & 9.

Spado: vid. *Caſtratio.*

Speculativus: quomodo cum dubio ſpeculativo ſtet judicium practicum? p. 174. n. 14. 15. quid ſit judicium ſpeculativum, & practicum? p. 173. n. 13. an opinio ſpeculativè probabilis reddatur practicè certa per judicium reflexum? p. 183. n. 20. & ſeq.

Spes: vid. *Theologicus.* an ſit vera virtus ſine dilectione Dei? p. 132. n. 6. & ſeq. ſpes Chriſtiana tollitur ab Hæreticis. p. 229. n. 2. eandem commutant in ſuperbam fiduciam. *ibid.* iidem docent contra ſpem Chriſtianam, juſtificatum ſcire, ſe non poſſe excludi â gloria, & excidere â gratia. *ibid.* unde veniat nomen ſpei? p. 312. n. 1. quid ſit ſpes? *ibid.* ſpes theologica quid ſit? p. 313. n. 2. quodnam objectum materiale ipſius? quodnam formale? quodnam primarium, & ſecundarium? *ibid.* quomodo diſtinguatur â fide, & charitate? p. 313. n. 3. præcedit juſtificationem. *ibid.* an hæc detur in impio, ac peccatore? *ibid.* p. 313. n. 4. habet ſemper ſibi adjunctum aliquem amorem. *ibid.* in Sanctis

ctis non datur spes quoad objectum primarium. p. 314. n. 5. an nec sit in illis spes futuræ gloriæ corporis? *ibid.* spes & fides manent in animabus purgatorii. *ibid.* in dæmonibus datur amor Beatitudinis, sed non hujus spes. *ibid.* in hæreticis nequit esse vera fiducia, aut spes. *ibid.* an spes haberet locum in eo, cui certa Divinitùs facta esset revelatio futuræ damnationis? p. 314. n. 6. & seq. an Deus possit facere talem revelationem? *ibid.* an de salute Antichristi possit esse spes? *ibid.* quis teneatur sperare gratiam & gloriam. p. 315. n. 10. quando debeat elici actus spei? *ibid.* oratio debet fieri cum spe. *ibid.* certitudo spei Christianæ est maxima multiplici de causa. p. 315. n. 11. minima autem est certitudo spei terrenæ. *ibid.* certitudo spei Christianæ non excludit timorem. p. 316. n. 12. vid. *timor.* quæ continentur in oratione Dominica, pertinent ad spem. p. 321. n. 1. quid in oratione promoveat fiduciam, & spem? *ibid.*

Spiritualis vid. *Ecclesiasticus.* quid sit homo spiritualis? p. 272. n. 7.

Spiritus S. factum esse Spiritum S. non possunt Macedoniani probare ex verbis S. Joannis capite primo. p. 141. n 9 10. & 11. corpus Christi â Spiritu S. fabricatum est intra secreta uteri Virginalis. p. 239. n. 11. fides in Spiritum S. necessaria declaratur articulo octavo. p. 245. n. 29. & 30. eodem probatur, quòd cum Patre, & filio unus sit Deus. *ibid.* quæ de eo sint necessario credenda, & quæ hæreses ei opponantur? p. 245. n. 30. & 31.

Spiritus privatus non potest ferre judicium idoneum de controversiis fidei. p. 267. n. 12. & seq.

Stabile necessarium quid? p. 19. n. 17.

Statua: vid. *Sculptile.*

Statutum: præter leges civiles statuta dantur. p. 112. n. 15. quinam horum statutorum compilatores præcipui. *ibid.*

Stella Veneris in doctrina Mahumetis est mulier pulcherrima. p. 216. n. 2.

Stimulus conscientiæ an sit lex naturalis. p. 11. n. 5. & 6.

Stoicus: virtus stoica non erat vera virtus. p. 131. n. 4. nec est Beatitudo hominis. p. 135. n. 4. dicebant, unum peccatum non esse gravius altero. p. 143. n. 2.

Stuprum prohibetur præcepto sexto. p. 45. n. 27.

Subreptio quid sit. p. 114. n. 4. reddit privilegium irritum. *ibid.*

Subtractio: an lex, & qualiter tollatur per subtractionem. p. 13. n. 1. & seq. lex naturæ non immutari potest per subtractionem. p. 14. n. 3.

Suffocatum: vid. *Sanquis.*

Superfluus: non dans eleemosynam pauperibus de superfluis est fur. p. 46. n. 28. quænam sint superflua. *ibid.*

Superior: quinam Superiores possint ferre leges. p. 6. n. 9. & seq.

Supernaturalis: an assensus fidei sit liber, supernaturalis, ac discursivus. p. 257. n. 5. & 6.

Superstitio: illicitum est, usurpatione rituum, ciborum, vestium, ac nominum, quæ sunt signa superstitionis, Religionem callide simulare. p. 300. n. 4. & seq.

Supplicium: hujus timor sine dilectione an sit virtus. p. 132. n. 6. & seq.

Surdus simul & mutus an possit salutem consequi, cùm ei non possit prædicari Evangelium. p. 298. n. 13. & 14.

Sus: vid. *Porcus.*

Symbolum catechumenorum est perfectum. p. 225. n. 7. & 8. Symbolum Romanæ Ecclesiæ tanquam Apostolicum est recipiendum. p. 232. n. 1. tot. cap. VI. quatuor sunt symbola illustriora. *ibid.* de Symboli nomine. p. 232. n. 2. quando sit conditum. p. 232. n 3. de modo illius. p. 233. n. 4. rectè dicitur Apostolicum. p. 233. n. 5. ipsimet Apostoli illud condiderunt. *ibid.* n. 6. & seq. cur S. Lucas hujus non faciat mentionem. p. 235. n. 12. habet duodecim articulos. p. 237. n. 1. iidem explicantur. *ibid.* n. 2. & seq. tot. cap. VII. enatrantur hæreses, quæ cuilibet articulo adversantur. p. 237. n. 1. & seq. Symbolum Apostolorum debet recitari ante susceptionem Baptismi. *ibid.* hoc debet Christianus vi juris Ecclesiastici memoriâ tenere. p. 294. n. 1. in Symbolo, & in oratione Dominica exercetur fides. p. 313. n. 2. ac p. 324. n. 1.

Synagoga plures libros pro canonicis non agnovit. p. 277. n. 5.

Synderesis an sit lex naturæ. p. 11. n. 5. & 6.

Synodus: vid. *Concilium.*

T.

Tabula: de distributione Decalogi in duas tabulas. p. 37. n. 3. quot præcepta pertineant ad primam tabulam? p. 37. n. 3. 4. & seq. in prima tabula præscribitur Dilectio Dei: & in secunda dilectio proximi. p. 38. n. 4.

Talio: pœna talionis explicatur. p. 25. n. 11. & 12.

Taurus: vid. *Fera.*

Taxillus: ludus taxillorum reprobatur. p. 364. n. 3. & seq.

Temerarium Judicium prohibetur præcepto octavo. p. 46. n. 29.

Temperantia ùt virtus Cardinalis plures alias sub se comprehendit. p. 131. n. 5.
Templum Mechæ, ab Abrahamo ædificatum, credunt Mahumetani. p. 216. n. 2.
Temporalis: Clerici legitimè possident bona temporalia. p. 93. n. 1. & seq.
Tentatio: an Deus inducat homines in tentationem? p. 323. n. 8.
Tenuis: an licitum sit sequi sententiam tenuis probabilitatis? p. 176. n. 1. & seq.
Terra nequit inter Deos reputari. p. 213. n. 22.
Tertiarius S. Francisci, quando gaudeat privilegio *fori*? p. 113. n. 3.
Testamentum novum qualiter distinquatur â veteri? p. 66. n. 1. est perfectius veteri, *ibid.* etiam in testamento novo nova sunt observanda præcepta. p. 66. n. 2. proin non sola fides justificat. *ibid.* per hoc refutantur Lutherus, & Calvinus. *ibid.* & seq. quæ præcepta, & consilia novi testamenti? p. 76. n. 6. quod discrimen inter præceptum, & consilium? *ibid.* quomodo præcepta novi testamenti sint levia? p. 68. n. 7. & seq. testamentum novum semper durabit. p. 69. n. 10. hoc negant Sadducæi. p. 275. n. 1. an in novo testamento sit necessaria fides explicita incarnationis, & Trinitatis tam ad salutem, quàm ad justificationem consequendam? p. 296. n. 9. & seq. hoc ignorans Mysterium est incapax absolutionis. p. 298. n. 15.
Testamentum vetus: an hujus auctor sit Deus? p. 21. n. 1. & seq. an Moyses vel Seniores? vel an hi quid addiderint? *ibid.* hoc esse â Diabolo docuerunt Manichæi, & Marcionitæ. p. 21. n. 1. Moyses fuit hujus promulgator. p. 21. n. 2. & seq. fuit bonum. p. 23. n. 6. & seq. cur non sit datum pro omnibus? cur præceperit holocausta cruenta? & cur prohibuerit esum animalium immundorum? p. 23. n. 7. & 8. an permiserit odium inimicorum? p. 25. n. 11. & 12. qualiter admiserit libellum repudii. *ibid.* quid doceat de juramento. *ibid.* ducit ad Christum. p. 25. n. 13. & 14. convitia lata in Patriarchas vet. Testamenti retunduntur. p. 27. n. 15. & 16. quomodo per hoc peccatum revivixerit. p. 28. n. 17. & 18. de præceptis Decalogi. p. 37. n. 1. tot. cap. VIII. de legalium veteris testamenti causa. p. 47. n. 1. tot. cap. IX. de ciborum, & animalium discretione. p. 47. n. 2. cur eam fecerint Ægyptii. *ibid.* cur prohibiti Porci. *ibid.* quænam animalia immunda. p. 47. n. 2. & 3. de Paschate Judæorum. p. 48. n. 4. de aliis Sacrificiis. p. 49. n. 6. & seq. hæc condemnant idololatriam, & significant Christum. p. 49. n. 5. & seq. quando legalia veteris testamenti facta mortifera. p. 51. n. 1. tot. cap. X. hæc Petro præcipienti verè, & sine simulatione Paulus restitit. p. 55. n. 15. & seq. usque ad cap. XI. testimonia vet. testamenti de Christo sunt antiqua, ac Divina. p. 219. n. 2. in veteri testamento necessaria erat fides Mediatoris, sed non explicita in ejus Divinitatem, ac individuæ Trinitatis Mysterium p. 295. n. 4. & seq.
Testimonium falsum dicere opponitur præcepto octavo. p. 46. n. 29. quid de hoc statuant leges civiles Romanæ. p. 110. n. 10. an in rebus fidei detur evidentia Divini testimonii. p. 257. n. 5. & 6.
Testis: huic falsam imponere infamiam prohibetur præcepto octavo. p. 46. n. 29.
Tharbis an fuerit uxor Moysis. p. 32. num. 2.
Theatrum: major est luxus in hodiernis, quàm gentilium theatris. p. 353. n. 1. & 2. vid. *Comædia*.
Theodorus Beza facit Deum auctorem peccati. p. 229. n. 2. non admittit vocabulum Trinitatis. p. 229. n. 2. arguit falsitatis illa verba: *non erit impossibile apud Deum omne verbum. ibid.* putat, Spiritum S. etiam habitare in peccatoribus. p. 246. num. 31.
Theodotus negat Christi Divinitatem. p. 224. num. 5.
Theologicus: ad virtutes theologicas non tenemur jure naturæ. p. 12. n. 9. omnis virtus reducitur ad tres theologales, vel quatuor Cardinales. p. 131. n. 5. & seq. scientia theologicarum disciplinarum quibus sit necessaria. p. 163. n. 2.
Theologus: an licitè possit alteri consilium dare ex opinione, quæ sibi videtur minùs probabilis, si sciat, quòd eadem ab aliis habeatur tanquam probabilior. p. 198. n. 1. & seq. an licitum varios theologos consulere, ut tandem unus inveniatur suadens minùs probabile stans pro libertate. p. 200. n. 5. 6. & 7.
Thomas Minorita prædixit, sectam Lutheri, & Calvini allaturam gladium, ac calamitates. p. 229. n. 4.
Thomista felicitatem Sanctorum ponit in actu intellectûs. p. 134. n. 1. tot. cap. V.
Timor supplicii sine dilectione an sit vera virtus. p. 132. n. 6. & seq. certitudo spei Christianæ non excludit timorem. p. 316. n. 12. Lutherus, & Jansenius dixerunt, timorem servilem reddere hominem impium, sternere viam ad desperationem, proponere Deum ùt durum. p. 316. n. 1. quid sit timor *naturalis*: quid *mundanus*: quid *servilis*: quid *initialis*: quid *filialis*? p. 317. n. 2. timor servilis alius est servili-

ter

ter servilis, alius servilis ordinatus & rectus. *ibid.* n. 3. timor mundanus est vanus, perversus, & noxius. p. 317. n. 4. timor naturalis non est culpandus. *ibid.* an laudabilis possit esse timor Judicis terreni? *ibid.* contra Lutherum, & Jansenium probatur, quòd timor servilis sit bonus, utilis, supernaturalis, ac donum Dei. p. 318. n. 5. & seq. timor filialis & castus est omnium præstantissimus. p. 321. n. 12. quomodo, & qualis timor maneat in sæculum sæculi? *ibid.* & n. 13.

Torneamentum prohibetur Christianis. p. 365. n. 1.

Traditio: præter Scripturam S. etiam traditiones sunt admittendæ. p. 275. n. 1. & seq. quid, & quotuplex sit traditio? p. 276. n. 2. 3. & 5. ad quæ per traditionem teneamur? *ibid.* & seq: quænam sint regulæ discernendi traditiones Divinas, & Apostolicas? p. 276. n. 4. Scripturæ expositio peti debet ex Traditione. p. 277. n. 6. Traditio præcessit Scripturam in legè nova, ac veteri. p. 277. n. 5. & 6. sine traditione etiam hæretici nequeunt sua dogmata probare ex sola Scriptura. p. 278. n. 7. hæreses ùt plurimum per traditiones sunt damnatæ. p. 278. n. 8. & seq. hæretici ipsimet admittunt, & adhibent traditiones. p. 283. n. 18. solvuntur objectiones contra traditiones. p. 284. n. 1. & seq. quas Pharisæorum traditiones reprobaverit Dominus? p. 284. n. 1. & seq. quomodo Patres explicandi sint in materia de traditionibus? p. 291. n. 16.

Tragœdia: vid. *Comœdia.*

Tribunicius: quid sit lex tribunicia? p. 109. n. 5.

Tributum: Clerici, & eorum bona sunt immunes à tributo. p. 93. n. 1. & seq. & quo jure? *ibid.*

Triduum: vid. *Hebdomada.*

Trinitas Personarum necessariò est explicitè credenda. p. 223. n. 1. & seq. hoc vocabulum negant hæretici. p. 229. n. 2. ac Mahumet. p. 216. n. 3. an is salutem consequatur, qui ex ignorantia inculpabili explicitè non credit Mysteria Trinitatis, & Incarnationis? p. 294. n. 1. in veteri testamento erat necessaria fides Mediatoris, sed nòn explicita in ejus Divinitatem, ac individuæ Trinitatis Mysterium. p. 295. n. 4. & seq. an nec in novo? p. 296. n. 9. & quid tam ad salutem, quàm etiam justificationem consequendam? p. 296. n. 10. & seq.

Triptolemus: quæ origo de hujus fabula? p. 211. n. 14.

Tripudium: vid. *Chorea.*

Triumphalis: quid sit lex triumphalis. p. 109. n. 5.

Troja: Christianis prohibetur Trojæ lusus. p. 365. n. 1.

Turca non habet veram Religionem. p. 215. n. 1. tot. cap. II. vid. *Machumetanus.*

Tutela: in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ. p. 342. n. 2.

Tutus: quæ distinctio inter sententiam probabilem, & tutam. p. 173. n. 11. nulla opinio probabilis potest esse regula firma morum, si non appareat tuta operanti. p. 177. n. 6. & seq. in dubiis pars tutior est eligenda. p. 182. n. 17. & seq. an in concurrentia duarum propositionum probabilium sententia tutior eligenda. *ibid.* vid. *probabilis.*

Tyrannus: non est licitum, huic interroganti fidem occultare. p. 299. n. 2. & seq.

U.

Vacca de hujus immolatione. p. 49. n. 6. & 7.

Valentinianus Deo omnipotentiam denegans primo fidei articulo damnatur. p. 238. n. 4. idem distinguens Christum â Jesu, impugnat secundum fidei articulum. p. 238. n. 6. & seq. tribuens Christo corpus de cœlo delapsum convincitur tertio articulo. p. 239. n. 11. negans carnis resurrectionem refutatur. p. 248. n. 41. & seq. impugnans traditiones impugnatur. p. 275. n. 1. & seq.

Variatio: unde provenit hæreticorum in fide inconstantia, & variatio. p. 310. n. 7. 8. & 9.

Vaticinium: ea, quæ in veteri testamento de Christo habentur vaticinia, sunt antiqua, Divina, ac non â Christianis conficta. p. 219 n. 2. secta Protestantium fit detestabilis ex vaticiniis. p. 229. n. 4.

Vectigal: horum fraudatores sunt raptores. p. 46. n. 28.

Venatio: an licita sit die festo. p. 366. n. 5.

Venditio hominis liberi vocatur *plagium*, estque furtum gravissimum. p 46. n. 28.

Veniale: an detur peccatum ex natura sua veniale? p. 142. n. 1. tot. cap. VII. Melanchthon admittit peccatum veniale. p. 143. n. 3. peccatum potest esse in duplici sensu veniale. p. 143. n. 4. venialia fugienda sunt peccata, ne ducant ad mortale. *ibid.* & seq. quid sit peccatum veniale. p. 152. n. 3. peccatum veniale delctur per Eleemosynam, & orationem. p. 247. n. 38. ac jejunium. *ibid.*

Venio: quomodo Christus sit venturus judicare vivos, & mortuos. p. 244. n. 26. & seq.

Venus: unde nomen, & ortum habeat? p. 211. n. 12. ſtultum eſt, eam Diis annumerare. *ibid.* an ſub hoc nomine veniat Agar uxor Abrahami? *ibid.* ſtella Veneris in doctrina Mahumetis fuit pulcherrima mulier. p. 216. n. 2.

Veracitas: an objectum formale fidei ſit veracitas Dei? p. 258. n. 11.

Verbum otioſum quid ſit in ſcriptura? p. 146. n. 11. & 13. Verbum incarnatum eſſe adorandum, probatur traditione. p. 278. num. 8.

Veritas omnis â Deo revelata eſt objectum materiale fidei. p. 257. n. 7.

Veſta: unde nomen, & ortum acceperit? p. 211. n. 13. non poteſt inter Deos referri. *ibid.*

Veſtis: non eſt licitum, uſurpatione veſtium, quæ ſunt indicium ſuperſtitioſi cultûs, Religionem callidè ſimulare. p. 300. n. 4. & ſeq. vid. *Ritus*: vel *Mulier*. veſtium uſus ſit moderatus. p. 369. n. 4.

Vetus: vid. *teſtamentum*.

Vincibilis: quid ſit conſcientia vincibilis? p. 166. n. 4.

Vinum: hujus uſum prohibet Mahumet. p. 217. n. 4. vini uſus ſit moderatus. p. 370. n. 3. Græci per vini uſum certis diebus poſſunt frangere jejunium. p. 371. n. 4. an etiam alii per vinum poſſint jejunium violare? p. 372. n. 5.

Vir: vid. *maritus*. vel *mulier*.

Virtus: omnis virtus â lege naturali provenit. p. 12. n. 9. non tamen omnis virtus â lege naturali præſcribitur. p. 12. n. 10. nec virtutes theologicæ. *ibid.* an opus virtutis externum habeat diverſam bonitatem â bona intentione? p. 126. n. 1. & ſeq. dantur externa virtutis exercitia. *ibid.* n. 2. quid ſit virtus ad mentem S. Auguſtini? p. 130. n. 1. & ſeq. virtutis vocabulum variè uſurpatur. *ibid.* quomodo natura virtutis diſcernatur â vitiis? p. 130. n. 2. ſine dilectione non datur vera virtus. p. 130. n. 1. & ſeq. Quenellius docuit, ſolam dilectionem remunerari â Deo, & omnem virtutem eſſe charitatem. p. 131. n. 4. virtus ſtoica, Epicureorum, ac Romanorum non erat vera virtus. *ibid.* omnis virtus reducitur ad tres Theologales, vel quatuor Cardinales. p. 131. n. 5. & ſeq. ad omnem veram virtutem requiritur charitas actualis, non habitualis. p. 132. n. 6. & ſeq. an fides, ſpes, Religio, timor ſupplicii ſint veræ virtutes ſine dilectione? *ibid.* an virtutes ex dilectione non procedentes ſint vitia? *ibid.* quænam ſit merces condigna virtutis? p. 134. n. 1. tot. cap. V. an laudabile ſit exercere virtutem intuitu mercedis æternæ? p. 333. n. 8. & ſeq.

Vis: voluntarium & liberum tollitur vi, coactione, ac neceſſitate ineluctabili. p. 119. n. 2.

Viſio: an felicitas Sanctorum conſiſtat in ſola viſione? p. 134. n. 1. tot. cap. V. an viſio Beatifica, & amor Dei poſſint ſeparari in patria? *ibid.*

Vita: an leges humanæ obligent cum periculo vitæ? p. 79. n. 10. & ſeq. an leges Divinæ? *ibid.* vita temporalis nequit eſſe felicitas æterna hominis. p. 134. n. 1. vita æterna credenda proponitur duodecimo articulo. p. 254. n. 64. an in hac vita poſſimus Deum diligere ex toto corde, in tota anima, & in tota mente? p. 328. n. 5. & ſeq. an licitè occidatur injuſtus vitæ aggreſſor? p. 341. n. 1. & ſeq. in quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ? p. 342. n. 2. quando licitum ſit aggreſſori vitam adimere? p. 341. n. 1. & ſeq. tot. cap. XIX. quando habeatur jus in vitam? p. 345. n. 10. & 14.

Vitium: omnia vitia adverſantur legi naturæ. p. 12. n. 9. quomodo natura virtutis diſcernatur â vitiis? p. 130. n 2. quid ſit vitium? *ibid.* & ſeq. an virtutes ſine dilectione ſint vitia? p. 132. n. 6. & ſeq. qualis diſtinctio inter vitium, & peccatum? p. 138. n. 1. opinio probabilis eſt vitium, & pœna peccati. 172. n. 10. ac p. 177. n. 6. & ſeq.

Vitulus: vid. *Vacca*.

Vivus: quomodo ſint judicandi vivi? p. 244. n. 26. & ſeq. quid ſit fides viva? p. 259. num. 12.

Ultio an licita fuerit in lege veteri? p. 25. n. 11. & 12. illicita eſt occiſio injuſti licèt aggreſſoris, ſi fiat animo ſumendi ultionem. p. 345. n. 10. & 11.

Umbratilis: Chriſtus non habuit *corpus umbratile*. p. 239. n. 11.

Unctio: hujus uſus quando olim fuerit adhibitus? p. 239. n. 8.

Unitas Eccleſiæ commendatur, & explicatur. p. 246. n. 34.

Voluntarium quid ſit? p. 119. n. 1. latiùs patet quàm liberum. p. 119. n. 2. voluntarium tollitur vi, & coactione, liberum autem neceſſitate ineluctabili. *ibid.* an metus gravis tollat, vel minuat voluntarium? p. 120. n. 4. & ſeq. quid ſit voluntarium *ſimpliciter*? p. 120. n. 4. quid voluntarium *ſecundum quid*? *ibid.* an defectu voluntarii reſcindantur contractus, & vota? p. 120. n. 5. an concupiſcentia tollat voluntarium? p. 120. n. 6. an conſiſtat cum ignorantia? p. 121. n. 7. & 8. ubi id examinatur per potiores ignorantiæ diviſiones. *ibid.*

Voluntas: an lex ſit actus voluntatis? p. 3. n. 5. & 6. an actus externus voluntati ſuperad-

peradditus habeat distinctam bonitatem: vel malitiam? p. 126. n. 1. & seq. an felicitas hominis consistat in actu intellectûs, aut voluntatis, aut utroque simul? p. 135. n. 5. & seq. an detur peccatum omissionis sine actu voluntatis? p. 153. n. 6. negantes duas in Christo voluntates refutantur traditione. p. 278. n. 8.

Voluptas non est felicitas æterna hominis. p. 134. n. 2. in carnis voluptatibus Mahumet statuit felicitatem hominis. p. 216. n. 3. eas ùt licitas permittit. p. 217. n. 4.

Votum: Religiosa vota non præscribuntur â lege naturali. p. 12. n. 10. qualiter Papa dispenset in votis? p. 14. n. 5. & 6. in quibus votis dispenset Episcopus? p. 115. n. 6. an vota rescindantur per leges ob defectum voluntarii? p. 120. n 5. an sufficiat fides in voto suscepta, si actu non potuit, ut in Baptismo? p. 298. n. 13. & 14.

Urbs: in Scriptura rectè ponuntur quatuor civitates refugii. p. 100. n. 21. & seq. quid sit urbs refugii? p. 93. n. 1. primò sunt urbes hæ constitutæ ab Ethnicis. p. 98. n. 17. asylum est jus antiquissimum. p. 100. n. 22. dividitur in sacrum & profanum, *ibid.* quæ loca gaudeant asylo? p. 100. n. 22. quinam non gaudeant jure asyli? *ibid.* an Baptisteria Ecclesiæ non conjuncta gaudeant asylo? p. 101. n. 23. an Palatia Episcoporum, & Cardinalium? an hospitalia auctoritate Episcopi erecta? an Religiosæ domus, & monasteria? *ibid.* de asylo Idololatrarum, gentilium, & Judæorum. p. 101. n. 24. & 25.

Usura an licita fuerit in filiis Israel ex dispensatione Divina? p. 16. n. 8. & 12.

Utor: quid propriè sit uti? p. 130. n. 2. hominis actus præcipui sunt *uti*, & *frui*. *ibid.*

Vulcanus: unde nomen habeat? p. 208. n. 5. stultè inter Deos numeratur, *ibid.* fabula de eo narratur, & declaratur, quòd non sit alius, quàm tubalcain. *ibid.*

Vulgata editio nostra omnium optimè explicat faciem cornutam Moysis. p. 35. n. 11. & seq. eadem rectè numerat quatuor urbes refugii. p. 100. n. 21. & seq. quid intelligat per mandatum minimum, & verbum otiosum? p. 145. n. 11. & seq. vid. *Scriptura*.

Uxor: explicatur, qualiter licitum fuerit libellum repudii dare uxoribus. p. 16. n. 8. & 13. ac p. 25. n. 11. & 12. qualiter Oseas potuerit sumere sibi uxorem fornicationum? p. 16. n. 8. & 14. an Jacob Patriarcha habuerit quatuor uxores? p. 27. n. 15. & 16. inhibitio dandi uxoribus libellum repudii est præceptum leve. p. 68. n. 9. vid. *Mulier*. in ordine dilectionis uxor est diligenda â marito omnium prima. p. 336. n. 4. non est licitum uxori, se ipsam alteri submittere consentiente Marito. p. 336. n. 5. an Deus creaverit Adæ duas uxores? p. 284. n. 3. non licet marito uxorem suam alteri submittere ad evadendam mortem. p. 336. n. 6.

W.

Waldenses: hæretici Waldenses negârunt legem humanam obligare in conscientia. p. 76. n. 1.

Z.

Zippora an fuerit uxor Moysis? p. 32. n. 2. & 3.

Zvvinglius Christo ignorantiam imputat. p. 229. n. 2. dicit, eundem in Cruce desperâsse. p. 229. n. 2. non admittit vocabulum Trinitatis. *ibid.* credit, de se esse dictum: *est enim Phase, id est, transitus Domini*. p. 230. n. 5.

FINIS HUJUS TOMI QUARTI.


Th
889a